BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
21 P
13 H

14-13. I 3

14
21 P

AD PHILIPPI SECVNDI HISPANIARVM CATHOLICI REGIS, PHILIPPVM FIlium Principem, ac longinqua noſtrorum hominum nauigatione nuper reperti orbis hæredem,

DIALOGVS DE TRIPLICI BOno et vera hominis nobilitate, qui Philemon inſcribitur,

IACOBO TAPIA ALDANA AVTHORE.

ADDITVS EST RERVM PRÆCIPVE memoria dignarum locupletiſsimus Index in illorum gratiam, qui negotijs varijs diſtricti, vniuerſum noſtrum opus ex ſententia animi perluſtrare nequibunt.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Cum Priuilegio Catholici Regis

SALMANTICÆ,

Excudebat Cornelius Bonardus.

Anno. *M. D. LXXXVIII.*

PHILIPPI SECVNDI CHRISTIANORVM REGVM LONGE MAXImi & Potentiſsimi Philippo Filio Principi hæredi meritiſsimo & exoptatiſsimo.

Iacobus Tapia Aldana fœlicitatem perpetuam.

VETVS inſtitutum eſt, iam inde à priſcis temporibus à maioribus vſurpatum Chriſtianorum princeps maxime PHILIPPE, vt qui erudiendæ hominum vitæ amore: et famæ dulcedine capti lucubrationes ingenij literarum monimentis prodere nituntur: eaſdem ſemper principibus viris inſcribãt. Quod nimirum ſcriptorũ turba ab omni triplici de nomine factitari cernas. Partim enim negotiũ hoc ſedulò nõ pauci ſuſcipiunt, vt gratificẽtur eis qui de ſe ſunt quam optimè meriti: vel, vt ab illis, à quibus boni aliquid ſperant, et induſtriæ fructum vident poſſe rependi, gratiam ineant: partim vt authoritate nominis tanti fulti à vitilitigatorum effrani licentia, et improborum audacia ſint tuti, atq; ab omni inuidia defenſi. Hunc ego morem hæreditario ceu iure à proauis acceptũ hac in parte ſequi volens: cum meum famæ nomen committere vellem vulgò prolatis ſcriptis: et à vetuſtatis carie, et temporis cuncta carpentis ſitu aſſerere me quoad poſſem in lucem: non alia, ad obtinendum id, quod optabam, efficax magis ratio viſa eſt, quàm ſi eũ, quem nuper abſolueram de triplici bono et vera nobilitate dialogum (in quo multum à me et temporis eſt et laboris inſumptum) conſecratum tibi miſiſſem in publicum. Statim enim cogitare mecum cœpi, ſi tam excelſi nominis amuleto præmunitus liber noſter in hominum manus veniret, tam inuerecunde audacem neminem eſſe futurum; vt mordicus impeteret, quem fidei cõmiſſum tuæ fouere ipſe cœpiſſes. Primigeniam itaq; hanc animi mei fœturam ſtatui tibi dicare: nõ quòd eam tanto eſſe principe dignam putem: ſed quia ſim facile arbitratus, auſpicijs ac ductu ſerenitatis tuæ tutiſſima mihi cuncta ab inuidis mox futura. Etſi cæteri mortales (quibus copia eſt) ſuorum fructuum libamenta prima ritè conſecrant Deo: qui pecora, qui arua dedit, qui arbuſta creauit. Cur ego tibi principi meo ingenij vel rudes primitias non offeram, dicem, ac conſecrem: qui inſtar illius cœlum terraſque

tuentis Dei magnis parua compenſare ac rependere poſsis? Quamquam autem mearum hoc primum virium ſit ſpecimen, atq; ideo erratis venia poſsit dari, quòd hæc (qualiacunq; erunt) ab inexperto ſint luſa: elaboraui in eo tamen, vt reprehendi quam pauciſsima poſſent. Id verò præſtiterim necne, viderint alij: meum cenſere non ſit. Unum affirmare poſſum (quod non admodum inuiti mihi lectores dabunt) me in illo componendo ex celeberrimis quibuſq; authoribus et maximè fama dignis non niſi præſtātiſsima mutuatum, atq; optima ſemper ſedulò fuiſſe ſecutum. Nam cum iam operi accinctus et maximè in altum progreſſus hoc, quicquid eſt operis non aliter in lucem edere decreuiſſem, quàm celeberrimo iſto celſitudinis tuæ titulo condecoratum: dare operam cœpi, vt illa tantùm in medium adducerem, quæ ætati tuæ iſti ſi non iam inſtituendæ (id enim fortè arrogās cuipiam vel ſuperbum videatur cum tot magiſtris abūdes, ſiſq; tua ipſe ad recta ſponte morigerus) at confirmandæ certè præcipuè cōuenirent, et maieſtate regia non indigna eſſe viderentur. Etenim cum ætatis teneræ tyrocinio rudi non niſi honeſta proponi debeant, et ſtudia laudabilia, propterea quòd diutiuſculè illa animis inhæreant, quæ à teneris ſunt imbibita: ea demum afferre ſummè ſtudui, quæ ad ingenij culturam, morumq; honeſtatem plurimum valere ſunt viſa, et ad virtutū omnium notionem non leuiter adiuuare. Quarum et ipſarum honeſto ſatellitio niſi ſit vndiq; principis vita munita, eſt profectò regno ipſo nihil infœlicius, ac ne imbecillius quidem quicquam. Nihil enim virtus vnde abeſt aut fœlix eſſe, aut ſtabile poteſt. Cuius cum ad benè beatèq; viuendū nulli non mortalium neceſſaria ſint præſidia, atq; omnium principi maximè: quòd in ſublimi admodum vita eius poſita loco, cunctorum ad ſe oculos atq; ora conuertat, facile vt inde quiuis imitatione ſui principis in vtramq; partem actiones vitæ temperet, et mores effingat. Tibi Dei Optimi Maximi benignitate magnis imperijs et nato et alito (dum tenera adhuc ætas eſt) deguſtationem aliquam virtutis, ceu in cōuiuio bellaria apponere ſum conatus, cuius ſi eris pabulo frequenter vſus, pœnitendum nihil appetere poſsis. Multis enim illuſtri atq; amplo regno potitis exitio fuit cupiditas animi effrænis, et certis nullis mēs bonis acquieſcēs. Nam cum hoc in opere fortunæ ſim, et naturæ etiam munera cūcta executus: inſuper atq; animi diuina bona complexus, quàm priora illa duo leuia ſint, incerta, fragilia, caduca atq; fugacia: quàm præ ijs, quæ ab animo proficiſcuntur putere, ſordereq; debeant, nō equidem innui ſolum, ſed

ex

ex hiſtoria omni aliè repetitis exemplis (niſi fallor) expreſſi ac ceu penicillo depinxi. Multa obiter de imperij gerendi ratione: deq; adminiſtrandæ reipublicæ facultate à nobis dicta ſunt, de Sapientia et Religione: de prouidentia diuina: & de ea (quæ vulgò fingitur, & ab ethnicis credita eſt Dea) temeraria ac cæca fortuna. Vt interim de aſſentatione vitanda (quæ vna peſtis in aula ſæpe conſpicitur) deq; turpi amore fugiendo, cui pabula ſuppeditant opes, alijſque item non paucis commemorem nihil. Quæ proculdubio omnia, non ipſa tantum multiplici rerum ſylua, ſed exemplorum etiam vbertate ac non infertili copia oblectare te poterunt, ac dulci quadam varietatis illecebra morari animum: & voluptate ſumma perfundere. Accedit eodem, de gloria nominis, et germanæ nobilitatis ratione in calce operis ex induſtria appenſa particula, cuius facile lectio docebit nobilitatem veram ex ſola animi naſci virtute. Atq; ideo obſcurum nullum eſſe putandum, quem egregia virtus animi collocans in rerum luce, paſſa latere non eſt. Quod licet tardi quidam ac deſides, quorum animis placet ignauia, inficiari conentur: nunquam tamen illi negabunt, qui paternos titulos et à proauis acceptas imagines, noua ipſi aliqua animi virtute exornarunt, et honeſtate inſignierunt. Quibus certo ſcio, nobilitatem illam omnium maximè probari: cui non aliena, ſed ſua virtus ad gloriam opitulatur.

Nam quid imaginibus? quid auitis fulta triumphis
Atria? Quid pleni numeroſo Conſule faſti
Profuerint? Si vita labat? Perit omnis in illo
Gentis honos, cuius laus eſt in origine ſola.

Sed eſt profectò nobilitati ſanguinis tam excellens vſq; indoles ad virtutem, vt non illepidè vulgò ſit creditum in vnoquoq; noſtrum pro nataliũ conditione, vitæ plerumq; actiones, ſolere pares exiſtere. Id quod docere in Alcibiade nititur Plato, nobili quam obſcuro fœliciora eſſe ingenia aſſerens. Quod ſi verum eſt, cum nulla in terris generis tanta ſit dignitas, vt regiæ poſſit maieſtati cõferri: debes tu quidem PHILIPPE *Princeps maxime præſtãtia iſta naturæ, et ingenij fœlicitate, quæ tibi ſupra cæteros contigit longè maior indefeſſè ſemper niti ad verum gloriam: Domeſtici tibi ſunt ſtimuli ad virtutem acerrimi,* PHILIPPVS *pater, iuſtiſſimus atq; optimus Rex: dignitatiſq; regiæ laude omni cumulatiſſimus: ſiue Chriſtianæ religionis propagandæ ſtudium acre, ſiue orbis terræ patrocinium, quod vaſtæ ditionis imperij eius penè eſt terminis circunſcriptum,*

quanta

quanta ſit ab illo vigilantia animi et cura ſuſceptum, velis inſpicere. Et quæ te vel vnus ad illuſtria facta vocabit, paternus auus Carolus, cuius ſi præclara animi geſta conſideres quid eſt, quòd Græcorum vel Romanorum principum alte repetitis exemplis, te ad magnarum rerum laudẽ excitem atq; cohorter: cum hic vnus et bellicas et ciuiles illorũ laudes excellentis generoſitate ſpiritus, atq; omni virtutum genere interuallo magno poſt ſe reliquerit: ac modo quodã ſubluſtres, obſcuraſq; effecerit? Qui poſt Turcarum Imperatorem ſæpe fugatũ: poſt Lutheranos attritos: poſt illorum inſolentiam edomitam, qui tanti principis maieſtati obloquẽtes, fœlici ipſius imperio inſidioſe obſiſtere conabantur: ſpatioſæ admodũ, opulentæq; ditionis PHILIPPO patri tuo (quem tantarum rerum ſuſtinendæ moli non eſſe imparem nouerat) vltro delatis habenis: bonorum omniũ fonti, et imperij largitori ſummo Deo, inuicta dicauit pectora. Vt, qui terrarum in orbe omnium victor extiterat: difficili de ſe (quod vnum erat extremum, victoriæ triumpho parto: diuinum erga Numen pietate animi ſola victus eſſe videretur) Chriſti Optimi Maximi alumnus ſupplex effectus. Quid iam de Maximiliano Cæſare materno auo tuo, Ferdinandoq; item proauo Cæſare dicam; quorum excellens virtus animi, clarorum virorum inſculpta pectoribus, et doctorum hominum celebrata literis æternitatiſq; ipſius mandata monimentis, interire non poterit? Quibus te tam heroicæ ſtirpis clariſsimum germen, præbere velis, vt ſimilem profectò obnixè precarer: niſi in ſtudio veræ laudis, nulli vnquam cedere paſsi, Cæſarei ratio ſanguinis, et Chriſtianæ reipublicæ commune votum et ſibi et nobis de te, optatis longè maiora facile pollicerentur. Sed humanè precari ſi licet (auguſtiore exoptante voto) precamur quidem vt Dei omnipotentis timore et ſingulari dote iuſtitiæ (qua Chriſtiani populi commiſſam ſibi gentem) pietatis vero in officio religioſe ac ſanctè continet, cuius ſumus omnes anxiè de vita ſoliciti, PHILIPPVM patrem referas: fœlicitate verò generoſi et pij animi, paternum (quem diximus auum) Carolum Quintum effingas. Maiora inuenire rudi, abundè hæc mihi tuarũ ſumma ſit laudum. Sed næ ego ſtultus, qui minime ceſſantẽ verbis ad virtutem inſtigem? cum præſertim inſigni procerum ex numero, patris imperio delectum Gometium ab Auila Marchionem Velada Rectorem domi habeas ſingulari animi prudẽtia virum, et regijs artibus inſtructiſsimũ, inſtitutoremq; etiam Garſiam à Loayſa multarũ artium cognitione nobilem: à quibus (quæ illorum animi virtus eſt) mentẽ ſi aduertere libeat,

ceu

cen ex limpidiſsimo fonte præſtantiora noſtris monitis præcepta poſsis haurire. Vnum tamen eſt, quod officioſi animi erga te mei ſingularis quadã obſeruantia, et amoris magnitudo me tibi cogit præcipere: vt in adminiſtratione ipſa regni (inſtabilitatis humanarum rerũ memor, et à quo imperium tantum acceperis recordatus) Deo Optimo Maximo fidelis & gratus ſis. Sic enim mihi perſuadeo, ſic ſtatuo, ſic ſentio: Pietatem animi erga Deum, virtutum omnium fundamentum eſſe, ac ſummæ in homine fœlicitatis auſpicium. Tum etiam illud moneo, vt charitate patriæ et ſubditorum amore generoſam tui animi vſquequaq; mentem imbuas. Quibus ad imperandum artibus ſi inſtructus acceſſeris, caſu omni humano robuſtior et valentior effectus: quod ſperes in cœlo premium ingens: in terris verò (caducæ poteſtati dũ prouides) nihil erit quod ſtatum tuæ mẽtis cõturbet, vel magnopere pertimeſcas. Sed hæc à pædagogis magiſtriſq; tuis et copioſius audies et crebrius. Quos nimirùm tanto principi inſtituẽdo delectos neceſſe erit ijs rebus excellere, quæ legitimi in adminiſtratione regni ſapientum comprobata iudicio, omnium ore laudantur. Quorum ſi præceptis acquieſcens, regalium artium momenta condiſcens: rationi quam affectioni magis imperij faſces libens ſubmiſeris; in primis Rex ipſe tui diſciplina virtutis effectus, vaſta in ditione regnare fœlix poteris, beata vſq; republica potiens. Beatas enim reſpublicas illas Plato exiſtimauit, quarum ſapientiæ ſtudioſus tractat gubernacula. Reliqua, & ſecretior eius cum fuerit, qui eluendis animi ſordibus, emaculandaq; apud Deum vita, tibi conſtitutus præfectus, regij pectoris interiore conſciẽtia perſpecta, opportunè vulneri adhibita medicina ad pietatis te confeſtim vera munia, ac debita officia vocabit. Quo abs te munere ſuppliciter et ſanctè ſuſcepto, non dubitamus vel breui cùm Chriſtiana republica (cuius humeris tuis multò pars maxima inclinata recumbit) præclariſsimè actum iri. Neq; enim fieri poterit, quin tam excellens et incomparabilis generis dignitas inſtitutorum eiuſcemodi præceptis inſtructa et informata doctrinis non aliquid ſpiret diuinum, quòd latè vndiq; fuſam, ſpatioſeq; patentem ditionem tuam fœlicem efficiat, atq; beatam, teq; adeo ipſum conſpicui famæ nominis in æternum illuſtret. Sed ſit iam modus: ne maieſtatis regiæ vel præſtantioris naturæ (quæ laudabili vi ſeminis transfundi ſolet in ſobolem) fuiſſe videar oblitus. Reſtat extremum illud, vt in opere excipiendo voluntatem offerentis expendas: cui ſi in ſcribendo par mea eſſe diligentia non potuit: ſit tuus, qui eſſe facile poteſt, eidem amor par: benigne exci-

piens, quod eſt amãter oblatum. Siquidem haud diſsimili in re excelſi virtus animi proculdubio maximè cernitur. Itaq; nõ iniuria ſapientiſsimi viri aſſerunt, ut hilariter magna dare beneficentię regalis eſt proprium: ſic et interdũ libenter accipere parua principi nõ eſſe indecorũ. Sic Perſarũ ille Rex magnus Artaxerxes à pauperculo vile munus malũ punicũ placide accepit: et à Sinęta ruſtico ex pręterlabenti Cyro flumine cauis manibus hauſtam aquam, ſibiq; datam dono, minime faſtidiuit: utriuſq; hominis non voluntate ſolum animi laudata, ſed regijs etiam honeſtata munuſculis. Recte vir ſapiens non indigna rege arbitratus eſt illa munera quę ab animi puritate profecta, Diuis ipſis non ingrata accidiſſe ſæpe viderat. Apud quos, qui familiaris rei anguſtia conſtricti, thura fortè exhibere nulla poterãt mola tantum ſalſa litabant. Cuius rei haud ignari agricolę veteres, in ſacrificijs Deorum peragendis Baccho racemum: Cereri ſpicam: Palladi ramum ſemper frondentis oliuę: ac ſua tandem cuiq; Deo, ceu inuenti primitias dona offerebãt. Rati in exhibitione doni, longe magis Deos ipſos puritate animi capi: quam inani aliquo ſumptu, qui ex ſuperbifica gazę, nimis ſæpe fit ab improbis. Quod cum ita ſe habeat: quę ex ingenij noſtri tenui atq; humili caſa literaria Xenia offerimus, placide quæſo iam ſuſcipe Princeps ſereniſsime: ne ope tua nulla induſtria noſtra confota, agri inſtar ſterileſcat, cui prudentis olim eſt agricolę manus adempta. Sed faciamus tandem iam medum. Celſitudinem tuam Deus Optimus Maximus quàm diutiſsimè præſtet incolumem: et ad eas,

quas hactenus tribuit largè, virtutes illas animo infundat,

quę ei cui natus, deſtinatuſq; es, regno atq;

imperio debentur.

(?)

PRAEFATIO OPERIS AD pium candidumque Lectorem.

CVM multa ſint à veteribus philoſophis magna adhibita cura ad erudiendã mortaliũ vitam literarum prodita monimẽtis, & memoriæ cõmendata: nihil eſt tamen orationis illo genere illuſtrius atq; præſtãtius: quod de boni maliq; natura, dignitatiſq; veræ ratione ab illis ſuſceptũ eſt. Cum enim priſci illi mortales, qui ingenio cæteris præſtare videbãtur, virtutis & cognoſcẽdę & adipiſcẽdæ cauſa ſeſe primũ ad philoſophandũ cõtuliſſent: rati, hanc vnã viã ad benè beateq; viuendũ homini eſſe veluti cõpendiariã, eã potiſsimũ diſciplinę partẽ literis ſunt illuſtrare orſi, quæ animi propenſionẽ ſui, ſtudiũq; id, in quod maximè ferebantur, iuuare poſſet: atq; alijs, eiuſmodi rerũ cupidine ductis, viã aliquã munire atq; aditũ patefacere. Ita factum eſt, vt quò ſapiẽtiæ quiſq; ſtudijs erat addictior, eò ſolertiꝰ & accuratius de omni virtutũ vſu, functioneq; tractaret. Sed cũ honeſtatis nondũ cognita & intellecta natura, vis eſſet virtutis parũ certa, atq; eius in obſcuro oĩs poſita dignitas, fons eſt ab illis decori ſplendidè patefactus, vnde præſtãtia eſt virtutis cognoſci cœpta, & quãti ſit pretij atq; valoris ab omnibus dijudicatũ. Tũc etenim primũ cæperũt ſentire homines quãto is honore dignus eſſet habẽdus, qui virtute poſſet cæteris antecellere. Cũq; hoc ꝓpriũ virtutis ſit, vt quẽ ſit cũq; cõplexa nobilẽ faciat, & authoritate verẽdũ: omneſq; ſic à natura ſimus inſtructi, vt honoris ac laudis cupiditate ſũma flagremꝰ, ſecutũ illud eſt, vt honeſtatis amor, ſplẽdorq; virtutis oẽs fermè ꝑuaſerit, ſed eos potiſsimè incenderit, qui mẽte atq; animo valẽt. Nã licet omnis humana natura ex corpore ſit atq; animo colligata ſupremi legiſlatoris imperio certa quadã lege ad tẽpus indiſſolubili, quorũ alterũ tenere clauũ debet, parere & obſequi alterũ. Multi tñ ea ſunt ingenij peruerſitate, vt in ijs imperiũ hoc præpoſterè cõſtitutũ ſit, & mentis munus indignè deprauatũ, atq; adeò miſerabiliter affectũ. Ex quo fit, vt demerſi tãquã atq; obruti corporibꝰ, ſub ipſo corporis ſui tegmine deliteſcẽtẽ animi præſtãtiã

nequeant intueri. Vbi enim ſemel ſeſe eiſdẽ turpiter addixere: ea tantũ clara putant, atq; etiã præcipua maximè, quæ appetitũ corporis explent, aut maleſana aliqua voluptate titillant. Quæ proculdubio res honeſtatis fugã, ipſarũq; attulit virtutũ deſertionẽ. Nã cũ adhunc modũ affectis videri poſsit bonũ nihil honeſtũ: in his dũtaxat rebus elaborant, quæ deterrimæ ſunt, & magnis cõtiguæ ſceleribus, haud ſecus ad probitatis munia vbiq; hallucinãtes, quã ad iubar ſolis nocturnę ſolẽt aues. Vt enim illæ propter infirmã oculorũ aciem vim lucis tantã ſuſtinere non valẽtes, ſuos noctu volatus exercent. Sic improbi homines, & rebus dediti voluptarijs, difficultate virtutis exterriti, cuius (iuxta Heſiodiũ carmen) plena omnis labore via eſt, partẽ illã animi rationis expertẽ ſpõte atq; vltrò ſecuti, de repente trudũtur in vitia, itineris molli illa quidẽ ſed maximè fallaci prorſus allecti planicie, cũ aſperitas potius omnino foret illa probanda, quæ fronte minata laborẽ mirã introrſum continet voluptatẽ, & in receſſu lætitiã. Quò magis mirandũ eſt, cũ ad honeſtatẽ & iuſtitiã vniuerſi ſimus nati, eius rei ſummè atq; auidè natura expetẽtes, tantũ adhuc apud quoſdã corroboratã tempore naturæ potuiſſe valere deprauationẽ, vt turpia honeſtis antetulerint, & virtutes vitijs ſemper poſthabuerint. Cum præſertim ingenitæ hominũ cupiditati reſiſtẽs, huiuſcemodi videri poſſit violentũ ſtudium, q́ ſapiẽtes aiunt non eſſe ſolere diuturnũ. Quòd ſi nos natura non ad eã aliquo pacto animaſſet, & ad contraria declinanda ratione atq; intellectu muniſſet, eſſet profectò vitijs hominũ quaſi honeſtior quædã latebra cõſtituta ipſe naturalis inſtinctus, ſuopte hominẽ ad mala pertrahẽs genio. Liceretq; tũc demũ liberius peccare cũctis, aut impunius (vt reor) certè: qđ vtrũq; diuinę humanęq; legis pręſcripto infamia notatũ eſt, pœniſq; dignis coercitũ. Quod nunquã lex ipſa ſupplicio vel pœna mulctaſſet: ſi propẽſione magis naturæ vehementi, quam animi noſtri libera voluntate, flagitia, ſcelera vè ipſa vſquequaq; patrarentur. Quæ enim foret inſcitia edicto ne fiat cauere, quod ſit homini prorſus ingenitum? ipſaq; à natura inſitũ? Ex quo cernere licet, amplum & excellẽs quiddã ineſſe animis noſtris, turpitudinis omnem ſpeciem aſsiduè auerſans auidè, atque ſtudioſè repellens. indignamq; noſtræ iudicans mentis dignitate. Veruntamen

tamen accidit interdũ, vt contagione vitiorũ infectũ egregium hoc, diuinũq; lumen animi, ſui tanquã iuris & officij oblitũ, enectũ, ſepultumq; ſit. Hinc perditorũ ſcelere hominũ violẽtia, fraus dolus, & iniuria naſcuntur. Prauitatis hinc ſtudia profecta, mẽtis habitũ ſtatione ſua ita deturbant, vt in animantiũ cunctorũ principe, præter effigiẽ ipſam aliud nihil hominis intueri datum ſit. At, quibus lumẽ hoc extinctũ parũ eſt, & ſui cognita dignitas, rebus hi claris obeundis diſtricti, à natura datũ honeſtatis fomitem egregio colluſtrant opere: vitæq; ſumma in omnibus grauitate. Hinc & virtutes exiſtunt, quæ mente minus captis (vt diuinus inquit Plato) mirabiles ſui amores excitant. Quarũ nimirũ cõpotẽ & amari, & magni fieri tã conuenit, quã ſenſu animi vti intelligentiæ rationiſq; participi. Quis enim tã eſt, vel peruerſè malus, vel inſigniter impudens quin perſpiciat, ſi modo tantillũ explicare velit cõtractã animi notionẽ, ſumma omnia laudũ inſignia deberi lumine iſto præſtanti, & mentis huiuſcemodi altitudine prænitenti? Ab hoc ſiquidẽ iugi ceu quodã ex fonte decurrit, & profluit quicquid elatè, ſplẽdidè, amplè, atq; magnificè ab homine in vita ſuſcipit. Quas ob res, hãc tantã generoſi pectoris elationẽ, inclyto illo bene conſtitutæ naturæ lumine mẽtis incenſam, quo ſit cunq; in homine reperta, honorare par eſt: nõ ſecus atq; illã rurſus eſt fas contemnere: quæ temerario quodã corporis agitata impulſu in ea ſe fert, datque præcipitẽ, quæ honeſtatis & virtutis ſtudio iuſtitiæque amori ſummopere aduerſantur, ac maximè repugnant. Nã, ſi ab animo ſumus cenſendi (quemadmodũ eſt prudentibus viſum) ſummo is honore floreat neceſſe eſt, qui animi hac altitudine præcelluerit. Vnde illorum maximè liquet amẽtia, qui cũ impreſſam animo virtutis habeãt notionẽ, & tanquã inſculptã effigiẽ, quæ ſplẽdore proprio ſatis refulgẽs, vndiq; præſtãtiæ ſuæ ignaros eſſe nõ ſinit, de ſe tñ tã nequiter ipſi merentur, vt ſummis ceu tenebris præpediti corrũpant bonitatẽ naturæ, ad obiectã lucẽ de induſtria conniuentes. Nihil neq; ſui, neq; aliorũ omnino habentes penſi. Nã & quã ſequi, atque adeo cõſequi à vitijs auulſi, facilè potuerunt, abijſſe virtutem nõ dolent, & quibus eius eſt fieri compotes datum, pro gratulatione inuidẽt. Parum vtrobiq; reputantes, quàm ſit animi iniqui quod ab ipſis

deſpica-

deſpicatui ducitur,ſumma vigilantia,cura, ſolicitudine & laboribus ambienti nolle concedere, vrenti quaſi oculo faſcinantes, quæ deſpecta ſibi,ab alijs ſunt ſudore, & ſanguine empta. Quæ cum viderem ipſe,ſimul & animo repetens quę in vita homines bona ſequantur maximè, vnde etiam fiat, vt imbecilla quorundam mens,ac prorſus ignara ſui,leuium,caducarum,inconſtantiumq; rerum copia & abũdantia inſoleſcat, quàm à vera deuiet orbita bonorum,& nobilitatis germana ratione. Cuius prætextu male ſanis tume facta bonis,ſine fine ſibi ipſa blanditur, parũ attendens,quid ipſa nobilitas ſit,& cui tandem hominis parti tributa. Quæ bonorum vis,& virtutum qualis fructus; operæpretium me facturum eſſe arbitratus ſum, ſi quæ de his rebus lectione multa à doctiſſimis accepiſſem,meis ipſe traderẽ ciuibus,atq; adeo cunctis diſcere volentibus:ſtudioſorũ hac in parte & laudabilem & veterẽ morẽ ſecutus,qui,quæ à maioribus ſuis vel annotata pulchrè, vel rectè inuenta acceperãt,poſteris ſuis per manus tradiderũt,de ſuo interim addẽtes,quæ magnificè ipſi geſta vidiſſent, vel audiſſent dicta prudẽter, eo veluti labore nõ ſibi minus gloriæ adferentes, quã alijs vtilitatis. Nã & exẽplis maiorũ inclytis ad virtutẽ eruditur vita minorũ: & qui ea doctè literis cõplexi ſunt,ingenij vera gloria ſempiternaq; laude fruũtur. Quãquam autẽ mea ætas in ea tempora inciderit,quę nõ tam rectis ingenijs gloriam ſpõdet,quam ſannas, inuidiãque promittit,is tamẽ ego ſum,qui nunquã arbitrer,relicta virtute,inuidiã eſſe placandam. Nam & laceratos ad vnũ pleroſq; ſcio ſcriptorũ celebriũ fuiſſe, & male ſuſcepto liuore vetuſtate collapſo, virtutẽ tandẽ clarius enituiſſe. Quę me profecto res alioqui indiſertũ, vel potius multũ rudẽ mirificè animauit,& ad dicendũ erexit. Magna enim ſpe foueor,quę virtutis amore à me ſuſcepta ſunt,probatũ iri probis: ſint licet ab improbis, faſtidita; & maleuolis vituperata. Dialogũ itaq; hũc de triplici bono & vera hominis nobilitate, Philippi Regis inclyti Philippo filio Principi, vt ſpero optimo atque fœliciſsimo, hac de cauſa dicatum, quod ampliſsimi Regni hæredi futuro neceſſaria ſcitu multa contineat, ſcribere ſum aggreſſus, non tam equidem ſcientiæ fiſus præſtantia, vel ingenij magnitudine (quod vtrumque in me eſſe exiguum video)

deo) quam omnipotentis Dei diuino fretus auxilio, qui honeſtis & laudabilibus cœptis nunquã non aſpirare ſolet, cãdidè. Cuius ego ductus præcipuè numine difficilẽ planè rẽ, longèq́; meis viribus diſparem: ſtylo ac literis perſequi ſum auſus, pro cõperto habens nihil eſſe difficile poſſe, quod Deo ſit auſpice ſuſceptũ, nec leue quid præſidio cõtrà hominis attẽtatũ, ope vè noſtra inceptũ. Quapropter, Deum Optimum Maximum ſapientiæ iugẽ fontẽ, patremq́; legitimũ ſciẽtiæ ter & amplius oro, vt ea me hoc in opere faciat potiſsimum ſequi, quæ ad inſerendam animis hominũ virtutem plurimum habent ponderis: expurgandiſq́; ſunt vitijs, maximè accommodata. Quippe vitiorũ labe omni defęcato animo & in eo amore virtutis inſerto, verorum actutũ capax homo bonorũ efficitur, ac ſui mirè compos. Quem qui aſſequi nequeat fœlicem mentis ſtatum, lineæ bonorũ triplici, & nobilitatis germanæ rationi intuendæ non magis erit aptus, quam ad diſcernẽdam rerum gratiam, colorumq́; diſcrimina cęcus idoneus. Siquidem intranquillus, & æger animus non minùs ab intuendo quid in re quaq́; & veri & ſolidi ſit hominem arcet, quam à ponderanda rebus inſita venuſtate oculorum acies priſtino videndi munere deſtituta, atq́; lumine orbata. Quod enim integer viſus humano præſtat corpori; hoc vitiorum fęce omni purgata & limpida mens ſuppeditat animo. Vtq́; in illo ſiquid eſt vitiatum, diminutum ac minus redditum, pro veris falſo multa ſæpe videmus; ſic vitijs corrupta mẽs pro ſynceris multa habet, quæ fucata, ac falſa ſunt, & prætextu palliata ſubdolo. Proinde ope omni conandum eſt, mentem vt noſtram quã maximè limpidã liberamq́; præſtemus, ne in amplexandis bonis (ex affectu noxio tanquã ex graui aliquo ſomno excita, reſipiſcenſq́; aliquando) ſibi dicat impoſturã factam eſſe. Nam cũ externa ſubſidia, vel corporis, vehemẽter homines moueant: quòd illorum vſu plurimũ vita cõmunis indigeat, bonis animi mouẽtur pauci, iiq́; ipſi claudo veluti pede ad illa ſæpe gradiũtur. Cuius rei illã exiſtimo cauſam, ꝙ ſemel occupatus affectione praua animus, ſe ipſe nequeat expendere, & ſentire quibus egeat. Vel ꝙ ſit nihil difficilius (vt ait Cicero) quã ab oculorum conſuetudine abducere mentis aciem: aut ita natura comparatum, vt in ea potiùs feramur, quæ corporeis aſpicimus oculis,

oculis, quorum ab omni obtutu vel ſenſu noſter eſt ſemper animus exemptus. Vel quia inopiam animi & virtutum ſtudioſè celent homines, indigentiam corporis ferre non ita ſuſtineant. Sed ſiue hoc, ſiue illud eſt; Certè conſtat ætatis omnis memoria repetita, & temporũ ſubducta ratione oppidò paucos numero fuiſſe, qui ſeſe veris animi bonis addixerint, ſpretis fortunæ, vel corporis. Adeo diuina bonorũ pars ab omnibus parui ducitur. Id ego tacitus mecum contemplans, hunc ſum Dialogum exorſus, diffuſum, vaſtumq; opus, ſed fructuoſa, & (vt ſpero) grata varietate diſtinctum: ita, vt viciſsitudo ipſa, rerum amœnitate quadã, vtilitateq; ſua, lectionis quamlibet lõgæ omne facilè eliminatura ſit tædium. In quo Philemonis partes mihi deſumpſi: Nicetæ, ceu alienas ad amicum delegaui. Scribere autem hoc potiſsimum genere ideo viſum eſt, quòd perſonæ viciſsitudo recreare auditorẽ ſoleat, & tædium leuare legenti. Nam nouo velut cum perſona diſceptatore renaſcente mirè animus erigitur, defeſſaq; mẽs incenditur. Quoquidem in opere multa à nobis ſunt dulci varietatis ex induſtria illecebra condita. Eſt enim perſuaſum Publij Mimographi veriſsimam eſſe ſententiam, qua ait.

Iucundum nihil eſt, niſi quod reficit varietas.

Quod ſiquis tã erit vel moroſo animo, vel ſtomacho faſtidioſo, vt quaſi ciborum in conuiuio multitudine, ſic & in opere legendo varietate rerum plurimum offendatur. Is à noſtris moneo temperet: & aliorum potius ſcripta ſequatur.

Sed tempus monet Niceten vt audiamus operis exordia texentem.

EL REY.

POR quanto por parte de vos el licenciado Diego de Tapia Aldana, del habito de Sanctiago del conuento de Vcles, nos ha ſido hecha relacion que vos auiades compueſto vn libro intitulado Triplici bono & vera hominis nobilitate, en tres tractados, como lo hizo Ciceron: enel qual auiades paſſado mucho trabajo y gaſtado mucha parte de vueſtra haziēda, atento lo qual nos pediſtes y ſuplicaſtes os mandaſſemos dar licēcia y facultad para le poder imprimir y vēder en eſtos Reynos por tiempo de veynte años, o como la nueſtra merced fueſſe, lo qual viſto por los del nueſtro conſejo. Por quanto enel dicho libro ſe hizo la diligencia que la pregmatica por nos nueuamente hecha ſobre la impreſsion de los libros, diſpone ſue acordado que deuiamos mādar dar eſta nueſtra cedula para vos en la dicha razon, e yo tuue lo por bien, y por la preſente vos damos licencia y facultad para que vos o la perſona que vueſtro poder ouiere, y no otra alguna podays hazer imprimir el dicho libro que de ſuſo ſe haze menció en eſtos nueſtros Reynos de Caſtilla, por tiempo y eſpacio de diez años primeros ſiguientes, que corren y ſe quentan deſde el dia de la data della en adelante, ſopena que qualquiera perſona o perſonas que ſin tener para ello vueſtro poder le imprimiere o vendiere o hiziere imprimir o vender, pierda toda la impreſsion con los moldes y aparejos della, y mas incurra en pena de cinquenta mil marauedis cada vez que lo contrario hiziere: la qual dicha pena ſea la tercia parte para la perſona que lo denunciare, y la otra tercia parte para el juez que lo ſentenciare, y la otra tercia parte para la nueſtra camara y fiſco, con tanto que todas las vezes que ouieredes de hazer imprimir el dicho libro durante el dicho tiempo de los dichos diez años, le traygays al nueſtro conſejo juntamente con el original que enel ſe vio, que va rubricada cada plana y firmado al fin del de Miguel de Ondarça çauala nueſtro eſcriuano de camara de los que enel nueſtro conſejo reſiden, para que ſe vea ſi la dicha impreſsion eſta cóforme al original y ſe taſſe el precio porque ſe ha de vender cada volumen, ſopena de caer e incurrir en las penas contenidas en la dicha pregmatica. Y mandamos a los del nueſtro conſejo y a otras qualeſquier nueſtras juſticias deſtos nueſtros Reynos que guarden cumplan y executen eſta nueſtra cedula y lo enella contenido. Fecha en Aranjuez a 9. dias del mes de Mayo de 1583. años.

YO EL REY.

Por mandado de ſu Mageſtad.

Antonio de Eraſſo.

Errata ſic corrigito

Pag.3.col.a.verſ.de.fœlicia,lege fœlici. & v.quo fœlielusq̃ne qnaq;.l.fœlici vſqnequaq; p.4.c.t.v.te & propinquam,l.& vitiorum propioquam p.5.c.'.v.mul.memoris,l.memoriæ p.t t.c.1.v.con.nonemur,l.mouemur p.15.c.a.v.hu.ſi,l.ſit p.16.c.1.v.io.dignis,l.dignos p.19.c.1.v.lip.ranti,l.tanta p.20.c.1.v.fa.rimari,l.rimati p.21.c.1.v.qui.expectis,l.expectes p.25.c.1.v.ct.fragantes,l.fragrantes & c 2.v.gi.conſilio,l conſilio p.26.c.r.v.iucunde ac libens,l.iucundo libens & c.2.v.mi.Quidq;!l.Quid'quod & v.hu.iuri,l.viri p.27.c.2.v.nat.præſentiam,l.præſentium p.28.c.2.v.pro.nobilitate,l.mobilitate p.30.c.1.v.fo.nunqnam prudenter, l.nunquam.Prudenter p.31.c.1.v.quid.iactans,l.Iactaſtis p.33.c.t.v.ei.audebam,l.audebant. & v.vn.iam, l.tum & v.ta.iſta,l.ita p.34.c.a.v.ra.quorum,l.quorſum & v.quid.agit,l.aget p.36.c.a.v.bi.Pyrronis,l.Pyrrhonij p.39.c.t.v.cer.peculaaria,l.peculiaria & v.ctum.duximus,l.ducimus p 41.c 2.v tu.iura,l.iure p.42.c.2.v.non.illius,l.vllius p.43.c.1.v.induſtria,l.induſtriæ & v.ſuo.ſæpiſsime,l.peſsime p.46.c.t.v.dens.exultantis,l.exultantis p.48.c.t.v tto.eni,l.qui & c.2.v.ſti.confirmatione,l.conformatione p.51 c.2.v.eſſe & ea,l.& eam & v.fortuite,l.fortuito. p.52.c.a.v.pbo.Dæmon,l.Dæmon p.54.c.t.v.quit.humanitas, l.humanæ ratis, p.55.c.2.v.præ.aliqua,l.aliquid p.56.c.1.v.ob.illa,l.ille p.57.c.2.v.elet,l.fiet p.58.c.2.v.hi.curunenlæ,l.carunculæ p.60.c.1.v,ſta.plerumq;,l pletorumque p.61.c.t.v.di.vultum, l.cultum & v.ve.hominem,l.hominum. p 63.c.2.v.ram:propterea que,l.propterea quod p.65.c.1.v.bis.virtutem,l.virtute p.69.c.t.v.par.ipſa,l.ipſo & c.2.v.ali.eſt,l.eſſe & v.git.pæn5,l.poëtam.& v.ſed.dicerunt,l.diceret. p.70.c.1.v. præ gubernatione,l.gubernationem p.71.c.2.v. eius expingi,l. expungi.p.76.c.1.v:ne eſſe,l.ecce p. 77.c 1.v.eſt.ſtoicum,l. & ſtoicum.&.c. 2. v. hæc.ſpendide,l. ſplendide. p.84.c 1.v.& arbitris,l.arbitrij & c.2.v.ſi.vita,l.vitæ. p.85.c.1.v.be.in,l.mi. & c.a.v.plo.ipſo,l.ipſi. p.86.c.1.v.futuros,l.futuras. & c.2.v.mo.illum,l.illi.p.87.c.a.v.no.vt extinctum,l.inextinctum. & v.eſt.agit ante,l.agitante. p.88.c.1.v.nic.hic,l.ſic. p.89.c.1.v.noo.ebullientis,l.ebullientem. & c.a.v.vi.magna,l.magno. p.91.c.t.v.cte.terribilium,l.vltimum terribilium. p.92.c.1.v.mor.Aedea,l.Medea. p.93.c.t.v.in,miſero,l.miſer. p.96.c.2.v.vi.vim,l.in. p.97.c.2.v.ne.babere,l.habeto. & v.dus.pecuniæ,l.pecuniæ. p.99.c.1.v.ſtas.intelligis,l.intelliges. p.100.c.2.v.ſtu.nobis,l.vobis. & v.mi.redduis,l.reddetis. p.102.c.1.v.ſam.viros ad,l.ad viros. & v.me.aut,l.aut. p.103.c.v.per.finia,l.fines. & c.a.v.po.lonl,l.Ioni. p.106.c.1.v.eti.emitteretis,l.amitteretis. & c.2.v.ni.errore,l.errorem. p.107.c.1.v.quæ.malitia,l.vitioſa. p.108.c.2.v.fix.dicere,l.decidere. p.109.c.1.v.eſſe.perſpicerent,l.perſpiceret. & c.2.v.rit.atque,l.idque.& v.oullas ipſe literas,l.nullam ipſe literam. & v.q;.Calcedemunium,l.Calcedonium.p 110.c.t.v.tur.profecto,l profecta & c.2.v.que.virtutis,l.virtutes. p.111.c.2.v.de.conſectatur,l.conſectantur. p.112.c.a.v.ctu.veſtigio,l.é veſtigio. p.114.c.1.v.mi.bonum eſſe,l.bonum exiſtimant eſſe. p.116.c.1.v.hs.aſsius,l.halitus p.117.c.2.v.ria.vegetatione,l.vegetationi. p.118.c.1.v.Nunc.l.Hinc. & v.nitimur,l.nituntur. p.119 c t.v.qua Echylus,l.Eſchylus. p.120.c.t.v.eſſe.liamentur,l.limantur. & v.in.ipſe,l.ipſæ. & c.2.v.nis nouis,l.nobis. pa.124.c.2.v.m.paupertate,l.paupertati: p.115.c.t.v.can.opinioneque,l.opinioque. & c.2.v.que ratione,l.rationi. p.127.c.2.v.re.meis,l.in eis. p.131.c.2.v.nē.flatioſæ,l.flagitioſæ. p.132.c.t.v.ſim.malo,l.male. & c.a.v.à.Et,l.Eſt. p.133.c.t.v.be.vocis,l.notis,&,c.2.v.non,populos,l.populus.p.134.c.a.v.maiora,l.maiori.p.135. c.v.nes in ea ſcelera,l.in ſcelera,&,c.a.v.nihil ſepulchri,l.ſe pulchri,&,v.ſi ſabeas, l. habeas. p.137.c.1. v.num,oihil, l.mihi. p.139.c.1.v.per tractus,l.pertractos,&.v.ve.flagrati ſimos,l.flagrantiſsimos,&,c2.v.nec quiſque,l.quiſquam p.149.c.2.v.lens ac molliens, l.amoliensque, p.150.c a.v.imbeilium,l.imbecillium, p.152.c.v.ob. penetrati,l.penetret, p.151.c.1.v.Syſsitijs,l.Siſsitij,&,c.2.v.qua opulentes,l.opulentos, p 154.c.2. v.tem. Ac.l, At, &. v.diuitiarum, p.156.c.2.v.opn circum ſcriptæ,l.circum ſcripta, p.158.c.2.v.quod perniitioſe, l. pernicioſi,&,v.præ.pintos,l.Plutus, p.161.c.1.v.tins expendere,l.erpendero,&, c. a.v.te dic,l.dici, p.163.c.1.v.ieri.potente l.potente, p.165.c.2.v.ſi nullo,l.ſi nulli, p.166c.2.v.ſe veſtigales,l.vectigales, p.168.c.t.v.eo patentum.l.parentum, p.169.c.2.v.non dixiſſe,l.didiciſſe,&.v.vi ſibi ipſe,l.mi ipſe, p.170c.2.v.ta.ac vna, l.hac vna, p.171.c.t.v.non patentem,l.patentum, p.167.c.a.v:ſub ipſas,l.ſub ipſos,p.177c.1. viu.altrutra parte,l alterutri parti. p. 178.c.a.v.ran.elaboranit,l.elaborabit. p.179.c.1. v.pre.affirmanti,l.affirmanti. & c.2.v.nc.Ne,l.Nec. pa.180 c.1.v.boneſtatis nomen ſit vel nomen inſtitiæ,l.honeſtatis nobis ſit nomen, vel iuſtitiæ. p.181.c.1.v.tio.habita,l.Anito. p.182 c.2.v.erat.ſuccenſus,l.ſuccenſens.& v.nutuque,l.nutu:& v.deū.quem,l.quam. p.184.c.2.v.da.vita,l.viſa. & v.ta.fit,l.fit. p 186.c.2.v.re.infelicitatis,l.in fœlicitatis.p.187in margine.de catechiſmo. l.de cataclyſmo. p.192.c.a.v.tio.ſtatu,l ſtatus, p.194.c.a.v.quid.reges,l.roges, p.203.c.t.v. ven. euagatur. l.euagatus. & c.2.v.honare,l.honorare, p.204.c.2.v.tran.nouis,l.nobis, & v.lo.potui,l.potuit, p.206.c.1.v.pro.hortat vt cætus eſis,l.hortatus vt cæteris.p.210.c.t.v.quē.mō,l non.p.219.c.1.v.quiſ.ipſa,l ipſe, p.232.c.2.v.præ.auſcultatoris,l.auſcultatores, p.244.c.2.v.lo.Eſt,l.Et, p.247.c.2.vto.horrifice,l.horrificæ, p.263 c.2.v.cir.Spartanarum,l.Spartanorum, p.265c.1.vill.dominatas,l.domi natas, p.272.c.t.v.vel. diſcendorum l.dicendorum, p.279.c.1.v.Ignorandum eſt,l.Ignorandū eſt, p.315.c.1.v.vir.Reges,l.Rege.

TASSA.

YO Miguel de Ondarça çauala eſcriuano de camara del Rey nueſtro Señor de los que reſiden en ſu conſejo, doy fe, que en la Villa de Madrid a diez y nueue dias del mes de Enero de mil y quinientos y ochenta y ocho años, los ſeñores del dicho conſejo, auiendo viſto vn libro intitulado de Triplici bono & vera hominis nobilitate, que compuſo el Licenciado Diego de Tapia Aldana del habito de Santiago, que con licencia del conſejo fue impreſſo y correcto por el corrector de Salamanca, taſſaron a tres marauedis y medio cada pliego del dicho libro, y mandaron que eſta taſſa ſe ponga al fin de cada vn cuerpo del para que ſepa el precio a como ſe ha de vender, y para que dello conſte de pedimiento deldicho licenciado Tapia, y mandado de los dichos ſeñores di eſta fe, En Madrid dia mes año ſuſodicho. En fe dello lo firme de mi nombre.

Miguel de Ondarça
çauala.

IACOBI TAPIAE ALDANAE DE TRIPLICI BONO, ET VERA HOMINIS NOBILITATE

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Liber Primus.

SÆPENVMERO mirari ſoleo, ô Philemon, cùm ea ſit animi noſtri præſtantia, vt ſi munere ſuo rectè ſungatur, homo ſit ſuperis par habẽdus; vnde ſit caligo hæc mentibus noſtris offuſa, quę tam ipſarum oppreſſa turpiter dignitate vim omnem noſtram proſternit & abijcit, vt hominem animantium cunctorum longè maximum ac verè principem, à iuſtitia & ratione ſuę mentis auulſum, luctifica quadam vitæ ſorte, infra brutorum infima vnum deieciſſe videatur. Nam re vera, vitiorum ipſum atra nebula obductum contemplari ſi libeat, ad ea, quæ verè eſt natus, officia caligantem, cum Homero fortaſſe meritò ſit exclamandũ: Omnium quæ ſuper terrã ſpirant, homine nihil eſſe infœlicius, calamitoſius atq; miſerius. Cùm tamen è diuerſo bona ſi ſua noſſet, & parêre ſedulò præſcripto ſibi muneri ac rationi voluiſſet: integræ incorruptęq; mentis elatione, qua eſt ornatus à ſupremo rerũ artifice, naturæ, fœlicitatiſq; noſtrę, authore vno tantùm excepto, altius nihil in terris, nihil excelſius, aut ſublimius poſsit excogitari. Quod nobis eò magis moleſtè, grauiterq; magis ferendum eſt: quò maiori aliquo torpore deſidiæ, culpa noſtra loco vulneri temerè patefacto: proſternentis abijcientiſq; indignè ſeſe animi: omne ſibi vulnus ab illa fuiſſe conſtat inflictum. Cuius nimirum ſanationi, ſi mens non læua fuiſſet, tanto nos accuratius accingi par fuerat: quanto animũ corpore pręſtantiorẽ eſſe palam eſt. Maiuſq; ab illo, quàm ab hoc, periculum eſſe, ſi quis fortè in ipſorũ morbis diſcutiendis, rectèq; curandis ſit negligens, qui verè homines ſunt, ſentiunt omnes. Quid enim contemptius? Quid abiectius? Quid deſpicabilius? Quid præterea fœdius? Quid tetrius? Quid immanius? Quid pernicioſius? eo fingi, vel excogitari homine poteſt, qui libidini prauæ inſeruiens temerè: functionum ſuarum legitimo ac vero ordine per ſummum nefas vel perturbato miſerè, vel improbè derelicto, à rationis præſcripto deſciſcit: & naturę vera lege deficit? humanæq; planè cõditionis, ac dignitatis oblitus, mentis iuſſis parere non vult, cui imperium eſt omne animi à natura tributum?

NAM CVM SVMMVS ille parens atq; omnium conditor Deus beneficentia magna vſus, intelligentię ſit vim nobis, atq; aciẽ mentis largitus, inſuper & rationis diuinũ vſum dederit: quibus tã mirificis, diuiniſq; muneribus decorati ac fulti, creatarum rerum omnium principatũ facile adipiſci, & à bonis mala poſſemus rectè ſecernere, & rerum latè intueri cuncta diſcrimina: ſingulari quodam prouidentiæ dono & eximiæ cuiuſdam charitatis affectu diuinorum bonorum à Deo facti participes. Quarum proculdubio dotium haud minus quidem obſequi imperio decebat, quàm poſſeſsione gloriari, ſi conceſſa dignitate iure perfrui vellemus. Hæreditatis nos interim tam ſpecioſæ atq; opulentę poſſeſſores indigni: & quaſi in agro opimo & fertili parum induſtrij, inutileſq; coloni: ocioſe fluentes ramos magiſtra falce amputare inſcij: ſtolonibus atq; fruticibus pernicioſe vndiq; promicantibus, deuaſtari ſenſim atq; ſylueſcere, pretioſum hoc prædium mentis patimur: noxiorum dum affectuum, ceu tempeſtatis aliquo impetu ſæuo rapti, poſſeſsione præclara fundi inclyti deturbari, mulctari atq; exinaniri parte optima noſtri, id eſt libertate animi vera, atq; iudicio, nihili pendimus. Quin potius tot hęc diuini muneris beneficia, quæ tanquam veri boni inſtrumenta certiſsima in nobis eſt natura ſo-

lers prudenter architectata : ſic nos interdũ elanguere deſidia patimur, atq; adeò vitijs oppleri:nihil vt ſit difficilius, quàm illorum breue aliquod tenueq; veſtigium in homine indagare. Hinc animi tumultus miſeri, & rerum ſumma peruerſio exoritur. Quippe, vbi diuinum illud rationis lumen flagitijs eſt ſepeliri atq; opprimi cœptum: tranquilli animi prædones affectus protinus efferueſcunt, ſtatum mentis vndiq; conturbantes, triſtiq; animum ſolicitudine complent, ac damnoſa variè iactura replent: hominemq; totum ſic miſerè affligunt humi: nihil vt iã ſit in nobis inſpiciendæ veritati, vt oportet, planè liberum: vel cenſuræ iuſtæ peruium. Atq; ideò luce hac inclyta miſer orbatus, adulterato mentis, ereptoq; iudicio: in ea, quæ concupita ſunt, impetu cæco raptus, habens iam prorſus nil penſi, permiſcet fœdè cuncta, prophanat atque peruertit : in exitium ſæpe ſuum pernicioſè illa conuertens, quæ humano generi ab artifice ſancto fuerant, ſalutaris cuiuſdam opis, & remedij cauſa tributa. Hinc rationis amiſſo ſceptro maleſuadæ voluptatis titillatione quadam fœdiſsima illectus volutatur amens vitiorum genere omni : diſcrimina illa rerum parum attendens, quibus turpia ab honeſtis, improba à bonis, noxia à ſalutiferis natura ſapiens diſcreuit, diſtinxit, ac ſeparauit. Ex quo fit, vt corrupti adulteratique ſenſus mollitudine praua victus in illa ſępe manus inijciat, quę deteriora ſunt: ſpecie recti deceptus. Nil ſiquidem, oppreſſa caligine mente, titubante animo, nutante corpore vitijs, homo ille exterior qui vulgo dicitur, videre ſani poteſt. Vitioſa ſunt, & corrupta verè cuncta, vbi mens ſana non eſt. Quid enim cum ſanitate commune eſſe poterit, ſine mente animo? ſine vita corpori, ſine acie oculo, videndi munere emuncto, contuendæque lucis officio prorſus inutili facto? Quocirca, non eſt profectò mirandum, ſi in habendo rerum delectu, eiuſcemodi hominum vana plurimum iudicia atque adeo falſa ſunt. Malus enim examinando vero hoſpes eſſe ſolet affectus : eſtque iudicio meo : vt rectè putatur à multis, Iuſtitiæ iniquus interpres. Qui ſi iam erit flatu aliquo turbatiori, conſtituti ſibi à natura iuris terminos prætergreſſus, & rationis longius à meta diuulſus, quid non deſignabit flagitij? quid non excitabit cladis? quid non tandem calamitatis, atque adeo ſtragis edet? lędit cuncta, ni temperes, amico parum æquus : inimico malus iudex. Itaque fit, vt cum ad cenſendas res corrupti affectibus, vel emaſculati delicijs plurimum accedamus : & boni & mali ſublato diſcrimine, quaſi tẽpeſtatis aliqua maiore vi rapti, inſano ipſorum ęſtu fluctuantes, iudicij ac rationis immemores, bonis ſæpe mala anteponamus.

Cvm igitvr, bonorum quibuſdam placeat eſſe triplex genus : idque ipſum ſubtili quadam ratione vnicum poſsit eſſe probari : quòd ea, quæ corporis, vel Fortunæ bona creduntur, non ſemper bona ſint, ſed exitioſa plerumque, ni animi imperio regantur : tam nos tamen ad ea temerè, & cæco turbidè affectu rapimur, quæ gradum poſtremum obtinent, vt humanarum rerum non ita peritis infima hæc, quam diuina illa, quæ ab animo proficiſcuntur, & meliora eſſe : & potiora videantur. Quod in nobilitatis natura haud multo ſecus accidit. Nam cum origo vera eius ex animi virtute ſit ducta : ſic tamen à quibuſdam interdum conſtituitur, vt manca poſsit atque adeo nulla videri, ni quaſi Virtutis ipſius præſidijs ſepta, munuſculis ſit Fortunæ vndique circumuallata. Quorum ſi latè ſerpens vincet opinio praua, nec generoſus aliquis animi conatus ad pulchra, nec ſtabile bonum aliquod, aut firma vlla putanda Nobilitas eſt. Nihil enim ſtare diutius poteſt, quod ex Fortunæ pendet inſtabili leuitate. Quę & ipſa, vt puto, comperta parum : quaſi nobilitatis effectrix, & bonorum largitrix plurium, vulgo à multis expetitur. Qua ex re contentiones parum ſobriæ : opiniones prauæ multæ, turbulentiſsimi errores, & actiones vitæ turpiſſimæ proculdubio nata ſunt. Quæ cum ita ſe habeant, quæſo, obteſtorque te mi Philemon : vt quæ his de rebus opinio tua ſit, paucis expedias. Suſcipe, oro, rogatu meo, hoc quicquid eſt oneris : Scio enim, ſi modò cauſam recipis, te id exactè præſtare poſſe, quòd in eiuſmodi rebus multum lis, diuque verſatus. Phil. Ni compertum haberem quàm ſit turpe amicitiæ detrectare onus, præſertim cum honeſta rogere : non deeſſent, ſat ſcio, quæ me excuſare poſſent, idoneę cauſæ multæ. Sed neque in eo, quod mihi viſus es valde appetere, accipies placide excuſationem: neq; ego in cauſa tali viri tanti vota morari, ſint mihi licet famę diſcrimina ſubeunda, arbitror eſſe meum. Quid enim ſi leuandi magis cauſa laboris, quàm ignorantiæ aliquo

aliquo prætextu, deſertum à me, quod efflagitas, eſſe cauteris officium? ſicque mihi velamento tali tempeſtiuè obſequentis amici nomen ereptum, & excuſationis latebra omnis occluſa? Neque Hercle ſedet animo intercedere tuis votis: grande etenim nefas duco, amico tali quicquam negare petenti. Adeò me iam totum morum candor inſignis, & animi virtus excellens, quæ in te mirificè elucent, tibi deuinxerunt. Licèt autem quò amor iubet, vetet ire conſcientia, quæ imbecillitatis propriæ me admonens, intra pelliculamque, vt perhibent, verè continens, grandia tractare non ſinit: quò tamen gratificer tibi, obluctari contra eſt viſum, genioque vim inferre. Tu iam puto, quid ab eo qui inuita Minerua negocium ſuſcipit, ſperandum ſit: videbis facile, NICETES qui ſe ſe & aduerſante & repugnante natura negotijs temerè in uoluit, impenſam perdet, & operam. Nihil enim fœliciter cedere poteſt, quod genio reluctante ſuſcipitur. Cuius rei non ignarus Apollonius ille rhetor Alabandenſis, vt in Oratore ſcribit Cicero, cum diſcipulos mercede doceret: quos oratores pacto vllo non poſſe credebat euadere, operam apud ſe diutius perdere non patiebatur: dimittebat nanque, & ad quam quemque artem eſſe putabat idoneum, ad eam impellere atque adhortari ſolebat. Huius ego more haud equidem paterer, tantum abeſt vt poſtulare, à te ve contendere auderem de his vt rebus tractares, quæ naturæ tuæ aut appoſitæ parum, aut negatæ viderentur.

Sed præſtantis magnitudo animi, & ingenij acumen excellens, quibus te vndique magnificè inſtructum video, de te nobis ſumma cuncta proculdubio pollicentur: multoque iubent ſperare maiora. Quocirca vereor profectò, ne formidoloſa iſta conſcientia nimium diffidentis ſibi, præclaram tui animi langueſaciat induſtriam: & ingenij excelſi vires hebetet: quas nimirum rebus eiuſmodi obeundis, non eſſe impares noui. Quare nihil eſt quod cauſere, ſed ad dicendum quàm primum accingere. Nam de vi illata, ne Minerua conqueratur, periculum non eſt: quin his potius illa rebus ſæpe expergeſit, ac modo quodam alitur. Non ne vides quantum cura, labor, induſtria, vigilantia: ipſeque amor tandem ad facile conſequendum, & potiendum id quod exoptes, habeant in vita momenti? Quàm pro votis ſæpe contingant, ſint licet deſperata ac nimis ardua, quæ ſtudioſe affectes & cupias? quàm illa contrà tardè, vix, ægre, raroque adeo cadant, quæ languide ſectere, parumque auide inquiras? En age, onus iniunctum ſuſcipe. Vbi enim id eris cupidè & amanter amplexus, quæ tibi in aggrediendo eſſe videntur aſpera, mox tractatione ipſa, leuia tibi omnia, & facilia videbuntur. Cui quidem noſtræ ſententiæ, vt Coriphæos illos nobiles ſapientiæ priſcæ prætercam Ariſtotelem atque Platonem, & Terentius & Tullius facile adſtipulantur, quorum hic nihil tam eſſe difficile dixit, quin quærendo poſſit inueſtigari: ille, nihil tam eſſe facile, quin difficile fiat: ſi inuitus facias. Quocirca, honeſta in re, quæ difficultate cum aliqua, natura coniuncta eſt, generoſa tibi eſt pectoris audacia vtendum: & præclari quod imponitur operis, grato ac fidenti animo, onus ſubeundum.

PHIL. Pertrahis tu quidem in campum inexpertum equitem: ſed tamen gerendus eſt mos. Verum ita geretur, vt intelligas, hanc mihi rem ſummè ſemper viſam eſſe difficilem. Nam licet languore animi ingratiſque ſuſceptæ res plurimum ingraueſcant: alacritate contra, ſæpe mitiores fiunt: & quam à principio difficultatem habere videbantur, exuant modo quodam procul poſita aſperitate: vereor tamen, vt tantarum rerum molitioni, dignoque exordio, mens infirma ſufficiat. Neque enim rarò accidit, vt animum deſtituant vires. Nam ſi cupiditati noſtræ pares animi neruuli reſponderent, nemo fraudaretur optatis: & qui elatione mentis inclyta ad res maximas forent erecti: ſpei euentum ſiniſtrum minimè experirentur. Sed profecto non eſt facile, quæ ardenter expetis, exequi factis. Dicta enim ſemper facta reddere: generoſumque fœlicia claudere fine conatum, humana maius eſt ſorte. Vt enim in alto ſoluenti, quamlibet perito nautæ pro arbitrio vela dare; ſæpe non licet: ſic cupiditatis antemnas, aduerſi flatus ſubitò tempeſtate ſuborta: ſecundioris inſtar auræ ſpiritu ſuſcepto, tanquam opportunè aliquo capto remigio, curſu, quo velis, dirigere, fœliciuſque quaque dextra moderari, non eſt humanũ. Quo in loco animi notionem tui, quoad libeat, licebit explices. Quis enim Iobi aduerſis in rebus patientiam, quis Salomonis ſapiẽtiam, quis Adami ſcientiam, & ſpatia longiſsima vitæ non ſibi dari expetit? à quibus ſi mihi

exemplis etiam ad externa licet aditum patefacere : quis certamine Martis non Hector aliquis, vel haberi cupit Achilles? Quis ſeueritatem Craſsi, fœlicitatem Syllæ, conſtantiam Socratis, non magna optat animi alacritate ? At ſuccumbit ſtrenuus ardor, fœliciter parum viribus reſpódentibus. Nó enim omnibus datum eſt tantam vel animi, vel ingenij conſequi poſſe præſtantiam. Itaque fit, vt quod tibi nimium ſit facile, mihi contra plurimum videatur eſſe difficile : haud diſsimiliterque alijs in rebus, quod tibi ſit ſuſcipere promptum, mihi ſit refugere gratum, & vitare iucundum. Quamquàm non diffitebor equidem, plurimum ad obtinendum, potiendumque valere : vehementer velle, id quod aſſequi cupias.

Prǽclare hoc perfectò, vt cætera Marcus Cicero,

Nihil eſt (inquit) *volenti difficile.*

Sed agam tandem, quod exigis: atq; hinc certe dicendi auſpicabor initia.

AIS SAEPE numero mirari te, cum ea ſit animi noſtri præſtantia, vt ſi munere ſuo dignè vellet fungi, homo ſit ſuperis par habendus, vnde ſit mentibus noſtris iniecta hæc & offuſa caligo, quæ tam nos peſſundat, proculcatq; fœdè, vt maximè animantium cunctorum viles atque abiectos efficiat. Cuius profectò rei facilis eſt & in promptu reſponſio, à teq; ipſo haud ita dudum, (vt video) & conſiderata pulchrè & ſumma ratione perſtricta. Nempe quod parum affectibus liberi, agendis rebus inuoluimur. Inſano enim affectionis turbidæ agitati impulſu dum ſumus, exacti iudicij normæ locus nullus relinquitur: idcircoque ad cenſenda rerum merita ingenio plerumque turpiter hebeſcimus, ac valde animo ſumus infirmo. Nam ſi lumen illud rationis, cuius radijs incenſa mens verum & falſum videt, perturbationis ægritudine omni ab animo procul expulſa, turpitudinis labe deſæcatum ac limpidum eſſet, & vitijs nullis oppreſſum, perſoluta, quibus oportuit, vera premia cum eſſent, nimirum ſuus cuique rei legitimè conſtaret honos, nunquamq; pro bonis temerè ſumerentur illa, quę vel vitioſa ſunt planè, vel prætextu palliata fallaci, multorum cum magna clade virtutem ęmulantur. Nunc propter adulterati corruptelam iudicij, & propinquam ſtationem, quia ipſorum in confinio moralis virtus eſt poſita, vicini mali contagione haud raro infecta, ſuo mens orbata lumine, quaſi hallucinabunda verſatur in tenebris : in illa ſæpe manus inijciens, quæ voluptatem aliquam ſenſus corpori dum aduehunt, acerbum ſibi virus & perniciem machinantur. Vbi enim ſui obliuiſci per vęcordiam mens eſt cœpta, vili quodam & turpi famulatu, illi protinus ſeruire incipit parti, cui vera ac recta lege naturæ imperare debebat. Ex quo fit, contagione vt morbi infecta, illa cæteris anteponat & prçferat : quæ deſiderijs huius adimplendis natura magis videntur accõmmodata. Dum que non tam ruenti animo fultura, quàm corpori pabulum quæritũr, inſolentia paſtus efferum, bruti inſtar animantis, largior cui victus exuberat, miſerè cuncta deuaſtat. Hinc non tam ſapientiæ ac veræ dignitatis ſplendor, quàm Fortunæ dexter euentus: non tam conſilium ſanum, quàm ſucceſſus proſper rebus in improbis: non tam virtutes quam voluptates : nón tam ſobrius & moderatus animus, rei vbi quid deeſt, quàm affluentia & rerum ſumma copia à corruptæ mentis hominibus communiter expetuntur : perinde quaſi res aliqua externa generoſo animo ſit præſtantior.

Aut opulentior vlla obuenire homini poſſit hæreditas, quàm iudicij integritas, ſedati pectoris quies, pax animi : & mentis miſeris ſemper optata tranquillitas. Quarum nimirum rerum incompoſitis qui ſunt moribus, atque improba vita præditi, penuriam magnam patiuntur. Pernicioſa hinc temere, ſemel corrupto iudicio, ſtultitiæ vela panduntur. Architectatrix rerum Fortuna fingitur : & quaſi res noſtras illa temperet, paſsim ad illam confugitur. Laudatur verbis, exoratur precibus, placatur, donis : atque opinione dementium, vt à Plinio prudenter eſt dictum vitæ vtranque paginam facit. Hæc nobiles, hæc ignobiles vna putatur efficere. Diuitijs, inquiunt, Fortuna beat : diuites clari & illuſtres habentur, efficit ergo Fortuna nobiles. Paupertate eadem multos grauat, egeſtate preſſos vulgus contemnit atq; faſtidit : ignobiles ergo hæc eadem vel maximè conſtituit. Eſt itaq; in vtramq; partem Fortunæ, ſcilicet magna vis.

SED HOC in loco vulgaris huius nobilitatis ſemina declarare operæpretium ſanè fuerit, vt eam non eſſe magni æſtimandam è veſtigio cognoſcamus. Nam ſi in ea tantum iuris Fortuna cæca obtinet, vt dare cum libeat poſsit, hæc claritatis inſignia, & cùm nolit poſsit adimere : quæro an habeat aliquid

quid dignum, cuius aſſequendi cauſa ſapiē-
tis animus valde debeat eſſe ſolicitus. Om-
nes enim Fortunam mutabilem eſſe norūt.
Atq; ideo humanarum rerum periti, infidæ
huius hoſpitæ permenſi animo leuitatem,
& trucem oderunt & formidarunt ſæpe
propiciam. Cuius ſi, vt fit plærumq́ue, in-
genium ſequitur munus: nobilitatis huiuſ
cemodi genere toto non ſolum inanius,
deſpectius atq́ue ſordidius; ſed ne exco-
gitari quidem quicquam poterit infirmius,
incertius, fragilius atq; fugacius. Quæ cum
nobilitatis veræ ſolida & conſtanti natura,
proculdubio pugnant ex diametro. Adeò
nihil huic cum illius conuenit moribus!
Quibus de ipſis repetita longè altius, aliqua
dicenda iam ſunt. Ne ludorum, quos huma
nis rebus inſultans frequenter edit imperiti
videamur: vel communis hominum ſortis,
conditioniſq́ue naturæ eſſe putemur ru-
des. Ita enim fiet, vt neq; eius ipſius Zephy-
ris, auriſq; ſecundis inſolenter efferamur:
neq; aduerſis rurſum flatibus, infeſtis ve A-
quilonibus, turpiter frangamur animo, Pe-
riandri illud pectore ſemper voluentis.

Si Fortuna iuuat, caueto tolli:
Si Fortuna tonat, caueto mergi.

Humanarum quippe rerum vices, & For-
tunæ vicisſitudines, eadem frontis ſynce-
ritate, & pectoris ferre conſtantia viri eſt
maximè prȩſtantis, ſibiq́ue prȩſidentis.
Cuius rei gloria Anaxagoram Clazomeniū
multum cæteris antecelluiſſe, memoria prō
ditum eſt. Quem tanta fuiſſe ſeueritate
Ælianus refert, vt nunquam in vita riſerit.
Cuius proximè conſtantiæ M. quoq́ue
Craſſus acceſsit, qui ſemel tantum riſiſſe di-
citur, vt Plinius grauis author, memoriȩ ho
minum prodidit. Quibus merito in cauſa
tali cum Athenienſi Phocione Socrates co-
mes acceſſerit. Qui licèt multa ſint aduer-
ſa interdum experti, turbatiori ſolito vultu
in publicum nunquam prodire ſunt viſi.
Quod idem de Caio Lælio, qui ſapiens eſt
vſurpatus, memoria atq; ſcriptione accepi-
mus. Quos omnes neq; molles Fortunæ ex
tulere illecebræ, neq; furentis procellæ, illo
rū vnquā perculſere animos: ſed virtutis bo-
nè fulti robore, ad eius ipſius aleam, muta-
bilemq́ue vultum inuicti vſq́ue perſtite-
runt: ſuum quiſq́ue probitatis ſtudium, mu
nus & officium, quo cœperant pede, præ-
clare obeūtes: nihilo ſecius munijs, functio
nibus, proprijſq; miniſterijs, acciſis in rebus
vtentes, quàm paulo ante integris & flori-
dis, fuerant vſi. Fieri non poſſe exiſtiman-
tes, vt ſecundam is rectè ferre Fortunam
poſſet, qui aduerſis caſibus ſuccumbens,
animo victus labaſceret. Indignè eos ſapien
tiæ nomine honeſtari rati, qui inſultanti
Fortunæ generoſum non poſſent animum
opponere: & infracti pectoris nobilem vim,
virtutemq́ue adeo excelſæ mentis oſten-
dere. Id ſummæ eſſe prudentiæ dictitantes:
tenere vt modum in rebus poſsis: inq́ue vi-
tæ ratione degenda, non minus ea, quæ ad-
uerſa acciderint, quàm quæ læta ſucceſſe-
rint, æquo ferre animo poſſe. Nam plaga
aliqua Fortunæ graui fractum, queſtibus
hominem vacare, ſolicitudinibus indul-
gere: ſeq; angoribus dedere ac tradere, non
virilis ſed effœminati prorſus animi, munus
eſſe dicebant. Ad perferenda incommoda,
& quæ opinione multorum vitȩ mala pu-
tantur, generoſi inſtar athletȩ natos editoſ-
q́ue nos eſſe: paſsim aſſeuerantes. Sed dicet
aliquis, aſpera hæc eſſe, ac dura nimis: nec
ea quidem prȩſtari à quoquam facile poſſe:
quod minimè ipſi ignoramus. Sed tam te-
tricam ſeueramq́ue perſonam induere qui
nequeat, ſimulacrum hoc vtriuſq́ue For-
tunæ opportunè inſculpens animo, ratio-
nis ſe ſe amplectatur libra: iuſto legitimoq;
dolori vel gaudio tantum indulgens: quan-
tum dare atq́ue impertire per eam ſibi in-
tegre liceat: ex præſcripto ſancto illius, cun-
cta vbiq́ue gerens, atque ſtudioſe dimode-
rans. Nam fallacem huius ad auram vehe-
mentem nimis in vtramq́ue partem homi-
nem eſſe, qualis Menedemus ille ſenex in
vitæ ratione inſtituenda à Terentio depin-
gitur, largitate nimia, nimiaq́ue contra par-
ſimonia, animi eſt leuiſsimi indicium.
Quod ſi in re familiari ſcenicæ perſonæ à
poeta vitio eſt datū: in humanȩ vitæ actio-
ne, quæ ſapienter eſt vſq́uequaq́ue mode-
randa, vitio affici ſimili, erit profecto maxi-
mè temerarium. Vt enim omnino non
commoueri ſtipitis eſt, non hominis ita ex
nimium fælici, triſti vè rerum ſucceſſu, atq;
euētu, varie plus ȩquo affici, hominis eſt pa-
rum ſobrij. Quod prudenti viro ſtudioſe
in omni vita crimen eſſe fugiendum Flac-
cus oſtendit, dum ait.

Sperat infeſtis, metuit ſecundis
Alteram ſortem benè præparatum
Pectus, informes hyemes reducit
Iuppiter, idem
Summouet. Non ſi malè nunc, & olim
Sic erit.

Quæcunq; igitur Fortuna rebus effulſerit
ſuis, generoſus prudenſq; vir conſtabit ani-

mo i obuerſariæ rerum ſorti ac mutationi paratus. Secundis ergo lętiſque rebus formidabit aduerſa, vt ſapiens appareat, nihil elatus, afflictis contra atque luctificis, ſpe melioris Fortunæ, ſe ipſum conſolabitur, ne grauiore aliqua clade fractus, turpiter mente excidiſſe videatur. Nam ſi Dei cuncta moderantis arbitrio fieri omnia manifeſtum eſt: ob humanarum rerum parum fœlices euentus, triſteſque caſus animo timidè frangi extremę procuidubio dementiæ eſt: ſiue earum rerum vices incertę ſemper, inſtabileſque ſunt, quod vitare ratione nulla queas, ſolicitè id atq; anxiè aſsiduè timere, ſtultum profectò eſt.

NEQVE VERO in auſpicãda vitæ ratione Heraclytum Democritũ ve, quãquam præſtantiſsimos alioqui Philoſophos audiẽdos imitandos ve puto: quorum hic, inconſtantem temerariamque Fortunæ ſemper ridebat leuitatem: vitę ille contrà, miſerias fletu iugi, & perpetuis vſque lachrymis proſequebatur. Peccauit igitur vterq; (pace Heraclyti vel Democriti dixerim) quorũ neuter mediocritatem illam tenere potuit, quæ eſt inter nimium & parum. Cuius tam ſemper ſtudioſi Peripatetici Philoſophi haud iniuria fuere: Quæq; Cleobuli illius, qui vnus ex ſeptem, quos ſapientes Græcia iactat, habitus eſt: elogio cenſetur optima. Nec vero temerè, meo quidem iudicio, vir ille prudens omnibus in rebus modũ eſſe optimum cenſet: ſed & à Terentio præſtantiſsimo in hoc vitæ magiſtro, id poſtea animaduerſum, cum ait.

ID ARBITROR in primis ad vitam eſſe vtile; vt nequid nimis. Quod & Solonem quoque, clarum ſapientia virũ, multo ante ſuis perhibent ceciniſſe carminibus. Nec ſanè alio ſpectaſſe diuini ingenij virum Platonem crediderim, Lydiæ modulationis, Phrygijque cantus vſu adoleſcentibus interdicentem: niſi quod cùm alter luctu atque moroſitate animum deijceret atq; affligeret: ad luxuriam alter & libidinem cõcitaret atq; alliceret: modum hunc ab animo prorſus expelleret. Quo temerè de vita ſublato, ratio ipſa viuendi neceſſe eſt ſępe claudicet, & in difficultates magnas incurrat. Etenim vt doctiſsimus inquit Horatius.

Eſt modus in rebus, ſunt certi deniq; fines:
Quos vltra citraq; nequit conſiſtere rectum.

Vnde profectum etiam illud eſt, quod iam factum eſt tritum ſermone prouerbiũ. Extrema quę ſunt, ſemper eſſe vitioſa. Non enim caret crimine, quod ab extremo anxiè nimis eſt ductum. Qua propter Terẽtianus ille pater, à filio ſuo mediocriter cuncta fieri, haud iniuria gaudebat. Inſtabili enim loco pendet, quicquid exceſsit modum, vt ſcribit Tragicus Seneca.

QVOD SI commentitijs vllus, erudiendæ vitæ cauſa, rectè datur rebus aſſenſus: admiſcereq; veris interdum licet & falſa, vel vt aiunt fabuloſa: etiam deſperatis in rebus quanta ſit modi virtus, ex celebri illo præſcripto Solis, & ſalutari ad Phaetontem filiũ conſilio, apertiſsimè liquebit. Cum enim ab exitiali illa petitione iuuenem nõ poſſet auertere, atque eius parum ſanis votis ſibi nec integrum, nec liberum eſſet intercedere (iurarat enim Stygiã paludem, facturũ ſe eſſe quicquid ille optaſſet, quod erat Dijs cunctis inuiolabile ſacramentum) tunc filiũ qui dum ſeſe diuini parentis ſemine ſatum, ambitioſè nimis cupit oſtendere, quos regere atque flectere neſciebat currus temerario quodam auſu conſcenderat, ſic alloquitur.

Nec preme, nec ſummum molire per Æthera currum:
Altius egreſſus cœleſtia ſigna cremabis,
Inferius terras: Medio tutiſsimus ibis:
Neu te dexterior tortum declinet ad Anguem,
Neue ſiniſterior preſſum rota ducat ad aram.
Inter vtrumq; tene. Fortunæ cætera mando,
Quæ iuuet & melius quàm tu tibi conſulat, opto.

Quæ ſi ille, vt eſt apud Ouidium parentis dicta ſeruaſſet: neque præceps curru deciſſet, neque terris maxima ſparſiſſet incendia. Quid? quod par temeritatis facinus cum Icaro filio aggreſſum Dædalum mediæ potuit viæ ſeruare cuſtodia, ardui Ætheris alta fugientem ſpatia ſecare? At patrios volatus deſpicientem puerum: iamque cœli ipſius ſumma auſum alis faſtigia tangere: temere ſuſcepit labantem nouo nomine Pontus. Quod doctis carminibus in Tragędia oedipo Seneca inſinuauit, cùm dixit.

Gnoſium regem timens,
Alta dum demens petit
Artibus fidens nouis:
Certat & veras aues
Vincere, ac falſis nimis
Imperat pennis puer,
Nomen eripuit freto.
Callidus medium ſenex
Dædalus librans iter
Nube ſub media ſtetit,
Alitem expectans ſuam.

Nec erubit idem dum ſalutaris hæc pręcepta vitæ hominum animis, conatur inſcul-

ſculpere; Phaëtontei caſus præcipitia, quæ paulo ante Ouidiano carmine pateſacta ſũt ſententiæ optimæ illuſtrata nitore, cunctis ediſcenda proponere. Sic enim ait.

Quiſquis medium defugit iter
Stabili nunquam tramite currit.
Dum petit vnum præbere diem,
Patrioſq; puer concitat axes
Nec per ſolitum percurrit iter.
Sed phœbeis ignota ſecat
Sydera flammis errante rota,
Secum pariter perdidit orbem.

Sed miſſas faciamus fabulas, réq; ipſam penitius conſideremus. Quis enim tam eſt cæcus quin intelligat, ſemper eſſe contigua vitijs immodica? Quin etiam proditum memoriæ eſt à ſapientiſsimis viris, eiusmodi res diuturnas parum, minimeq; eſſe vitales. Vnde non illępidè epigrammaticus Martialis ait,

Immodicis breuis eſt ætas & rara ſenectus:
Quicquid amas, cupias, non placuiſſe nimis.

Sed quæ loci huius anguſto angulo inſeri poſſent, maiora ſunt, quàm vt ſegmentitio opere coaptari commodè queant. Igitur (ad rem vt redeam) quod ſi iam ex vitioſo aliquo extremo repente fiat in aliud fortè migratio, vti ignaris modi accidere ſæpe videmus: miſerè hominem neceſſe eſt tumultuari, irrequietamq; mentem effici. Nam trãquillitate animus perfrui ille quî poteſt, qui niſi nimius inclinare neſcit in partem?

Culpatur nunc prodigus, modò reprehẽſus auarus.

Quæ iſta, quęſo, culpæ declinatio eſt, vitij alio probro mentẽ irretiens? Certè (ſi vt idẽ ait) vitium fugere virtus eſt: & ſapientia prima ſtultitia caruiſſe, homine illo eſſe nihil poteſt amentius, infælicius atq; miſerius, qui quò ſe cunq; miſer cõfert: ſemper ruit in præceps.

Paſtillos Ruſilus olet: Gorgonius hircum:
Nil medium eſt.

En tibi parte alia, de vitæ ratione laborans, quaſi vorticoſo aliquo freto æſtuans Priſcus apparet, de quo laudabile illud Flacci extat.

Pars hominum vitijs gaudet conſtanter, & vrget
Propoſitum. Pars multa natat, modò recta capeſſẽs,
Interdum prauis obnoxia. Sæpe notatus
Cum tribus anellis, modò læua Priſcus inanì
Vixit inæqualis, clauum vt mutaret in horas.
Aedibus ex magnis ſubitò ſe conderet, vnde
Mundior exiret vix Libertinus honeſtè.
Nil æquale homini fuit illi. Sæpe velut qui
Currebat fugiens hoſtem: perſæpe velut qui
Iunonis ſacra ferret. Habebat ſæpe ducentos.
Sæpe decem ſeruos. Modo reges atq; tetrarchas
Omnia magna loquẽs. Modo ſit mihi mẽſa tripes, &
Concha ſalis puri, & toga, quæ defendere frigus
Quamuis craſſa queat: decies centena dediſſes
Huic parco paucis contento: quinq; diebus
Nil erat in loculis. Noctes vigilabat ad ipſum
mane, diem totum ſtertebat. Nil fuit vnquam
Sic impar ſibi!

Quæ hęc, ô miſer! fuga vitij, tã vndiq; turpis & fœda? etenim, fruſtra vitiũ vitaueris illud: ſi te alio prauum detorſerit.

VT IGITVR in ſuſcipiendis amplexãdiſq; negotijs ac rebus, conſtare nobis ipſi poſsimus, & minimè in alterutram partem peccare: ſedulitas quædam adhibenda eſt, ſtudiumq; pręſtãdum. Alioqui hæc rerum vel animi moderatio, quę tantopere à nobis & laudatur & exquiritur, in homine erit repertu difficillima. Cùm enim vitiorum in confinio morales virtutes plurimum ſatæ ſint: cautione quadam diligentiaq; eſt opus: ne ridicula ſit electio: aut (quod eſt deterius longè) ipſa manus iniectio exitioſa ac peſtilens ſibi. Impunitatis atq; ſęuitiæ ęqua lãce litibus componendis honorarius tanquam Arbitrer (vtriuſq; dulciter fila temperans) Iuſtitiæ ſplendor elucet, ſtultitiæ atq; malitię diſcrimini intenta, ac prouido diſtricta delectu, diligenter ſuas obit Prudentia partes. Inq; ea vna re (ſi modo ſuo rectè perſuncta eſt munere) triumphat. Efficiendarum rerum in exceſſu vel defectu corrigendo, vires nobis ſuas modi ſanctionę nobili Tẽperantia oſtendit. Inter metum & audaciam certo conſilio & ratione pericula librans atq; ſuſcipiens: proq; ęquitate ſemper animoſè dimicans, ſortitudo poſita eſt, virtus maximè excellens. Hinc inde vitijs peruia magnis prodigalitati atq; auaritiæ, auxiliatrix vitæ poſita eſt liberalitas. Ac planè ita ſe res habet, vt tanquam ſpinis plurimis obſito in loco virtutũ flores legantur. Credo, ne vt vilium ſic & pretioſarum rerum iniectio manus ſit facilis, & ſine periculo lectio. Ex quo intelligi debet diligenter nobis eſſe, accuratèq; videndum: ne ſic errorẽ aliquẽ animi turbulentia inſectemur, vt in alium ſubito pernitioſè dilabamur. Male enim conſtituti animi ſignum eſt, rectis in rerum limitibus ſibi non poſſe conſtare: præſcriptaq; ſancta excedere. Dum enim à germana recti orbita ſemel declines: parum profecto refert hac vel illa parte pecces.

Peccare ſi quidem aliud nihil eſt, quàm prę-ſcripti ſanctas metas tranſilire: & decori modum excedere. Cui quidem rerum modus tranquillitatẽ amanti viro, erit vſquequaq; accuratè in vita ſeruiendum. Non enim vacat moleſtia, eſtq; planè vt dicitur, irrequietum, modum rebus vel neſcire rectè imponere: vel omnino nolle adhibere.

VITAE ERGO fœlicem ſtatum adipiſci cupienti, Flacci ad Lycinium amicum, præceptum conuenit amplexari. Sic enim ait,

Rectius viues Lycini, neq; altum
Semper vrgendo: neq; dum procellas
Cautus horreſcis, nimium premendo,
Littus iniquum.

Vehementer enim inęquale illud vitæ propoſitum nihil rectum ſtatuentis: nunc hoc, nunc illud amantis: temereq; ſemper in contraria fugientis, vitam exaſperat: animumq; ipſum peſsimè conturbat. Quod in Priſco & Cantore Tigello (quorũ paulo ante à nobis mentio facta eſt) perſpici potuit. Vnde fœlicẽ non immeritò eum exiſtimat Seneca, quem ſtudioſè ſemper nimis excelſa atq; alta vitantem, mediocritas vitę delectat. Ita nanq; in Agamemnone loquitur.

Fœlix mediæ quiſquis turbæ
Parte quietus, aura ſtringit
Littora tuta, timidusq; mari
Credere cymbam, remo terras,
Propiore legit.

Quod cum ita ſit, colligendum illud eſt: rerum omnium ſemper eſſe vitioſas extremitates. Non igitur Democriti riſus, non Heraclyti lachrymę, culpa vacarunt.

Porrò ſi nulli rei perpetuò aſſentiri, nihil poſſe tutari conſtanter incompoſiti animi eſt, penèq; furentis: ſobrij ſit, & conſtantis oportet, ad id ſe applicare atq; conuertere, quod eum ipſa ſit virtute coniunctum, & huic (de quo ſæpe iam diximus) modo conſentaneum. In contrarium autem temerè reſilire, cùm vbiq; vitioſum: tum verò exitioſum homini eſt, atq; adeò ſummè luctificum. Statione enim ſua mentem deijcit. Quod cùm accidit, haud amplius, cuiuis tranquillitate licet animi frui. Quæ vna virtus ſuauiſsimam noſtram vitam efficit. Nam ſi res ita ex voto fluunt, nihil vt inſit amari: præſenti fortunæ non tam quidem gratulandum eſt riſu, quàm temperantiæ planſu ſeruiendum. Sin autem, quæ fauere diu viſa, retrò eſt cœpta conuerti ingrato fortuna niſu: ſpem vultu ſimulare, occultato mente dolore, magis prudentis eſt. Etenim, vt ille ait.

. . . . *flagrantior æquo.*
Non debet dolor eſſe viri, nec vulnere maior.

Maius autẽ quod ſit nobis à Fortuna vulnus inflictum, haud debet vllum videri. Præclarè igitur Græcorum ille ſapientiſsimus Vlyſſes, eos qui doloris magnitudine victi aduerſos caſus muliebriter eiularẽtur, grauiter obiurgat: idq; moriens apud Pacuuium, vt eſt in extremis Niptris. Sic enim ait.

Conqueri Fortunam aduerſam: non lamẽtari decet.
Id viri eſt officium: fletus muliebri ingenio additus.

Sed profectò, teneris (vt aiunt) ab annis aſperis rebus aſſuefactus animus, perferẽdi doloris verè magiſter eſt optimus. Namque inexpertis & incautis nouo impetu cladis repentè iniecta ſunt mala, grauiùs premũt mentemq; noſtram peruellũt longè acriùs. Sed de his hactenus: ad intermiſſaq; opportunè iam tandem reuertamur.

QVOD SI iam ablegata procul inconſtantis animi lubrica illa ſententia, Quę in modi æqualitatę ſeruanda nihil vnquam rectum ſtatuit: obſiſtendum erit, reluctandumq; Fortunæ: multo profectò eſt ſatius, quando, vt nonnulli volunt, ea lege hominibus viuendum eſt, vt eius ipſius telis propoſita ſit vita noſtra. Quod quàm ſit verum, ipſi viderint; mihi certè perſuaderi non poteſt, vt ſapientis cõſtantiſq; hominis vita vlli ſit fortunæ temeritati ſubiecta, vultu conſtanti animoq; interrito malis atq; incommodis, quæ vt inquit ille, humanam vitam turmatim adoriuntur tẽpeſtiuè ſtatim occurrere, aduerſiſq; rebus fortia opponere pectora. Magnum ſiquidem in malis habet lenimẽtum: qui neceſsitati parendum eſſe didicerit. Nec mediocrem is capiet proprij doloris fructum, cui peruulgata illa conſolatio, qua ad Lentulum ſcribens, vſus Cicero eſt, ſtatim ſit in promptu. Hominẽs vt nos eſſe meminerimus ea lege natos: vt omnibus Fortunæ telis propoſita ſit vita noſtra. Neq; eſſe recuſandum; quominus ea, qua nati ſumus, conditione viuamus: euentiſq; aliorũ memoria repetendis, nihil accidiſſe nobis noui cogitemus. Quis enim non intelligat, cuius in ore, atq; animo fixa hęc ſententia ſit: optimum illum habiturum eſſe ægritudinis ſolatium? huius autem cui nõ ſit opus futurum: cùm tot vbiq; ſint mala? Multa enim dura, grauia, horrenda, perpeſſuq; aſpera homini accidunt. Vnde, vt ad Corneliũ Minutianum in Epiſtolis author eſt Plinius, Valerius Lycinianus Senator in exiliũ

actus; maleblandientis Fortunæ aleam irridens: cum de Senatore exul, ac de actore rhetor factus in Sicilia profiteretur: in præfatione quadam grauiter ac dolenter dixit; Quos tibi fortuna ludos facis? facis enim ex profeſſoribus Senatores: ex ſenatoribus profeſſores. Cui ſententiæ quantum bilis, tantum amaritudinis ineſt, vt mihi videatur, ideo profeſſus: vt hoc diceret. Idem cum Græco pallio amictus intraſſet (carent enim Togæ iure quibus aqua & igni interdictum eſt) poſtquā ſe compoſuit, circūſpexitq; habitum ſuum, latine inquit, declamaturus ſum: dicens triſtia & miſeranda. Quæ mihi perpendenti facilè excutiunt lachrymas (& quidem humanos caſus contemplanti, vel reluctanti & inuito opinor ſæpius elicient). Maximè cum illorum venit in mentem, qui ſecundo rerum flatu tumidi, adeò ſuæ obliuiſcuntur ſortis, vt illorum ſenſus, planè obbrutuiſſe videantur. Quorum tanta eſt ſtulti animi elatio: vt eos (ſi Dijs placet) beneficio exiſtiment affeciſſe maximo: quos ſermone dignantur.

HORVM igitur vt vana inſolentia retundatur, altiùs mihi aliquantò (Deo auſpice) loco hoc de Fortuna eſt differendū. Ita enim fiet, vt eorū veſana tumiditas erectas criſtas aliquando tandem deponat: quas ij inſolentiſsime attollunt, qui Fortunæ ſerenitate ebrij, quaſi nidulantibus Alcyonibus, leni, placido, & tranquillo multum mari, velis paſsis placidiſsimè nauigant: procellæ, tempeſtatiſq; futuræ immemores, & inſtantis turbinis obliti nimis, prorſuſq; ſecuri, cùm eius ipſius temeritati, nulli magis ſint expoſiti. In hos enim vel maximè Fortuna furit, qui nobilitate, diuitijs, potentia, & dominandi cæca libidine plurimum alijs videntur antecellere. Vt enim impotentis magnitudo atris, cùm ſæua hinc inde venti miſcent prælia: editis in locis habitantes, ſummave montium faſtigia incolentes magis infeſtant: ſic in eos Fortunæ vis multò eſt acrior, ſæuitq; vehementiùs: qui cæteris dignitate altiùs videntur euecti. Id quod egregijs carminibus inſinuauit Horatius dicens.

Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus, & celſæ grauiori caſu
Decidunt turres, feriuntq; ſummos
Fulmina montes.

Facilius enim excelſis nocere caſus ſolet, Ac ſiquem Fortuna extulit, breui opprimit. Diruit enim, ſui quaſi operis inuida, machinam repentè, quam paulò ante conſtruxerat. Adeo, vt nō illepide exiſtimetur, ideo quempiam conſpicuum efficere: vt protinus caducum oſtendat. Cui ſententiæ adſtipulatur illud Senecæ in Agamēnone.

Quicquid in altum
Fortuna tulit, ruitura leuat.

Quo ſanè in loco, licèt in re clara non neceſſarijs videar vti verbis: libet tamen rem alioqui perſpicuam, ſummorum virorum exemplis, vndiq; exornare, illuſtremq; efficere. Et vt iam hinc exordiar, quis Ponti regem neſciat Mithridatem? Qui cum annis quinquaginta Romanos varijs cladibus affeciſſet, à Lucullo primum, deinde à Pompeio ſuperatus veneno hauſto, ſed propter eius ipſius vſum parū dextere reſpondente, diſtricto gladio mortem ſibi inferre infœliciter coactus eſt. Quis Sadocupum Morauiæ, Bohemiæq; regem? Qui ab Arnulpho victus, mutata veſte in deſerta nemorum ſolitudine, ac ſumma in paupertate conſenuit? Quis Chriſtophorum Pontificem maximum, qui pontificatu detruſus, monaſticam vitam egit? Quis Celeſtinum quintū, Ioannem primū, Ioanēq; item decimum quartū: qui maximo & ipſi Pontificatu abdicati, in carcere perierunt? Quis Benedictū quintū, Benedictumq; etiam decimū, duodecimumq; item Ioannem, qui omnes eodem munere deiecti, in exilio vixerunt? Quis, ne tot recētiora loquamur, Dionyſiū iuniorē ignorat, qui Syracuſis, vbi tyrannidē exercuit pulſus, Corinthiq; exulans literarū ludum aperuit, Diſcipulorū mercede, vitæ ſuſtentans inopiam? Quis Samiorum tyrannū Polycratem? qui poſt maximam fœlicitatem, multoſq; ridentis Fortunæ Zephyros à Cyri præfecto Orœte ſuperatus, ſuſpendio affectus eſt? Quis præterea Pazaitē Turcarum regē, qui Tamburlano victori, equū inſcenſuro incuruare humeros, ſcabelliq; vſum præbere ſolitus eſt? Quis poſtremo Beliſariū Romanis præfectū copijs, qui & ipſe cum Vandalos funditus euertiſſet, de Parthiſq; triumphaſſet, vrbem etiam à Barbarorum inuaſione nō ſemel liberaſſet, poſt multas illuſtres victorias, magnificos triumphos, opima amplaq; ſpolia, & admirabilis cuiuſdam virtutis trophæa inclytæ Iuſtiniani Principis iuſſu, cuius ipſe toties cū Imperij maieſtate ſalutē defenſarat, erutis oculis in publica via à tranſeuntibus ſtipem rogans ſedere compulſus eſt? Quid Minturnarum in paludibus fimo, lutoq; oblitum, latitantem Romanæ libertatis vindicem, egregiū ducē Caium Mariū referā? Quis Caio Iulio Cæſare clarior? quis nominis fama illu-

ſtrior? quis bellica virtute præſtantior? At hic, cum magnũ illum Pompeium viciſſet: de Gallis, Alexandrinis, Ponticis, Africanis, Hiſpaniſq; inſuper triũphaſſet: Caij Caſsij & Decij Bruti coniuratione in Senatu ad extremum, quẽ maxima ex parte ipſe coop tauerat, tribus & viginti vulneribus confoſſus eſt. Quis Pompeio laudatior atq; fœlicior, cui viuida illa animi virtus Magni cognomen peperit? Qui tamen poſt expugnatum Domitium, ſuperatum Ioarbam, Sertorium in Hiſpania victum, Piratas deletos, Tygranem Armeniæ regem, & infeſtiſsimum Romanæ vrbi Mithridatem Ponto pulſum, Iberoſq; debellatos, Albanos, Iudęos cum Ariſtobolo rege ad hauriendum venenum coactos: poſt tot tandem illuſtres victorias à Cęſare in Theſſalia victus, Ptolomei iuſſu, ad quem miſericordiæ ergô, deſperatis iam rebus confugerat, quemq; ille beneficij tanti immemorem in tam excelſę faſtigium maieſtatis extulerat, interfectus eſt? Indignus profecto, cui à mortaliũ quoquam miſericordia negaretur. Qui nunquam vultu truci, quos ſtrenuè armis deuicerat, reges ſuſtinuit aſpicere. Quin potius miſerè afflictum, Mithridatem viribus ſuis protexit, in conſpectuq; ſuo diutius iacere ſupplicem non eſt paſſus: ſed benignis verbis recreatum, diadema, quod abiecerat, capiti reponere iuſsit: certiſq; rebus imperatis in priſtinum Fortunæ habitum reſtituit. Æque pulchrũ eſſe iudicans (vt Maximus Valerius prodidit) & vincere reges & facere. Quam præclarum tributæ humanitatis ſpecimen Pompeius! Quam miſerabile deſideratę idem euaſit exemplum! Nam qui Tygranis tempora inſigni regio texerat, eius caput tribus coronis triumphalibus ſpoliatum, in ſummo terrarum orbe, nuſquam ſepulturæ locum habuit: ſed abciſum à corpore, inops rogi: neſariũ Ægyptię perfidiæ, portatum munus eſt, etiam ipſi victori miſerabile. Vt enim id Cæſar aſpexit, oblitus hoſtis, ſoceri vultum induit: ac Pompeio tũ proprias, tum etiam filiæ ſuæ lachrymas reddidit: caput etiam plurimis & pretioſiſsimis odoribus cremandum curauit. Quod ſi non tam manſuetus animus (vt ille ait) diuini Principis extitiſſet: paulo ante Romani Imperij columen habitum (ſic mortalium negotia fortuna verſat!) inhumatũ iacuiſſet. Quid poſt tam luctificum Fortunæ ſpectaculum malignantis, alios proferam, qui & ipſi ex ſummo rerum faſtigio ſubitò deiecti, in maximas inciderunt calamitates? Hoc authorum monumenta loquuntur, qui res multorum ſumma cum laude geſtas poſteritati mandarunt: hoc illorum libri, qui de proſpera, & aduerſa Fortuna ſcripſerũt, apertiſsimè declarant: hoc, tot, tantæ, tamque variæ, Græcè Latinèq; editæ tragędiæ, procuidubio teſtantur. Neq; hoc profecto incomparabilem poetam fefellit, cùm Trouam cladem, exitiumq; aperuit: ſignificans nihil tam eſſe floridum, quod non ſubito poſsit caſu ſterileſcere. Sic enim Panthum Otridẽ arcis phœbiq; miniſtrum quodam loco inducit loquentem.

Venit ſumma dies, & ineluctabile tempus
Dardaniæ: fuimus Troes: fuit Ilium, & ingens
Gloria Teucrorum. Ferus omnia Iuppiter Argos
Tranſtulit: incenſa Danai dominantur in vrbe.

Id quod celeberrimis etiam carminibus apud Senecam Mycenarum Princeps Agamemnon declarauit in Troade, ex vaſtatione, & infami vrbis huius excidio, quę fulſit ſuperba quondam: ex miſerabili caſu, & ſubita ruina regis inclyti docens, Fortunæ nimium blandientis auræ nunquam eſſe fidẽdum, ſic enim ait.

Troia nos tumidos facit,
nimium ac feroces: ſtamus hoc Danai loco,
Vnde illa cecidit. fateor, aliquando impotens
Regno ac ſuperbus altius memet tuli:
Sed fregit illos ſpiritus hæc, quæ dare
Potuiſſet alij cauſa, Fortunæ fauor.
Tu me ſuperbum Priame! tu timidum facis!

Infœlicis nimirum regis metuit ſortem: quem ex fœlicitate rerum maxima, plurimiſq; opibus ad ſummam ſubitò mendicitatem prouolutum, & miſeriam videt eſſe redactum. Prudenter ergo regiam ſortem tot eiuſmodi caſibus ſubiectam contemplans animo: cecidiſſe dolet, quem Fortuna aliquando non diſsimilis ſuæ: vt graui mox caſu calamitatis affligeret, in altum ludens extulerat.

QVAE CVM ita ſe habeant, hinc nimirum factum puto, vt apud Ethnicos illos Romanos, penes quos olim rerũ ſumma fuit, moris eſſet, vt ſi quem regẽ bello cepiſſent: nunquam vita priuarent. Indignum ſiquidem eſſe exiſtimabant, quam nobis Fortuna facultatem dediſſet, in eorum conſumi ſupplicio: quos eadem ipſa haud ita pridem in amplisſimo ſtatu collocarat. Intelligebant quippe volubilem eſſe Fortunam, eiuſque auram vel maximè fallacem. Vnde captis, temerariæq; Fortunæ incõſtantia preſsis, proteruè illudere atq; inſultare, nefas eſſe ducebant. Ne irreuerenter Fortunam habentes

tes, in miſeroſq; ſuperbientes; iuſto talionis ſupplicio Nemeſis afficeret. Quæ humanarum rerum inſpectrix, cubitum frænumq; manu continens: inſoleſcere prohibet, cunctiſq; in rebus modum tenere, modeſtiamque ſeruare: optimum eſſe nos admonet, ne eadem aliquando auerſa, ridentem abſcondat vultum, ſerenamq; frontem obnubilet. Hinc præclarè Ouidius ad Auguſtum ſcribens dicebat.

Regia (crede mihi) res eſt: ſuccurrere lapſis.

Etenim quis non ſentiat, veriſsimum id haberi; quod à Publio mimographo ſcriptum eſt? Habet in aduerſis auxilia, qui in ſecundis commodat.

Nulli enim an eius ipſius fœlicitas ſemper eadem futura ſit, perſpicuũ eſt: quin ne non diuturna ſit, futurum timet. Quo circa Publianum illud ſcitiſsimum eſt.

Homo, qui in homine calamitoſo eſt miſericors, meminit ſui.

Præclarè ſanè. Quò magis miror quid in mentem venerit Senecæ, viro alioqui doctiſsimo: Vt cum in libris de clementia, virtutem illam, quam ſcriptis complectebatur, laudibus multis exaggerans in cœlum vſq; eueheret, temperantiamque illam eſſe animi diceret in poteſtate vlciſcendi: vnã hanc miſericordiãm, humani animi verè propriã, peculiaremque virtutem, ac vitę hominum vel maximè neceſſariam, conuitijs multis laceret, atque acri & aculeata nimis oratione perſtringat: viriliq́ue ipſam pectore eſſe indignam iudicet. Silicibus (credo) nos eſſe ſatos dixerit, Deucalioniſq́ue è lapidibus ortos: tam peſtilenti & perditę hominis ſententię, lumine ſi quis mentis excellens, nos eſſe aſſenſos viderit. Siquidem miſericordiæ affectum humano generi ſe dediſſe fatetur, quę lachrymas dedit natura. Nec ſolùm noſtris caſibus ingemiſcimus, indigna vel aſpera paſsi, naturę ductu: ſed illius etiam Imperio miſericordia tacti, angore quodam animi affligimur, vel ignotum hominem ſi cernimus indignè aliqua iniuria vel clade affici. Intercedant licet neceſsitudinis humanæ proiecto afflictoq; cum homine nobis nulla vincula: charitatis adſint nulla pignora: & quę ex ſtirpe generis, vel cognatione parentum orta, ad amandum omnes in commune ſolent allicere, ſanguinis iura cũcta ceſſent: excitamentaq́ue amoris talia, nulla prorſus conſiderentur: hoc ipſo nomine mouemur tamen, quia homo eſt. Atqui, ſectæ ſuę dum fauens Stoicus Seneca videri nimis cupit: ęgritudinemq́ue in ſapientem, negat poſſe cadere: conſeruatricem humanitatis miſericordiam, quaſi ſolem de mundo ſtultè conatur euellere. Ægritudinem animi ob alienarum miſeriarum ſpeciem, aut triſtitiam ex alienis malis conceptam, quæ accidere immerentibus credit, eſſe cenſet miſericordiã. Puſilliq́ue idcirco animi ad ſpeciem alienorum malorum ſuccidẽtis, vitium illam eſſe opinatur. Affectionemq́ue eam, peſsimo cuiq́ue, eſſe ducit familiariſsimam. Rationi (inquit) clementia accedit, miſericordia nõ cauſam ſed Fortunam ſpectat. Tandem, ne plura perſequar, ſuperſtitioni hanc ſimilem facit: religionis illam, imaginẽ graphicè nobis cẽſet effingere. Sed ſit verborum iam ſatis. M[illegible]nim mendaciſsimæ, hominis parte hac, exitioſiſsimæq́ue doctrinæ (dicat licet alioqui locis multis multa pręclarè) quę dediſcere humanitatem iubet, portumque aduerſus Fortunam certiſsimum mutuo auxilio claudere, ne ſtomachoſius aliquid proferam, vehementer piget pudetq́ue. Sanctiſsima enim virtus miſericordia eſt: & vt ego quidem reor, humani pectoris familiare bonum: & optimo quoq́ue viro longè digniſsimũ. Qua qui erit deſtitutus (vt opinio mea fert) nec humanę ſocietatis iura cõmodè tueri: nec placere Deo (cuius propriũ eſt miſereri ſemper & parcere) vnquam poterit. Ad benignè autẽ faciendum afflictis, impartiendamque miſeris opem, maximè adducẽtur homines: ſi intelligãt, fieri poſſe, vt quod illis accidit incommodum: ſibi itẽ vſu venire aliquando poſsit. Non enim poteſt, quin eius animus miſericordię fomite tangatur, qui cogitatione pręſumpſerit, animoque pręceperit in eam ſe decidere poſſe ſortem: in qua alios miſerabiliter verſari cõſpicit. Quę vbi fecerit: non ſine multis lachrymis, ijs & fauere & conſulere incipiet: è ſuis rebus, quę commodè poſsit interim impartiens: ſperans etiam, ſi caſus tulerit, qualis fuerit ipſe, tales ſe experturum eſſe homines. Quę res, hęc atq́ue eiuſmodi facientem nunquam profectò fallet. Qui enim miſeris opitulans de hominum ſalute benemeretur, hic omnium proculdubio digniſsimus eſt fauore: eorumq́ue animos & propenſos ſibi, & beneuolos efficit.

Bona ſiquidem (vt Publius ait) *cõparat præſidia miſericordis.*

Inſolentia autem cùm vbiq́ue ſit fugienda, quia finem miſerum habet: tùm vel eo præcipuè erit vitanda, quòd humanitati repugnat maximè. Quę ab hominis nomine meritiſsimò deducta, in alio ſuam pruden-

ter cernens imaginem, opitulari ſtudet omnibus, & benignè facere oppreſsis, mortaliũ res altè conſiderans animo. Vnde conditionis noſtræ cognita & intellecta natura, fauere ſemper monemur afflictis, & ab exprobratione infortunij, illationeq; iniuriæ docemur temperare. Cuius quidem virtutis tanta vis eſt, tam ſalutaris atq; inclytus fructus, vt commercia ſola hominum ſuſtinere videatur. Qua de medio ſublata, labefactari, difrumpi, penituſq; euerti neceſſe eſt, illam, quæ à natura præſcripta eſt, hominũ inter ipſos cognationem. Adime (ſi placet) hanc vnam: erit homine profectò nihil immanius, & in omni rerum natura nullum animal truculentius. Adeo vitæ cuncta officia: iuraq; omnia virtutũ miſericordia vna continet atq; tuetur! Hanc igitur nequid temerè, ſuperbè, inſolenter vè faciamus, ob oculos ac veluti in promptu ſemper habere, magni profectò intereſt: & dictis & factis omnibus Temperantiã ſtudioſe ſequentes. Cuius tũ maximè meminiſſe decebit, cùm leniter ſpirantibus Fortunæ Zephyris vti dabitur. Tunc enim gliſcentis animi continere ferociam, viri eſt ſtrenui atq; magnanimi. Sed eam quidem facile is compeſcet, ac moderabitur: qui quod alteri contigit malum (vt à me dictum eſt antea) id ſibi etiam exiſtimat accidere poſſe: vel clementis quadam propenſione animi, dum fauere lapſis ſtudet, imminere arbitratur: communis hac in parte memor fragilitatis, omniumq́ue naturæ.

SED HANC tantam, tamq; præſtabilem animi affectionem, mortalium paucíſsimi hactenus induerunt: quando quidem iuxta illius ſententiam.

Luxuriant animi, rebus plerumq; ſecundis.

Tunc nanq; videre licet, male blandientis Fortunæ homines illectos dulcedine, aliorum caſus triſtes, calamitates & miſerias deſpicere atq; contemnere. Neq; prius reſipiſcere quàm ſęuos inter ſcopulos illiſa nauis haud dubio aſpectu iam apparente portu, ante proximum littus naufragos eiecerit. Multo igitur eſt rectius: proſperis, tranquilliſq; rebus nequid poſsit aduerſi cõtingere, cogitatione atq; animo luſtrare, rerumq́ue ſucceſſu ac proſpero Fortunæ flatu ſic moderatè frui: vt mutari eum aliquando poſſe cognoſcat. Ita enim fiet, vt proteruè inſultantes nulli, ruina hominum tacti: eorum etiam miſereantur quos iniqua viderint fortuna premi. Ac ne ijs quidem graues moleſtiq; erunt: quos iuſto Marte deuicerint, Actij illud Sanazari in ore ſemper habẽtes.

O bene Fortune memores, quicunq; ſuperbas
Gentibus à victis continuere manus!

Quis enim procaciter alterius Fortunam conculcabit ouans: qui ſuperbi hoſtis clade ſubita nuper edoctus, rebus ipſe ſuis anxiè pertimeſcit: ſibiq; ipſe diſfidit, ſpectaculo præſenti inſtabilitatis humanæ, animo conſternatus?

Cui enim perſuaſum eſt, quam quiſq́ue patitur calamitatem: eam ſibi haud ita poſt, cum illo fieri poſſe communem: hic vel à profundiſsimo ſomno expergefit: in huiuſmodiq; malum incendi metu, comis, blandus, vrbanus, affabilis atq; miſericors eſſe cogitur. Turpẽ illam ſæuamq; ferociam, quæ ſtultę victorię comes eſſe ſolet, ſtatim exuit animo. Sicq; erga victum afficitur, vt eſſe eum hominem meminerit: ac bono fortiq; pectore iubeat, ac modo quodam præſentium malorum faciat obliuiſci. Quæ profectò res viro eſt maximo & præſtantiſsimo digna: quem ceu ex quadam editiſsima ſpecula, quot quantæq; hominum vitæ calamitates immineant atq; impendeant, deſpicere oportet: nequid aliquando dextra ac fœlici Fortuna vſus, proteruè faſtoſè, inſolenter ve committat.

HAEC QVI in conſilium adhibere volet (omnes autem velle debebunt) qui rebus ſuis quam optimè cupiunt conſultum, hic profectò valde erit à Fortunæ infeſtatione tutus. In eos quippe nihil, aut certè parum iuris Fortuna cæca obtinet: qui ſecundis, tranquilliſque in rebus tunc maximè aduerſos caſus, rerumque viciſsitudines reformidant: ad ancipitemq; Fortunæ aleam benè præparatum pectus oſtendunt, ceu qui dulci pacis tempore, quę bello futura ſunt vſui adaptauit ſedulus. Neq́ue enim prouidos illa viros, induſtrios vel cautos occupat: ſed ignauos deſides, atq; improuidos Fortuna ipſa, quę dicitur, expugnat atq; opprimit. Cuius ſiquãdo alias, tum vel pręcipuè oportet meminiſſe, id enim quia vitæ hominum vehementer eſt vtile admonendum eſt ſępius, cùm fœlicitatis noſtræ antemnæ ab eius ipſius aura ſecunda vel maximè feruntur. Quid enim æque fœlix & proſperum fuit ijs viris, quos paulò ante retulimus? qui tamen omnes ab ſplendidiſsima illa rerum monarchia, orbiſq; Imperio miſerabiliter deciderunt: & quam ſæpe fauſtam, propiciam & amicam Fortunam viderunt, ad extremum tamen infidam, atrocẽ, inuiſam atq; infeſtam nimis experti ſunt?

Quæ res facile erit exemplo, quàm fragili in loco noſtræ omnes res, quę ſtultos quoſdam ſupra ſuam ipſorum conditionem inſolentiſsimè attollunt atq; efferūt, ſitæ ſint. Id quod ſatis graphicè expreſsit nobilis illa Agamemnonis acclamatio ea in tragœdia, quæ à me eſt paulo ante citata, ait enim.

Ego eſſe quicquam ſceptra niſi vano putem
Fulgore tectum nomen? & falſo comam
Vinclo decentem? caſus hæc rapiet breuis
Nec mille forſan ratibus, aut annis decem.
Non omnibus Fortuna tam lenta imminet!

Quid illa altera parum fœlicis viri infœlix vxor Hecuba? non ne tragœdię huius initio ita loquens inducitur?

Quicunq; regno fidit, & magna potens
Dominatur aula, nec leues metuit Deos,
Animumq; rebus credulum lætis dedit,
Me videat & te Troia. Non vnquam tulit
Documenta Fors maiora: quàm fragili loco
Starent ſuperbi.

Quid ille etiam qui alium apud poëtam non ſibi conditionem naſcendi, non natalium ſplendorem: ſed deeſſe Fortunæ fauorem queribundus admodum loquitur.

Pol mi (inquit) *Fortuna magis nunc deſit, quàm*
genus.
Namq; regnum ſuppetebat mihi: vt ſcias quanto
è loco
Quantis opibus, quibus de rebus lapſa Fortuna occidit!

Vides quàm hominum res ſint variabiles! & quam non tutus Fortunæ blandientis applauſus! NIC. hoc ego mi Philemon ſæpenumero mirari ſoleo. Nam & humanis in rebus præter vnam virtutem nihil noui eſſe ſtabile. Et eorum amētiam lachrymis interdum haud paucis proſecutus ſum, qui vſq; adeo caducis rebus inhiant atq; inhærent: vt ad cętera (quę longè homine dignisſima ſunt) non homines ſed ſtipites: aut hominū ſimulacra, mutęq; effigies eſſe videantur. Quocirca accidere mihi gratius nihil potuit, tuo hoc ſermone: quo Fortunæ temeritatem, & humanarum rerum varios nimiū ancipiteſq; caſus explicare verbis, ac ſtylo illuſtrare orſus es. Dum enim ceu penicillo depingis eos, qui dignitate, potentia atque diuitijs prę cęteris florent, ruinę expoſitos, & Fortunæ magis inconſtantiæ eſſe ſubiectos: facile adducor, fore vt ad eas diuitias homines animum applicent: in quibus Fortuna ipſa nihil habet loci. Quæ proculdubio res ad eam virtutis fabricam, quam hominum animis inſerere conamur: vix dici poteſt quantum ſit habitura momenti. His enim ceu fundamentis à te iactis nobilitas vera conſtabit: & illorum inueterata opinio, quæ Fortunæ, rebuſq; externis plurimum attribuens, magno cum Chriſtianę reipublicę inoleuit malo: perindeac ſenio confecta contabeſcere aliquando, & per deſuetudinem abrogari incipiet. Quę profecto benè conſtituta omni in republica, ijs in rebus, quę corruptela magis morū iniqua ſenſim atq; clanculum irrepſerunt, quàm iuris firmitate, aut ratione aliqua ſapienter ſunt, vtiliterq; inducta: amoueri longè, extirpariq; ſedulò debet, & contraria bonorum ciuium aſſenſione prohiberi. Pulchra eſt enim, ac fructuoſa cunctis prauæ opinionis expulſio & malarum omnis vel abolitio, vel deſuetudo rerum. Quę ſi à nobis diligenti aliquà cautione prouideantur, enitere tandem virtus ipſa incipiet: mirabileſq; ſui amores excitabit. Tumq; demum humanis in rebus vim veritatis edocti, ita in ſe ipſos viciſsim homines erunt affecti, vt vtramq; Fortunā moderatiſsimè & patientiſsimè perferant: neq; elati proſpera, neq; aduerſa deiecti, cæterorum verò hominum caſus lætos, parumvè ſecundos conſtantia ea pectoris inſpiciēt: nūquam vt huic inſultent inhumaniter: aut illi contra futiliter (morum vęſania correpti) inaniterq; applaudant. Eóq; pacto (vt rectè Flaccus ait) noſtra hęc in aurum redibūt tempora priſcum. Quodq; optimum in vita eſt: auxilium ei ferre omnes certatim volent, quem indigna viderint clade affectum. Fortunę quinetiam ludibria (quę haud ita paucos tenent ſtupidos) nihil morantes cōtemnent ac deſpicabuntur. Auream illam mediocritatem vbiq; ſectantes: quę tantopere eſt ſapientum decantata elogijs, quęq; lauandi modò, percolendiq; ſe ſe ſtudioſæ mulierculę (vt eſt apud Plautum) ita eſt amabilis viſa, vt ad ſororē conuerſa dixerit.

Modus omnibus in rebus ſoror, eſt optimum habitu.
Nimis omnia nimium exhibent negotium hominibus
ex ſe.

Quod vbi fiet, naturę leges ſplendidè emicabunt. Quę ex ipſo primigenię virtutis ſonte hauſtę: inclyta dum cunctis facta pręſcribunt: verę nos vitę officio continent. Quarum rerum memoria ac recordatio vſque adeo bono viro ſuauis eſt, dulcis atq; iucunda, vt nihil poſsit mellitius excogitari. Hinc enim iniuriarum, ſcelerumq; omniū euerriculum illud eſt ortum.

Quod tibi non vis: alteri ne feceris.

Cuius pulcherrimę legis ſanctioni, qui peccati aliquo nexu conſtrictus, non ſponte

pa-

parebit: nominatim licet nulla violatori pœna adiit: boni viri ab officio flagitioſè ſi diſceſſerit, vindictę talioné, quę ſui iuris tranſgreſſori à natura lata eſt, ſtatim illam incurret.

Ab alio expectes, alteri quod feceris.

Cuius nimirum recordatio prudenti & cordato viro, humanitatiſq; memori, ad amplexanda virtutis officia legitimo omni tempore pœnę longè debet eſſe valentior. Cum prę ſertim etiam apud illos; qui diſſolutis ſunt moribus ceſſare ad tempus illatuonem videamus iniuriæ, mutuum dum ſibi reddi, ac par pari poſſe referri (rerum ſatagentes ſuarum) ſolicito interdum animo verentur. Ignominia fratris, ſtuprum filię, direptionem familię, adulterium vxoris, quæ ab alijs timent: ipſi contra inferre cauent: raroque adeo inuenias, quem pari repenſa, crimine, vitę delectet improbitas, quin etiam talionis expectatio cum in limine prominet, vel ſolutiore hominem petulantia procacem, eſſe verecundum cogit: ſępeq; adeo temperantem, ſobriumq; redditum, vitę vero continet in officio, ſed age amabo, quo fœliciter cœpiſti, cuncta ordine exequitor. Spero namque ex oratione tua maximum me eſſe emolumētum, atq; fructum percepturum. Videre quippe mihi cùm Fortunæ ingeniū tum humanæ fragilitatem naturæ pulcherrimè callere. Que duę res, ſi exactius inſpiciantur, conſiderenturq; penitius, magnum poſſunt hominem pręſtare, ſibiq; pręſidentem, & contra omnia incommoda (quæ in hominum vita multa verſantur) probe munitum. Quarum rerum cognitione ad benè beateq; viuendum (præſcripto ſanctę legis excepto, quo in vno beatiſsimè fœliciſsimeq; viuendi, norma eſt cumulatiſsimè deſcripta) vt opinio mea fert, nihil eſſe poteſt accommodatius. Qui enim naturam ipſam humanarum rerum nouerit: quicquid erit nimium auerſabitur, ac paucis contentus viuet. Quę profectò res ad ſeruandam cuſtodiendamq; iuſtitiam quantum ſit momenti atq; ponderis habitura, haud erit dictu procliue. Nihil eſt enim, quod magis homines à iuſtitiæ communi bono abſtrahat, quam inexhauſta noxiæ appetitionis auiditas, & alienarum rerum fames. Facile enim adduci mortales ſolent, vt eos iniuſtitiæ capiat obliuio, quò aſſequantur ea, quæ concupierunt. Hinc namq; capitales illi iniuſtitiæ fontes panduntur: qui quicquid eſt homini collibitum, etiam per vim atq; iniuriam eripere ſuadent: qua vna peſte nihil eſt æquè contagioſum, exitiale atq; tabificum. Atque vtinam, vt in ſua quiſq; republica inualeſcere malum ſentit: ita & opprimendo, extirpando atq; euellendo pro virili parte præſidij confeſtim aliquid, atque opis attuliſſet. Sed neſcio qui lentus habet præcordia torpor. Ita in hac parte turpiſsimè mihi omnes videntur obdormire?

Quod ſi interceſſor rei malę, ſalutaris ciuis eſt: vt in duodecim tabulis ſanctiſsimè extat ſcriptum: qui cōſenſu in patriæ noxiā alit appetitionem, nocentiſsimus proculdubio ciuis erit habendus. Quo circa turbulēti conatus, temerariaq; alienarum rerum auiditas, ſeueritate aliqua legum coercēda eſt, & ſupplicio reſecanda. Vt quos ęqui boniq; ſplendor ab iniuria licēter & temere in aliorum bona fortunaſq; graſſandi continere non poſsit, hos ſaltē parati ſupplicij timor, reſfręnet atq; coerceat. Vt enim probos pudor, infamięq; metus, turpi ab actione deterret: ſic in officio interdum cōtinet pœna ſontes, ac ſibi tantiſper temperare docet, dum ſupplicia imminent. Quæ omnia aliena ſint neceſſe eſt ab eo: qui ſine aliorum iniuria, quando omnes homines certo quodā vinculo & tanquam cognationis aliquo legitimo fœdere natura ligauit, intra naturæ ipſius pręſcripta ſibi putat eſſe viuendum. Hic enim ille eſt, qui recta ſequitur: qui gaudet officio: qui legibus quidem non propter metum paret: ſed eas ſequitur, atq; colit, quia id ſalutare maximè eſſe iudicat. Iā vero Fortunæ morem, viciſsitudinemque qui nouerit: eam animo induet affectionē, vt necubi inanem illam ſuperbiendi anſam, quę ſecundis in rebus multos præcipites agit & loco deturbat, poſsit aſſumere: nec ſi velit, poſsit. Habebit enim vſquequaque naturæ conditionem in promptu: ex cuius aſpectu atq; intuitu iam intelliget, humana cuncta mutari: Fortunamq; ipſam, quę dicitur, cunctis minari, atque eis ſe ſe trucem magis, & acerbam exhibere: qui pręſentium bonorum proſpero ſucceſſu tumidi, nimiūque elati, aliorū triſtem ſortem, & caſus varios irriſerint. Quocirca, quacunque via poterit, libens propulſabit iniuriam, officiet nulli: illudque aſsiduè ſtudebit, vt omnes ſaluos ac defenſos velit. Cuidum inſeruiet ſtudio, Fortunę indigna clade preſſum ſubleuabit ſedulo, ac ne verbo quidem patietur offendi. Quid enim eſt ineptius, quid ſtultius, quid inhumanius, quid viro indignius, quam aliorum caſibus proteruè inſolenterque inſultare? vel infortunij (quod

facile

facile incurrere poſsis, negotium exhibere
alteri? Quaſi vero extra fortunę aleam ij ſint
poſiti: quibus blandè nũc Fortuna nimis in-
dulget, proſpereq; aſpirat? ac nõ potius eius
ipſius pateant temeritati? Verũ etenim Na-
ſonis illud eſt.

Omnia ſunt hominum tenui pendentia filo:
Et ſubito caſu, quæ valuere ruunt.

Vnde Æmilius ille Paulus haud iniuria
laudatur, qui Perſeo potentiſsimo Macedo
niæ rege armis à ſe deuicto, humanarum re-
rum inconſtantiam intuitus: leuitatem &
viciſsitudinem Fortunæ permenſus: pias illi
lachrymas impendit. Regium enim hoſtis
decus proculcari videns ſubitò ingemuit: al
teq; animo ingenuus mœror inſedit. Cuius
rei Vandalorum rex Gulimerius non igna-
rus: cum Beliſarij ducis ſuaſu Imperatorem
eſſet Iuſtinianum adorare iuſſus, toto ore ri
ſiſſe dicitur: cauſamq; rogatus dixiſſe ferũt,
Fortunæ ſe humanæ ridere viciſsitudinem:
vt qui modo rex fuerit: iam ſeruiret. Cadu-
ca nimirum & fragilia, puerilibuſq; conſen-
tanea crepundijs ſunt iſta, quæ vires atque
opes humanæ vocantur. Affluunt ſubitò, re
pentè dilabuntur (vt Valerius Maximus re-
ctiſsimè exiſtimauit) nullo in loco, nulla in
perſona ſtabilibus nixa radicibus cõſiſtunt:
ſed incertiſsimo Fortunæ flatu huc atque
illuc acta, quos in ſublime extulerunt, im-
prouiſo recurſu deſtitutos, in profundo cla-
dium miſerabiliter immergunt. Itaq; nec
debent exiſtimari, nec dici bona, quæ infli-
ctorum malorum amaritudinem, deſiderio
ſui duplicant. Phil. O Nicete mi! ſummè
proculdubio delector, meum tibi de Fortu
na probari ſermonem. Sentis enim, quæ tua
prudentia eſt, rei huius cognitionem, ad
quam aliquoties humani acies ingenij cali-
gare ſolet, non parum fructus hominibus
eſſe allaturã. Quod quamuis mihi obſcurũ
non erat, videbar nanq; mihi ex tuo ipſius
vultu, qui qualemquiſq; habeat animũ plę-
rumq; inſinuat, ſententiam mentemq; tuã
modo quodam deprchendiſſe: grata tamen,
iucundaq; ipſa declaratio fuit, meq; quaſi la
bantem erexit: & ad peroranda ea, quæ huic
videntur cauſæ deeſſe, planè confirmauit.
Noſti enim profecto (nil ſiquidem horum
te virum ea animi ſapiẽtia excultum poteſt
fugere) ad vitam tranquillè, placideq; de-
gendam nihil magis eſſe accommodatum,
quam noſtrę huius ſummam diſceptationis
ſi modo impenſè & exacte perpendatur. Ex
ea quippe facilè cuiuis dabitur intelligi:
quàm ij improbè ſtulteq; faciant: qui Fortu
næ indulgentia & illecebris deliniti, eo de-
mentiæ atq; vęſaniæ præcipites feruntur:
vt miſerorum, non ſecus atq; eorum: qui
iam pridem vita defuncti ſunt, prorſus obli-
uiſcantur: neque hoc contenti, acciſis etiam
illorum rebus arroganter inſultent. Cum ta
men contra, homini nil perinde ſit vtile,
quàm eo temporis articulo effręnem inſo-
lentemque lętitiam animo excutere, quę ſi
ſemel altius inſederit, certiſsimę ſecũ mor-
tis afferet contagia: & quę mox fruſtra vlla
queas ope leuare. Communis enim morta-
lium Fortuna eſt: & quid cuique vſu ven-
turum ſit, ex ęquo cunctis eſt profectò ſem
per incertum. Sed tamen quotumquemq;
felicitate vitæ ſumma, continere animum
poſſe victorem, vel ſapere vidiſti? Verè ha!
nimium verè à ſapiẽtibus illud eſt dictum.
Nimis ſecundæ hominum res, neſciunt mo
dum: proſpera animos efferunt. Quocirca,
pręclarè Panętius Philoſophus familiarem
atq; auditorem ſuum Africanum dicere ſcri
bit ſolitum: vt equos propter crebras prę-
liorum contentiones ferociter exultantes
domitoribus tradere ſoleant, vt ijs facilio-
ribus poſsint vti: ſic homines ſecundis re-
bus effręnatos, ſibiq; pręfidentes, tanquam
in gyrum rationis & doctrinę duci oporte-
re: vt perſpicerent rerum humanarum im-
becillitatem, varietatemq; Fortunæ. Eidem
igitur malo occurrendum eſſe duxi, ne eius
morbi curatio, qui tam exitialem ac peſtilen
tem humano generi (cui modis omnibus
conſultum velle debemus) cladem affert: à
me deſerta fuiſſe putaretur. Cumq; mali
huius origo atq; fons, inſolẽtia ſi (quę proſ-
peris ſecundiſq; rebus pręſto eſſe ſolet) haud
ita alienum ab inſtituto opere fore duxi, ſi
de Fortunæ inconſtantia & temeritate pau
lo altius in pręſentia differerem. Futurum
enim haud dubiè putaui, vt ſi ęque omni-
bus inimicam & infidam eſſe Fortunã oſtẽ-
derem: eiſq; infeſtam magis, quos ab inglo-
rio & obſcuro loco in editũ aliquando atq;
excelſum protuliſſet: cautiores homines,
magiſq; ſanos deinceps eſſe futuros: om-
neſq; ita eſſe victuros: vt neq; ſecundæ res
eorum animos præter modum inſolenter
efferrẽt: neq; aduerſę rurſum, vltra rationis
pręſcripta, ipſorum mentes ſtultè frange-
rent.

Habes consilii mei rationem. Nunc
(ſi placet) huc animum aduerte tuum: vt cã
didè aſpirantis Fortunæ fauorem, ac proſ-
peros infimorum hominũ ſucceſſus poſsis
agnoſcere. Volo nanq; quaſi fœlicitatis hu-
manę

manæ quoddā tibi theatrum ob oculos ponere ac veluti ſtatuere. Vt enim illic videre licet, homines obſcuris ſordidiſq; parentibus ortos, magnorū regum, illuſtrium Ducum, & virtute præſtantium virorum perſonas agere, & dignis eorum inceſſus referre, atq; faſtus aſſumere: dum accurate quiſque iniuncto acquieſcit muneri, & perſonę deſeruit: haud aliter hic, ſi libeat contemplari, non abſimilem imaginem licebit intueri: videreque multos, qui ex ipſo, vt ſic dixerim, puluere repentè erecti, rerū potiti ſunt. Eaq; manu gubernacula rerum, atque orbis clauum eos tractare cognoſces, qua paulo antè, ſtiuam alij: alij peram & pedum: ſuis alij dominis miniſteria humilia, & ſeruitia exhibere ſordida, viſi ſunt. Vt vel ſic humanos caſus edocti, prę nobis neminem contemnere audeamus. Cum Cęſares ipſos ad duram interdum ſeruitutem rapi videamus: ſeruos contra, ac infimę conditionis homines, quodam veluti propiciantis Fortunæ, vel vt ethnici fabulantur; ſyderis beneficio, ad Imperij gubernacula & habenas promoueri: vnde eſt illa Iuuenalis admiratio pręclara.

Ventidius quid enim? quid Tullius? an ne aliud, quā
Sydus, & occulti miranda potentia Fati
Seruis regna dabunt? captiuis Fata triumphos?

Qvis avtem perſpectum exploratumque habens rerum humanarū eam eſſe quaſi vertiginem, vt qui modò ceu neglecti iacentes omnibus paſsim fuere contemptui ad ſumma poſsint & honoris & dignitatis aſpirare faſtigia: illoſq; cōtra de gradu deijci & quaſi ſtatione dimoueri, quorum amplā Fortunam ipſe terrarum orbis tam ſpatioſo amplóq; habitu atq; complexu capere vix poterat: non ſuæ quoq; ſorti quaſi claudicā-ti maleq; fultæ aliquando timeat: & illorū exemplo, quorum triſtes caſus animo voluerit: proſpicere ſibi in tempore incipiat, vt vtraq; Fortuna, quam iuxtà nouit eſſe timēdam, moderatius & ſobrius vti deſideret? Profecto (niſi iam rationis prorſus, mentiſque ille ſit inops) hęc qui ſibi ob oculos tot tantaq; mutationis ſubitę exempla proponet, non poterit non ſemper aduigilare: dū ſibi à Fortunæ cauet inſultu. Atq; ita dum eius ipſius clanculum obrepentis timet inſidias: nequà ſibi ab ea offici poſsit, aditum pręcludet: eidemq; vel ſęuienti maximè, laqueum mandabit. Nam dolos fraudeſque pręſentienti, nihil aut parum certè, obeſſe poterit: iam vero blanditias auerſanti, vt inimica ſit: nocere tamen qui poterit? cū eius ipſius nulla ſint arma truculentiora.

Quod optime intellexit, quiſquis illud protulit.

Fortuna cum blanditur, timeas: captatum venit.

Quo circa non illi temere mihi videntur dixiſſe, qui ſecūdam, quàm aduerſam, timēdam magis eſſe pręcipiunt. Trucem enim tantùm opes auſerre: blandam mentem adimere. Ibi ſua munera repoſcentem, facere nulli iniuriam: hic, quę nunquam dedit auferentem, eſſe vehementer iniuriam. At quis neſcit, Fortunę ſulgore pręſtrictis, ſenſum mentis hebeſcere?

Neq; enim ſine cauſa Publius Syrus illi adſcripſit.

Fortuna nimium quem fouet, ſtultum facit.

Rarus enim ſenſus fermè communis: in illa Fortuna eſt. Qui autem ſenſu animi caret, ſtultitiaq; percutitur, huius profecto aures fidelium amicorum monitis, quæ tunc vel maximè ſunt neceſſaria: patere prorſus nequeunt. Ita, dum ſuis quiſq; liberè votis obſequitur: incidit in cancellos, quos modò blandita, ſed retro iam cœpta conuerti, Fortuna tetenderat.

Sed tamen pertinacia quadam de quibuſdam interdum ſtudet benemereri: eoſq; honoribus, diuitijs, ſummiſq; Imperijs accumulat. Sic apud Romanos haud ita poſt vrbem conditam: multos obſcuris ſordidiſq; parentibus ortos: rerum ſuiſſe potitos memorię proditum eſt. Nam iam primum omnium quis neſciat, Tarquiniū Priſcum illorum celebratiſsimum regem patre mercatore, eoq; exule & ſerua matre natum fuiſſe? Quis Seruium Tullium, de quo paulo ante meminimus, verna patre matreque ancilla fuiſſe genitum, non intelligat? Quis prætera Tullium Hoſtilium, qui horum vtrūq; in Imperio pręceſsit, humillimo ex genere ortum ignoret? Cum eius cunabula agreſte tugurium ceperit, iuueniliſq; ętas in pecore paſcendo fuerit occupata? Iam vero Cæſares ipſi Romani, fuere ne regibus his genere clariores? At, Auguſtus ipſe Cęſar, cuius vbique terrarum tam celebre nomen fuit, auum habuit argentarium, patrem adſtipulatorem. Quem vtrumq; ad quintum fratrem ſcribens Cicero, precarium ait quęſtum feciſſe. Quid Vitelius ipſe? nonne generis ſui authorem habuit Libertinū? Quē Caſsius Seuerus, alijq; complures veteramētarium fuiſſe ſutorem, memoriæ prodiderunt. Quid Traianus ipſe optimus Imperator, non ne vt concedamus interim mediocri eum Fortuna fuiſſe: non tamen ita claro

fuiſſe

fuiſſe genere vel illud eſſe indicio poteſt, quod cum adoptaretur à Nerua, imperijque deſignaretur ſucceſsioni: merita hominis atque virtutem, non genus ſpectari oportere cenſuit. Quid Pertinax ipſe haud illaudatus itidem Imperator? Nonne auo ſeruo patreque libertino, & qui negotiationem lignariam, tabernamque coctilitiam in Liguria exercuit, genitus fuit? quam & ipſum etiam; ſic pertinaciter geſſiſſe ferunt, vt hinc ſit Pertinacis nomen adeptus. Quid Piſceninus Niger haud malus item princeps: non ne & hunc modicis fuiſſe parentibus quidam tradiderunt? Quid Opilius Macrinus? Nónne ſeruus primum, deindeque libertus fuit? Præterea, quis dubitet poſthumum & Lolienum qui ſub Galieno Imperium arripuiſſe feruntur, priuata virtute magis quam nobilitatis pondere vixiſſe? Quid Martius, qui poſt ipſorum mortem triduum imperauit? Nónne (vt Trebellius ſcribit Pollio) ferratiam officinam exercuit? Quid Galerius? Qui cum parentes habuiſſet agricolas, nec minus ipſe ętatis partem paſcendis iumentis duxiſſet, ex re ipſa cognomen traxit, armentarius deinceps dictus? Quid Maximus Pupienus? Nónne tam obſcure natus eſt, vt ferrarij ſit filius creditus? Quid Balbinus huius in imperio conſors, nō ne & ipſe obſcuriſsimo eſt genere ortus? Quid Philippus Arabs, nōne humillimo ſuit loco genitus? Quid Æmilianus? Nónne abiectiſsimè natus, imperium geſsit abiectius? Spectatę virtutis Imperator fuit Aurelius, huius ſed parentes ignobiles ſunt crediti: & familia obſcuriſsima habita. Quid Probus. vere probus princeps, nónne olitore patre creditur ortus? Cuius adhuc etiam impuberis virtuti tantum eſt à Valerio Imperatore tributum, vt ea ſit ętate militum creatus tribunus: animiq; tantopere laudata indoles, vt Galenum filium per literas hortari ſit ſolitus: vt ad huius ſe adoleſcentis mores formaret, & virtutem effingeret: laudeſque ad extremum executus. Si nomen, inquit Probi non haberet: cognomen iure habere potuiſſet. Quid ex literarum pædadogo parente Imperaror factus Bonoſus? Quid Diocletianus, qui ſcribæ filius vulgo eſt creditus, libertinæque adeo conditionis exiſtimatus? Quid Licinium & Maximianum principes referam? quos inter nouos homines ac veluti plebeios Eutropius, Paulus Oroſius, nonnullique alij commemorant? Quid de Carauſio, qui Britannias occupauit, diutiuſque tenuit, dicam? Quem genere quidem infimo, ortumque viliſsimè fuiſſe, conſtat? Quid de Valentiniano Imperatore loquar? cuius pater quod funes torqueret, funarius eſt ipſe appellatus? Quid de Iuſtino? quem armentarium fuiſſe, non eſt obſcurum. Quid de Baſilio Macedone? Qui captiuus inter venales Conſtantinopolim adductus, factus Imperator eſt? Quid (vt de alijs tandem Regibus loquar) nónne primi illi Hebræorum Reges Dauid atque Saul, ouium antea fuere Paſtores? Quid Abdolominus (ſiue vt alijs placet) Abactomius: nónne cum exhauriendis puteis, irrigandiſque hortis prius victitaſſet, Sidoniæ ab Alexandro eſt Rex ob virtutem conſtitutus, nobilibus non paucis ſpretis? Iam vero commemorare quid attinet, Adranteum Andriſeum in fullonia natum, ad Regiam fuiſſe maieſtatem euectum? Quid Alexandri ſucceſſorem in Macedonia Antipatrum? Quem mimæ cuiuſdam mulieris fuiſſe ferunt nepotem? Quid Macedóniæ Regem etiam Archelaum, quem Simacha ſerua eſſe perhibent ortum? Quid Parthorum Regem Arſacem? à quo & ipſi Parthorum reges Arſacidæ, poſtea ſunt dicti? Quem incertæ aiunt originis fuiſſe? Quid Perſarum Regem Cambyſem, cuius paſsim maiores obſcuri feruntur? Quis Hiſtaſpis filium Darium? Quem lictorio prius apud Cyrum munere functum, idque genus officijs alijs vſum, Perſarum tamen fuiſſe regem, eiuſque nominis primum, clariſsimum eſt? Quid Eumenem, cui poſt Alexandrum vita defunctum Cappadocia cum Paphlagonia ſorte ceſsit? Cuius tam inopem traditum eſt fuiſſe parentem: vt ex vehiculis ſibi familiæque ſuæ cibum ſit quæritare coactus. Quid curruum fabricatorem Telephanem, qui Lydorum rex deinde eſt factus? Quid Midam? qui, cum plauſtrarius eſſet, dum boues ad atratrum duceret, à Phrygibus ad regnum repente eſt raptus? Quid Ptolemæum, qui ex gregario milite Ægypti eſt rex factus? & quidem eius nominis primus. Quid de Protarcho negociatoris filio loquar? Qui Rex Syriæ creatus, Alexandri ſibi cognomen indidit? Quid de Athenienſium principe Hyperbolo? qui nullis & ipſe maioribus ortus, poſt Cleonis potentiam verſutia ſua ad vrbis peruenit principatum: cum æreas antea lucernas factitaſſet. Quid de Prompalo extremæ ſortis iuuene? qui deuicto

B An-

Antiocho (cui Soter cognomentum fuit) Syriæ Regnum occupauit, diutiuſque tenens, Alexander eſt dictus? Quid præterea de Cybari, qui ex cuiuſdam ergaſculo à Cyro eductus eſt, Perſiſque præpoſitus in matrimonium ſibi ſorore tradita? Quid de Soſthene, qui nobilibus quibuſdam Macedoniæ regnum affectantibus, ignobilis ob egregiam virtutis indolem prælatus eſt? Quid de Mandrone, qui ex nauiculario imperium eſt ſortitus? Quid de Hyerone, qui matrem habens ancillam, Siciliæ regnum obtinuit? Quid etiam de Tyridate, qui ex ſeruo factus eſt rex Parthorum? Quid tandem de Vectio Meſsio Volſcorum Rege? Quem factis quam genere nobiliorem ſcribit Liuius. Iam vero quis neſciat Tamburlanum à tenera ætate porcarium, Scytharum regem fuiſſe conſtitutum? Lamiſsionemque quendam in piſcina (cum infans eſſet) repertum Longobardorum fuiſſe Regem creatum? Preterea Mauricium Cappadocem ex famulo & excubitore, quis Imperium fuiſſe adeptum ignorat? Ioannem verò Zemiſcem (ne ſemper vetuſta loquamur) cum priùs ludi magiſtrum egiſſet, Imperiali tandem quis dubitat dignitate ſunctum? Primiſlaum ab ineunte ætate armentarium atque bubulcum, cui eſt dubium Bohemorum regnum obtinuiſſe? Atqui, Siciliæ regem Agatoclem perobſcuro & ipſum genere fuiſſe ortum, cui eſſe dubium poterit, qui nobile hoc Burdegalenſis Auſonij expigramma legerit.

Fama eſt fictilibus cœnaſſe Agathoclea regem
Atq; abacum Samio ſæpe oneraſſe luto.
Fercula gemmatis cum poneret aurea vaſis
Et miſceret opes pauperiemq; ſimul:
Quærenti cauſam reſpondit, rex ego qui ſum
Sicaniæ, figulo ſum genitore ſatus.
Fortunam reuerenter habe, quicunq; repente
Diues ab exili progrediere loco.

Iam verò, vt ſemel tandem aliquando finiam, Lycaſtum atque Parrhaſium à Philonomia matre expoſitos, Tiliphoque paſtore enutritos, Arcadiæ præfuiſſe Imperio, cui eſt incognitum?

SED QVORSVM attinet tam vaſtum longius enauigare pelagus? receptui profectò opus eſt canere, dataque vela legere: longum quippe atq; adeo ocioſum ſit, eorum hic nomina ad plenum velle ſubtexere, qui ex obſcuriſsimo genere, humillimaque Fortuna ad ampliſsimos ſubito honores, atque imperia conuolarint. Nam & eum, cuius paulo ante ignobiles natales attigimus Tullium Seruium propter eximiam virtutem animi Romanorum accepimus regem: & ex mulione Conſulem factum eſſe Ventidiũ. Quo in homine Fortunæ in ſublime mutationem tantam grauiter & iniquo animo à Romano populo latã eſſe, quod ancilla matre genitum Quirini diademate regio, trabeaque inſtruxiſſet: haud equidem miror minus, quam Ventidij permutationem ſtatus, ipſi mirabantur: in quem non ſine quadam malignitatis inuidia, admiratio illa fiebat.

Concurrite omnes Augures, aruſpices:
Portentum inuſitatum conflatum eſt recens:
Nam mulos qui fricabat, Conſul factus eſt

Stultè ſanè: quicquid enim eſt raritate mirabile: admirationi eſſe è veſtigio deſinit, vbi primum eſt exemplo factitatum. Qua igitur in vrbe ex ſeruo regem videbãt fuiſſe creatum: ex mulione quempiam Cõſulem eſſe effectum, mirari quidem pacto aliquo, ac ne queri quidem oportuit? Quid quod adhuc eiuſcemodi hominum ſtatuæ illæ veteres minimè interciderant, quæ & regis & ſerui perplexo titulo mutatione ſimili humanis rebus illudere gaudentis (vt Valerius ait) Fortunæ morem facile teſtabantur? neque enim grauabor loco hoc, quæ à Maximo Valerio de rege Seruio memoriæ verba ſunt prodita in præſentia ſubtexere. In Tullio vero Seruio ait, Fortuna precipuè vires ſuas oſtendit, vernam huic vrbi natum, regem dando: cui quidem diutiſsimè Imperium obtinere, quater luſtrum concedere, ter triumphare contigit. Ad ſummam autem vnde proceſſerit, aut quò peruenerit, ſtatuæ ipſius titulus abundè teſtatur ſeruili cognomine & regia appellatione perplexus. Superuacaneum videtur eſſe, ab humilitate tanta, tanta cum videas virtutis incrementa pullulaſſe, de mulione aliquid addere velle Ventidio? Quem tamen præſtantia animi eò fœlicitatis euexit, vt magnitudine geſtarum ab ipſo rerum inuidia obruta, vellicare generis in eo ſordes deſierit, cuius ignobilitate fieri vidit nihil poſſe nobilius. Hic enim (vt Suetonius Tranquillus ſcribit) Prouincijs Orientalibus à Marco Antonio præfectus, introrumpentes in Syriam Parthos prælijs tribus fudit, atque protriuit, eumque omnium primum de iiſdem Parthis triumphaſſe perhibet: ac morte obita, publico fuiſſe funere ſepultum. Ingens, mediusfidius, in Romani populi viro principe, cuius Imperium iiſdem, quibus Solis curſus regionibus atq;

termi-

terminis continebatur, virtutis argumentum: ignobili hominem loco ortum, & honoris tanta dignitate perfunctum, paupertate tanta deceſsiſſe, vt niſi collatis in populi capita ſextantibus ſepeliri nequiuerit. Niſi igitur publicè collecta ſtipe, iuſta ſibi funeris perſoluerentur, dominatricis gentium ciuitatis Conſul, atq́ue triumphator, vereq́ue vir primarius, ſepulturæ honore facile caruiſſet. I, nunc & cum ignobilitate horum, ſuprema regum ſtemmata confer: nullaq́ue videbis regij ornamenta ſanguinis, huiuſcemodi hominũ claritati virtutis iure vnquam potuiſſe præferri. NIC. Ha, ha, he. PHIL. Quid rides? NICE. Illorum nempe ô Philemon inanem faſtum ac non ferendam arrogantiam: qui ob ſtultam neſcio quam nobilitatis perſuaſionem, ita animo inſolenter efferuntur: vt ſeſe primos rerum omnium eſſe velint. Cum nihil eorum hominum genere ſit inertius, amentius ac vanius: nulliq́ue à vera nobilitate magis abſint. Namq́ue nunc demum intelligo verum eſſe, quod à Platone proditum, à Seneca eſt etiam Philoſopho memoriæ hominum commendatum. Nempe nullum eſſe regem, qui non à ſeruis eſſet oriundus: neque ſeruum vllum demonſtrari contra poſſe, qui generis ſui primordia ad ampliſsimos non poſſet reges referre. Quod ſi ita eſt, ſtrenuis animi factis & inſigni aliqua virtute animi, non ſplendore natalium, vera cuiuſq́ue eſt hominis nobilitas dimetienda. Quæ ergo eſt inſania, generis ita ſuperbire præſtantia, vt te cæteris putes eſſe præferendum, quod parentibus ſis clarior: cum præter futilem hanc vmbrã, quod à vera animi nobilitate ſit ortum, tuũ nihil oſtentare poſsis? Equidem, quod ad me attinet, Marianæ nobilitatis inſignia, & ornamenta virtutis animi longè mallem, quam Imperij in ditione vaſta torpentium, Terſithę ac Sardanapali maiorum regias imagines: ſit licet ille loco ignobili ortus, hi vero regali ſanguine ſati. At vero, nobilem fuiſſe Alexandrum perſpicuum eſt, vtpote qui Macedonum rege ortus eſt patre Philippo: quem & præſtantia animi tanti fuiſſe perhibent, vt breui ſpatio temporis, domitor orbis euaſerit. Quam is autem ab hac fuerit alienus ſtultitia declarat ęgregiè Plutarchus, quem adhuc puerũ indignari ſcribit ſolitum, quod Philippus pater multa quotidie laude magna digna gereret: pueriſq́ue dictitantibus ille certè tibi vni tot iſta parat, Quid refert, Alexander ait, ſi multa domi habeamus: cum ipſi nihil pręclari geſſerimus? Tam fœlici enim iſto & proſpero rerum ſucceſſu, quid mihi in poſterum pater relinquet agendum.

SI IGITVR pręſtantiſsimi viri iudicio (qui etiam tenera in ætate futuræ virtutis documenta inclyta dabat) parentum facta ſpectanda non ſunt: quia ad comparandam famam nominis, pulchrum atq́ue amplum videri non debet, quod nulla eſt animi noſtri clara induſtria ſuſceptum: & maiorum noſtrorum genus fortuitis quibuſdam caſibus illuſtre atq́ue amplum interdum effici ſolet, vti tua eſt modò oratione planum factum, profecto nihil eſſe poteſt ſtultius, quam eos contemnere ac deſpicari: qui eò poſsint honoris Fortuna fauente conſcendere. Vnde illi etiam, quorum nobis exempla propoſuiſti, clari ſunt atq; illuſtres effecti. PHIL. Vt tu es optimus atq́ue elegans ęſtimator mi Nicete, qui ſic ſtultitiæ homines ipſos conuincis! NICE. Quam ipſe ſim rerum certus diſcriminator equidem neſcio, nam id quidem alij vel melius cenſebunt vel incorruptius iudicabunt. Ad ſua enim quemq́ue vitia, cum in alijs plurimum cernat, hallucinari aiunt atq́ue cæcutire. Illud tamen affirmare auſim, generis atq́ue ſanguinis claritatem, niſi magnis conſociata virtutibus ſit, minimè hominis bonum dici debere: eoſq́ue iudicio vero animi parum vidiſſe, qui nobilitatem hanc primum dicere ſunt auſi. Etenim ſi tantum in ea Fortuna loci obtinet, vt labefactare ipſam atq́ue ſubuertere poſsit, cum libeat, ac rurſum conſtituere (ſi ita erit placitum) amentia fuit meraq́ue inſania, rei vſq́ue adeo inconſtanti & fragili tam ſplendidum atq́ue honeſtum nomen indere. Neq́ue enim minus eſt turpe virtutis nomine flagitium honeſtare: quam fœdo aliquo vitiorum amictu dignitatem ſplendoremq́ue virtutis velle contaminare: exemplo non ferendo iudicia vera rerum peſsimè adulterantes. Nobilitatem ego eam eſſe vere exiſtimo, qua alienum nihil vel caducum oſtentanti, gloriari homini rectè ac ſecurè liceat. Nam quæ maiorum inueteratis in opibus poſita, cenſus fragili ſuſpenſa filo, alieno ab ſtemmate pendet: hæc mihi caducæ munus Fortunæ ducitur: non ſolidæ gloriæ poſſeſsio: quæ generoſi atq́ue excelſi animi comes eſſe conſueuit. Itaq; ſi generis pręſtantia alienis atq; externis rebus poſita, à Fortuna ſępe profecta eſt: talis nobilitas Fortunæ eſt non immerito

munus intelligenda, minuſque propterea laudanda, vel forti viro appetenda. Iam vero, ſi quaſi noſcibile nobile dictum eſt (vt ratio docet etymologiæ) quò id magis diuturnū ſit, nobile magis ducendum eſt, quia eo modo tractu ipſo temp[illegible]s, nobilitatis gloria eſt futura viuacior, & apud omnes gentes longè diffuſior habenda. Atque hoc quidem ita perſpicuum & planum eſt, vt in dubium vocari non debeat. Exquo fit, vt ſi nobilitatis vera ratio, quemadmodum vulgaris huius, cum aliqua eſſet Fortunæ temeritate coniuncta (forent licêt cuncta paria) vel hoc vno nomine minus ab omnibus appeti deberet, propterea quod mutari facile poſſet: nec eſſet tandiu viuax, diuturnaq; futura.

Verum enim vero cum nobilitatis illa ratio, quæ ex maiorum fumoſis imaginlbus orta eſt, Induſtriæ noſtræ ſudore abſque & puluere (quod aiunt) alieno ſit tota labore & ſanguine parta, atque ideo peculiare nihil habeat, quo nobis liceat gloriari: multorum tamen ea votis expetitur, ſummęque vulgo laudi ducitur multos poſſe generis maiores oſtendere. Quod ego minime vitupero, ſi modo is tu ſis, qui eorum te præbere velis ſimilem, qui ſpecioſa hęc laudis inſignia, & ornamenta generis familiæ tuæ primum intulerunt. Quod ſi ſegniter, formidoloſè, turpiterque agens veram in ſplendore natalium ſitam eſſe putes nobilitatem: flagitium ſummum arbitror: ac vęſani capitis, ſolutioriſque animi tale iudicium, eſſe duco vel maximè reprehendēdum. Nihil quippe prædicationem ſummam animi, laudemq; meretur, vel germane poteſt nobile appellari, quod à nobis ſine peculiari aliqua noſtri animi virtute poſsidetur. Cuius rei haud ignarus apud Senecam Lycus, prudenter ſane ſic in furente Hercule loquitur.

Nobiles non ſunt mihi
Aui, nec altis inclytum titulis genus,
Sed clara virtus. Qui genus iactat ſuum
Aliena laudat.

Quod qui parum intelligunt, ignauo ſępe in hęrede generoſæ ſtirpis extollunt celebritatem: perguntque ad eos admirandos, quibus hanc ipſam habere contigit, deſidia licet turpi illorum facta madeant, & ſiniſtra facta puteant: minime rem altius rimari, ipſius tātum capti ſpecie ſuperbi generis: haud ſane multum ab inſanę plebeculę iudicio alienis: quæ xarampelina veſte, Perſicoque ornatu, multo auro ac purpura hominem lectica vehentem admiratur ſtupens. Perinde ac ijs in rebus vera ſit aliquid laude dignum: pretioſęq; veſtes vaniſsimi nebulonis generoſum animum poſsint efficere, vel ſama verendum. Perſpici ô vtinam res (vt quæq; eſt) facile poſſent: ſuiſq; ipſę modulis eſſent non inique dimenſę! Diui boni! quam multi multa contemnerent! Vt, illa reijcerent, quæ digna nunc putant admiratione! Vt illa colerēt (quæ ſęuiens & nouos mouens Fortuna tumultus) nunquam tamē homini poteſt adimere! Sed adeo nunc, quę bonis quondam ſenſuum eluxit integritas, vitijs hominum obſtructa eſt: adeo eorum anres ad vitę vera pretia obſurduerunt, vt de eius commodis & virtute tractantem nō magis (vt Flaccus inquit) audiuerint: quam Fuſius ebrius olim cum Ilionam edormit. Vnde eſt effectum, vt generoſitatis rationē ignorantes optimam: alij alijs in rebus ſitam eſſe hominis nobilitatem autument. Cum ab ea, quæ vera & germana ſit, toto interim, quod dici ſolet, cœlo aberrent. Cuius radiantiſsimus fulgor, quo pacto eorum hactenus oculos ſic præſtrinxerit, miror: cum tām latè ſua cuncta luce illuſtret ac compleat.

Sed persvasionis noxiæ ſtulto errore alitā, tam latis Fortuna iam peragrauit orbem paſsibus, tamq; ſpatioſè quaq; verſum peruagata eſt, vt quaſi illa res temperet noſtras, cui ipſa aſpiret candidè: huic prōpta, parataq; ſtatim hominum ſint ſtudia: ac ſi quem auerſa prætereat, plerique fugientes deſerant. Hinc nobilitatis, ignobilitatiſque omnes illæ formulę pendent, quæ genere, opibus, potentia & honore, hiſque contrarijs, emergentes de hac cauſa lites (latis ceu legibus, componere, controuerſiaſq; dirimere) ſtultos quoſdam paſsim edocent. Ita fit, vt prout quiſque hanc ſit expertus: ita nobilis vel ignobilis haberi vulgo incipiat. Quod quam ſit rationi coninnctum, ipſi viderint. Mihi certè parum rectè de nobilitatè ſentire videtur, qui Fortunę itu ac reditu veram hominis metitur nobilitatem. Scilicet tantiſper vt adſit, dum flat proſperè: rurſumq; abſit, ſi reflet. Solidior multo, ſtabiliorq; illa eſt, quam vt ab eius animo, cui ſemel inſederit: tam abſurdè temereq; reſiliat. Alioqui, quid ea exiſtimari poſſet abiectius? cum nihil ſit fortuna ipſa fragilius, nihil fugacius, nihil mutabilius, nihil ęquè viciſſitudini obnoxium? Aut ſi ita foret, quid minus eſſet quàm huius iactura dolendū? Cū ſuam quicquid mutare naturam nequeat:

Fatiq;

Fatiq́ue legibus haud facile cuiquam liceat obſiſtere? Abeunt enim illuc omnia, vnde orta ſunt: naturęq́ue ſuę fontem repetunt. Cuius ſi temerario auſu impedire velis curſum, aut obſtruere aditum: nihilo plus agas (rectè vt apud Terentium dicit Parmeno) quam vt ſi des operam, vt cum ratione inſanias.

EX QVO ILLVD efficitur, vt longe aliam, ac vulgus opinetur, appareat nobilitatis eſſe rationem: aut ſi ea ſit, non eſſe tantopere expetendam. Cum neceſsitati fatali à natura ſibi modo quodam pręſcriptæ, vel inuitè ac reluctanter teneatur obſequi. Atq́ue ita diuturnæ manſionis, hoſpitijq; fidem nulli poſsit ſtabilem, certamq. promittere. Vnde nō tam ipſa præſentia delectet, quam abſentia torqueat, inconſtantiaq́ue cruciet neceſſe eſt: aut metu carendi ſolicitet. Nulli enim in re quantumlibet præſtanti, ſolido datur gaudio perfrui: cui an diutius ea potiri poſsit, parum ſit exploratum. Timor nanq; non minimam gaudij partem eripit, in lætitiamq; erumpentem animi commotionem, triſti varietatis fræno compeſcit: & in duriorem ſemper hominem trudit partem: lætaq́ue cuncta intercipit. Paruulum ſi quidem refert, expectis an patiaris aduerſa. Vtrumq́ue enim à tranquillitate animum auocare ſolet. Hæc igitur vſq; quaq́ue verentem haud facile quiſquam nobilem dixerit: aut eius honore præſtantiaq; dignabitur. Quid enim eo homine exiſtimari poteſt abiectius, qui tam ſe fluctuantis, irrequietæq́ue Fortunæ nutui mancipauit, vt ex ea totus omnino pendeat? ab ea fœlicis ac beatæ vitæ auſpicia petenda eſſe cogitet? ad eamq́ue tandem perindè ac tutiſsimum & amœniſsimum portum, vitæ ſuæ filum dirigat atq́ue applicet: magna proculdubio mercede miſer vſq́ue futurus. Nam quò propius malefidam hanc ſtationem dabitur intueri, eò ſit infœlicior oportet. Quis etenim vnquam in blandientis Fortunæ ſinu tam eſt amicè ſuſceptus? Quis tam ad eius epulas benignè eſt & amanter exceptus, ad honoreſq́ue fauentis humaniter inuitatus, in conſiliumq́ue admiſſus, vt non dulci tanquam expergeſactus à ſomno: deturbatus ſubitò, miſereq́ue deiectus, in maximas calamitates inciderit? Syrenum ſiquidem cantus examuſsim fortuna imitatur: quæ dulci quodam concentu (ni ad earum ſuaues ac blandos modos prudenter aures obthures) acerbam tandem mortem inferunt. Quod tamen illarum ſatum eò eſt æquius ferendū: quod hę; in exitium vſquam dulces eſſe perhibentur: vt iam aliqua ex parte moriendi ſenſum videantur adimere: mœſtitiamq; ipſam harmonia dulci leuare, illa, ne huiuſmodi quidem temporis articulum, voluptatis aliqua condit illecebra: ſed humani boni maximè inuidam ſæuitiam tunc demum magis acuit. Vt non tam moleſta ſit vitæ priuatio, quam genus mortis inuiſum, acerbum, atq́ue funeſtum. Ereptis enim opibus, peſſundatis honoribus, gloriæq́ue ad extremum cunctis detractis inſignibus: Luctuoſiorem multo mortis cauſam efficit, quam ipſa ſit mors. Quam, cum naturę lege nulli ſit effugere datam (moriendū eſt enim omnibus) æquiſsimo multi placidiſsimoq; interdum animo perferunt: eamq́ue non rarò animoſè expetunt, ſi modo turpi videant poſſe vacare infamia. Vnde non pauci ad mortem honeſta propoſita cauſa, non ſecus atq́ue ad rem maximè glorioſam, & tanquam laborum dulciſsimum portum, alacri nimium animo ſæpiſsimè conuolarunt. Optimum vitæ ſcopum, in optima eſſe morte repoſitum, prudenter arbitrati.

VNDE illorum euidentiſsimè amentia patet, qui ad Fortunæ nutum vſq́ue excubāt: fallacemq́ue eius auram ſicco nimium ore, faucibuſq́ue expectant. Nam eorum exitus præ cæteris ſunt lachrymabiles, quos præter cæteros Fortuna extulit, & nullius vita inſuauior, quam eorum quos inani quodam ſplendore, vt triſtius caderent, conſpicuos oſtendit: vt caducos mox redderet, infœliciter & opprimeret incautos. Quem pro delectamento ludum ipſa eſt ſolita habere Fortuna. Quocirca, quò fidelius quiſq́ue eius eſt veſtigia ſecutus, eò acerbiorem, calamitoſioremq́ue vitæ, haud rarò ſortitur exitum. Ex quo eſt effectum, vt nobilium virorum numero, ſapientiſsimi quiq́ue eum iure eximant: qui non virtute animi, ſed huius beneficio ad altiſsimos quoſdam dignitatis, vel honoris gradus videretur euectus, à quibus id etiam ſaluberrimum vitæ præceptum memorię eſt traditum: vt Fortunæ munera ſemper haberemus ſuſpecta: & ab eius inſtructis hamis, fraudibus atq́ue dolis quam maximè fugeremus, inextricabiles enim huius eſſe cancellos, ſi ſemel incideris. Nec tam eſſe Meādri fluminis ſinuoſos & cæcos anfractus, quam huius (quę molles nimium eſſe vidētur) blanditias fallaces, ſub hilari nanq́ue fronte ſubdolum, aiunt, receſſum ineſſe:

inq́ue eius ſerenitate exitiales nimium inſi-
dias ſubeſſe. Quis ergo tam vafrum, aſtu-
tum, verſipelleq́ue monſtrum, non hor-
reat? Cum tam dulci ſub aſpectu trucu
lentiam tantam ſæuire, tamq; lethale vene-
num latere cognoſcat? Aut ab eo vel mo-
dis omnibus ſibi cauendum eſſe non exiſti-
met, cuius tam præpoſteram videt eſſe na-
turam: vt non tam eius ſint fulminâtis mor
ſus fugiendi, quam adulantis allapſus timê-
di & ſimulati fauores vitandi?

Euaſtricere do metues, doctuſq; cauebis.
Quæres quando iterum paueas, iterumq; perire
Poſsis? O toties ſeruus! quæ bellua ruptis
Cum ſemel effugit, reddit ſe praua catenis?

QVA IN RE cum illud ſit incunctabile;
eius vel molliſsimam indulgentiam, tamen
eſſe formidabilem: ita hoc maximè, propter
ſtultam illorum perſuaſionem, qui huma-
nis in rebus Fortunam cenſent aliquid ha-
bere momenti, videtur obſcurum. Proſpera
ne magis obſit, quam proſit aduerſa. Nam
& aduerſis huius caſibus quanta viri virtus
ſit (ceu in igne aurum) perſpici ſolet: rurſus
ſplendida qui ſunt ſapienter vſi, fœlices ve-
rè vulgo putantur. Vnde non minus lau-
dum dignis celebramus encomijs, quos aſ-
ſentantis, nimiumq; fauentis Fortunæ ille-
cebræ non corruperunt: quam eos, qui acri
ter virtutem amare, & in omni re morum
ſeruare æquitatem nunquam deſtiterunt.
Difficile non minus eſſe rati, ſic lætam For-
tunam ferre, vt nihil à dignitate ſapientis
abſis: nihil à ratione diſcedas humanitatis, ni
hil deflectas ab honeſtate: quam ſi dulcis a-
more ſapientiæ, adipiſcendæq; virtutis cu-
piditate, expetendæ ve probitatis ſtudio,
maximos vſq; labores perpetiare. Vt enim
propter arctam, difficilemq; viam (& quod
in itinere ipſius rectè obeundo hîc impedi-
menta ſint multa) ad virtutis cacumen ip-
ſum aſpirare paucis eſt datum: Sic nimirum
vix vlli felicem eſſe ac ſapere cóceſſum eſt:
quia proſpera animos efferunt. Præclare er-
go Plato à Cyrenenſibus aliquando roga-
tus, vt ſibi leges conderet, ſcriptaſq; relin-
queret, ac ſtatum reipublicæ componeret,
recuſaſſe fertur: perdifficile eſſe aſſereris, eis
leges dare: qui tam eſſent fœlices. Nihil quip
pe tam ſuperbum, nihil tam intractabile ac
moroſum eſſe quam hominem, quem fœ-
licitatis opinio corripuiſſet. Id quod optimè
in amicitia ſentit. M. Cicero, nihil inſipien-
te Fortunato fieri póſſe intolerabilius di-
ctitans. Scitè igitur ac verè (quicũque ille
fuit, qui ad Caium Cæſarem de moderanda
republica ſic eſt orationem auſpicatus. Scio
ego quam ſit difficile, conſilium dare regi,
atq́ue Imperatori, poſtremo cuipiam mor-
talium; cuius opes in excelſo ſunt. Quæ
cum ita ſe habeant, debere tibi plurimum
homines ſtatuo ô Philemon, quibus tu ho-
die Apellem te alterum in effingenda For
tuna, eiuſq́ue moribus elucidandis præſti-
tiſti: minime Thimantis vſus commento,
qui Agamemnonis formoſiſsimam filiam
Iphygeniam Dianæ immolaturi velo faciê
callide obtexit: ignarus quem filiam mactan
tis parentis vultum exprimeret: Veritus for
taſſe in eo reprehendi, quod in tabula ipſa
omnium maximè erat ſpectandum. Quem
tu cum agere iam cœperis, ne, quod ille fe-
cit, tuam nobis picturam velo contegas, &
quaſi tuo inuidens operi; depingi cœptam
Fortunam, inchoatam ſubito imperfectam-
q́ue relinquas, etiam atq́ue etiam vide. Nam
licet multos docta tua illa oratione à For-
tuna in altum ſublatus eſſe monſtraneris:
multos rurſum è tanto rerũ faſtigio ad ter-
ram dixeris præcipitanter eſſe deiectos: non
tamen hactenus tragicomœdiæ huius varię
exitu prætermiſſo, auidi animi ſitim videris
ſatiaſſe: cum nondum palam feceris, tam an
ceps ac vehemens in vtramq́ue partem For
tunæ certamen, quam ſit conſtans ac diutur
num: nec quid ipſa Fortuna ſit, ac quanto
apud Ethnicos quondam in honore fuerit
habita. Fuiſſe enim apud illos multos audio
qui Deam hanc eſſe crediderint: quiq; pre-
cibus atq; muneribus propitiam ſibi placa-
tamq́ue efficere maximè ſunt adnixi. Ijs
omnia ex ſententia rati eſſe euentura, quo-
rum honore ac precibus plurimum fuiſſet
culta: Cæteris, qui tam præſentis numẽ Deę
negligerent atq́ue contemnerent: triſtia
cuncta, inauſpicata & infauſta eſſe futura.
Quas ob res poſt dubiam Martis aleam, anci
piti tandem victoria parta, fuſis hoſtibus, ad
vnumq; trucidatis: multi duces; & hi quidẽ
non inſtrenui, trophæa ampliſsima, ſplendi
da quadam propitiantis Fortunę inſcriptio-
ne inſignita, illi locarũt. Memores auſpicijs
huius ac ductu, tantum de hoſte triũphum
fuiſſe partum: eidem interim victoriam ac-
ceptam ferentes, cuius fuerant (vt ipſi opi-
nabantur) benignitatem experti. Alij con-
tra, tantum abeſt, vt Deam hanc exiſtiment,
vt ne eſſe quidem vllam prorſus autument.
Quidam aſſerant ne, an omnino negent in-
certi: vehementer exquirunt, an eſſe aliqua
Fortuna poſsit: & quæ eius eſſe dicantur
partes. Quæ mihi quidem omnia ardua in
primis

primis: nec minus tamen ad multorum refellendos errores neceſſaria ſcitu videntur: quam quę in hoc genere, difficultate diſſerendi reiecta vtilitate ipſa probantur. Cũ præſertim perſuaſione vana corrupti, etiam adhuc reperiantur aliqui: qui huius ipſius muneris beatum atque fœlicem effici poſſe hominem in animũ induxerint. Hęc tu, opinione vulgi in lubrico poſita, ne ad perniciem animi ſerpant latius, per amicitiam noſtram rogo, vt declaranda ſuſcipias. Te enim honeſti amplectendique laboris prouinciam hanc grato animo, ſuſcipiente (vt opinio mea fert) illuſtriora cuncta erunt: ac mihi tua vſque ſtudioſe dicta probanti, gratiora longè futura.

PHIL. QVAMQVAM mihi non mediocriter verendum eſt, mi Niceta: ne ſi laudatus à te, laudare te item contra cœpero, referre magis gratiam quam proferre iudiciũ videar, tamen nihil profectò faciam ingratè, nihil committam inſolenter: tam amplamque viri tanti gratiarum actionem, apud me non patiar ſterileſcere. Etenim fatear neceſſe eſt, de me tuam, gratam mihi iucundamque omnem fuiſſe prædicationem. Non hercle quod ignorem, quantũ ab illa docti viri abſim imagine: quam tu mihi modo graphicè expreſsiſti, dum me Apelli comparas nobili pingendi artifici. Aut, quia tam ipſe ſim amens, vt in hoc genere laudis, aliquid mihi impudenter arrogem. Sed quod eiuſmodi viri, qualem te mihi, idque iure eſſe ſtatuo: ſiue amorem dicam, ſiue ſententiam non omnino amare, exoſculari etiam atque adeo amplecti: ingenui parum animi eſſe decernam. Nam quæ tu mihi (non enim dicam falſo) aſcribis tamen: eadem ipſe præſtare quanto & abſoluere exactius poſses: ni (quæ tua modeſtia eſt) ſpectatorem te magis, quam fabulæ huius actorem, eſſe maluiſſes. Tametſi, ne ſic quidem ſpectes: vt imperiti more vulgi, quæ indigna ſint, plauſu excipias: & quæ rectè videantur acta, explodenda putes eſſe, aut exibilanda (quod ipſum ſtultis quibuſdam euenire vulgo ſolet) ſed quę probè ſecusve dicta ſunt, non nutu tantum probare poſſis, contraque reſpuere: ſed verborum grauitate ac pondere veſtire, iudicio illuſtrare, & magnifice ornare explicatione ſententiæ. Ex quo fit, vt non minus mihi timendum ſit, ne parum dignè tuæ de me reſpondeam expectationi, quam vt nemini diſpliceam. Qua quidem in re cerno iam animo, quantopere mihi ſit à principio elaborandum. Cum præſertim tot vbique ſint Momi, non Veneris tantum (quod ille fecit) ſandalia carpturi, ſed ea etiam reprehenſuri, quę minimè ſint doctis vituperanda. Quorum fortaſſe ſeruire gutturi, niſi qui illorum inſolentem gulam expertus, nemo poterit: ſit licet omni laudum genere cumulatiſsimus. Nam ſi Horatius Flaccus de improbitate conuiuarum haud ita plurium meritò ſic loquitur.

Tres mihi conuiuæ propè diſſentire videntur,
Poſcentes uario multum diuerſa palato.
Quid dem? quid non dem? renuis tu quod iubet alter,
Quod petis, id ſanè eſt inuiſum, acidumq́; duobus.

Quid ei vſu eſſe venturum putandum eſt? qui non tres (vt ille) ſed plures multos: iamque totum fermè terrarum orbem lautè paret accipere? Niſi fortè minus ſit negocij fructuoſæ dape lectionis hominum mentes paſcere, quam corpus cibó reficere. Cũ præſertim ex terrarum orbe toto congregandi homines ſint: quorum & ipſorum nõ minus eſt varia voluntas, quam forma & mores diuerſi. Vnde ſępenumero accidit, vt offendatur hic, quo ille gaudet: & quod ad huius facit ſtomachum, illi contra nauſeam pariat. Sed quo ego prætèrlabor? Quaſi vero ſtylo non ſit, chartiſque parcendum aut tædium hoc, velut catapocia, deuorandum? Etenim nihil eſt profecto tertium: quando vitilitigatores iſtos ac maſtiges, ne ijs quidem fas fuit effugere: quorum ingenij monumenta tam religioſè vſque poſteri mirantur.

VERVM ENIM VERO quamuis non ſim neſcius quantum mihi oneris imponã, qui, pręſente te, conatu quodam turbido ac temerario materiam prorſus arduam, ad diſſerendumq; diffitilem, ingenio vir ipſe rudis, & eruditione animi nulla, ſuſceperim explicandam: adeo vt periculum ſit, ne ingentis ſarcinæ pondere victus, ſuccumbat labor, ac fruſtra tentata relinquam. Tamen, quando id tibi placere ſignificas, prouinciam libens ſuſcipiam: partem illam nunc iam ſtudioſè exequens, quam à me reliquã factam eius cognoſcendę auidos optare multos dixeras. Eamq; ſi minus illuſtrare verbis poſsim: adumbrare certè vtcumque tentabo. In magnis ſiquidem (vt doctè cecinit ille) vel voluiſſe ſat eſt. In re enim pręclara, animi qualiſcumque conatus, iniquiſſ eſſe cenſores nolumus, in laudis parte aliqua poni debet. Cui tu profectò rei non parum adiumenti atq; præſidij attuliſſe cenſebere, ſi tua me pulchra oratione ceſſantẽ

ac veluti hærentem excitaueris, in viamque deduxeris: vt tempeſtiuè nimirum à te atque optimè ſemper eſt factum. Cum præſertim ea nos exponere maximè aueamus: quæ tibi probari ducimus. Quæ vbi feceris, tuo eris officio functus, nec minimam ſanè ex hac re laudem reportabis. Habebis quippe, ſi potiri voto rectè dabitur, pulcherrimi facti cómunem gloriam, ac nihil de tuo amiſeris. Quod ceu naturale ſubſidiū nulli non eſſe præſtandum Rudinus cenſebat Ennius. Ait enim.

Vt homo qui erranti comiter monſtrat viam
Quaſi lumen de ſuo lumine illi accendat, facit
Nihilominus vt ipſi luceat, cum illi accenderit.

Quam ob rem non iure tantum naturæ ſancitum eſt: ſed communi etiam & gentiū & ciuium cautum, vt quæ ſine incommodo noſtro facere poſsimus, ea tribuantur vel ignotis. Nec ſanè bono viro legis præceptum vllum expectandum eſt, vt ea quæ ex ſe ipſis honeſta ſint, maiori videatur aliquo tanquam cogentis Domini imperio ſuſcepiſſe. Cum præclara illi lex adſit ratio à natura præſcripta, ſanctione ipſa principum longè (iudicio meo) efficacior ac ſalutarior: legitimoq; omni ſcripti iuris robore valentior atq; viuacior, quæ mortalium mentes inſtigans tacitè, ad honeſtatis laudem hominem ſemper inuitet: à flagitio reuocet atq; coerceat: & in ſuo quemque officio, ſtudio veræ laudis ſedulo contineat. Ad cuius occaſionem ignauos, tardos ac deſides conſcientiæ quodam verbere, quaſi ſtimulis quibuſdam interdum exercet: nunc honeſtatis decore, nunc timore ignominiæ. Sed quia hos tu expectare minus credibile eſt, qui ad veram honeſtatem tua ſoleas ſponte præcurrere, nullo ignominię verbere concitus: memineris fac, ne ſi me vſpiam videris dormitantem, ad extremum tandem fœde patiaris ſtertere. NIC. Vtinam is meę eſſet mentis captus, mi Philemon, ea acies ingenij, id intellectus acumen: vt tam vigilantis hac in parte hominis ſomnum, ſagaci aliquā inueſtigatione animi vel deprehēdere pacto aliquo, vel digne poſſem inſpicere. Qui tam ocioſe interdum pulchris, fructuoſiſque in rebus ſoleam obdormiſcere: vt ad virtutem prorſus vix opportunè expergiſcar, & ad has artes natura ſim tardior: ad quas te ipſa pulcherrimè effinxit, & vberrime inſtruxit. Si quid ergo à me omnino agendum eſt, attentum melius agam auditorem. Quocirca, en age, iam operi accingere: Sygalium me alterum dices, vel Harpocratem. PHIL. Quando igitur ita vis, parebo iam: ac nūquam tuā authoritatem diffugiā: adſint modo ſuperi. Ex his ergo quę à me diſputata de Fortuna ſunt: cum neq; ipſe quidem eius temeritatem ignores, quin liquere etiam oratione tua aſſeras: non conſtare tamen ais, quàm ipſius in vtranq; partem diuturna ſint certamina: quàm conſtans & ſtabile munus. Illud quin etiam pariter relinqui dubium, lætiora ne ſint, quę blāda tribuere videtur bona: an vulnificentiora, quæ nobis abiens mala inſerat. Vnde & obſcurum ęque, an beare hęc forte hominem poſsit (quod ſtulti atque impij quidam videntur velle probare. Deinde vero idem putas quęrendum, ſit ne Fortuna vlla. Etenim placere alijs prorſus nullā eſſe dicebas: alios vero cōtra aſſerere: Deāq; Fortunam vel maximè pręſentem prorſus arbitrari. Vnde & audiſſe te commemoras, apud Romanos quondam diuinis eam honoribus religioſiſsimè cultam: vulgoq; eum honori ſemper habitum, cui hanc contigit quàm maximè habere propitiam. Nec deeſſe tamen ais quoſdā: qui cum inter Deos conſtanter negent eſſe referendam, ſit ne Fortuna vlla nequeāt diſcernere. Quę mihi omnis (Ethnicorū licet nata domi) anceps nimium videtur eſſe tractatio, nec ſine pręcipuo quodam Olympi fauore excutienda, Deo ſed auſpice tractanda. Quis enim non videat, rerum omnium quę maiores grauioreſq; ſunt, à Deo optimo Maximo principia nobis ſemper eſſe ſumenda. Vt ſic tandem diuinę ac ſempiternę maieſtatis propitiato ritè numine: quę præclare animo conceperis, digne poſsis effari. Quid igitur obſtat, quò minus quę pietate mota, ex Marone quondam ſibi carmina contexuit illa Falconia Proba (quę iudicio meo & re & nomine verè proba fœmina fuit) in re auſpicāda difficili mihi ſequenda proponam?

O pater! ó hominum, rerumq; æterna poteſtas!
Da facilem curſum: atq; animis illabere noſtris.
Tuq; ades: inceptumq; vna decurre laborem
Nate patris ſummi vigor, & cœleſtis origo:
Quem primi colimus: meritoſq; nouamus honores.

Precatione igitur ritè, piè atq; ſanctè ſuſcepta: quę ſeries rebus eſt dicta, fidè tradatur eloquio. Ne, ſi temere ac citra delectū, paſsim omnia conſudero, in diſcrimen aliquod incidam: vnde vix liceat emergere: meq; ſit forſan extricare difficile.

PRINCIPIO, licet conſtituendum in primis quid omnino Fortuna eſſet ęquius videbatur: ne diſputandi ratio videretur abſurda (neq; enim me clam eſt) diſceptandi

more à diffinitione auſpicari exactę eſſe prudentię, ne ſtatutos ſemel cancellos impunè liceat egredi, aut extra pręſcripta vagari. Errare nanq; minus ſolent, quibus eſt, in qua verſentur, ſpatij aliqua meta pręſcripta. Tamen, quia vafriciem morum ipſius: nullaq; tandem in parte Fortunæ hoſpitium fidum declarare velle prius, viſum eſt eſſe commodius. Quid Fortuna ſit, videro poſt: interim quę illi paſsim mnnera aſsignētur, paucis explicemus. Quod à me non ſine certo quodã conſilio factum eſſe liquebit.

FORTVNAE, vti vulgo creditum eſt, munere vel è ſumma mendicitate ad inſperata commoda euectos fuiſſe multos: locoque illuſtri & cõſpicuo ab ea locatos interdum, qui infra omnes infimos eſſe viderentur: Ethnicorum multis eſt iam diu perſuaſum. Vnde & votis omnium expeti eſt cœpta, Deaq; exiſtimata, qui hand vano quidem prima fronte ducti auſpicio mihi videntur. Nam, cum perſpicuum ſit, Deum eſſe qui maxime hominem iuuet, eorum illam cœtui non dubitabant aſcribere: cuius pręſidio & fauore ea viderentur adepti, quę opinione hominum magna putantur: nimirũ honores, amicitias & opes: cęteraque id genus inſignia & vitę ornamenta: quorum cauſa nullum non laborem ſponte homines ſubeunt. Sic, qno elatiore qniſq; erat animo, ita in hanc erat indulgentior: & quo ambitioſior, ſic & officioſius eam exiſtimabat eſſe colendam: rati pręſentiora ijs eſſe numina ſolere, à quibus piè magis honorantur. Sic poſt res pręclariſsimè geſtas, fragilitatis humanæ memores: nihilq; ſine Diuûm auxilio magnum ab homine recordati effici poſſe: trophœa in eius honorem inclyta erigebant, cuius in periculo patrocinijs defenſos ſe fuiſſe arbitrabãtur: eidem pio ore gratias agentes, quod fœlicem fuiſſet Martis exitũ largiri dignata. Hinc mnltis, eiſq; haud contemnendis, honeſtata templis: ſupplicũ miſerorumq; hominum precibus, vt molleſceret rogabatur: feſsiſq; tandem rebus aliquã ferret opem. Ita, latè, eius fumantes aras, victimarumq; nidore fragantes ædes: varijs hinc inde (pro eorum dignitate qui pręſidia peterent) donarijs affixis: enitere in dies magis cerneres. Cum interim nemo omnium foret, qui ſacrificio peracto, domum dum lætus repetit, voti religione maiori non ſibi obſtrictus eſſe è veſtigio videretur.

HIS IGITVR initijs ac veluti rudimẽtis Fortuna genita, & in maius quotidie opinione hominum aucta: eum eſt breui ſplendorem nominis nacta, vt maxima ſit Dea credita. NIC. Rectè iſthęc omnia mi Philemõ: illud tamen vide, ne prępoſtere egiſſe videare: qui ante Fortunam cœlo locaris, quam eam ſis partem orationis amplexus, quam prius es abſoluere pollicitus. Nõ hercle oportet promiſsi tui obliuiſci tam cito. PHIL. Ecquid ipſe meminiſti de Harpocrate pacta? Quare, ſi iniquus es in me iudex, condemnabo ego eodem te crimine. Neq; enim minus attendendum eſt, quid pręſtare ipſe debeas: quam quid alijs ſit faciendum. Quare à tergo pendentem Nemeſim oportuit reſpicere: ne tibi viciſsim ſua occinat Flaccus carmina.

Cum tua peruideas oculis malè lippus inunctis:
Cur in amicorum vitijs tam cernis acutum
Quam aut aquila, aut ſerpens Epidaurius?

Sed fortaſſe à pactione non diſcedis, qui dormitãtem putes expergefaciendum: maligneq; ego tui animi rationem interpretor. Sed re verá corruptę mentis hominum, de Fortuna declaraui tantum quæ vulgo, eſſet opinio: vt vero cœlo locarem ne cogitaui quidem, indigna enim conſilio eſt cœlitum, tam cæca, tamq; temeraria. NIC. Nimium tu iſtud ęgre atq; ſeuere mi Philemon, vereor ne id aliorſum acceperis, atq; ego dixerim. Nam amicè monentem, placide atq; beneuole, animoq; ęquo ferre magis ingenuum eſt, quam malitioſe & argutè perſtringere. PHIL. Quid tu Nicete mi? an iracunde putas hęc me tecum expoſtulaſſe? Crede mihi, dicto hoc beneuolentia tua nihilo eſt mihi minor facta: nec de mei in te animi candore aliquid eſt detractum. ſed officioſum amicum officioſe pariter duxi monendum: ne quando quenquam, cuius culpæ particeps videre, reum putares agendum. Ne in eo cui ſemel legem dixeris, veniam rurſus indignè quęrere cogaris. Sed profecto nulla à te culpa commiſſa eſt, qui mei me admonuiſti officij, rogatus. NIC. Agnoſco amicum animum: excuſationem accipio: eamq; ire viam pergas, oro: quam exequi cœpiſti. Nam inſtitutę orationis tuæ filum mea cauſa interruptum fuiſſe doleo: ac penè nefas exiſtimo. PHIL. Licet ad eam tu orationis me rapias partem: quę tibi (vt ego quidem reor) cognita eſt & perſpecta maximè. Tamen, quia non ſine ſcelere eſſe puto, tibi quicquam negare petenti, iamque propè efflagitanti: ſubeunda hercle ſuſcepta prouincia eſt: viribuſq; conandum, volũtati vt mentis tuæ parte ex nulla, induſtria noſtra defuiſſe videatur. Et quando factu-

rum me id eſſe ſemel recepi: alienū hoc æs aliquando tamen mihi diſſoluendum: ne parum ipſe meis ſtare videar pollicitis. Sed quis morum huius vafriciem, irrequietam ſedem, infidumq; alterutram in partem hoſpitiū, dignè poſsit fando exequi? Quis eius referre vulnera? Quis rurſum cenſere commoda, malis tot ſemper admixta? Quorum & ipſorum verum colorem, habitumq; diſcernere paucis ſcilicet, quos æquus amauit Iuppiter, datum eſt. Tam lubrico nanque vtraq; ſunt poſita loco: & tam cæco & vario vndiq; fine clauduntur: tam fallaci ad tempus perſonata prætextu, tam inextricabili & ignoto inuolucro contecta: vt Herculeos, Gordioſque (quod aiunt) nodos diſſoluere ſit, vel explicare facilius: quam huius morē ſtabili aliqua lege vincire: & vagum alterutra ex parte cognitione aliqua deprehendere curſum: Superba ludis aptis tragœdiæ gaudet, humanarumq; rerum ſpectaculo parum iucundè ac libens paſcitur. Etenim (vt ait Horatius).

Fortuna ſæuo læta negotio, &
Ludum inſolentem ludere pertinax,
Tranſmutat incertos honores
Nunc mihi nunc alijs benigna.

Quod egregiè præter cæteros mihi eſt ſentire viſus. M. Paccuuius tragicus. Paucis enim verſibus ſtultam Fortunæ vęſaniam, poteſtatem ac vim ſic eleganter expreſsit, & graphicè depinxit: vt nullius ea penicillis effingi doctius potuerit, vel ſcriptis explicari: ait enim.

Fortunam inſanam eſſe & brutam perhibent Philoſophi:
Saxiq; inſtar globoſi prædicant eſſe volubilem:
Quia quo ſaxum impulerit Fors, eò cadere Fortunam autumant.
Cæcam ob eam rem eſſe vocant, quia nil cernat quò ſeſe applicet:
Inſanam autem aiunt, quia atrox, incerta, inſtabiliſq; ſit.
Brutam, quia dignum: aut indignum nequeat internoſcere.

Quæ cum eius ſint ingenia, illud profectò efficitur, vt cum maximè blanditur, tum demum magis ſit indicare difficile, quò tantus tendat fœlicitatis curſus: quem ſint molles illę finem ſortiturę blāditiæ. Leuis enim Fortuna eſt: ac cito repoſcit quæ dedit. Nec minus ſe exhibet amicis aſperā & infeſtam, quam hoſtibus blandam, amicam atq; beneuolam. Quo circa rectè nimirum, ſapienter eos feciſſe autumas: qui eius munera ſuſpecta nobis eſſe debere, cenſuerunt. Id quod Ægyptio Amaſi placere video, ad Polycratē Sammium ſcripta prudenter epiſtola. Sic enim ait, Amaſis Polycrati ſalutem.

Mihi quidē fœliciter agi cum viro amico meo & hoſpite, audire voluptati eſt. Tamen tuę magnę proſperitates mihi nō placēt, qui intelligo quā inuidū numē ſit. Quod ad me attinet, malim tum meas ipſius, tū eorū qui mihi curę ſunt, res nunc proſpere ire, nūc infœliciter cedere, & ita per varias Fortunæ vices æuum traducere: quam ſine aliquo moleſtiæ ictu proſpera mihi cuncta, nimiſque læta obtingere. Neq; enim adhuc de quoquam audiſſe me puto: qui, cum in omnibus fœlix fuiſſet, non tandem malè perierit funditus. Hęc ille hactenus, natura ita comparatum eſſe intelligens, vt fœlicitatis nimię mœror ad extremum ingens, & miſeria ſumma, ſit comes. Id quod calamitoſiſsimo vitę exitu, qui Polycratem breui conſecutus eſt, mirificè patuit. Quidq; hoc vno tantum nomine (vt author eſt Herodotus) ſupra vires humani ingenij iuri fœlicis amicitiæ antiquis contemptis fœderibus, vale longum dixit? Seq; beneuolentiæ (quo erat vinculo aſtrictus, exoluens) diligenter amouit. Scilicet ne ex amici ruina, quam mente ipſa pręceperat: maiorem animo dolorem caperet. Non igitur indulgentiam aucupari, ſed Fortunæ magis auerſari blanditias conuenit. Laqueos hęc mira ſtruit arte, quibus ſi quando irretiare, in ſæuientis mox ſcopulos incides. Simulat nanq; benignitatis vultum: nocere vt inde acrius poſsit. Quocirca (vt traditum eſt ab Heſiodo, Prometheus Epymetheo fratri inerti & flagitioſo conſulebat, vt Fortunæ proſperitatem ſemper haberet ſuſpectam: atq; etiam perinde ac peſtiferam, ſibique exitioſam vbiq; metueret: idq; haud iniuria. Quis enim ſanus homini flagitioſo ac deſidi, boni quidpiam poſſe putet accidere? Licet autem quæ boni ſpeciem primore aſpectu habere videntur, multa eis aliquando contingant: bona tamen appellāda nō ſunt; Vt enim docte Publius ſentit Mimus.

Cito improborum læta in perniciem cadunt.

Quod, quid eſt aliud quam vt compertū habeamus, non eſſe diuturnam malorum fœlicitatem? Sapienter itaq; Cheramenes, qui vnus fuit ex triginta illis, qui ſæuā quondam Athenis exercuere tyrannidem: cum domus ruinam, vbi cum ingenti amicorum turba epulis indulgebat, vni ſibi liceret effugere: oppreſsiſq; cæteris vulgo beatus ac fœlix prædicaretur: Magna inclamans voce, ô Fortuna, inquit, in quam me differs calamitatem!

mitatem! Nec ita poſt contortus à reliquis, tetram tyrannus animam fudit. Stulto atq; improbo viro conuenire cum bonis quî poteſt? Cum bonorum vera natura ab improbitate vel maximè, ſit diſiuncta, & ab ſtultitia plurimum abhorreat? Quæ & infœlicitatis eſt mater, & pœnitentię fidiſsima comes? Doctè itaq; Demoſthenes, Fortuna inquit, ſtultum complexa virum, prorſus inſanum efficit. Qua vna calamitate eſſe vlla maior quę poteſt? Cum iudicij integritate nullum maius bonum homini ſit à natura tributũ.
Inſano igitur, ſtulto & improbo nulla eſſe verè vſura boni poteſt: nulla grata vitæ conditio, nulla fructuoſa fortuna. Statum enim ſuæ ſortis ignorant: nec videre rectè, quò ſe applicent, poſſunt, quandiu pernicioſo hoc mentis œſtro ſine ſpe vlla certa ſalutis, in cõtrarias partes furibundè ſeruntur. Inſanabilis enim morbus cenſeri ſolet inſania. Quod ne Phalaridi quidem crudeliſsimo tyranno ignotum ſuit. Sic nanq; in quadam ille epiſtola loquitur: Aduerſam corporis valetudinem ars ſanat: animi autem nil niſi mors. Cuius & Ouidius opinioni, hęc ſcribens, videtur aſſenſus.

Afferat ipſe licet ſacras Podalyrius herbas,
Sanabit nulla vulnera cordis ope.

Si ergo inſania inſanabile malum eſt: idq; genus hominum cum germani natura boni commune nihil habent, quia mentis iudicio carent, quo vitæ noſtrę bona reguntur, indulgetq; illis pręcipuè Fors, quibus auidiſsimè molitur exitium: quid igitur ſaciendum eſt; ſi ab ijs eſt magis Fortuna vitãda, quibus omnium maximè fauere ipſa eſt ſolita? Flagitio enim ſtultitiaq; inſignes, vęſanos atq; dementes Fortuna colens fouet, muneribuſq; ſuis ornat: raro ad eos accedere auſa, quos plurimum nouit ſapientia animi poſſe præſtare, ac iudicio vigere: probè experta, ſuas illis omnes minimè eſſe obſcuras præſtigias, & meditatos vaferrimè dolos. Cui enim eſt ſapienti incognitum, peruerſorum hanc canum planè naturam effingere, qui vt mordere tutius poſsint, obuijs quibuſque amicè cauda blandiuntur. Triſtius nimirum vt cadant (quod ipſe præclare ſentis) ſuum his ſauorem impartit: contractiuſque in eos ſua munera confert, vnde nocendi occaſionem, vltioniſq; ſpem longè ſentit abeſſe. Sic nimirum cernere eſt promptum, vt ab illis gratiam nolit inire: quos nullo exiſtimat pacto ſe poſſe proſternere. Quod tantũ abeſt, vt iniquo ſerant animo, nihil vt ſerant placidiùs. Norunt quippe malorum gratiam tã eſſe infidam ſolere: quam ipſos. Ita quiſquis ſapientia eſt pręditus, nihil minus aucupatur, quam Fortunæ fauorem: quem & malis pręſto eſſe intelligit, & bonis parum tutum. Nam licet perſuaſum quibuſdam ſit, ditare hanc hominem poſſe, & honore clarum efficere, tamen non minus eſt ad auferenda quę dedit velox; quam ad tribuendum temeraria. Quod ingenioſum poëtam haud fugit, dum ait,

Nempe dat & quodcunq; lubet Fortuna, rapitq;.
Irus & eſt ſubito, qui modò Crœſſus erat.

Hinc meliori multo conditione vidétur eſſe, qui ſortunam nunquam viderũt: quam qui eius ſunt ſauorem, indulgentiamq; experti. Incõſiderata nanq; (vt Theophraſtus inquit) Fortuna eſt ad auſerendumq; quæ dederit, peruigil: ac nullum vnquam tempus conſtitutum habens. Quocirca memoriæ eſt proditum, permultos ab ea tunc demum ludibrio fuiſſe habitos, cum futuram ſibi maximè dulcem ac ſuauẽ arbitrati ſunt. Ita, quo in loco voluptati atq; delicijs vacaturos ſe eſſe ſtultè putarunt, queſtibus & lamentis miſerabiliter indulſerunt: de ſuaq; permulta ſunt ſorte cõqueſti. Neq; id ſane faciebant iniuria: Quis enim neſciat, ſperati commodi ſpe ſubito fraudari multo atrocius videri: quam amœnum ſuaueq; haberi rei parum expetitę de repente poſſe voluptate frui? Vt enim nulla res æque miſerias leuat: quam præſentiam malorum minimè diuturna recordatio ſiquidem (vt rectè ſentit Cornelius Gallus)

Graue eſt, quod doleat commemorare diu,

Sic nulla magis animum conturbat & macerat, atq; ea quæ impendentium calamitatum nullum aſſert remedium: diuturnitateque incommodorum ægrè affectam animã conſauciat. Quòcirca nullum eſſe maius vulnus arbitror, quam tranquilli portus ſpe præter opinionem acerbè nimium priuari: cum iam iã eum tibi manibus pulchrè tenere viſus ſis: quadamq; veluti ventorum triſtiſsima rabie in inſanum iterum mare decuti. Quod illis accidit plurimum, qui humanarum rerum inſtabilitatis obliti, Fortunæ curſu proſpero, pelago vitæ feruntur. Penitius enim ea hærent mala, quæ incautòs ac minimè cogitantes inuadunt: quam quæ præſentientes præmeditatoſq; adoriũtur. Ita perſtrenuè hæc & generoſe ab homine ſerri videas: inrerdum at illa indecorè: tepentini facti atrocitate ſortitudinis ſenſu natura hebeſcente: parumq; rem præ temporis anguſtia conſiderare valente. Hinc vulni-

vulnificentiora longè ea ſunt, quæ improuiſo inopinatoq; feriunt. Nocere enim minus iacula ſolent, quæ præuidentur. Quod & poeta optimus Homerus prudenter nobis expreſsit, qui peregre redeuntem Vlyſſem repentina ac ſubita canis ſui morte perhibet collachrymaſſe, cum vxori interim ſibi aſsidenti pariter & lachrymanti lachrymis nullis applauderet. Nimirum quia iam dudum iter faciens vxorem veluti lachrymantem imagine quadam non ſemel intuitus, ita animum ipſum tempeſtiuè mancipauerat, vt ſubitò reſilire, temereq; non poſſet erumpere. Canis verò inopinato ac ſubito caſu conſternatus: in poteſtatem animum redigere, affectuſq; vim inhibere non potuit.

Ex qvo efficitur, vt non perinde ſit Fortunæ proſperitate gaudendum: quam dolendum incommoditate. Cum iam ſit palam à nobis factum, non tam eſſe poſſe hæc accepiſſe iucundum: quam violenter ſic, intempeſtiue & acerbe adempta, moleſtum. Qua propter haud inconcinnè huc Carneadis illud præſtantiſsimi Philoſophi exemplum adaptari poteſt: quem dicere ſolitum accepimus, proſperis ſecundiſq; in rebus aduerſorum caſuum homines memores maxime eſſe oportere: propterea quod improuiſum omne ac ſubitum: ęgritudine animi, & quodã quaſi eius ipſius deliquio ſemper excipi ſoleat. Pręclare profectò Carneades: Quis etenim ignoret rei vſq; adeo pulchrę memoriam, vtilẽ apprimè homini eſſe? aut rurſum putet, ſubitam illam animi commotionem ac veluti efferueſcentiam facilè poſſe ſedari, reprimi & extingui? Cum Philoſophorum omnium ſcholę placeat, primos illos reſilientis animi motus, quia ab ipſo quaſi proruẽtis naturæ fonte ſint hauſti, compeſcere vix integrum aut liberum eſſe homini. Senſim enim tractari natura vult, moderatoq; paulatim imperio molleſcit: & rationis fræna capit: exacerbatur contra aſperè, iritaturq; truculente, ſi violenter & tanquam ex abrupto aliquid iniectum ſibi repentè eſt: præq; rabie ac ſubitæ rei indignatione (rationis munere aliquantiſper fœde deiecto) immanis inſanit more vrſæ, cui dulces ſunt catuli erepti. Quæ doloris magnitudine plus ſolito ſęuiens, furoreq; iam percita, lucum, ſaltus, ſyluãq; pererrat: prærupta ſaxa, auiaq; loca oculis hinc indè furibunda luſtrat: ac ſiquem fortè eſt nacta, vnguibus laniat: diſcerptiq; immaniter comeſt pectora. Haud ſecus nimirum indignæ rei ſubito ſpectaculo (cum tempeſtiue colligendi ſui ſpatium nullum datum eſt) humani ſolẽt ſenſus obruteſcere: & ab ipſius cũcta probe regentis intellectus norma atq; pręſcripto, præcipites agi. Deinde vero tanquam ex alto quodam, quo oppreſsi fuerant, ſomno exciti atq; expergefacti: ad ſaluberrimam medicinam rationem, commotioris temperatricem affectus, totiuſq; humani boni pulcherrimam largitricem: animi vltro iam pœnitentis fores alacriter adaperiunt: ſeq; ei tractandos placidè atq; obſequenter committunt. Pro certo habẽtes, facile noxiam omnem affectionem ſedatũ iri: ſi ei ſe obſequentes morigeroſque præbuerint. Quo circa magnæ eſt artis, tempeſtiueq; prudentiæ, eiuſcemodi mentis deliquio, naturæq; naufragijs opportunè conſulere: labantemq; rationem intellectus præſidijs firmare, ac veluti communire. Ne, ſi neglecta tãto in periculo ſit, tranſuerſa poſſit ab affectibus agi. Ægrè nanq; reſilienti, iamq; planè ſręnos mordenti, medebere. Quæ pacanda ſtatim omnino fuit: cum inire fugam, defectionemq; moliri in animum induxerat. Si tamen animum is eſt habere cenſendus, qui pręrationis inopia ſuę non potuit menti moderari, ac tanto ſubuenire diſcrimini.

Cvm igitvr dubium non ſit, quin omnis ſubitus rerum euentus perturbationem quampiam ingeneret: quod minus queat ratione capta fręnari: planè & illud relinqui videtur, nihil exiſtimari Fortunæ vel proſperitate inamœnius. Cum enim ea alioqui ſit nihil minus ſtabile: nihil tamen mentem noſtram vel inuadit acrius, vel profectò lædit acutius: alacritate ſibi ipſa interim excidente. Quæ ſpatio aliquo temporis tãquam ad reſpirandum dato, dum deliberat, indiget. Cum nihil è rebus omnibus ſubita improuiſaq; mutatione ac nobilitate, quam Fortuna, magis gaudeat: nihilq; ſit hac vna minus pacificum, tranquillum atq; quietũ. Quod eleganter nimium Poeta ille non inſubtilis verſibus his expreſsit.

Paſsibus ambiguis Fortuna volubilis errat,
Et manet in nullo certa, tenaxq; loco.
Sed modo læta manet: vultus modo ſumit acerbos,
Et tantum conſtans in leuitate ſua eſt.

Vnde & liquere ſimul arbitror, quam eius diuturna ſint certamina, quam cõſtans & ſtabile munus. Cum tam celeri rota, illius res cunctę ferantur: vtque modo supernè eminere viſæ ſunt, iam infernè deiectæ, ſubito diffugiãt: èq; oculis noſtris dicto ocyus

eua-

euaneſcant. Nam horribiliora multo ab ea eſſe illata vulnera, quam quę ſecum affert commoda ſuauia: id quidem puto perſpicuum à me eſſe iam factum.

SED QVIS tam eſt ingenij hebes, humanitatis immemor, rationis expers: & à doctorum hominum ſententia alienus: vt à Fortuna, qua nihil eſſe leuius atq; inſtabilius, ac ne abiectius quidem quicquam compertum eſt, beatum vereq; fœlicem hominem poſſe effici, inducat animum? Tamq; falſo, temere, abſurde atq; adeo impie, tale quidpiam ab ea poſſe fieri, opinari auſit? Neque enim beare eius eſt, qui parum ipſe ſit beatus: neq; conſtans aliquid tribuere qui nihil habeat ſtabile & firmum. Neq; tam ſtulte arbitrari, fœlicem ei reddere quemquam facile eſſe, conuenit: qui tam à vera, ſolida & germana fœlicitatis abeſt imagine: vt omnia potius quam eam videatur poſſe aſſequi. Quaſi vero iacentis ſit alios erigere, docere ignorantis: conſulere ve alijs is poſſit recte, qui ipſe ſit parum prouidus, gerendiſq; ſemper in rebus temerarius & cæcus, ac prorſus infœlix & amens? Quod ſi ea, quę vulgo increbuit, opinione ductus: beatū eum libeat fingere, qui diuitijs plurimis abundat & affluit: cum hęc fortunę munera eſſe haud ita inficiemur: nil veto, quin vulgaris huius beatitudinis effectricem Fortunam autumes. Sed quam hi à germana illa verę fœlicitatis, non effigie ſolum ſed vel vmbra abſint, declarat profecto Publij mimographi notus ille verſiculus.

Plus eſt ſolicitus, magis beatus.

Hi nempe beati illi Fortunę ſunt, qui tanta ſunt animi ſolicitudine affecti: tot tantiſq; caſibus obnoxij, vt nihil ſit ſapienti magis optandum, quam ne eum aliquādo beatitudinis gradum poſſit adipiſci. Quid dixi adipiſci? Imo, ne in eum imprudens ignoranſq; incidat, ſolicito ſibi ſit vſq; quaque animo verendum. Qualis igitur eſt fœlicitatis & beatitudinis illa forma exiſtimanda, quę tam eſt ſemper prudenti homini vitanda, tamq; accuratè fugienda? Cum alijs in rebus vt honeſtæ rei fructu & gloria fruaris (quia iuxta Socratis ſapientis ſententiā pulchra omnia difficilia ſunt) ſolerti ſemper animo ſit enitendum, curaq; non mediocri elaborandum. Alioqui fruſtra laudis cupiditate tāgatur, qui à præclaro facinore obeūdo laboris deterretur magnitudine. Aut ipſius rei difficultate victus: per ſummum ocium deſidiamq; indecorem, e uaſurum ſe tamen pręſtantem virum amenter ſperat. Non enim ſine diſcrimine magno præſtari magna poſſunt. Verum etenim Heſiodium: illud eſt, ante virtutem ſudorem Dij poſuere immortales. Quod ne illi quidem apud Comicum fuit incognitum, qui ait: Non fit ſine periculo facinus magnum & commorabile. Vnde & naturæ iure illud tacite videtur eſſe præſcriptum: vt nulli ſit ad virtutis apicem fas conſcēdere: qui non prius honeſtis cum laboribus diu ac multum fuerit colluctatus. Quod pudici vatis nobis carmina indicant. Sic enim ait.

Non niſi per magnos ad premia magna labores
Itur, at ignauis gloria nulla datur.

Cui non incelebris Poeta Sanazarus concinit, inquiens,

Sed niſi per magnos quæratur fama labores
Omnis in accenſos eſt abitura rogos.

Quo in loco quid aliud ſignificaſſe Sanazarum credendum eſt, quam virtutis acquiſitionem ſummę ſemper homini eſſe difficilem: atq; ideo ſtrenui alacritate pectoris accurate nobis illam eſſe parandam, & induſtria clara animi retinendam. Neq; enim vlla in re honeſti nominis ac veræ laudis ſita eſſe celebritas poteſt: ſi hanc vnam de hominū vita dempſeris. Verum quippe decus in virtute poſitum eſt. Cuius tam eſt dulcis & iucunda poſſeſſio, vt eius amore paranda, ſollicitudines nullę, nulli viro bono labores, nullę Herculis erumnę, quin conſtāter propoſitum vrgeat, cœptoq; perſiſtat, impedimento eſſe omnino poſſint. Itaq; ad capeſſendum honeſtum laborem, qui elatione animi valent, difficultatum immemores, periculorumq; obliti, ſe iam vltro mutuoque hortantur dicentes.

I, bone quo virtus tua te vocat, I pede fauſto
Grandia laturus meritorum premia. quid ſtas?

Qua illi exhortatione incenſi, leuia omnia facilia q; arbitrantur. Quid enim difficile dicat amanti? Cum nihil tam ſit humanis in rebus efficax, vel ad conſequendum ea, quę aſſequi poſſe diffidas, atq; amoris vinculum? Quo, tanquam trabali quodam clauo confixa diuina humanaq; omnia miro quodam interſe amicitiæ fœdere conſtricta tenentur. Quocirca, is vel plurimum in virtute profecto neceſſe eſt, qui eam ipſam vehemēter amarit. Cum præſertim tantam vim eius eſſe appareat, vt facile quęuis expugnet, ad ſeq; leniter attrahat.

IAM VERO cum hęc ita ſe habeant, ſapiētiſque ambiræ Fortunæ plurimum muneribus abhorreat, atq; eius cauſa nihil geſtiat ſubire diſcriminis: ſeque potius quantum poſſit

poſsit ab ea ſegreget, ſeiungat & abſtrahat: tractari qui poteſt, an Fortunæ muoere beatus ac fœlix quiſquam poſsit effici? Cum præſertim ad eiuſcemodi rerum ſpem, præſentis huius vitę vel maximis ooglectis cómodis, laboribuſq; poſthabitis, miro quodam amore optimi quiq; conuolét: nullaq; poſsint in fœlicitate vera animi, & beatitudioe perſequenda, vel deterreri formidine, vel retardari moleſtia. Qui certè vi nulla, nulloq; timore dimoueri ab ea poſſent: ſi hęc quę bonorum omnium longè maxima ac prę ſtaotiſsima ſunt, & io conditione tantum humana poſita, rationem noſtri animi dignitatemq; perficiunt, prę ſtare Fortunam poſſe, io animum inducerent. Quin potius quanto cæteris acumine mentis præuolát, tanto acrius ad fructuoſum eius ipſius aucupium niterentur. Sed nimirum perſuaſum habent temeritati cęcę ſortis, quam Fortunam appellant, nihil eſſe poſſe cum beatitudine vera animi, vel ſœlicitate commune, flaccidum caducumq; eſſe ſortuoæ fauoré, fulgorem fallacem & ſubdolum, ac parum ſtabilem gloriam. Virtutis contra munera cuncta vera eſſe, conſtantia & ſolida: poſſeſſionemque illius labeſactari nullo, vel eripi caſu poſſe: Syncerum eius, conſtantemque omnem eſſe nitorem, immortalem gloriam & quę hominibus pollicetur, premia ſempiterna. Quę profecto perſuatio ad honeſta anhelantem haud dubiè plurimú iuuat: cú ſit exploratum exhibitę à nobis induſtriæ, laboriſq; inſumpti fructum, immortalem fore: aboleriq; poſſe nunquam prudenter ſanè. Quis enim tam ſpecioſis côditionibus inuitatus ab ſtudio verę laudis, vel virtutis officio deſciſcat? Nullus ſiquidem temporis tractus tam eſſe longus poteſt qui obliuionem inducere, tenebras ve offundere rectè factis poſsit. Increſcit imò quotidie eiuſmodi rerum gloria, die vſq; vireſcens. Adeo ſemper, quę cum virtute coniuncta ſunt, pullulant, vetuſtateq; ipſa floreſcunt! Ita pulcherrima ſpe dulciſsimi premij propoſita, generoſo animo qui ſunt prędici vigilaoter ac ſedulo huiuſmodi rei, factiq; occaſionem quotidie aucupantur. Iamq; oon exponunt ſolum ſed etiam (ſi id rem poſtulare cernunt) honeſtis ſe periculis vltro paſsimq; obiectant, oil veriti mortem, quam egregij facti conſequitur æternitas.

CONSENTANEVM ergo rationi non eſt, defecturos bonos à Fortuna fuiſſe, inque eius cladem coniuraturos: ſi vel ſcintillam (quod aiunt) veræ ac ſolidę laudis ex eius poſſe foote deduci, eſſent odorati. Cú vero nihil ab ea tale proficiſci poſſe cognoſcant, imò vel maximè eam contra obeſſe ipſius auidè veſtigia ſectáti; iure profecto optimo in eius excidium conſpirauerunt, cuius indulgentia fallaci, fauore noxio, illecebra infida, à tranquillo vitę ſtatu deturbatos, in anxietates & miſerias protrudi homines ſolere videbant. Quæ vitę conditio grauis ſemper homini, moleſtaq; eſt: & à beatitudinis inexhauſta illa aſsiduaq; dulcedioe, qua qui verè ſelices putátur prędıti ſunt, perpetuo ſruuotur, quam maximè alieoa. Cuius nihil tam eſt proprium, quam infeſtantium calamitatum certa ſecuritas: pax, ociú, quies & rerum omnium ſumma tranquillitas: & in vitę ſtatu tali incúctabilis, & ioconcuſſa permanſio. Hic enim ſtatus eorum eſſe comes ſolet, qui verè ſuot beati atq; fœlices. Quem neq; leuis prę ſtare Fortuna poteſt: neq; malefida eius gaudia oorunt. Quibus, vt inſtabilius nihil eſt, ita oe imbecillius quidem quicquam. Vnde hic in eam iactari eſt verſiculus non illępidè cœptus.

Fortuna vitrea eſt, quæ cum ſplendet: frangitur.

Cuius ergo tam leuiter omnia frangútur, tamq; imbecilliter graudia contaminantur: amens ſim, ſi eum beatum eſſe confitear. Quio veteres potius ſapienteſq; illos viros plurimum laudabo, qui huius nominis laude mortalium neminem inſigniri poſſe putauerút, anteaquá fato ſœliciter functus, ex hac tandem vita migraſſet: obuerſarios rerú euentus veriti, & quod plurima ſint humanis bonis incommoda, malaq; admixta: quę lęta iucundaq; nimium io pręſentia ſint, io mœrorem ſępe atq; triſtitiam ſolere côuerti, recordati. Ex quo Thebanus ille Epaminundas iure laudatur: cum enim quidam ab eo aliquádo quęſiſſet Chabriamne, an Iphicratem, an ſe meliorem belli ducem eſſe crederet, difficile id in vita eſſe iudicare reſpondit. Cui & comicus ille Menander adſtipulatur, cum ait,

Non eſt qui viuus gloriari poſsit.

Quid Cornelius Gallus, bonus & ipſe Poëta, quem eſt fœlicem arbitratus? Népe illú, cui leniter ac placidè ſpatio vitę decurſo, ſœliciter oaturę ſpiritum reddere contigit. Ait nanq;.

Fœlix, qui potuit tranquillam ducere vitam:
Et lætos ſtabili claudere fine dies.

Quam obrem non quidem temerè Seuerinus Boethius Fortunæ telis afflictus, & ab inimicis in carcere poſitus, leuitatis eos inſimulat, qui ſe aliquando ſœlicem appellauerant,

uerant,

uerant, ita enim loquitur.

Quid me fœlicem toties iactatis amici?
Qui cecidit, ſtabili non erat ille gradu.

Non enim quę mutari, labefactarive poteſt, appellanda fœlicitas eſt. Rectè profecto Lacon ille, ei qui Lampem Æginetam beatum atq; fœlicem prædicaret, quod diuitias ingentes, ac plurima haberet nauigia. Nihil ſe morari, dixit, è funibus pendentem hominis fœlicitatem. Significans interim, quæ naufragio perire, incendio conſumi, latronum, hoſtiumve incurſu eripi, ruinâ proſterni, cęteriſq; id genus caſibus perdi & amitti poſsint: bona aut fœlicia non eſſe exiſtimanda. Quando, quod vere bonum, fœlix, beatumq; ſit, nullo caſu aboleri, nullâ iniuria vel humana vi ab homine queat abſtrahi: ſed vti anima ipſa, immortale ſit: ac nobiſcum perpetuo maneat. Quod in hac mortali & miſera vita: in qua (vt Flaccus ait) nil eſt ab omni parte beatum: fieri non poſſe, reor, vt alicui plenè & verè cótingat. Quocirca Valerij illud ſcitiſsimum eſt, quò cenſuit: fœlicitatis humanę opinionem rogo conſummari. Haud eos planè fœlices ratus, qui adhuc ſupereſſent. Propterea quod infœlicitatis nebula obduci: vel triſti & amaro rerum exitu obſcurari quandoq; ſoleát: quæ conſtantis fœlicitatis ſpeciem prę ſe nó ſemel tuliſſent. Itaq; ſapienter feciſſe dicitur poeta ille Simonides. Nam cum rex Spartę Pauſanias ob res fœliciter & proſperè geſtas futiliter obſtupeſceret, ac pręter modú gloriaretur: ad eumq; ſubinde conuerſus, vt ſibi aliquid ſapienter pręciperet, imperaret. Hic Simonidem, ſuperbiam viri non ferendam conſpicatum: Ne ſe hominem eſſe obliuiſceretur, aiunt reſpondiſſe. Quo ille tam inſigni dicto, communis hominum ſortis inſolentia tumidum admonere rectiſsimè eſt viſus: vt intelligeret maximarum rerum momenta euerti interdú ſubito ſolere: exiſtimatamq; facile fœlicitatem corrumpi. Quod quam ſit verum intellexit tádem, cú proditionis damnatus lateritio obice interclusus, vitę omni de medio repentè ſublato pręſidio, Tenaro in monte fame conſumebatur.

SED Ô IMMORTALEM DEVM! Non enim vtij, qui in ſcena agunt, cum veſte vocem & inceſſum mutant, ſeque perſonæ adaptát: ita & vir bonus humanæ ſortis oblitus, proſpero rerum ſucceſſu elatus mutabit ingenium: ſed ſuos ſemper mores retinebit, conſtantiamq; ſeruabit: nec committet vnquam, vt fœlicitate aliqua eſſe corruptus videatur: Fortunæ vſq; permenſus animo leuitatem. At quantum ab illa Pauſaniæ arrogantia, Epaminundæ hæc modeſtia diſsimilis! Qui, cum omnium à ſe ſtrenue fortiterq; geſtorum vnum illud longè ſibi ſuauiſsimú & dulciſsimum eſſe diceret: quod ſaluis adhuc viuiſq; parentibus apud Leuctra Lacedęmonios acie ac pręlio fudiſſet: tamen poſtridie illius pugnę ſordidatus ac lugubris, ſqualidus ac triſti multum ſimilis proceſsit in publicum: cum alioqui eiuſmodi tempore hilaris, exporrectaq; fronte, ſe exhibere eſſet ſolitus. Vnde, facti nouitaté amicis demirantibus, & an ei aliquid triſte accidiſſet rogantibus: nihil ſibi tale accidiſſe reſpondit. Sed heri (inquit) animo me fuiſſe, quam par ſit, elatiore perſpexi: itaque hodierno mœrore ſumendas mihi pœnas duxi, de heſterni gaudij intemperantia. Intelligebat, opinor, nefas eſſe tam immoderatè quemquam gloria efferri, vt ſui immemor ſit: quò fœlix eſſe credatur. Sapienter itaq; à maioribus illud eſt dictum: Nulla ſit tanta fœlicitas, vt tibi plus, quam oportet, placeas. Imò hoc ſemper pectore ſit atq; animo ſitum; fœlicitatis gloriam diuturnam eſſe non poſſe, quam ſuperbię tabifica aura inficit. Corruit enim, facileq; corrúpitur, ſi in huius contagia incidit. Quod cum ita ſe habeat: temerè ſuperbire, ac fœlicé te antea velle dici, quam id vere ſis (morte obita) nactus: extremę proculdubio dementiæ eſt.

. . . *Scilicet vltima ſemper*
Expectanda dies homini eſt: diciq; beatus
Ante obitum nemo, ſupremaq; funera debet.

Hoc nimirum eſt, verè beatum eſſe, miſer cum amplius eſſe non poſsis, beatitudinis ſemel per honeſtatem atq; iuſtitiam firmiter apprehenſo gradu. Alioqui, quis eum ſanus beati nomine cénſuerit, qui tam ancipiti, & lubrico etiá cum ſecurus maximè videtur, vitę eſt poſitus loco: vt ne horę quidem fœlicitatem tutò ſibi poſsit polliceri. Quamobrem Virgilianum illud humanarú rerum oblitis, nimiumque tumidis vtiliſsimum eſt:

Viuite fœlices, quibus eſt Fortuna peracta
Iam ſua.

Fallaci nimirum humanarum rerum alea iam exemptos, verę fœlicitatis honore affici poſſe non neſcius. Vndę eſt effectum, vt Solonis illud ſapientis elogium miris vbique laudum encomijs poſteritatis non indigna memoria paſsim celebretur. Cum enim ab eo ditiſsimus ille Lydię rex Crœſſus ecqué fœlicem cenſeret, eſſet ſciſcitatus: tunc ſapien-

pien=

pientem illum virum reſpondiſſe ferunt: videri ſibi Telenum fœliciſsimum, cui pro patriæ ſalute egregiè ac fortiter dimicāti haud ita pridem ſpecioſa contigerat morte occumbere. Cumq; deinde ſubiungeret, haberet ne alium quem eodem in loco poneret: dixiſſe aiunt, Aglaum: qui modicis agri contentus finibus, ſorteq; ſua fœlix vitam cum morte commutauerat. Tunc ridibundum inclamaſſe regem, Quo me (inquit) loco conſtituis Solon, qui vno omnium ore beatus quotidie nuncupor? Hîc Solonem, ſuum dicunt enunciaſſe oraculum: vitæq; prius eſſe expectandum exitum, conſtanter aſſeruiſſe. Quam hiſtoriam ex Græco authore Herodoto nō illepidè Burdegalenſis Auſonius mutuatus in ſapientum ludo ad hūc modum carminibus doctis effinxit.

Rex an tyrannus Lydiæ Crœſus fuit:
Is diues, & beatus inſanum in modum,
Lateribus aureis templi qui diuis dabat.
Is me euocauit, venio, dicto obediens
Meliore vt vti rege poſsint Lydij.
Rogat beatum prodam ſi quem nouerim:
Telens dico, ciuem non ignobilem,
Pro patria pugnans iſte vitam obiecerat:
Deſpexit, alium quærit, inueni Aglaum
Fines qui agelli proprij nunquam exceſſerat.
At, quo ille ridens, deinde me ponis loco,
Beatus orbe toto qui ſolus vocor?
Expectandum dico terminum vitæ prius,
Tunc iudicandum: ſi manet fœlicitas.
Dictum moleſtè Crœſus accepit, egoq;
Relinquo regem, bellum ille in Perſas parat:
Profectus, & deuictus regi deditus.
At ille captus, funeris ipſe inſtar ſui.
Quia flamma totum ſe per ambitum dabat,
Voluens in altum fumidos aër globos.
At penè ſerò Crœſus ingenti ſono:
O vere vates (inquit) ô Solon Solon!
Clamore magno ter Solonem nuncupat.
Qua voce Cyrus motus extingui iubet,
Gyrum per omnem & deſtrui ardentem pyram.
Et commodum profuſus imber nubibus
Repreſsit ignem. Crœſus ad regem ilico
Miniſtrorum per, ducitur, lectam manum:
Interrogatus quæ in Solonem diceret,
Et quam ciendi cauſam haberet nominis:
Seriem per omnem cuncta regi ediſſerit.
Miratur ille: vimq; Fortunæ videns,
Laudat Solonem, Crœſum in amicis habet,

Ita vna ex re & ſeruatus Crœſus, & Cyrus prudentior effectus, Soloniſq; inſuper diuina animi cognita ſapientia eſt. Intelligi & illud pariter cœptum: beatorum fœliciūq; virorum albo aſcribi non poſſe quēpiam: cuius adhuc ſors labefactari poſsit, & conditio vitę ampla ſubuerti. Quapropter iure Ageſilaus ille Spartiates eſt perhibendus. Is enim cum Perſarum regem impenſè hoc nomine à quodam laudari intellexiſſet, quo florés acditiſsimus eſſet: At quî (inquit) ô homo, ne id quidem ętatis agens infœlix erat Priamus. Significans ſtultè eum prædicatione ſummę laudis affici, qui in ea poſſet mala incurrere, in quę Priamus diu viuendo incidit.

SI ERGO anteaquam Fati munus rectè quis obierit, belleq; ſit vita defunctus, dicēdus fœlix non eſt: quia ſępe fit, vt ſplendentium rerum mendax ille fucus ſubitò dilabatur ac repente diffugiat: meritò & illud eſt exiſtimandum, beatæ fœliciſq; vitæ effectricem, Fortunam eſſe non poſſe: cum nihil ea ſit leuius, inconſtantius, nihil mutabilius: nihil perpetuitati magis inimicum: nihil quod ęque viciſsitudine gaudeat: fieriq; idcirco non poſsit, vt in extremū vſq; tēpus ętatis (quò in ipſo fœlicitas hominis cenſenda eſt) comitetur quem blandè ad tēpus fouere cœpit: ſed ingenij memor ſui plerunq; deſerat, prodat, & perfidè fallat. Quo ſanè nomine iniuria quemquam afficere putanda non eſt, cum ſuos ſemper mores exactiſsimè ſeruet: nec eſſe vnquam deſierit, quæ ſemel ſit habita, nempe (vt pulchrè cecinit Maro)

Inconſtans, fragilis, perfida, lubrica.

Quæ igitur eſt amentia, quod ſolidum perpetuumq; ſit, homini ab ea dari poſſe arbitrari: quæ nihil ipſa in ſe quietum, ſtabile, tranquillumq; habeat? Quidve eſt putandū ſtultius, quam de eius vbi lęſus ſis improbitate mutabilitateq; queri: cuius natura inſtabilis ſit ſemper & varia, ac nouitatis amica? Nanq; cuius omnis in leuitate ſita conſtantia eſt, tunc conſtat, cum vertitur. Alioqui, ne dici quidem Fortuna poſſet, vbi ſtare ſemel inciperet. Licet ergo conſtantiam aliquando ſimulet: ad extremum tamen fallat neceſſe eſt. Verum etenim Publianum illud eſt.

Cito ad naturam ficta redierint ſuam.

At vero, ſimulata omnia vitioſa eſſe, quis ignorat? Quod ergo vitioſum eſt, id ſtabile diuturnumq; eſſe non poſſe, cui eſt incognitum? Quæ cum ita ſint, iure relinquitur, vt ſtulta ac væſana illorum ſit opinio cēſenda: qui cæco quodam & peſtilenti errore inuoluti, Fortunę munere fœlicem hominem poſſe effici, dementiſsimè arbitrantur. NIC. Obita à te hactenus pręclare ꝓuincia eſt mi

Phile-

Philemō. Ac, quam me lenis ille & placidus orationis tuæ curſus delectarit tacentem, facile arbitror, ex vultu, meoq́ue ſilentio potuiſſe cognoſci. Nam licet me quidem non præteribat, rogantem an præſtaret hominem Fortuna beatum: id ab ea nullo pacto effici poſſe, quæ tam eſſet leuis & varia, ac in muneribus ſuis diſſeminandis cæca: ſuaue tamen, dulce ſuit, iucundum & optatum: eorum à te voluntati mea cauſa ſuiſſe ſatis factum: qui ex ethnicorum monumentis quadam veluti ſuperſtitione hauſta: ei prorſus aſſentiri opinioni non audebam, quæ à te eſt pulcherrimè declarata. Nam ex illorum fonte hæc ſentio omnia emanaſſe: qui nullo non loco ac tempore huius & vim admirari: & numen ſuſpicere religioſiſsimè ſolebant: ei ferentes accepta, quæ ſibi proſpera ac læta aliquando contigiſſent. Vnde hæc iam tam longius ſerpere cœpta, quæ doctè ipſe ſupra confutaſti, ac quadam veluti falce reſcidiſti. Quæ tametſi bonis doctiſq́ue viris prorſus non ſunt incognita: imperito tamen rudiq́ue vulgo iſta partim penitus inhæſerunt, vt pauci adeo ſint, qui non multa de Fortuna ſtultè blaterent: èq́ue ſuarum actionū curſu pleraq; ei aſsignent: fortunatos alios, alios ſecus iudicantes: illos ad earum adminiſtrationem vel premijs inuitantes: horum induſtriam in ignauiam: illorum vel oſcitantiam atque deſidiam verſum iri in ſolertiam, diligentiamq́ue fortunatam. Quemadmodum de egregio duce Theopompo narrant annales veterum. Cui dormienti ab inuidis ſua ſponte in naſſam ingredientes vrbes fuere depictæ. Quorum pictura eò pertinebat, vt innuerent, Theopompū ipſum nulla animi inſigni virtute: ſed Fortunæ beneficio clarum virum eſſe factum. Quaſi vero, ſi qua omnino Fortuna eſt, humana queat eſſe potior induſtria: ſitq́ue caſus re in aliqua, vera animi virtute præſtantior?

Vervm, ne aliqva ex parte diſputationis ſummæ deſuiſſe videare mi Philemon (quando ita natura comparatum eſt, vt nihil videatur omnino actum, dum aliquid agendum ſupereſt: idq́ue omni in re perfectum eſſe cenſeatur, quod ex omnibus ſuis, perinde ac numeris quibuſdam, partibus conſtat) diſſerendi ordo iam efflagitat, vt eam quoq́ue orationis partem attingas, qua, an eſſe vllam Fortunam duceres, nos quoq́ue quæſiuimus. Eſſe nanq́ue quoſdam, benè ſi memini, commemorauimus: qui, cum intrepidè aſſererent, decernerentq́ue conſtanter, Deam hanc haberi non poſſe, dubitabant tamen an eſſe vlla omnino poſſet. Qui, quia fluctuanti ſunt ſimiles: orationis tuæ fructu non ſunt atq́ue emolumento fraudandi: quò poſsint ſalui enatare. Alioqui periculum eſt, ne ſi deſerti ſint, fluctibus obruantur. Quando eorum quoq́ue non rarus nec infrequens eſt numerus, qui hoc iam diu ſaxum voluunt: opinionis ſemper conſtantis refugi. Qui propter inopinatos incertoſq́ue rerum euentus miſerè nimium atq; anxie, animi quotidiè pendent. Cui te morbo Dei optimi Maximi benignitate, talem hodie futurum ſpero, qualem Sphyngi OEdipum, Chymeræ Bellerophontem, Lærnæoq́ue monſtro fuiſſe Herculem accepimus. PHIL. Viſa mihi tua dulcior nectareo omni ſucco Nicete mi eſt oratio: diuinaq; illa ambroſia ſuauior, qua veſci ſolitos Diuos, poëtarum princeps Homerus canit. Qua in ipſa prętefers, id tibi ſemper ſtare acſedere ſententię: quod mihi iam ante animo eſt conſtitutum. Quæ profecto res ad augendū meum in te amorem, apud me quidem valet plurimum: arctiſsimoq́ue nodo (quam mihi tecum communem & mutuam eſſe autumo) beneuolentiam conſtringit. Sed cur non liget atque conſtringat? Cum ad ſtabiliendam firmandamque amicitiam haud ſit leue telum, ſtudij idem voluntatiſque propoſitum. Quod ſi (vt apud hiſtoricum Saluſtium Catilina dicebat) Idem velle atq́ue idem nolle: ea demum firma amicitia eſt: cui ego addendum puto, modo id quod velis ſcelere ſpurcitiaq́ue vacet (vt conſtet illa, quæ niſi inter bonos eſſe non poteſt amicitia) certè nobis nihil debet eſſe copulatius, nihil veri amoris, germanęq́ue amicitiæ vinculo obſtrictius. Itaque iam nunc tibi polliceor atq́ue recipio: tuū iſtum in me amorem atq; animum religioſè me eſſe ſemper, ſancteq́ue ſeruaturum. Cæterum vſq́ue adeo tu fuiſſe me putabas amentem, qui te tam benè noſſem: vt pacto vllo adduci poſſem, vt crederem: vocare te in dubium, an beare hominem Fortuna poſſet. Cum ex illorum ſis grege, qui elato nimis animo huius munera deſpectui habent, & animoſe ſemper ac fortiter contemnunt: ſapienterq́ue pręcipiunt, virum præſtantem nihil commoueri oportere ex huius iniquitate. Non ego mi Nicete tam de me magnificè & ſuperbè, ſentire ſoleo, vt quod ipſe planè videam, idem putem alios effugere poſſe: tam ve mihi temere blandior, vt haberi id eximi-

um poſtulem : quod à me ſit exploratum. Teq; hoc(qui apud me ſemper tanti ſis) vel potuiſſe quidem præuidere : impudenter admodum ambitioſeque diffitear. Quod cum mihi perſuaſum ſit, tibi dubium eſſe non debet. Ad eam igitur partem iam accingar, quam mihi dicis vnicam modo reſtare. Et quando ex ethnicorum fonte (id quod res ipſa habet, hauſtam hanc arbitraris ſuperſtitionem : æquum nimirum fuerit, ipſorum vndis temperatū aliquod miſcete poculum: quod ceu pręſentaneum quoddam antidotum contracti morbi mitigare aſperitatem poſſit, vel lenire ſæuitiam, illorum hac in parte, & ſolertiam, & induſtriam imitati, qui ab ſcorpijs icti:ab ijſdem petere remedium ſolent. Nulla enim ſanitas eſt iucundior, nulla curatio dulcior, atq; ea, quę illati à ſe vulneris præſens eſt, ſalutariſq; medicina : & doloris lenimentum. Quo circa ex ijs, quæ literarum monumentis ab illis nobis ſunt eleganter prodita, futurum facile ſpero, vt quos mali tanti authores duxeris: eoſdem rurſus medicos non contemnendos fuiſſe experiare.

Qvoniam autem, vt iam tandem reſpondeam, nullam omnino Fortunam eſſe mihi quidem magis placet, operæpretium eſſe arbitratus ſum : eorum hîc decreta atq; ſententias ſubtexere, quorum maximè patrocinijs Fortuna ipſa (quæ dicitur) videtur fuiſſe defenſa. Eaque illorum poſtea exemplis, authoritate & iudicijs eneruare atque ſubuertere, qui apud eos non ſaniores tantum, ſed & meliores multò viri, doctioreſq; ſunt crediti. Simul & eorum palynodiam appendere : quos(dum Fortunam laudant) cognito errore, ꝑpoſiti ſui pœnituit. Quid ais inſane? Fortunam eſſe prędicas:neq; hoc contentus, maiorum opinione corruptus, templis honeſtas, atque eius ſimulacrum cum copia gubernaculoque effingis: amenteтq; tibi illud perſuades, hanc eſſe quę omnia fortunet : inque mortali omni negotio primas ſibi vendicet. Stultaque pictura deceptus, rerum omnium clauum ab ea tractari putas : illiuſque ductu magis quam conſilio atque ratione regi cuncta adminiſtrarique deliberas. At qui, ſi hoc ita eſt, ne eſſe quidem quicquam vel infœlicius, vel calamitoſius homine facile conuiceris. Iam que Homericum illud, cuius iam à principio mentio nobis facta eſt, haud difficulter perſuaſeris : omnium quę ſuper terram ſpirant, ipſiuſq; almo fruuntur munere, vnum hominem longè eſſe miſerrimum. Illudque protinus negotio nullo probabis: quod captum Midæ dixiſſe Sylenum perhibent. Optimum, videlicet, homini eſſe non naſci:aut certè quam ocyſsimè aboleri.

Atqvam haec non impiè ſolum, ſed etiam abſurdè collegeris vide! Nam ſi mortalia cuncta cæco quodam Fortunæ feruntur impetu : nihilque in eiſdem nec rationi neque conſilio eſt loci : quorum attinet vigilantia animi tanta, iuſtitiæ & honeſtati aſsiduè vitam impendere? Viroſque illos admirari, qui harum rerum cauſa vel duriſsimos labores perpeti non ſunt veriti: eoſque perinde ac certiſsimam quandam atque optimam vitæ regulam illis paſsim obijcere & ob oculos ponere : ad quam ſe applicent ac veluti effingant, qui virtutis volunt ſtudioſi, alumnique cenſeri? Qui enim ſectari eorum veſtigia poterunt, ſi aliò cunctipotens illa Fortuna, actionum fila conuerterit : certum quippe eſt, fruſtra quempiam poſſe reniti, cum ea inuita, ne iudicij quidem libertati loci aliquid relictum iri conceſſeris? Quod ſi verum eſt, quid actionis humanæ liberum agit arbitrium? quid recta homini ſuadens atq; pręſcribens, mens? Quo ſe ratio intellectuſque miſeri vertent? Qui certo, omnia vitæ noſtrę conſilia, iudicio librantes: virtutis fabricam architectantur? Ad eiuſq; ipſius libram examinantes & expendentes cuncta : quæ obliqua ſunt & inflexa emēdant ac dirigūt, libellæq; ſubduntur & ad veram illam germa namq; Amuſsim expendunt, caſtigantque? Nempe aut fugiant oportet : aut eius ſe nutui voluntatiq; adaptent neceſſe eſt : ne inuitè ac reluctanter, quò illa iuſſerit, obtorto (quod aiunt) collo : cogantur pertrahi. Sed quam miſer, quā luctuoſus rationis famulatus, ancillantis ſeruientiſque Fortunæ! Iam vero huiuſmodi vitæ pædagogis deſtitutum hominem (cæcaq; illi Fortuna præeunte) & tamquam duce vadum tentante: quis eum euaſurum putet incolumé? Aut, quæ recta ſunt vllo eſſe modo conſideraturum? Cum alieno mancipatus, ſui iam non ſit arbitrij? Ac ne ſi velit quidē facere aliud poſſit, quam quod ab ea ſibi viderit eſſe præſcriptum?

Certe si fortvnae ſemper parendum eſt, & quò illa tendit, pariter eundum : neque ei intercedere homini eſt fas, fruſtra artium ac doctrinarum nobis ſubſidia comparamus : inque eis addiſcendis, quæ à doctiſsimis viris ſapienter ſunt prodita : in caſſum ſolicitudine angimur ac

cura

curaconficimur: & multarũ rerum meditatione iugi attenuamur afflicti. Cum proprię non poſsimus capere fructum induſtriæ: omninoq; liceat homini nihil aſſequi: niſi id ab illa imperatrice ac rerum omnium moderatrice Fortuna, antea ſit conceſſum? Quo quid eſſe poſſet indignius, intolerabilius, abſurdius? Porrò, quid eſſe ſtultius poteſt, quam eos prouidos, circumſpectos, prudenteſq; arbitrari: qui futurę vitę rationem ineuntes, & in poſterum proſpicientes ocio ac tranquillitati conſulunt: futura ſem per cogitatione atque animo præcipientes, & vſque quaque luſtrantes? Deinde quem ad finem ſpectat, degendæ illa ætatis commentatio, parandęque ratio virtutis, tot ſapientum comparata ſudoribus, ac laborioſiſsimis indagationibus adinuenta? Cum nulla ſapientia Fortunæ cœptũ morari poſſit curſum: impedire retardare ve voluntatem? Extremæ proculdubio dementię eſt, incaſſum fatigari, in eoque exerceri, quod nulla induſtria conficere, nulloque poſsis labore conſequi? Quid ergo ijs eſſe amentius atque miſerius poteſt: qui proprij commodi ſalutiſque etiam obliti, dum poſteritatis putant rationem eſſe habendam, tot tantiſque ęrumnis & alioqui non contemnendis moleſtijs ſe exhauſerunt, exantlarunt, planeq; exinanierunt: quò nobis præclaram illam ſapientiæ & virtutis fabricam, conſtruerent: elogiaque prudentiæ relinquerent, vt cautiores multo, melioreſque viri eſſe poſſemus, humanarum rerum imbecillitatem, vitæque certam ac veram antea viam edocti. Stulti & illi fuere, qui Philoſophi ſunt à veteribus appellati: tam illuſtri pręceptorum nomine ſuperbientes, Socratici, Pythagorici, Platonicique dicti. Vel ex ipſo cognomine magnifica omnia & præclara pollicentes. Quis enim neſciat quanta quondam Stoici, Peripatetici, Academicique Philoſophi nominis gloria floruerint? Alijque item plures quorum ſectas varias, diuerſaſque factiones, mores animi & inſtituta vitæ, in ratione optimi deligenda, vel maximè declarant? quibus omnibus promptum, vigenſque adeo fuit ſemper ſtudium: incultos rudeſque hominum animos erudire, & à pernicioſo vitæ cultu ad meliorem frugem reuocare: vitiorum odium, probitatiſque amorem mortalium animis ſenſim ingenerantes; Scholas, litterarumque ludos vbique terrarum accuratè diſſeminantes, vnde humanæ naturæ dignitas, & virtutis ſplendor rectius poſſet intelligi. Deliri etiam & illi artium incłyti magiſtri: Apelles, Protogenes, Thimantes, Echyon, quorum doctiſsimis penicillis tãtum eſt lucis atque ſplendoris pictoriæ arti additum: vt eorum ſit non immerito illuſtre nomen habitum, & laudati diſcipuli. Inſani & illi pręterea, qui tantum ſculptoria fictoriaque in arte profecerunt, Lyſippus, Phidias, Polycletus, Menthor, & Myron: quorum manibus ficta ſigna & elaborata ſimulacra ſumma tanta venierunt, vt is ſatis diues cenſeri poſſet, cui vnius pretium ſolui contigiſſet. Apud quos, qui & ipſi operam nauarunt, non minorem quæſtum fecerunt, quam gloriam ex labore reportarunt. Quibus omnibus, quis neget multo fuiſſe accommodatius dulci ocio conſenuiſſe, & ingloriæ vitę quietam ac iucundam egiſſe ętatem, quam tot ſe laboribus maceraſſe, ſi peritiam artis, quam ſunt adepti mirificam, Fortuna renitente, propoſitoque obſtante: pacto vllo nequirent aſſequi: in irritum ſemper labore cedente, incaſſumque temere ingenij induſtria labante?

At reges (vt iam tandem ad maiora veniamus, Dei optimi Maximi, clariſsimam in terris certiſsimamque effigiem, creare quor ſum attinuit, qui ipſi pro omnibus ſedulo excubantes animo, ciuibus pręeſſent, ac mo rum ſtuderent diſciplinę, terrarumque orbem ab hoſtium incurſu defenderent: deq; communi omnium ſalute valde eſſent ſoliciti? Cur tot: tantæ, tamque variæ leges ſancitę? Quæ omnes illuc tendunt, vt ſine iniuria in pace ac tranquillitate viuatur: omniumque & ocio & incolumitati ſeruiatur. Quę hominum [B] vitas certo quodam vinculo conſtringentes, ſontes ſupplicio afficerent: ex earumq; honeſto & laudabili præſcripto, optimam vitæ auſpicandę normam cogerent capeſſere; rectiq; limitem egredi vbiq; vetarent. Qui enim conuenit, pœnas in eos ſuppliciaq; decernere, ſi omnes omnium voluntates Fortuna [C] complexa eſt: tamq; eius eſt imperium violentũ, vt nemo ei obuiam ire potis ſit, quos Fortunę iniquitas, cõmuniſq; ſortis calamitas, magis quam vitię turpioris propoſitum in flagita deduxerit? Nihil enim tam eſt iniurium, quam eum perinde ac ſontem punire: qui ſuę mẽtis voluntatiſque ſit impos. [D] Cum ſatius multo eſſe iura paſſim præcipiant, abſolui nocentem: quam innocentem condemnari. [E] Qua propter illud cõſultorum decretis ſententijſq; ſemper fuiſſe animaduerſum iuris candidatis non eſt obſcurum vel atrociſsima cri-

B. Arg. tex. in l. 1. ff. de iuſt. & iure, & in l. leges ſacratiſsimæ. C. de legib.

C. L. cum duobus. §. damna ff. pro ſocio. & in. l. quæret aliquis, verſ. ſi. ff. de verbo. ſig. & in. l. ſi. C. de ſicar.

D. L. diuus. ff. de offic. præſi. in princ.

E. L. abſentem. ff. de pœnis. in princip.

crimina committentem inſanum, vitæque authorem interimentẽ ſuę, nulla pœna coerceri. Idq; Diui Marci ac Commodi reſcripto ad Tertylium caueri: poſſe eum arbitrantium do modo pœnę diſsimulare, ſi ſibi liquidò fuiſſet compertum: in eo ſemper Ælium Priſcum furore fuiſſe, vt continua mẽtis alienatione omni intellectu careret: ſuſpicioq; nulla ſubeſſet, matrem ab eo dementię eſſe ſimulatione occiſam.[F] Satis nanque videri ſibi, ſuo eum furore puniri. Quod hominum genus ſi vincula interdum excipiant mirandum non eſt: Cùm non tam ea pœnę ergò, quam tutelę gratia adhiberi eis ſoleant: ne quid ſibi temerè moliantur, aut alijs ſint incautis exitio.[G] Eadem etiam ratione, ęquitateq; ducti, infantes, eoſq; qui naturæ, ętatisve vitio rei geſtæ ſenſum nequiuerunt percipere: vel pudendis nefandiſque criminibus ſummo iure interdũ obnoxios: ipſius ſeueritate eximendos eſſe cẽſuerunt: legiſq; mẽtem ſpectandam potius, quam verbis[H] inhęrẽdum: quibus aſpectu primo irretiri tanquam & inuolui viderentur. Non enim veri eſſe ſimile (cum ſine affectu crimen[I] poſſe contrahi non placeat) eos criminis reos habitum iri, qui nullam haberent criminis committendi voluntatem. Quę nimirum res in falſę monetę crimine, vel maximè cernitur. Nam cum adulterinos nummos clandeſtinis ſceleribus cudentes (addictis ærario bonis) capite plecti perſpicuum ſit, maieſtatiſque reos haberi: impuberes[K] tamen flagitij tanti conſcios: cum nondum per ætatem ſaperent (idcircoq; ne doli quidem eſſe participes poſſent) nihil ex hoc damni pati, nihil detrimenti ſuſtinere: ſapienter mehercules aſsiduè ſanxerunt. Quod & in occiſo homine octauo regularũ libro Modeſtinus quoque probat: Infantem, vel furioſum (ſi abeis homo occiſus ſit) legis[L] Corneliæ non teneri cenſens. Cum innocentia conſilij tueatur alterum: alterum fati excuſet infœlicitas. Quæ omnia eò pertinent, vt intelligas: innoxios, ſupplicijque immunes merito exiſtimandos eſſe, qui impotentis Fortunæ imperio adacti:[M] magis quam criminis cõmittendi, delictique perpetrandi facinoroſa conſcientia ad maleficia cuncta proſiliunt. Non enim in irrogandis pœnis, contra id quod bonum æquumque ſit, cenſeri temerè commiſſa debent: cum ex cauſa quæ ad id impulerit, deſtinationeque animi exaggeranda nunc ſint crimina, ſeueritateque ipſa ſupplicium ingraueſcat: nunc contra delebanda, ac leni quodam benignitatis temperamento minuenda, placidaque ac iuris amica interpretatione mollienda. Cum illud ſemper iudicãti ſit reſpiciendum[N], ne durius quid aut remiſsius conſtituat, quam cauſa depoſcat. Perpenſo namque iudicio, prout quæque res exigit atque poſtulat, ſtatuendum eſt: non ſeueritatis aut clementiæ gloria affectanda. Quæ niſi cognita adhibitaque in iudicando examinatio ſit, non periculoſa ſolum, ſed iniqua omnis deliberatio cenſenda eſt, iniuſtaque ſententia: ipſiſque etiã iudici exitialis[O] quidẽ ac prorſus pernicioſa. Proinde ergo,[P] quo conſilio, qua ratione ac mente ad aliquid agendum motus quiſque ſit, maximè eſt vſquequaque videndum: ac non mediocriter antea examinandum. Neque enim ab[Q] euentu notari facta debẽt caſus[R] ve eſt culpę aſſignandus: niſi in culpâ ipſa negligentia, ſocordia, ignauia atque deſidia, cum effugere vitareque poſſes: videns prudenſque incideris. Non ergo tam eſt factum quærendum, quam cauſa faciendi ſpectanda. Quia conſilium[S], non euentus ſemper crimen conſtituit. Quod ſi ita eſt, quando tam latè patere Fortunæ poteſtatem arbitraris: nihil profectò crimini dari homini poteſt, quod non huius potius culpæ ſit imputandum, & vitio adſcribendum.[T] Voluntas enim contrahendarum omnium rerum vinculum eſt: Quo diſiecto atque diſrupto, cupiditatiſq; fonte arefacto: quicquid ab huiuſmodi fontis veſtigio, & quaſi mortui hominis ſimulacro profectum ſit, vt laudandum non eſt, ita neque probro ducendum, aut culpæ aſsignandum. Quod ſi verum eſt, ne dignũ quidem punitione cenſendum, pręmioue honeſtandum, cum voluntate defecerit: vnde ceu ex fonte rerum omnium ſuboriũtur[V] diſcrimina. Qua & ipſa de medio ſublata, inter honeſtatem ſummamque turpitudinem nihil prorſus intereſſe credendum eſt. Quam occaſionem, ſi iniectam ſibi temerè Pyrronis Academiciq; Philoſophi forte eſſent conſpicati, dum inter diſputandum nihil ab homine percipi poſſe affirmant, mordicuſque defendunt. Quis neget pręgaudio eos geſticulaturos: triumphaturoſque etiam fuiſſe ſedulo. Cum tam ſtultę vanęq; opinionis, tam firmiter, tamq; fideliter iacta eſſe fundamenta cernerent, hominũ ſenſibus ac voluntati ſic imperitante Fortuna. Quis præterea dubitet, Ariſtonem & cum Herillo Pyrrhonem, maximi gaudij ducturos fuiſſe choreas: ſi tam repente,

tamq;

F L. diuus ſep. allegata.

G L. 1. §. vidus, verſ. impuberes. C. de fal. mone.

H L. non dubiũ verſ. ſæuaprę rogatiua verborum. C. de legib:

I L. 1. C. de ſicarij. verſ. crimen enim.

K L. 1. C. de fal. monet.

L L. infans. ff. de ſicar.

M L. 2. verſ. fin. C. de ſicar.

N L. reſpiciendum. ff. de pœnis.

O L. rem nõ nouam. ff. cũ igitur, verſ. ſecuturi. C. de iudicijs, & l. properandum. §. ſin autem, verſ. ſic cum enim terribiles. C. eod. titulo.

P D. l. 1. C. de ſicarijs.

Q L. diuus. ff. de ſicarijs.

R L. in rebus. ff. commodati, & l. 1. C. locati, & in c. vai e, de cõmodato.

S D. l. diuus. ff. de ſicar.

T L. fœdiſsimã C. de adulte.

V L. qui iniuria ff. de furtis.

tamque præter ſpem: vel tantiſper humanorum actuum voluntatem tam longè in exilium actam perſpicerent: dum ſuadere conantur: Nullas eſſe rerum differentias: nullum in cauſis habendum eſſe diſcrimen. Propterea que inter id quod fucatum ſyncerumque ſit, nihil eſſe intercapedinis: & à vitioſo incorruptum atque integrum nihil planè differre. Quorum (& rectè vel meo quidem iudicio) viſa eſt inſania tanta, vt exploſa illorum protinus ſententia ſit: ac ceu contra plane dementes diſputari ſtatim deſitum. Neque id ſanè iniuria: quis nanque tam à communi hominum abhorret ſenſu, vt naturæ vim ſua ſponte, vltroque adeo pleraque diſcriminantis, non ſentiat? Aut rationis diſcerniculo fugienda petundis nequeat diuidere, veraque à falſis diſcernere, ſed tanto ſit mentis ſtupore, caligine tanta detentus: vt vno an alio vtare, referre nihil putet?

QVOD SI omnium voluntatem non arbitrio tantum, ſed nutui etiam moderantis cuncta Fortunæ mancipatam eſſe dixeris: tamque ſtulta in ſententia pertinax obſtinanter præfractèque perſtiteris: nónne vides perſpicuum eſſe, humanis in rebus laudi vel vituperationi loci nihil relictum eſſe? cum neque expetere virtutem poſſis: aut nefandæ rei auerſari turpitudinem: ſed præmonſtrante veluti conniuenteque Fortuna, alterutro ſit non ignoranter modo, ſed inuitè etiam vtendum? Atqui, ſi nihil eſſe in votis poterit, niſi quod illa ſuggeſſerit: quis eius hortatu, ſuaſu, imperioque irrefragabili, perperam multa deſignantem: hanc ob cauſam cruciatu vllo, dignè aliquando exiſtimet eſſe torquendum? honeſtaque rurſus amplexantem perinde quaſi in honoris, reique bene geſtę ſignum: honeſtatis virtutiſque vnquam laurea ducat eſſe meritò inſigniendum? Cum huiuſmodi res ſynceritatem iudicij ſeruantes, arbitrijque liberam poteſtatem ſectantes comitentur: nullique eſſe fraudi aut compendio debeant, à quo iudicij ipſius abeſt integritas: adempta ſemel ꝙ optimû, ſecus ve ſit: ſequendi fugiendiq; copia.[X] Vt enim ſine animo maleficium non committitur, quia ita demum crimen contrahitur, ſi & faciendi quoque voluntas intercedat.[Y] Sic quoq; iuſtum eſt, illud verè arbitrari delictum, quod ab animo ipſo profectum eſt. Alioqui abſurdum eſt, examinis committi cenſurę, quod culpabili non

X. L. 1. C. de Sicarijs.

Y. L. diuus. ff. de off. præſidis.

eſt affectione patratum.[Z] Animus quippe eſt, qui omni in re attendi ſpectari, explorarię debet. Qui ſi probetur fuiſſe culpæ particeps; impoſiti non debet expers eſſe ſupplicij: ęquè ſed ferre oportet, quę à lege impoſita eſt, pœnę ſeueritatem. Qua in re tanta eſt ab antiquis illis legum conditoribus ratio habita, vt in vindicandis criminibus: voluntatem non exitum ſpectandú eſſe putarent.[A] Itaq; eum qui iniuriæ cauſa ianuam effregiſſet alienam: quāuis inde per alios res amotæ eſſent, iniuriarū nó furti teneri ſapienter ſtatuerunt. Quia maleficia delinquentis propoſitum, voluntaſq; ipſa diſtinguat.[B] Vnde ſi meretricem alienam ancillam rapuiſſet quis, aut celaſſet: furtum non fieri: Nanq; faciendi cauſa libido fuit, non furtum. Ideoq; eum etiam qui libidinis cauſa meretricis fores perfregiſſet, & fures nó ab eo inducti, ſed alias ingreſsi meretricis res aſportarint, furti nó obſtringi.[C] Quod ita demú exploratum eſt ſolere cómitti, ſi contrectādi rem animus fuit: alioqui factú id nó videri.[D] Quapropter cum illud ſit euidétiſsimum: omnibus in rebus exactiſsimè eſſe[E] animum inſpiciendum: dubitari quidé hoc quoq; ſolet. Poſsitne, is qui vxoré ſuam cum apud hoſtes eſſet, adulterium cómiſiſſe arguit, iure eam viri, adulterij códemnare? (licet enim interim dú eſt ab hoſtibus capta, vxor eſſe[F] deſierit) videaturq; ideo adulterij ceſſare accuſatio,[G] benignius tamé reſponſum eſt, iure eum viri accuſare poſſe. Sed ita demú à marito adulterium eſſe vindicandum, ſi vim hoſtium paſſa nó ſit. Cęterú quæ vim patiatur nó eſſe in ea cauſa, vt adulterij aut ſtupri damnetur. Fœdiſsimam nanq; earú, nequitiam, quę pudorem ſuum alienis libidinibus proſternerent, iura vlciſci: nó etiā earum, quę per vim compreſſę ſunt, irreprehenſa voluntate. Quas quidem inuiolatę exiſtimationis eſſe: & earum nuptijs nemini debere interdici, merito placuit.

H. QVAE cú ita ſint, nemini arbitror obſcurum poſſe relinqui, quantam omnibus in rebus animi noſtri, voluntatiſque affectio vim ſemper obtineat. Cum ex eo veluti fonte, de hominum iure & cauſa ritè ſoleat vbiq; diſceptari: in eumq; perinde ac certiſsimú iuſtitiæ ſcopum (ſi tamen non ęgrè liquere poſsit, ingenij aciem aſsiduè intendant, quos rectè iudicandi gloria delectat, parandæque virtutis cura amplexanda ſollicitat.

HANC TV AFFECTIONEM, ſi à

Z. L. qui iniuriæ cauſa. ff. de furt. in prin. & in. L. verum eſt ſi meretricem ff. eod. titul.

A. D. l. qui iniuriæ cauſa ſupra alleg.

B. D. l. qui iniuriæ cauſa. §. nam & maleficia.

C. L. 3. §. furtum & in. l. Si ſocius. §. rectè dictum eſt. ff. de furt.

D. Tex. in §. furtum & in. §. placuit inſti. de obligatio. quæ ex del. naſc.

E. D. l. fœdiſsimam C. de adulter.

F. L. Si quis ſic ſtipuletur. ff. ſolut. matrim.

G. L. Si vxor. §. Si quis plane. ff. de adulter. & in. l. fœdiſſimã. C. eod. tit.

H. D. l. fœdiſsimam.

Fortuna teneri dixeris obſtrictam, atque eius tanquam compedibus vinctam: qui tibi conſtare poſsis, videris ipſe. Cum paſsim varijs homines videas, pulchrè artibus erudiri: neque id tantum, ſed diſcendi quoque præcepta facillimè alijs tradere, ſcientiaque ipſa, ſi in id operis animi neruos intendant, indies magis claros fieri. Loſque contra puniri iuſte, qui leges ipſas tranſgreſsi, indignè aliquem violarint. Quæ omnia fieri non poſſe manifeſtũ eſt, ſi Fortunæ ſemper eſſet parendum, ab eaque nulli liceret digredi. Quid enim tam eſſet iuſtitiæ contrarium, quam iudicij & rationis inopes, iamque planè arbitrio carente ſuo, ex nequiter commiſsis ſupplicio addicere: ſi Fortunæ impulſu, non animi ipſius deſtinatione, in maleficia ac ſcelera cuncta, homines ipſi præcipites agerentur? In vetitumque nefas gens humana rueret? Cum ne referre quidem pedem libere poſſet? Quid? quod ne dici quidem iure vetitum poteſt, quod præſtare aut cauere prorſus nequeas: quin in id potius non tam voluntate quam cæca ſorte, Fatoque ineluctabili vel inuitus ſæpe incidas? Quando vetandi verbum, in eo quod tibi prohibitum eſt, faciendi prius liberam inſinuet voluntatem: libertatemque quoties velis abſtinendi. Quod autem ita eſt penitus homini inſitum, vt ſi cupiat maximè, inde tamen non poſsit mentem auertere: hoc quidem eiuſmodi eſt, vt qua ratione vetari poſsit, intelligi minus queat. Ac ideo, ne ſanciri quidem regula poteſt: vt eſſe deſinat, quod Fortunæ magis caſu, quam deſiderio aut arbitratu tuo commiſſum, patratumque eſt. Quod ſi quoquo pacto vt nõ accideret, nulla potuit lege vel ſtatuto caueri (quia id fatale magis quam voluntarium fuit) ita præſcribi non poterit; vt deinceps non ſit: quod factum ſemel eſt. Quãdo id demũ prohiberi homini ſolet, quod vitare poſsit quoties velit. Alioqui non iniuſta ſolum, ſed abſurda etiam omnis eſt prohibitio putanda: ſi hanc fieri maior aliqua vis, naturave ipſa non patitur. Quam nos quidem naturam ſequi ducem debemus: ſi in interdictis ſanciendis æquitatem ſeruare velimus. Sine qua nihil geri poteſt ab homine laudabile. Neque enim conſtare ſine æquitate iuſtitia poterit, quæ plurimum hac laude cenſetur. Hæc igitur tam excellẽs virtus eſſe vlla non poterit: ſi Fortunæ temeritate magis, quam iudicio iactari hinc inde humana dixeris, atque eius patere leuitati: cui vim tantam etiam adieceris: vt in voluntatibus hominum regendis loci ac iuris plurimum obtineat. Quo vno tam temere, tamque abſurdè propoſito: nónne vides virtutum omnium fabricam labefactari, ac funditus euerti? & non modo huic, de qua modo diximus, virtuti parum loci relinqui: ſed ne cæteris quidem vllum patere aditum? Quando iuxta Philoſophorum dogma atque decretum, tanta ſint inter ſe cognatione, tamque tenaci ac perpetuo fœdere conſtrictæ: vt intrepidè aſſerant à quo vna abſit, in eo iam ne cæteras quidem reperiri poſſe. Quod tamen ipſum, vt quam ſit rectè vereque dictum patere poſsit, longa eſſet oratione tractandum: vniuſcuiuſque virtutis origine atque natura altius patefacta, cui profecto diſceptationi locus in præſentia non eſt. Illud autem vt dubium minus eſt, ita & ad iudicandum minus multo habet difficultatis. Quis eſt enim quin perſpiciat, qui voluntatis & iudicij careat facultate, in hunc nullam prorſus virtutem poſſe cadere? Cum hæc ab omni integritate puritateque mentis ſoleant proficiſci: ac propterea eſſe ibi vlla non poſsit, vnde eiuſmodi rerum copia atque ſynceritas abſit? Etenim cum virtus ſit animi moderatio, prauorumque affectuum cohibitio, hunc ſi de medio adimas ſenſum, voluntate ipſius animi ſublata, facultateque iudicij: virtus eſſe qui poteſt? Sine cupiditate nanque voluntateque operandi, mentem eſſe perinde atque rudem ſine artifice materiam: clarius eſt, quam vt verbis ſit, ſententijſque probandum. Hæc quippe eſt quæ omnia diſtinguit: geſtiſque rebus virtutis nunc, nunc vitij nomen indit. Quæ ſi caſu aliquo turbatiori læſa & conuulſa eſt, deliberandi ve ipſa ratio labefactata: ſi nequiter quid deſignauerit: malum aut damnum aliquod dederit: non magis debet crimen contraxiſſe videri, quam ſi vel decidens ſtatua fortè prætereuntem oppreſſerit: quod dignè quondam Argiui Micij contigit interfectori, eſtque alibi mire in Tarchontis ſigno perſpectum.

Neque id ſanè iniuria. Quid enim ſenſu animi ſublato intereſt, non dicam inter hominem & belluam: ſed omnino inter ſtipitem? Cum corpus ipſum commune nos cum cæteris animantibus habere palam ſit, animi ſed dotibus, intellectus & rationis præſtantia porſus ſeiungi atque diſcerni.

terni. Quæ pecularia ac præcipua hominum eſſe bona, ſapiens natura voluit. Quorum bruta egent animantia cuncta: quibus corpore incuruo atque ſtipo capite terram obtueri: vnique tantum corpori ſeruire conceſſum eſt, pares cum corpore animas ſortitis: ad ea ſe ſe ſemper accommodantibus, quæ vel ſitim ſedare, vel imperioſam poſſint famem expellere: nihil de reliquo ſolicitis: vt pote cum ipſo vitæ munere anima ſimul ſtatim deficientibus, à quibus & ipſis quicquid eſt in nos mali damnique profectum, æquo id animo ferendum eſſe duximus. Neque tam erit quis amens: vt quod alienus equus negligentius prętereunti impegit calcem: cum eo ſibi putet iniuriarum actione experiendum: aut alioqui expoſtulandum, quod non ante innuiſſet: vt periculum ictus vitare poſſet. Quę enim eſſe cum eo poteſt expoſtulandi ratio, qui quod fecerit, neſciat? Quæ iniurię actio cenſeri, vnde non faciendi ſolum, ſed vel etiam nocendi planè animus defuit: neque eſſe vllus omnino potuit? Hinc prudentiſsimi viri legum conditores, quę à brutis animantibus nobis eſſent damna illata, peculiari quodam nomine pauperiem appellauerunt. Eſt autem pauperies, damnum ſine iniuria facientis datum. Neque enim brutum animal, iniuriam poteſt feciſſe dici, quod ſenſu caret. Quæ ferè ad imaginem Noxalis actionis inducta eſt, quæ ex maleficijs eſt ſeruorum orta: veluti ſi furtum fecerint, aut bona rapuerint: aut damnum dederint, aut iniuriam commiſerint. Noxales actiones proditæ ſunt, quibus domino damnato permittitur, aut litis ęſtimationem ſufferre: aut ipſum hominem noxę dedere. Noxa autem eſt ipſum corpus quod nocuit, id eſt ſeruus: noxia, ipſum maleficium: veluti furtum, damnum, rapina, iniuria. Summa autem ratione permiſſum eſt, noxæ deditione fungi. Namque erat iniquum, nequitiam eorum vltra ipſorum corpora dominis damnoſam eſſe. Sic ergo animalium nomine, quæ ratione carent: ſiqua laſciuia, aut feruore, aut feritate pauperiem fecerit Noxalis actio lege. xij. tabularum prodita eſt: quæ animalia, ſi noxæ dedantur proficiunt reo ad liberationem: quia ita lex duodecim tabularum ſcripta eſt.

SED REVERTAMVR eò, vnde decidimus. Si igitur pcul ab homine animi ſenſu ablegato, intellectuſq; dignitate in exilium veluti longè acta, nil fermè à viliſsimo, ac maximè bruto differt animante (quia hac potiſsimum parte à brutorum natura, diuina nos ſecreuit prouidentia) illud eſt etiam effici neceſſariũ: vt quicquid huius, ab eiuſmodi ſit homine factum (ſi tamen qui tã eſt ab humanitatis pręſidijs deſtitutus, rationis adminiculis ac lumine mentis carens, homo potius quam bellua exiſtimandus eſt) non magis debeat attendi ac ſi à beſtia quapiam ſit, vel immani fera patratum. Nulla quippe bruti animantis certior eſt effigies: nulla illi imago ſimilior, quam hominis ratione animi, & intellectu carentis. Vt enim his ſapimus, rerum momenta condiſcimus, & earum habere delectum pulchrè poſſumus: diuinamque etiam naturam (cuius quiſque ab animo iure creditur eſſe particeps) modo quodam referimus, præ nobiſque ducimus: ita corporis fęce, moleſtaque ſarcina deſipimus, & à natura illa animi, quæ quia multo eſt præſtantior, cenſeri debet antiquior, planè degeneramus, ac longè lateque vſque diuertimus, ad brutorum naturam quam proximè accedentes. Vnde furore ceu quodam perciti, cæci prorſus atque amentes, non ſecus atque belluæ affectibus præcipites ferimur. Ad eam quæ iniecta eſt, voluptatis occaſionem vęſano quodam impetu rapti: nihil omnino penſi habentes: & quæ tantopere tamque anxiè appetimus, minime conſiderantes. Hinc fit, vt multi vitam criminentur: fati alij neceſsitatem cauſentur: ſortem alij prætendant: Fortunam non pauci (ſed ęque in hoc atque in cæteris decepti) excuſent: alijque alias cauſas erroris ſui prætexant: propriam ſemper obuelantes inſcitiam: ſtultitiæ atque ignauiæ coloratiorem hinc inde prætextum aucupantes: ne ſua culpa in miſerias incidiſſe videantur. Cum in culpa ſit minimè prudentiam amplectens, minimè rationi acquieſcens vitioſus animus. Nam iuris tantum ſibi neutiquam vendicare Fortunam poſſe, vt ſeſe hominum factis inſerat, voluntateſq; retardet, aut vlla ex parte impediat: id quorſum attinet longius diſputare: cum ex ipſorum induſtria, diſceptatione, quotidianis colloquijs, amicorum conuictu, rebus geſtis, diligentia, atque memoria artibus comprehenſis, labore partis artificijs, emptionibus, venditionibus, conductionibus, locationibus, nouationibus, acceptilationibus, pactis, tranſactionibus, permutationibus, ac reliquis vitæ commercijs, quibus incontrahendis, diſtrahendiſque negotijs homines quotidie implicantur: & in communis vitæ ratione de-

degendę certo quodam ordine atq; conſilio verſantur: falſum eſſe prorſus appareat, Quia nulla Fortuna poteſt efficere; vt qui creditor eſt, non eſſe creditor intelligatur: ne ve is dicatur debitor à quo iure ciuili exigi poteſt. Nec vero vim habet ipſa tantam; vt in ea, quæ verè hominis ſunt, temere poſſit impetum facere: aut imperij vllam obtinere facultatem. Licet in rebus externis (ſi vlla tamen Fortuna eſt) loci ſibi plurimum vendicet: ac tyrãnidem quandam exerceat. Alioqui, ſi ei ſemper eſſet obſequendum: nec dare aliò vela liceret, quam quò illa ſuũ dirigeret curſum, conſtare ſibi quiſq; in virtute non poſſet: ac ne expetendarum quidẽ fugiendarum ve rerum inſculptam dignè pectore habere peritiam: multoq; minus ipſam electionem. Cum hoc non liberi tantum, ſed probè etiam conſtituti animi ſit opus: non temerariç cæcç ve Fortunæ munus. Cum qua, vti demonſtratum eſt antea, eiuſmodi rebus cõuenire nihil poteſt. Quæ quidem ab huius temeritate alienæ remotæq; ſunt, atq; omni ex parte abhorrent: certoq; quodam conſilio & iudicio ſenſuum bonitatẽ, ſinceritatemq; mentis opportunè arguunt, atq; declarant. Etenim ſi his rebus, quç cum laude ac gloria coniuncta ſunt, prçſtari atq; abſolui maximè ſolent; in illis valeant neceſſe eſt, à quibus hæc ipſa præſtantur.

ATQVI, ſi multa huiuſmodi à rectè moratis cordatiſq; hominibus effici palam eſt: è rebuſq; à ſe certo conſilio & ratione ſuſceptis, ex virtutis functione varia: hic iuſtus, ille fortis, moderatus alius ac temperans; aliiſq; alij nominibus ſæpe honeſtantur; vigeant ſenſus oportet in illis, quando harum rerum ſtudia ab ipſorum fonte ducuntur. Quod ſi illæſi penitus, nulla Fortunç labe infecti, nullis tenebris obducti, nulla triſti ſeruitute oppreſsi: nullo miſero famulatu conſtricti: ſuiq; potius iuris ac liberi planè ſunt (conſtare ſibi quiſq; modò velit) domi namq; rationem admittere, quç malũm eſt inſania, ſenſibus dominari poſſe Fortunam ſtultè arbitrari, agendarumque rerum ſuo arbitrio imperium moderari? Quç etiam inſcitia, ſic proprijs vitijs velificari atq; blandiri: vt quod à vitioſo morbidoque animo profectum eſt, id velis imputare Fortunæ, ridiculo velamento obſcurare nitens errorem, dum facti proprij amenter culpam extenuas? Etenim ſi nulla omnino Fortuna eſt, fruſtra in eam culpa regeritur, cum nulla ſit. Si vlla, cum prçſtãtem illam animi partem, vnde actionum noſtrarum motus emanãt, nequeat perfringere, aut ſenſus noſtros obturbare, remorari ve ipſorum vagos ac liberos curſus: relinquitur neceſſario, vt criminis particeps cenſeri non debeat. Porrò, ſi animi aberramenta, vitia ſunt, committentiumq; ipſorũ certiſsimi lapſus; delicti huius rea agi Fortuna quî poteſt? cum quicquid peccatur, perturbatione peccetur rationis. Inq; ea ipſa obturbanda (niſi ſponte ipſe tanquam victus manus des, ignauiterq; ſuccũbas) vindicare illa nil ſibi vnquam iuris poſſit. Atq; ideo nefas ſit alienis eam impartire commiſsis: quæ à delicti perpetratione omni atq; etiam occaſione vel leuiſsima criminis tam fuerit procul remota atq; diſiũcta vt ad id inuitare te, vel allicere, non potuerit. Non ergo fas eſt homini, à ſe commiſsi ſceleris ſociam appellare Fortunam, ac propriæ velle culpæ inſontem, ream agere. Nec verò dicere eſt pium, tantum ipſam pollere: vt voluntatem animi noſtri, intercepta libertate, conatumq; mentis impediat. Cum res tantas tamq; mirificas diuino adiuta prçſidio, ſola poſsit præſtare animi noſtri libertas. Quæ ancillæ obſequentis inſtar, veſtigijs innixa rationis: ab indignis digna & honeſta ſecernit. Ad eaq; induſtriæ neruos ac commodat: quæ (quia ſunt cum virtute cõiuncta) futura ſibi gloriæ ducit. Vitiorum veluti quaſdam rimulas ex lenocinantis blãdientiſq; voluptatis titillatione contractas, huius amore obturans & obdens. Illorum anſas abſcindens & amputans: dura ſibi cuncta horridaq; proponens: rationis ſobriæ & prudentiæ exactæ, animiq; inſuper ſibi vni præſidentis documenta edens optima: minimè fallaci illa, extrariaq; rerum ſpecie capta: ſed vigilantiſsima quadam ſolertia cuncta expendens atq; deliberans: parum loci relinquens pœnitentię; eorum ve querelæ, qui ſui ipſorum ſocuri, planeq; amẽtes: vim Fortunæ calumniantur, maiorem quam cui reſiſti poſsit, eſſe perhibentes. Ei veluti neceſsitati parere oportere dictitãtes, ex ęquoq; illi obnoxios eſſe mortales. Cum accuſare magis deberent ignauiam: quæ illorum eſt miſeriæ certiſsima cauſa. Dum à rebus gerendis animum auocat, ac tempeſtiuam ſinit occaſionem effluere: inq; id ignorationis erroriſq, ſtultos conijcit, vt eſſe Fortunam autument. Cum ſuus cuiuſq; animus, eius, quæ fingitur, euidentiſsima ſit imago Fortunæ. Etenim apud quem integer ille manet, ſuaq; pulchrè ſede potitur: nec labe aliqua corruptus, aut noxijs vllis mancipatus

tus

tus affectionibus, effrenis veluti hinc inde temere inſilit: huius non certa modò ſed & laudabiliter etiam conſtituta ſunt omnia: ac mito quodam ordine conſtāt: egregium ac celebre, pulchritudineq; ipſa viſendum, humanæ exhibent rationis ſpectaculum. At vero languere ſi incipit, & vitiorum impediri caligine: rationis imperitantiſq; intellectus amenter detrectans munia: proſtrata cuncta abiectaq; ſunt: iamq; hominem ipſum ſic afficit, vt Fortunę magis circumagi atq; iactari, quam ratione & prouidentia regi videatur. Quod ſi in officio quiſq; pręſto ſit, nec à ſe animus ipſe deſciſcat: robori ſed ſuo firmiter vſq; inhæreat, dedere ſeſe nolens ſegnitiæ atq; ſocordię: nihil ab infeſtantium caſuum calamitate, nihil ab eius ipſius Fortunæ leuitate alienum magis eſſe liquebit: nihil minus ſubiectum & obnoxium huius iniquitati facillime conſtabit. Inque homine eſſe ſitum euidenter apparebit, vt nullas aut magnas habere vires Fortuna credatur, ſiquidem:

Suis cuiq; (vt ſapiens poeta dixit) *ea moribus fingitur.*

Hinc, quę vim maximam habere dicitur, vni tamen cedit Fortuna ſapienti.

Qvod cvm ita ſit, quo minus quiſq; bonitate animi valeat, eo magis Fortunæ ſubiaceat temeritati neceſſe eſt. Ab eoq; rurſus aliena ſit oportet, qui in ſe ipſo omnia ponit: cuiuſq; omnia conſilia ab animo profecta: eodem referuntur: menteq; ipſa diutius agitantur. Qui nihil deniq; rerū facit, quod patere poſsit huius leuitati.

Malè quippe geritur: quicquid Fortunæ fide geritur.

Vnde ſapientem virum, nihil eſſe omnino facturum arbitramur: quod non prius exploratum habeat ac cognitū: & modo quodam animo pręceptum. Vt, ne ſi velit quidem, ſtultū illud committere poſsit. non putaram: non expectaram: res aliter, atq; ratus ſum: euenit. Nec imputare etiam Fortunæ culpam: quam pulchrè nouit, recta ſanaq; conſilia pacto vllo non poſſe pręuertere: ei ve nocere, cui rerum agendarum ratio deliberata atq; conſtituta, prouiſaque ante animo foret. Quia tota illa de Fortuna querela ab illis potiſsimum ſoleat emanare, qui cæcitate quadam animi: mentiſq; imbellia (beſtiarum more ocioſè deſidentes) nihil prius habuerunt penſi: nihil conſtituti: animiq; habenas, quæ prudenter & caute fuerant tractandę, in omne vitium temerè laxarunt: ſeq; rationi præſtare noluerunt obſequentes atq; morigeros. Quibus profecto rebus maxima ſolet feneſtra Fortunæ patefieri, ac via quædam muniri, quę poſtea homini exitus parit maximè pœnitendos: dum facti, erroriſq; proprij vitio (ſimul ac licenter ne impudenter dixerim) in omne eſt facinus quiſq; peruagatus, ſortis cogitur deplorare infœlicitatem: Fortunæ comminiſci violentiam: mendax potius ſtudens deprehendi, quam dignè miſer, aut parum cautus haberi.

Vervm enim vero, cum perſuaſum illud eſſe debeat, quod & Peripateticorum principi Ariſtoteli placere video, Vbi intellectus plurimum vigeat ratio: loci ibi parum Fortunæ relinqui, quis non eorum iura excuſationem perindè ac exitialem audaciam vituperet, atq; coerceat: qui Fortunę vi dicunt factum, quominus hoc aut illud pręſtare, vel conſequi potuerint? Cum id ipſum ſocordiæ cuiuſque & ignauię magis ſit imputandum. Nam ſi (quod Salluſtius ait) bonarū rerum atque conducibilium tanta hominibus cura eſſet: quanto ſtudio aliena ac nihil profutura, multumq; etiam periculoſa petunt: nec regerentur magis caſibus, quam regerent caſus, & eo magnitudinis accederent, vbi pro mortalibus gloria ęterni fierent. Non ergo Fortuna, ſed ſua cuiuſq; oſcitantia, ſua cunctatio, negligentia, ac deſidia animi, reprehendenda ſunt. Hæ enim res nos plerunq; retardant: & ab efficiendo quod oportuit, plurimum retrahunt: ac dāna multa nobis inferunt. Vndè pręclare à maioribus dici ſolitum accepimus: omni in re dilatorem luctari cum detrimentis: & vſque ſecurū, incidere in calamitatem. Quod hominum genus, infructuoſum & inutile reipublicę, Dijs hominibuſque pariter eſſe inuiſum poëta canit Heſiodus. Sed & poeta ipſe Martialis, non benè differri cēſet, quod quiſque videt poſſe negari. Itaque, quaſi ſera nimis craſtina vita ſit: viuendum eſſe hodie exiſtimat. Vnde inſignis poetę Flacci merito laudatum eſt illud.

Omnem crede diem tibi diluxiſſe ſupremum.

Sapienter nimirum. Parum nanque hominis eſt, tanta eſſe præditum vęcordia: vt tempus ipſum, qua nulla eſt maior, nulla irreparabilior iactura, ſic ſinat effluere, ceu exigui rem momenti; & quæ reuocari poſſit toties, quoties ipſi ſit collibitum. Cuius tempeſtiuus articulus ſtatim quidem arripiendus fuit, nec ita ducendus in longum, quaſi mutari non poſsit: ſed idem ſemper maneat, ſe ſe ſubinde vniuſcuiuſque volun

tati offerens atq; accommodans. Cùm interim pede cito ætas ipſa labatur: ac celeritate mirabili irreuocabile tempus curſum ſuum peragat: atq; conficiat. Quapropter rectè idem vates qui à me eſt modo citatus: Leuconoem puellam non admodum de futuris curioſam, ſolicitamq́ue eſſe debere admonet, ſed vbiq; ſedulam ac temporis parcam. Ita enim ait.

Dum loquimur, fugerit inuida ætas:
Carpe diem: quam minimum credula poſtero.

Non enim vbi ſemel tempus effluxit, illius eſt amplius precibus rediturum. Quin potius memoria ſui, procraſtinatori ad ſe fortè, ſed tamen ſerò redeunti, altè animo dolorem incutit. Quod intelligẽs Ouidius, parum tutæ moræ damna, feſtinationis remedio præcipit eſſe penſanda. Sic enim ait.

Cum mora non tuta eſt, totis incumbere remis
Vtile, & admiſſo ſubdere calcar equo.

Accedit etiam, quod ignauus ille negligentię marcor, vſq; adeo vigorem animi hebetat, & humani pectoris labeſactat induſtriam: vt parum inter hominis dignitatem, animantiſq; bruti abiectam conditionem intereſſe videatur. Eſt enim ad aliquid agendum, & quidem præclarum atq; excellens (vt Ariſtoteles exiſtimauit) homo in lucem editus: non bruti degeneriſq; inſtar animantis, vt ſeruiret ventri, & vacaret deſidiæ, naturæ probrum effectus. At verò ſi præter propter vitã degere (quod ob deſides quoſdam oſcitabundoſq; homines à priſco illo vate Ennio, eſſe perhibent dictum) id demũ viuere eſt: quia numerum facis, & turbam adauges, interq; homines connumeraris, terrę nimirum alumnus; natus & ipſe ad conſumendas fruges (vt ait Flaccus) dubiũ non eſt, quin in Fortunam ſæpe incidas, cum tã vbiq; ſis amens. Nanq; hos potiſsimum ſolet illa complecti. Cum hominum ſemper moribus reſpondeat, vt à me oſtenſum eſt antea. Atq; hoc quidem eſt quod prudenti Appius cecinit carmine, quo vult.

Fortunæ fabrum eſſe quemq;.

ATQVI, ſi erigere te paulo altius voles, & animi ipſius pręſtantiam (à corporeis curis aliquantulum feriatus) propius intueri: viuendiq; cauſas ipſum apud animum tacitus tecum perpendere: reperies nimirum inertis turpiſq; ocij amorem, ac torporem illum languidum nihil vnquam conſiderantẽ: ſed res (quibus ſtatim prouidè conſulendum fuit) in poſterum ſemper protrahentẽ, atq; vſq; planè procraſtinantem, homini eſſe maxime peſtilentem: & animi noſtri dignitate parum dignum. Qui aſsiduè aliquid agit, ac nunquam non aliquid molitur, nec requieſcit modo aliquo: irrequieto, imò labore, quadam veluti vertigine in horas cuncta volutat, nec ſatiatur vnquam: appetit ſed aliquid atq́ue inquirit, quod inuentione ipſa mentem oblectet. Ac nunc rerum varietate dulci: nunc grata atq́ue iucunda laborioſæ commentationis viciſsitudine, ipſum etiam corpus indagationis opera languidum communiat, atq; reficiat. Quapropter priſci illi mortales (quibus conſentanea rebus nomina imponere ſtudium fuit) a luce nimirum φῶτα hominem appellarunt, quod maxima illi ſit (vt Plutarchus ait) innoteſcendi cupiditas: ac nihil tam auerſetur & abhorreat, quam tenebras atq; caliginem, rerumq́ue omnium ignorationem. Quibus nimirum vitam ipſam triſtem hominemq; ſui maximè diſsimilem effici cognouerant. Vnde maximum illi abditiſsima quæq; rimandi, difficillimaq; cognoſcendi à natura inſitum apparet ſtudium. Quemadmodum Epicuri illud confutans, SIC viue, vt nemo te ſentiat vixiſſe, Chęroneus Plutarchus acutè diſſeruit, Stagyritę fortè Ariſtotelis dogma ſecutus: qui idipſum ſępe aſſeruit, Rerum ſcientię atq; notionis mortalium animis ingenitum eſſe dicens amorem. Quod cum non ignorarent antiquiſsimi Gręcorum, & viri & lucis ambigua vocula, φῶτα hominem nuncupauerunt. Cuius quidem vocis in re ancipiti & periculoſa maxime, interpretatione commoda prudenter vſus Hercules ille, qui non minori animi quam corporis quondam vigore polluit, cruenta Saturni ſacra barbarico in Latio ritu inſtituta ſine aliqua Oraculi fraude mirificè emolliuit, temperauit commodè, atq; vtiliter mitigauit, incenſos cereos aris ſubdens, Oraculi Gręco carmine, appellatione φωτὸς lumen, non hominem intelligi oportere, humaniſsimè atq́ue acutiſsime teſtificatus, quemadmodum à doctiſsimo viro Macrobio & à Firmiano, etiam Lactantio candidiſsimo eruditiſsimoq; viro, quo libro de religione falſa diſſerit, memoriæ eſt proditum. Carmẽ vero ipſum, cuius modo à nobis mentio facta eſt, ſi quis fortè requiret, ſic habet.

Καὶ κεφαλὰς κρονίδῃ, καὶ τῷ πατρὶ πέμ-
πετε φῶτα.

NATVRAE igitur nothi, ſpurijq; non legitimi vel naturales liberi ſunt putandi, qui corpore ceu altiſsimo ſe ſe pelago immergentes: ad excellentẽ illam pręſtantiã animi atq;

atq; vim enatare nequeunt, cuncta ſegniter peſſum ire ſinentes, ac nihil vnquã tempeſtiuè conſiderantes: conditionis ſuæ immemores ac dignitatis obliti, minimeque proprię naturæ recordati. Quam imbecillam & inualidam deſidia atq; incuria fecerunt: ſuique prorſus diſsimilem atque degenerem. Dum nihil quicquam curantes ſorti veluti ſeſe obijciunt: quod caſu contigit, Fortunæ vi factum exiſtimantes. Quę proculdubio eſſe vlla non poteſt, ſi anteaquam aggrediare negocium, perpendendi ratio adſit, & cõficiendi conſilium. Harum nanq; rerum acceſsione illa ipſa Fortunæ vis (quæ eſſe magna dicitur) labefactatur atq; perfringitur: deceſsione contra, vaniſsimæ huius Deæ increſcit opinio: & pernicioſę credulitatis error augeſcit. Excindenda igitur ſtirpitus, induſtria neruis adhibitis, tam peſtilentis ſunt elementa perſuaſionis: ne ſuam quiſq; ignauiam, ſtultitię hoc prętextu mendaciſsimo, iniectam ſibi falſo à Fortuna cauilletur. Tenendumq; potius conſtãter illud eſt, ſuæ cuiuſque ſedulitatis ſtudijs Fortunam non poſſe obſiſtere, ac ne impedire quidem quicquam quominus rationis miniſterijs, & reliquis animi munijs liberè quiſq; fungatur: inſuper obeundis muneribus corporis officijſq; pręſtandis (niſi & iam prius tibi ipſe deſis) impedimenti nihil afferre. Quod ſi ita eſt, illud pariter relinquitur: non niſi inſcitiæ & ignauiæ adminiculis vllas poſſe Fortunam vires nanciſci, omnemq; de Fortunæ vi diſceptationem ex animi deprauatione, atq; morum corruptela penitus emanaſſe.

SED NEDVM ſingula hęc ſæpius inculcamus defuiſſe mihi videar, qui eorum ſententias declarare pollicitus, quorũ maximè patrocinijs multum ſibi adſciuiſſe virium Fortuna videtur, id hactenus non præſtiterim (nanque non defuerunt tantæ temeritati fautores) faciendum hoc quidem in pręſentia eſt, ſi modò nobis conſtare ipſi velimus. Quod eò faciam alacrius, quia perſpicuum à me planumq; arbitror factum, præſtantiã atq; vim noſtri animi eam eſſe: cui intercedere vel obuiam ire temeritas Fortunę vlla, nullo pacto potis ſit. Non enim (ſtulte quamuis placeat ſibi valde illa) ſe vnquam audebit opponere mentis pręſtantiæ: ni & capiti ſuo ſæpiſsimè amens volet eſſe conſultum. Quandoquidem nemo vnquam prudens, corporis ſui exitium, vel periculum amauit. Ac ne id quidem attentauit, quod ſibi intelligit futurum criminoſum. Sed neque quod ab eiuſmodi inſultu temperat, prudẽtiæ munus eſt: Quid enim cum prudentia, Fortunæ? Cum ſpeculo, cæco? Cum inſtrumento muſico temperandarum fidium rudi? perinde quaſi eiuſcemodi rerum peritia vel facultate deſtituti tali aliquo attactu delectentur: ac non potius vt noctua luce, nocte aquila ſummopere offendantur. Non igitur mentem noſtram non inuadere prudentię alicuius in Fortuna elucẽtis, vel munus vel ſignum eſt: ſed naturę effectum honeſtiſsimum, ac decentiſsimum. Non enim conueniebat rei alicuius extrarię vinculo, libertatem animi noſtri vel obnoxiam eſſe, vel teneri conſtrictam. Cauitq; hoc ſapientiſsimus ille noſtri artifex, vt naturę alia opera cuncta quę in ſuo queq; genere perfectiſsima ſunt, diuinitus atque mirificè. Vt enim hic ſic & in illis tam cõſummatã, tãq; perfectionis numeris omnibus abſoluta vndiq; eſt fabrica, vt non ſolum defectui atq; vitio nota nulla pateat: ſed ne minimus quidem locus liuori atque calumnię videatur eſſe relictus: vt Hippocrates ipſe teſtatur, qui Deum prouidam nunc: artificioſam iuſtamque naturam appellare ſolitus eſt: illius vbique diuinas cõcinens laudes. Quod Coum ipſum Hippocratem ſecutus fecit Galenus, maximè: cum in libris de diſſecandi ratione, quam Gręci ἀνατομικὰς appellant: tum in illis accuratius longè, qui de vſu humani corporis à naturę peritiſsimo viro præclariſsimè, ſunt editi. Quorum ego, cum Aloiſio Toro medico fœliciſsimo, Dominicanoq; ille theologo Iacobo Ario Ximenio in bonarum artium ſcientia longè clariſsimo viro recreatus ſępe lectione: theologię in viro ethnico admiror ſacræ rationem. Summi ac præpotentis Dei hymnum iam audiens: encomiũ iam artificioſę prouidęque naturæ. Quæ & ipſa Deus eſt. Quod enim conſilio vtitur ad incipiendum, virtute ad conſummandum: poteſtate vero ad regendum, continendumque vniuerſa, non naturæ ſed Dei potius nomine cenſeri debet. Id quod Stoicorum non vltimus vidit acutè Seneca, vti Firmianus tradit Lactantius: cuius ego (carptim licet) repetam altius verba: vt Senecæ verum eſſe elogium, poſsit probari. Is enim de prouidentia Dei & mundi fabrica diſſerens, ignorantium mentes rudes tali Amuletho muniuit. Nemo quęrat, ex quibus iſta materijs, tam magna, tam mirifica Deus fecerit. Omnia enim fecit ex nihilo. Nec audiendi ſunt Poetę, qui aiunt Chaos fuiſſe in principio; id eſt confuſionem rerum atque ele-

elementorum: poſtea vero Deũ diremiſſe omnem illam congeriem: ſingulisq; rebus ex confuſo aceruo ſeparatis, in ordinemq; deſcriptis, inſtruxiſſe mundum, pariter & ornaſſe: & poſtpaulo. Natura enim qua dicitis orta eſſe omnia, ſi conſilium non habet, efficere nihil poteſt: ſi autem generandi aut faciendi potens eſt: habet ergo conſilium, & propterea Deus ſit neceſſe eſt. Nec alio nomine appellari poteſt ea vis, in qua ineſt & prouidentia excogitandi & ſolertia poteſtaſq; faciendi. Melius igitur Seneca omnium Stoicorum acutiſsimus: qui vidit nihil aliud eſſe naturam, quam Deum. Ergo, inquit, Deum non laudabimus, cui naturalis eſt virtus? Nec enim illam didicit ex vllo. Imo laudabimus: quamuis enim naturalis illa ſit, ſibi illam dedit: Quoniã Deus ipſa natura eſt. Cum igitur ortum rerum tribuis naturæ, ac detrahis Deo in eodem luto hęſitans verſuram ſoluis. A quo enim fieri mundum negas, ab eodem planè fieri, mutato nomine confiteris. Hęc apud Lactantium Seneca, quibus hoc ipſo libro & capite Firmiani congruit illud Epicureos refellẽtis errores. Qui ait mundum nulla Dei prouidentia creatum, ſed natura repentè extitiſſe: eodem (inquit) quò nolet reuoluetur vt dicat: & materiam de qua mundus eſt, & mũdum qui de materia eſt: natura extitiſſe. Cum ego naturam ipſam, Deum eſſe contendam (nec enim poteſt facere mirabilia, id eſt maxima ratione conſtantia, niſi qui habet mentem prouidentiam, poteſtatẽ) ITA FIET, vt Deus fecerit omnia: neq; quicquã eſſe poſsit omnino: quod non originem à Deo traxerit. Hęc diuinarum inſtitutionum lib. 2. Lactantius, qui de origine erroris inſcribitur 9. capite diſſerebat. Quid idem in 3. prodiderit, cui de falſa ſapiẽtia eſt titulus, merito erit videndum. Et quando vir ille libros ſecuit in capita: capitis etiam ſedem citemus: ne, non reperto loco, allegationis fides remaneat in obſcuro. Eſt igitur eius loci ſedes octaua ſupra vigeſimam. Vbi de natura atq; Deo prudenter ad hunc modum Lactantius multa ſcripſit. Quapropter nihil aliud eſt in vita, quo conditio noſtra nitatur, niſi Dei, qui nos genuit, agnitio & religioſus ac pius cultus. Vnde quoniam Philoſophi aberrauerunt, ſapientes vtiq; non fuerunt. Quęſierunt illi quidem ſapientiam: ſed quia non rite quærebant, prolapſi ſunt longius, & in tantos errores inciderunt: vt etiam communem ſapientiam non tenerẽt. Non enim tantum religionem aſſerere noluerunt, verum etiam ſuſtulerunt: dum ſpecie virtutis falſa inducti, conantur animos omni metu liberare. Quę religionis euerſio, naturę nomen inuenit. Illi enim, cum aut ignorarent à quo eſſet effectus mũdus, aut perſuadere vellent, nihil eſſe diuina mente perfectum: Naturam eſſe dixerunt rerũ omnium matrem, quaſi dicerent omnia ſua ſpõte eſſe nata. Quo verbo planè imprudentiã ſuam confitentur. Natura enim remota prouidentia & poteſtate diuina, prorſus nihil eſt. Quod ſi Deum naturam vocãt, quę peruerſitas eſt, naturam potius quam Deum nominare? Si autem natura ratio eſt, vel neceſsitas, vel conditio naſcendi, non eſt per ſe ipſam ſenſibilis: quia neceſſe eſt, mentẽ eſſe diuinam, quæ ſua prouidentia naſcẽdi principium rebus omnibus prębeat. Aut ſi natura eſt, cœlum atq; terra & omne quod natũ eſt, non eſt Deus natura, ſed Dei opus. Non diſsimili errore credunt eſſe Fortunam, quaſi Deam quãdam res humanas varijs caſibus illudentem: quia neſciunt, vnde ſibi bona & mala eueniunt. Sed hęc ex Firmiano adduxiſſe ſufficiat, ne ſuſcepti ſermonis creſcat in immenſum magnitudo: cuius eſt tempeſtiuè aliquis in præſenti modus habendus. Quocirca reuertar iam illuc, vnde cœpta mihi ſunt verba decidere ſenſim.

CVM IGITVR natura, ſiue Deus, ne brutorum quidem animantium conditionem vlla ex parte deſtituerit (cunctorũ enim animalium naturas, pro animarum qualitate decentiſsimis ornauit organis atq; armis inſtruxit) vt primo de vſu partiũ humani corporis, Galenus doctè explicuit: cuius de opificio Dei ſubſcribens opinioni Lactantius præclarè multa diſſeruit, vt ex illius iam verbis atq; ſtylo monſtrabo: Non eſt credibile oſcitabundè, negligenter atq; ſupinè (qui temerè) abſurdè vel imperfectè in minimis molitus eſt nihil: quæ multo partium omnium naturę nobiliſsima eſt, in fictione hominis Deum eſſe verſatum. Diceretur vero in ipſius planè ocioſè dormiens fuiſſe opificio: ſi huic, quæ opinione hominum fingitur, Fortunæ iuris tantum, poteſtatiſq; dediſſet: vt voluntatis humanę libertatem impedire: remorariue illius, propenſionis curſum poſſet. Quæ & ipſa intellectus robore vallata, & rationis circumſepta præſidijs, ſuarum libere actionum in quam ſe cunq; flectere vult partem, ſummi ac præpotentis Dei præclaro quodam ac diuino beneficio, domina exiſtit: nulli neq; expoſita ludibrio, neque inſultantis temerè Fortunæ ſubiecta leui-

leuitati. A deo, vt ne à ſui quidem authore atq; opifice (ſempiterna ſua diſpoſitione atq; ordine conſtituato) maioré aliquam paſſa vim, ſeruitutis aliquo poſsit nexu vinciri, vel freno domari. Homo itaq; & arbitrij liberi munere ornatus: & ſuarum actionum Dominus à Deo creatus eſt. Qui enim arbitrij homini conceſsit libertatem, atq; huius (quo regimur) animi tam ſpecioſè & munificè dotes omnes effinxit; pietatis ſibi debitę omnino libera iura poſcit: pectoris non adacto redamari cupit affectu: voluntariũ ſummè cupit: placet illi nihil extortum. Quod nimirũ bonitati diuinæ maieſtatis ipſius vel maximè congruum eſt. Virtus enim ita demum ſplendore ſuo dignitateq; gaudet: ſi probetur voluntaria. Et licet virtutum omnium quæ ad rationem officij, diſciplinamq; morum pertinent, princeps ſit atq; regina iuſtitia; quæ quia in ſuo cuiq; iure elargiendo verſatur, in ipſius Dei optimi Maximi, maximè cernitur cultu, quę ingratis, hac in parte munera ſuſcipis, ſterilia quidem meriti, & inania mercedis ſunt. Qui enim actus ſpeciem habet honeſti, ſi ſpontaneus eſt fructu non caret: ſi vero, non vltroneus, ſed renitenti reluctantiq; ab animo illibenter exhibitus: & premio caret & fructu. Atq; ideo, ne quid tale accideret, ſingulis quibuſque hominibus libertas animi liberrima data eſt. Ne, ſcilicet, actio illa de vi (quæ ab homine illata, cauſidicos forumq; ipſum frequens exercet) habeat in vita locum. Quę, ſi, vllum haberet humanarum actionum proculdubio gratia omnis periret funditus: voluntate animi noſtri de medio ſublata. Quæ & ipſa, pręterquam quod à ſapientiſsimo prouidentiſsimoque opifice vtiliſsimè data eſt, vt ſi qua res alia noſtram ipſorum conditionem atq; naturam profecto honeſtat atque adeo maximè illuſtrat: diuinamque planè efficit. Hinc enim in vtramq; partem animi iudicia vera, & rerum momẽta naſcuntur, quę captui noſtro, mentiq; ſubiecta (quia rationale nos, ſanctumq; ſumus animal) expetenda tacitè, fugiendaq; prĉſcribunt: & à brutorum animantium ſorte ſeparant: ac vita ſeiũgũt. Vnde etiam exiſtit illud, quod à magno Baſilio traditum, in rem pręſentem deflecti nõ incommodè poterit. Quemadmodum, inquit, nulla diſciplina nos docet, morbum odiſſe: ſed ſpontaneam habemus calumniã ac deteſtationẽ aduerſus ea, quæ nobis moleſta ſunt: ſic etiam eſt animę quędam declinatio & ſuga vitij citra doctrinam. Omne autem vitium, eſt animę ęgritudo. Virtus vero ſanitatis rationem obtinet. Rectè enim quidam ſanitatem definierunt; eſſe ſtabilitatem actionum ſecundum naturam. Quod etiam ipſum, ſi quis de bona animi habitudine dixerit: à decoro non aberrauerit. Vnde appetens ſalutaris, & eius quod ſecũdum naturam eſt citra doctrinã anima ipſa exiſtit. Quapropter laudata eſt apud omnes modeſtia, & accepta iuſtitia, & admirabilis ſortitudo, & grata prudentia: quę magis familiaria animæ ſunt, quam corpori ſanitas. Hęc ille. Ex quo manifeſto, apparet, bene cõſtitutam hominis naturam (licet in omnia voluntatem liberam habeat) inhoneſtam actionem morbi inſtar refugituram eſſe ſedulo, atq; adeo exoſam habituram. Atque hoc illud eſt, quod ſapiẽtes aiunt. Naturam homines cohortari tacitè, ac veluti impellère ad Iuſtitiam. Quæ (vt Pythagorici opinantur) tunc demũ exiſtit: cum affectus, quos natura cuſtodię ac ſalutis cauſa, nobis inſeuit, pręſcripto ſuo non euagantes, legitimũ ſeruant concentum: naturalemq; ipſius harmoniam mentis efficiunt. Atq; ideo oppreſſam vitijs animam iniuſtitia primùm occupat. Vt enim non benè tentę fides inconcinnum quiddam, quod aures feriat proferũt, auſterum, prauum, abſonumq; melos conſtituunt: ſic perturbatio contra naturam affectuum (quę à me iniuſtitia dicitur) animam vitijs opplet, morbis afficit: ſanitate illam miſerè ſpolians. Iniuſtitia ſiquidem in anima, eſt ignobilium partium animi à naturali lege diſsidium. Cum enim ſecundum Stoicorum nobile placitum, peccatum ſit perturbatio rationis atq; ordinis à natura pręſcripti: ſit illud neceſſario, vt peccatis ſeſe mancipantem animam iniuſtitia primum occupet. Quę (vt docet ratio Pythagorę) harmonię partium ipſius diſſolutio quędam eſt. Placet enim doctiſsimo viro, in cuiuſq; noſtrum anima harmonię inſtar eſſe Iuſtitiam: quæ actionum fila temperet. Hunc igitur nos ęſtuantis animi tumultum, ignobilium partium animi repugnantia quadam & à naturali lege diſsidio cõcitari idcirco dicimus: quia dum rationi ipſarum principi (cui natura ſeruire debent) obedire renituntur: exitioſę defectioni; rebellione illa improba, iniuſtitiæ morbo ſubiaceant. Quod, quo melius poſsit intelligi, operępretium me facturum eſſe arbitratus ſum: Si imperandi dignitates, quas Dialogo. 3. de legibus fideliter referens Plato, ſeptenario numero pręfiniuit: in pręſentia ipſe ſubtexerem. Eſt igitur, authore Platone, Imperij prima dignitas Parentum

Imperandi dignitates ſeptẽ ſecundũ Platonem.

Lucretius Poeta.

rentum in liberos : generoſorum in ignobiles proxima: [3] Tertia ſeniorum in iuniores : dominorum in ſeruos quarta [4]. Potentiorũ in imbecilliores quinta [5]. Quinimirum principatus plurimus, & quidem ſecundũ naturam in omni animantiũ genere vel maximè reperitur vt ſentit Thebanus Pindarus. Quibus accedit ſextus [6] ille, qui dignitatis eſt maximę: quo ignorantes ſequi iubentur, prudentes vero ducere ac dominari: [7] Septimum imperij gradum extremumq́ue ille poſsidet, cui, propitiante Deo, fœlicitate quadã Fortunę, ſortitione imperium obtigit. Ad quem cum ſumus locum neceſsitate ſortis redacti: iuſtum eſſe ducimus, vt is quem ſors delegerit, imperet : ille vero quẽ repulerit, pareat. Ex quibus perſpicuo apparet, inferiores partes animi, ſuperiori ac pręſtantiori, imperio quodam naturę, ſubiectas eſſe debere. Quarum ſi turpi aliqua ſeditione incipit eſſe peruerſio: actionum ipſarum harmonicus ille concentus, exoleſcente ſenſim per diſcordiam rhythmo, ſubito conticeſcit : non mouendas mentium iniuſtitia temerè fides attrectante. Sedet illa interim reiecta procul, aduerſarię ſuę ad tempus cedens, exultantis more, regio virgo mœſta, poſtliminium auidè expectans ſuum : quo ad reſipiſcentia mentis, priſtina iura recuperet : cunctaq; illa prorſus inſtauret, quibus malignitate iniuſtitiæ, aliqua fuerat iniuriæ clades illata.

SED VT reuertar eò, quod mihi fuit horum cauſa : naturę ſuæ vim, & præſtantiam animi penitus conſideranti hæc ipſa voluntatis & arbitrij tanta libertas, non inſtrumentum exitij erit: imó potius incolumitatis aduerſus vitia organũ erit, & fœlicitatis exordium. Nam ſi peculiare animi bonum iuſtitia magis eſt, quam ſanitas corporis : & vitioſum corporis habitũ eius ipſius functiones, actioneſq; naturę impedientem, pro ſe quiſq; ſtudioſè fugiẽtes aduerſãtur omnes, facileq; oderunt: neceſſe eſt, vt in vitia ipſa (quæ animi morbi ſunt) naturale aliquod adſit nobis odium : quod erumpentem temerè refrenet voluntatem, appetitumq́ue coerceat. Etenim ſi eorum quę nociua atq; inſalubria ſunt corpori, à corpore naturalis eſt fuga, curquę lędunt animum ab ipſo nõ erit abactio ? Cum pręſertim ſit huius illud organum : ac ſiquid in illo elaboratum eſt: animi ſit cauſa ſuſceptum? Nempe vt eiuſq; quaq; ancillaretur: & pareret velut principi.

Iam ne vides igitur, quamquam vis extima multos
Pellit: & multos cogit procedere ſæpe,
Præcipiteſq́; rapit, tamen eſſe in pectore noſtro
Quiddam, quod contra pugnare, obſtareq́; poſsit.

Vnde quęſo tam generoſus hic, & ſalutaris emergit effectus, niſi à naturali illa declinatione ac fuga vitiorum, quam citra vllius magiſterium, à natura ſumus edocti? Impẽdentem enim ſibi morbum mens intuita: at matura pręſtabili intellectus, & rationis inuicto clypeo hoſti procedit obuiam: ne animus ęgrotationi ſuccumbat : ſicq; turpiter ſemel aditu pateſacto, vtriuſque ex affrictu vel diſsipetur tranquillitas, vel perturbetur ſtatus. An ſcilicet, quę ignobilem noſtri partem corpus, eo ſenſu natura inſigniuit, vt caueret diligenter, quę ſibi viderentur obeſſe (quod eſt nobis cum animantium omnium commune natura) ſui ipſa operis inuida temere, pręſtabilem deſereret perfidè: aut propitia parum, negligeret? Atquì, non abſurdũ modo, verum ſummè etiam futurum erat iniurium, ſi digniori pars indignior videretur antelata. Nam cum gratia animę Deus conſtructionem noſtri corporis, & ſabricam ſit molitus: licet coagmentationis huius à ſe excogitatę diuinitus, ac mirificè concinnatę, partem nullam neglexerit, quod (artificis boni) ſuorumq; operum amantis, profecto munus fuit. Non erat tamen in opificio tam hebes, qui ſapientiæ cunctis opibus affluěs ineffabili quadam, humanumq; captum lõgè excedenti ratione, produxit & formauit de nihilo cuncta, vt maiorem à ſe vaſculi, quam pretioſiſsimi liquoris rationem pateretur haberi. Ita, qui defenſorijs quibuſdam organis ſapienter corpus inſtruxit : ſapientius longè, multoq; diuinius, propugnatorijs quibuſdam inſtrumentis animã noſtrã ornauit, atq; vndiq; communiuit: ne penetraturi ad ipſam vitij, facilis foret acceſſus. Cuius profecto rei poëtarum princeps Homerus ſub Vlyſsis perſona, quem mortaliũ omnium longè prudentiſsimum finxit, in Odyſſea nobis graphicè expreſsit imaginẽ. Quo in homine pręſtantior pars animi inferiorem ira concitam, ne temere reſiliat dictis caſtigat acerbis.

Tum pectus pulſans, cor ſic affatur Vlyſſes,
Hoc quoq́; cor perfer: nanq́; & grauiora tuliſti.

Vides quemadmodum nobilior mentes portio impetu cladis ebriam, ignobilem partem emolliat, ſenſimq; dictis leniat ? Ne in dedecus aliquod perturbati animi erumpat; ne ve timiditate aliqua fracti & abiecti pectoris, ab ſtrenui fortiſq; viri laude atq; officio deſciſcat ? Iam vero quid de Hercule dicam ? Cui cum Centauri ſanguine tinctam tuni-

tunicam illam feralem Deianira induiſſet, inhæſiſſetq; ita viſceribus: vt doloris magnitudine fractus, muliebri eiulatu vti ſubito cogeretur: ad extremum tamen ſe colligens ait.

Heu! virginalem me ore ploratum edere,
Quem vidit nemo vlli ingemiſcentem malo!
Sic fœminata virtus, afflicta occidit!

Cuius ex oratione, ſi iam quędicat cuncta perpendere velis exactius: tanquam duos in vno videre licebit homines, dolentem vnũ: alterum dolori ſuccumbi, angiq; vetantem: ad tolerantiamq; doloris in ipſa malorum clade, mentis excelſę bono & rationis ſola præſtantia, ſalutis ſibi opem & prę ſidia quęritantem: ac degeneris affectionis, etiam vitę in extremo halitu omnẽ ſibi prorſus aditum obſtruentem.

SED PROFECTO, vt eò, reuertar vnde decidit oratio mihi: ſunt nulla ſatis munimẽta inertibus atq; timidis. At animoſis fortib'q; viris abũdè magnũ propugnaculũ eſt: generoſi animi virtus excellens. Ita quam vitiorum declinationem ſalutariter cunctis natura ſapiens attribuit: haud pariliter nos quidẽ ſectamur in vita omnes. Multi enim animi imbellia ceſpitamus facile: robuſtiori alij pectore, ſeruant gradum. Neq; enim in vniuerſum rationis vſus aduerſus turbatiores animi impetus, ob eas, quas modo diximus, cauſas mortales cunctos armare conſueuit: aut præclara illa pectoris firmitate communire, qua idem author alibi Vlyſſem dicit affectum, in cuius laudem ſic ait.

Perturbati animi tolerabat fortiter æſtum.

Hinc magis atq; minus flagitijs ſumus obnoxij. Vt enim certamine Martis, ſi imbelliter animo deſciſcas procul armis abiectis, vt primeris vita facile eſt: ſi vero arrepto clypeo animoſè gladium diſtringas, tam in expedito non imminet nex: imò magis ſæpe victoria. Haud aliter profecto actionibus vitę cõtingit: facileq; eſt ferre triumphum: ſi prę ſcripti ordinis memor (quid à nobis natura ipſa flagitet & quam nos cauſam tuтемur) altius animo agites. Sed nimirum ſtultitia detenti, prauis dum affectibus (generoſi vi nulla pectoris obſiſtẽtes) facilè colla ſubdimus, falſo nos eſſe deſtitutos querimur armis. Cum omnium maximè animantium, decentiſsimis ſimus inſtructi: ratione atque manu. Quorum alteris reſiſtimus vitijs: alteris vim omnem externam impetumq; fugamus. Quod in primo de vſu partium humani corporis medicorum princeps Galenus (artificis cõditoriſq; omnium Dei magnitudine ſapientiæ ſtupefactus) profecto ſenſit, cum dixit. Homo igitur animalium omnium ſolus, cum artem ante artes in anima habeat rationem: optimo iure organum ante organa in corpore manum poſſedit. Non dedit artem vllam ne naturalem aliquã habere videretur, qui cunctarum mox erat peritiam habiturus. Sed à ſummo prępotentiq; Deo ſingulare quoddam, diuinum, artiumq; omnium capax, homo inſtrumentum accepit, intellectum atq; rationem: quorum munere capiẽdis, exercendiſq; artibus apti: atq; adeo ſuperandis peruincendiſque omnibus, quæ aduerſa homini eſſe vidẽtur, idonei ſumus effecti. Ita, ex particularis, peculiariſq; alicuius artis naturaliter ipſius animo nõ inſculpta peritia: vberior illi fructus, illuſtrior dignitas, hominiq; ipſi maior proculdubio acceſsit autoritas. At accepit in corpore manus, dices. Quid ni acceperit? inſtrumentum enim apprehenſorium eſt: vniuerſi corporis & vſibus congruens, & reſpondens aptè figuræ. Partes enim animantiũ ſingulæ particularia animi organa ſunt. At corpus ipſum generale animæ inſtrumẽtum exiſtit. Vtiles autẽ particulę hæ omnes haud dubiè ipſi ſunt animæ quippe cuius organum corpus eſt. Et propterea, vt hoc eodẽ lib. 1. Galenus docet, multũ differunt à ſe inuicem particulę animalium: quoniam ipſę animæ differunt. Quædã enim ſunt audacia, quædã timida: alia agreſtia, alia manſueta, alia veluti ciuilia & ſolertia: alia velut ſolitaria. Omnibus vero, aptum eſt corpus animæ moribus & facultatibus. Vnde naturæ ſuæ congruenti armorum genere, animal nullum deſtitutum eſt. Quamuis enim organorum varia ſit latè vndiq; fabricatio: ſuis tamen cuiuſq; animantis facultatibus, in primis apta eſt atq; vtilis valdè cõſtructio. Homini autem (ſapiens enim hoc eſt animal, & ſolum eorum quæ ſunt in terra diuinum) pro omnibus ſimul defenſorijs armis manus dedit inſtrumentum ad omnes quidem artes neceſſarium, paci vero non minus quam bello idoneum.

INCREDIBILE autem dictu eſt, vt conſtructionis mirabiliſsimæ vel hinc præcipuè initia auſpicemur, quanta diuinæ ſolertiæ dexteritas illuxerit in inſtruendo armis animante pro facultatibus animæ, quas erat exhibiturus: Primum meticuloſis pernicitatẽ pedum tribuit, vt ſalutem fuga quærerent: robuſta vero partim dentibus, partim vnguibus: partim cornibus inſtruxit. Timidis enim (vt opinio mea fert) velocitas quidẽ:

arma

arma vero audacibus conueniebant. Neque igitur (quod & Claudius ſentit ipſe Galen.) timidũ aliquod armauit natura: neq; audax & ſtrenuum quodpiam, nudum atq; inerme reliquit. Cuius rei fidẽ maximè faciunt ea, quæ de natura Deorum libro. 2. ſub. Q. Lucilij Balbi perſona Stoicis diſciplinis non aſpernabilis viri à M. Tullio dicũtur. Sed cũ vno, quod promiſi, id agam modò Lactantio: cui Chriſtiani more hominis altius exordia complexus, brutorum animantium declaratis armorum generibus: quãto nos pręſtantiori fœlicioriq; armatura à Deo ſimus inſtructi, vidit acutè profectò. Dedit enim homini (ait) artifex illę noſter, ac parẽs Deus ſenſum, atque rationem, vt ex eo appareat, nos ab eo eſſe generatos: quia ipſe intelligẽtia, ipſe ſenſus ac ratio eſt. Cæteris animantibus quoniam rationalem iſtam vim non attribuit, quemadmodum tamen vita eorũ tutior eſſet, ante prouidit. Omnes enim ſuis ex ſe pellibus texit, quò facilius poſſent vim pruinarum atq; frigora ſuſtinere. Singulis autem generibus ad propulſandos impetus externos ſua propria munimenta conſtituit: vt aut naturalibus telis repugnent fortioribus, aut quæ ſunt imbecilliora, ſubtrahant ſe periculis pernicitate fugiẽdi. Aut quæ ſimul & viribus, & celeritate indigent, aſtu ſe protegant, aut latibulis ſepiant. Itaq; alia eorum vel plumis leuibus in ſublime ſuſpenſa ſunt: vel ſuffulta vngulis, vel inſtructa cornibus: quibuſdam in ore arma ſunt dentes, aut in pedibus adunci vngues: nulliq́ue munimentum ad tutelam ſui deeſt. Si qua vero in prædam maioribus cedunt ne tamen ſtirps eorum funditus interiret: aut in eam ſunt relegata regionem, vbi maiora eſſe non poſſunt: aut acceperunt vberem generandi fœcũditatem, vt & beſtijs, quæ ſanguine aluntur, victus ſuppeteret ex illis: & illatam tamen cladem, ad conſeruationem generis multitudo ipſa ſuperaret. Hominem autem ratione conceſſa, & virtute ſentiendi atq; eloquẽdi data, eorum, quæ cæteris animantibus attributa ſunt, fecit expertẽ: quia ſapientia reddere poterat, quæ illi conditio naturæ denegaſſet. Statuit nudum & inermem: quia & ingenio poterat armari, & ratione veſtiri. Hactenus diuinè Lactantius. Quanquam non video, cum de animantiũ armis meminerit, cur in homine mentionẽ non fecerit manuum: quas naturæ humanæ peritiſsimus vir Galenus paſsim celebrat, atq; adeo cumulat laudibus. Acutiſsimis rationibus docens, huic armorum generi, miniſterioq; manuum diuino, quæ ſingulis brutorum animantium data ſunt: vel vniuerſis in commune tributa: non poſſe pacto vllo, arma aliqua comparari. Adeo organum hoc diuinum, decere hominem cenſuit! Quid, quod Elephanti propter eam, quæ huic belluæ cum humano genere intercedit, cognationem: quiddam quaſi manus ſimile datũ ducit, quam nos appellamus proboſcidem. Cuius ille, tã apte ad ea quę imperata ſunt, munere fungitur: vt in aſſe vel extorquendo ab inuito, vel petẽti reddendo: humanis præditus eſſe manibus videatur. Cum igitur tanta ratio diuinę ſolertię prouidẽtiæq; appareat non in hominis ſolum, ſed in cęterorum quoq; animãtium corporis opificio, atq; eius ipſius partium vſu, functione neceſſaria, atq; munere mirifico: eaq; ipſa ſplẽdidius multo, clariuſq; eluceſcat in mentis noſtræ, atq; animæ temperatione illa cœleſti & confirmatione verè diuina. Quis rectũ animi ſeruans, ſtudia noſtræ voluntati, & affectum mentis liberum impediri vel retardari poſſe Fortunæ maiori vi aliqua putet? Quaſi vero fieri poſsit, vt qui imperij tã ſæua lege ne muta quidem ligauerit: ſeruitutis tali aliquo vinculo conſtrinxerit hominem ſanctum animal.

QVOD CVM ita ſe habeat, haud erit ab re quid illi ſenſerint declarare: qui contrariam inſtituto noſtro partem ſecuti, dignitatis tãtum Fortunæ tribuendum eſſe putauerunt: vt cuncta illius imperio ſubiecta eſſe in animum induxerint. Quorum & ipſorũ quam fuerit vana ac fallax opinio: & ſententiæ pręter votum ſubita ſępe mutatio, & oratio locis multis conſentiens parum ſibi: per ſe ſatis ipſa teſtantur. Tanta veritatis eſt vis! Difficile eſt enim, cum ab huius orbita diſceſſeris, ſeruare conſtantiam. Id quod accidit nõ iniuria. Naturæ ſiquidem cum veritate cognatio magna eſt: habetq; ideo naturale diſsidium veritati repugnans oratio. Quapropter, cum falſum quod eſt, eſſe nihil poſsit ſtabile, aduerſante repugnanteq; natura: intelligendum eſt, deflexionem recti omnem periculoſam eſſe, & detrimento famæ coniunctam. Vix enim fieri poteſt, ne non ad extremum ęſtuantes corruãt, qui falſis dogmatum hypotheſibus moliri quippiam nituntur. Quod mediusfidius veterum quorundam & ridicula & vana eſt philoſophia patefactum. Cuius quidem rei in Thuſculanis quæſtionibus & in libris definibus teſtis eſt locuples M. Cicero: incõſtantiæ paſsim Epicurum ipſum arceſſens: Metrodorũq́ue

ſępe

ſæpe damnans, qui in omni turpi diſciplina Epicuri fuit collega ſapientiæ. A quibus cótra id quod aſſerere nitebantur, multa dicit pręclarè eſſe atq; vtiliter dicta. Cuius equidem rei à Lucretio poëta imaginem arbitror graphicè fuiſſe depictam: qui cum Epicuri de natura rerũ placita libris ſex perpetuo eſſer carmine amplexus: quid ageret, quáque cauſam defenderet oblitus: multa ſæpe dixit pro veritate. Cum omnia potius quam veritatis patrociniũ ſibi videretur eſſe ſuſceptũ. Sic enim poematũ ſuorũ libro. 1. ait, immortalitaté animę modo aſtrués, modo deſtrués

Cedit item retro, de terra quod fuit ante,
In terras: & quod miſſum eſt ex ætheris oris,
Id rurſum cœli relatum templa receptant.

Quod minimè erat cóſentaneũ illi dicere, qui c[?]orporibus ſimul animas interire docebat. Sed victus eſt vi ipſa magna veritatis. Ridiculè quamuis ꝙ ſequitur dicat in tertio

Primum animum dico, mentē quam ſæpe vocamus.
In quo conſilium vitæ, regimenq́; locatum eſt:
Eſſe hominis partem, nihilominus ac manus & pes
Atq́; oculi, partes animantis totius extant.

Atq; hæc quidem de natura & ſubſtantia animi diſſerens, dixit ſibi obloquens. Quam idem de mundi ætate fluctuet, ſibiq; diſcordet obſtrepens, erit mihi dicendum.

Iamq́; adeo fracta eſt ætas effœtaq́; Tellus.
Vix animalia parua creat, quæ cuncta creauit
Secula: deditq́; ferarum ingentia corpora partu.

Hoc ille ſecundo libro,

Scis eſſe in extremo. Cui quinti concinit illud,

Quare etiam atq́; etiam maternum nomen adepta
Terra tenet meritò, quoniam genus ipſa creauit
Humanum, atq́; animal propè certo tempore fudit.
Omne, quod in magnis bacchatur montibu' paſſim:
Aëriaſq; ſimul volucres variantibu' formis.
Sed quia finem aliquam pariendi debet habere,
Deſtitit: vt mulier ſpatio defeſſa vetuſto.

At, eſt operæpretiũ videre quam ſuæ deſtructor ſententiæ fœdè æſtuet ac ſecum luctetur ipſe: idq; hoc eodem libro quod eſt profecto mirandum. Nam in eis, qui & varia & multa ſcripſere: fieri ſolet, vt ſibi quandoq; excidant: quid longè remoto, proculq́ue diſiuncto loco pręceperint non recordati. At, tam in propinquo delinquere, & quid aſſeras non recordari: non obliuioſi, ſed hominis eſt proculdubio factum amentis. Sed videamus tandem quid ſit, quo ille tantum offenderit.

Verum (vt opinor) *habet nouitatem, recenſq;*
Natura eſt mundi. Neq; pridem exordia cępit.
Quare etiam quædam nunc artes expoliuntur:
Nunc etiam augeſcunt: nunc addita nauigijs ſunt
Multa. modo Organici melicos pepere ſonores.
Deniq; natura hæc rerum ratioq; reperta eſt
Nuper. Et hanc primus cum primis ipſe repertus
Nunc ego ſum, in patrias qui poſſim vertere voces.

O immortales Diui! Quid hoc mõſtri eſt? Vnde turpis hæc nota ingenio vatis inuſta? & congreſsione prima luculentum vulnus inflictum? Certè, ſi ad perpendiculum & lineam exactius cuncta reuoces: cum extremis prima omnino male cohęreant. Vnde igitur clades? Nimirum adeſt Nemeſis: hæc enim temeritatis eſt talio, vt ſibi quiſq; det penas. S I C nanq; conſentaneum erat illi cótingere: qui veram philoſophandi rationem ingenio Socratis adinuentam, conſignatam literis à Platone, Ariſtotelicoq; acumine locis multis ſæpe defenſam, affligere nixus eſt atq; funditus extirpare. Inſanientis enim dum ſapientiæ conſultus errat, Epicuri ſui placita fœda ſecutus: Animorum immortalitatem oppugnat: Deorum prouidentiam
negat (ſapienter ſi impugnata ac labefactata 1.
multorum, vnius & veri Dei aſſerere vo- 2.
luiſſet) religiones omnes tollit: commenti- 3.
tia eſſe Tartara, ipſumq; adeo Inferorũ no- 4. N.
men, & vanum & falſum ducit. Vitæ hominis ſummum bonum, corporis voluptate dimenſus. Quid enim aliud eiuſmodi impietatem ſequeretur, quam mentis ſumma cęcitas? & illorum tanquã ab incauto excidens ſæpe deſtructio, quę omnium maximè aſſerere niteretur? Et tamen cùm ſectę eius rationes, & ſcripta ita ſe habeant: corruptelę morum ſummus author, quod pulchra poemata panxit, probatur dulcedine vocum. Perinde quaſi ſuauiloquio, vera ſit animi poſthabenda pietas?

Q V O D ſi (vt rectiſsimè Apoſtolus ait) corrumpunt bonos mores colloquia praua. Ex mutis iſtis, taciti ſq; magiſtris: qui ſi leuiter ſunt attacti, tanquã ęs tinniens, magna crepare ſolent: eaq; interdũ ſuauia magis auribus, quam animo fructuoſa. Ij demũ à nobis ſtudioſè euoluẽdi lectitandiq; ſunt, quorũ ab intuitu atq; lectione: non tã ad politè elegáterq; dicendũ, quam ad piè ſancteq; viuendum mens noſtra longè effici poſsit ornatior. Nam authores omnes, legendi quodam ſtudio auidè velle ſcrutari: cum nondũ animo ſuas altè virtus radices egerit: nullusve ſit adeo, pectori noſtro fortius honeſti ſulcus impactus, vehemẽter ęquidé puto periculo ſum: teneręq; mẽti anxiè pertimeſcẽdũ. Tantiſper enim, dum præ ætate imitari animus

N. Autores quomodo legendi.

apum nequit induſtriam ex varijs ſuccis etiam quæ amariſsima ſunt, in dulcis mellis conuertens illa liquorem: interea vſq; ſcriptorum vaſtum pelagus, ſubere velle depto tranare, cum brachia, pedeſq; ipſi parum dexterè ſuo norint vti remigio: non eſſe tutum moneo. Quæ enim implumes adhuc, ad volandumq; infirmis alis nido egredi geſtiũt: faciles captu ſunt aues. Dumque ſe temere cœlo credũt libero ad terrã ſæpe decidunt. Plurimum igitur ad vitæ rationem intereſt: quibus doctrinæ ſacris à teneris initiere.

Prudenter nimirum in Protagora Plato, longe grauius in diſciplinis, quam in cibis emendis periculum eſſe dicebat. Siquidem qui à Caupone aut mercatore eſculenta emit & poculenta, poteſt antequam his veſcatur, in alijs quibuſdam vaſculis illa demum deferre. Ibique depoſita diligenter examinare: & aduocato aliquo iſtarũ rerum perito, quid edendũ bibendum ve ſit, quid non: quantumque & quando deliberare. Quam obrem haud graue eſt in emendo periculum. Diſciplinas autem non licet aliud in vas transferre: ſed neceſſe eſt, vt qui emit, eas animo capiat: & relicto pretio abeat, intra ſe ferens: vel inquinatus iam, vel ad meliora prouectus. Hæc ille. Ex quo fit, vt genyoęa ſanctæ doctrinæ, teneræ adhuc menti exceedere non ſit fas. Tum demum (ſi lubeat) contraria quoque viſurus, cum à profanis ſacra poſsit ſecernere: iudicioque animi rectè adhibito, vtriſque verum pretium perſoluere. Verum de his hactenus. Reuertendum enim illuc eſt, vnde ſum paulo ante digreſſus.

SED QVID hæc illi vſu veniſſe miramur, quæ ſunt poetę planè communia cum illis, qui patrocinium cauſæ turpe ſententia fouere ſunt auſi? Quorum nemo ſine aliquo præcipitio potuit in cauſa perſiſtere? Hinc illud eſt, à veritate deſciſcere nequis vt poſſit tam facilè ſalſitatis mordicus partes amplectens; & præfractè per iniuriam mendacij mala iura defenſans: quin in vi naturæ inferenda, ęſtuantis ſententię vim aliquam, ſibi ipſe non inferat. Id quod Marci Tullij Academicæ illæ quęſtiones, nobis exprimunt euidenter, quibus in libris eximius Orator atq; idem Philoſophus nobilis, Academiæ totam rationem damnat leuitatis. Acutè docens, quam non ſtultè modo ſed inconſtanter etiam decretum illud ſit dictum. NIHIL POSSE PERCIPI. Quod in hac hominum ſecta & floridum & celebre, facile ſemper eſt habitum. Nam præterquam quod nihil tam repugnet naturæ, quam aſſeueratio hęc turpiſsima ignorationis (eſt ſiquidem ſuaue pabulum animæ) indagatio & conſideratio omnis vniuerſę naturę: vnde cunctorum animos ſcientia paſci videmus, & rerum ali notitia) tum nihil eſt tam procliue, quam temerarij cæciq; dicti vim omnem (libeat modò) poſſe ſubuertere. Quippe, vt Hortenſius leniter poſtulabat, æquum erat, vt id ipſum, NIHIL poſſe percipi: à ſapiente perceptum eſſe concederent. Ac re vera, qui primus hoc protulit diſciplinæ ſuæ vim: fundamentumque omne ignorantiæ, quo nobis conabatur obſtrepere: ſententiæ huius prolatione labeſactare eſt, atque euertere viſus. Qui enim comprehendi aliquid poſſe negat: neceſſe eſt vt id ipſum iam ante habeat exploratum. Nil ſiquidem tam eſt temerarium, quam quicquam approbare non cognitum. Atque ita fieri, vt profeſsio omnis illorum breui hac vna aſſertione corruat. Sed neſcio quomodo pleriqne errare malunt: eamque ſententiam, quam adamauerunt, pugnaciſsimè defendere: quam ſine pertinacia qnid conſtantiſsimè dicatur exquirere. Quo nomine Orator nobilis ſtomachatur ſanè dignè reprehendens illos libere: qui neceſsitati ſectę alicuius addicti: ad quamcunque ſunt diſciplinam, quaſi tempeſtate delati: ad eam tanquam ad ſaxſi adhæreſcunt. Ita propoſitum ſuum vrgentes, ne orationis vllis irretiti teneatur anguſtijs, & ſubtilis tanquam diſputationis nodis aſtricti; id ipſum quod peti videtur honeſtè, recuſant maximè; planeque negant. Quod licet abſurde fiat, faciunt tamen congruenter. Non enim poteſt conuenienter dici, NIHIL comprehendi poſſe: ſi id ipſum comprehendi poſſe dicatur. Cui aſſentiens opinioni Lucretius quarto libro illud ſcripſit.

Deniq; nil ſcire ſi quis putat, id quoq; neſcit
An ſciri poſsit: quo ſe nil ſcire fatetur.

Ex quo fit, vt eiuſcemodi hominum cognitione rerum orationi nulla ſubiecta, præcepta nulla ſint artis: argumenti nulla vis, differendiq; ipſa ratio omnis eneruis; plane q; abſurda, ſolidi nihil ſtruens, ac ſecum ipſa diſſentiens. Sed de inconſtantia totius illorum ſententiæ (ſi vlla cuiuſquam ſententia eſſe poteſt nihil approbantis) eſt opinor dictum iam ſatis. Ex quibus omnibus illud efficitur, vt per ſe abunde magna

na ſit: atq; adeo res ſancta quędam, vis ipſa vſquequaq; veritatis. Veritate ſiquidē, vbi exactius cuncta rimere, profecto nihil eſt fortius. Falſitate contra, neq; æquè abiectū eſt aliquid, neq; perinde fragile atq; imbecillum. Meritò vt vulgo dicatur, falſitatis natura nihil languidius: infirmius nihil eſſe mendacio. Rectè ſanè. Exarmatum enim animal eſt, planèque edentulum: ſuiq; tantum exitij author ſtrenuus. Nec vero aſſertionis huius gratia comprobandæ obſignatis tabulis in authores libet agere, quod mihi in hoc genere cauſæ latius eſſet exequi liberum. Cōtentus enim eſſe debeo, ſi vno atque altero loco ſubiecto, perſuaſionis aliqua iam fundamenta iecerim: atque ea quidem tanto ſolida magis, quanto ſunt minus ambigua. Sed reuertar ad me.

IGITVR CVM hęc ſemper ita ſe habeant, factum illud eſt, vt nulli vnquam tam acriter ſecum pugnauerint: quam qui Fortunæ poteſtatem turpiter comminiſci, atque exaggerare ſunt auſi. Neque enim imprudentes, vt cæteri, quò minimè volunt, reuoluūtur: ſed quid agant verè ſcientes quaſi ad Breuia quędam & Syrtes macerant affligūtque ſeſe, ac damnant ſæpe ſententiā. Quod Horatio, Saluſtio, Plauto, vt de alijs interim ſileam, video contigiſſe. Qui errori huic vano hominum infantiliter aſſenſi: inconſtantia valdè laborant, ſuarum ipſi ſententiarum (non malè licet) facti tamen ſubinde refugi. Sed audiamus vatem dulcem, encomia Fortunæ canentem.

O Diua potens, quæ regis Antium,
Præſens vel imo tollere de gradu
Mortale corpus, vel ſuperbos
Vertere funeribus triumphos!

An potuit altius laudes Fortunæ exequi, longum ſi texeret opus: quam in ijs fecit verſibus paucis Horatius? Qui (contra omne fas) diuam ipſam non appellaſſe contentus: potentem dixerit, amplificandis mortalium rebus atque rurſum ſubitò contrahendis? Nam, quæſo, quid eſt aliud ſuperbos triumphos in funera poſſe conuertere: ni rerum quaſi ſceptrigeram pro arbitrio cuncta mutare: triſtia nunc lætis, ima nunc ſummis temerè permiſcentem? Verum quis illi faſces tradidit? Quis illi imperij tantam poteſtatem attribuit? Certè, ſi peruerſam ille gratiam gratificans Fortunæ blanditus eſt carmine, pro munere meſſuit infamiam. Sin autem vim hanc Fortunæ propriam eſt ratus: in Democriti puteo delite ſcentem tunc forte veritatem Flaccus nequiuit inſpicere. Nulla enim Fortuna ſummis valet ima mutare; & obuerſaria ſorte perſtringere. Sed harum rerum effector Deus eſt, qui ſapienter ſolus rerum omnium temperat clauum: & nihil vnquam ſtultè molitur aut temere. Cur hoc ſic accidit, inquies, quod nec Iuſtitia vlla, nec ſapientis aliqua ratione animi videtur eſſe peractum? Bona verba quæſo, ſingularis præpotentiſq; Dei omnibus in rebus & ſapientia ſumma elucet, & vndique ſplendet Iuſtitia. Sine cauſa etenim toto fit nihil in orbe. Cur hoc ſic eueniat, cadat cur illud aliter: nouit qui fecit, facilè cauſam Deus. Tu, quę mortalitatis captū excedunt, cauſas ne valde ſcrutere. Hic enim noſtrorū ſenſuum ſemitę anguſtæ nimis exiſtunt: parumq; valent altiora comprehendere placita. Si igitur veri aliquid in cauſa ſimili videre explorareq; amas: vnum dicito. Quia Deo placuit, ſic omnino fieri conueniſſe. Et quia fecit aut ſaltem fieri eſt paſſus, cauſam deeſſe non potuiſſe: & ea quidem longè optimam atq; omnium decentiſsimam. Hoc bonum: hoc ſanctum: hoc de Deo ſentire piū eſt: aliter putare, nefas: & credere impium fuerit. Non eſt ſapientis præter humanam ſapere velle naturam. Quin Horatij illud ſtatim occurrat animo.

Metiri ſe quemq; ſuo modulo ac pede, verum eſt.

Noli ergo altum ſapere: ſed time. At non aſſequimur cauſas, dices: atq; ideo multa nobis ſępe videntur abſurda. Non igitur infirmitatem ob tuam culpare Numen eſt iuſtū, quaſi ſine cauſa & iniuſtè quidpiam moliatur aut temerè: quod abhorret etiam à grauitate boni & ſapientis viri: tantum abeſt, vt in Deum cadere videatur: quo neq; ſapientius eſſe aliquid poteſt, neq; iuſtius cogitari. Rectè igitur Plutarchus, eum Epicuri decreta impia, quibus volebat Deum neq; ſui neq; alieni omnino curare quicquam, prudentia magna perſtringeret in libro de ſera Numinis vindicta, Facilius eſſe ait, Muſicæ rudes de muſica: ſeu inexpertos de re diſſerere militari: quam nos, cū ſimus homines, diuina dęmoniacaq; opera rectè cōſiderare, tanquam artis expertes, artificis intelligentiam, opinione ſolum & mentis conceptu temerè fortuitèque dijudicantes. Quemadmodum enim imperitus medici conſiderationem, cur ægrum non pridem, ſed poſtea inciderit: ſiue heri, non hodiè lauerit, conijcere haud poteſt: ita & de Deo firmū quid certumve aſſerere hominis eſt officiū

minimè; præter hoc ſolum, quod ipſe tempus optimè nouit, quo malitię medicinam adhiberi conueniat: ac tanquam pharmacũ vnicuique præbeat ſupplicium: quanuis nõ magnitudine, menſuraque æquali, ſeu tempore vno, eodemve in omnibus pariter medeatur delictis. Quod vero animę medicina quæ ius ac Iuſtitia appellatur, omnium aliarum ſit artium maxima: inter multos alios Pindarus quoque teſtatur, qui optimum appellat artificem, gubernatorem & Dominũ omniũ rerum Deũ: vtpote verę Iuſtitiæ factoré & creatoré: cui ſoli diffinire cõueniat, quando, quomodo: ac quo vſque ſceleſtorum vnuſquiſque plecti debeat. Hactenus vir ille Cheroneus. Ex quibus perſpicuum eſt, cauſas rerum: quæ à Numine fiunt, humanis viribus non poſſe indagari, neque induſtria comprehendi. Sed tamen ea eſſe optima: quæ diuinitas ſanxit. Quo in loco operępretium fuerit Terinęi cuiuſdam referre hiſtoriam Elyſij. Is enim cum de filij vnici immaturo obitu (vt in conſolatione Crantoris extat ſcriptum) grauiter mœreret: veniſſe in Pſychomantium dicitur, tantæ calamitatis cauſam cogniturus. Quò cum veniſſet præter fas, præterque iuſtum flebilis: à Dęmone quopiam porrecta homini tabula fertur, quę tres in hanc ſententiam omnino verſus habebat.

Ignaris homines in vita mentibus errant:
Euthynous potitur Fatorum munere læto:
Sic fuit vtilius finiri ipſiq; tibiq;.

Quibus inſpectis intellexit tandem Terinęus, humanis iudicijs vt maiora, ſic & meliora longè placita eſſe diuina: quibus nõ ſubito iraſcendum: ſed (ſi ſapiat) potius placide atque animo ęquo homini ſit vſq; quaque parendum, vtpote iuſtè & ſapienter vbiq; verſatis. Namque noſtris in rebus iniecta ſubitò apparet eſſe mutatio, eam quidē Deus inijcit, qui cuncta regit atque diſpenſat: non humanis (vt quidam volunt) rebus Fortuna inuida. Itaq; Dionis illud ex Charidemo ſemper in promptu habere profectò optimum fuerit: ſic enim ait, res noſtræ ita euenerunt, vt Deo viſum eſt. Nihil autem eorum quæ fiunt, graue exiſtimandum eſt: egrève, tanquam indignum ferendum. Siquidem, cum alij ſapientes, tum Homerus in primis nos admonet, hominibus non eſſe ſpernenda Deorum dona: rectè ſanè dona vocans, ipſa Deorum opera: vt quæ omnia bona ſint, & boni alicuius gratia fiant. Theognis etiam, qui inter Gręcos ſcriptores poeta ſapiens eſt habitus: ad ferendos graues caſus, qui in vita ſæpe accidunt, homines ipſe cohortans, Deorum enim Fatalia dona ſunt (inquit) quæ mortalis homo non facile effugerit. Cuius opinioni facit illud Homericum.

Dolia bina ſedent ſtellantis ſub Iouis aula:
Fataq; diſcretim bona ſunt hoc, triſtia in illo.
Cuiq; Deus dextra commiſcens, vtraq; porgit,
Nunc bona ſortitus gaudet: nunc triſtia mœret.

Cuius eſt Heſiodus ſententiæ facile aſſenſus: ſi modo vera ſunt, quæ in libris de curatione Gręcarum affectionum memoriæ prodidit Cyrenſis Pontifex Theodoritus, quæ lępida ſunt atq; varia vndiq; hiſtoria referti. Accedit huc Pythagoreorũ (ſententia mea) graue iudicium: qui eos caſus, quibus in vita exercemur atq; angimur, diuino accidere Numine non dubitarunt. Vnde in conſolatione ad Apollonium à Plutarcho rectè dicitur. Bene autē Pythagorici exhortati ſunt dicētes: quod diuina ſorte mortales habeāt dolores. Horum quancunq; ſortitus fueris partem ipſam patere: neq; indigneris. Huc etiam pertinet exclamatio illa Tragici Sophoclis, ô Dæmoni! Quam nullum eſt mortalibus effugium malorum, quæ illis congenita & diuinitus immiſſa ſunt! Quid epigrammaticus Phileas? Non lugeo te inquit, chariſsime hoſpes. Multa enim percepiſti bona: nunc vero malorum tibi ſortē Deus dedit. Sapienter itaque Sophocles ſic loquitur in Tereo. Triſtia ſunt hæc ô Progne! Sunt planè: veruntamen oportet mortales facili animo ferre Deorum dona. Verè igitur Menander: Nullus diuina ſorte infortunatus, vnquam triſtetur nimis. Forſitan enim naſcituri hęc boni occaſio fuerit. Præclare igitur Plato libro de Republica decimo. Monet lex (inquit) optimum fore, quā maximè in aduerſis quietem agere: & nequaquam excandeſcere. Cum nihil eiuſmodi, bonũ malumve cenſeri debeat, cuiquam ſit exploratũ. Calamitas enim, virtutis ſępe occaſio eſt, vt ait Seneca. At vero Fortuna nimis propitia plures euertit, authore Menandro. Calamitatum illa colluuies, quę ſanctiſsimos viros Abrahamum, Tobiam, Iobum atque Ioſippum multum diuque vehementer exercuit, ſummæ ad extremum fœlicitatis illorum auſpicium: eximię q; ipſorum bonitatis atque patientiæ, theatrum nobile facta eſt. Sed quid nos hæc ita vel fieri, vel vſu venire miramur? Diuinitus enim incuſſa homini plaga pro medicina eſt &

& aduerſus triſtiora mala antidoti vice fungitur. Quid quod interdum nos eſt patier à vita neceſſe, vt ait Comicus. Nimis enim elata, laſciunt: efferuntq; animos proſpera. Vnde non omnia ad votum ſuccedere, optandum eſſe nobis ſapientes viri pręcipiunt. Hinc humanarũ rerũ ſapienter inſtituta mutatio: quę mirifice mentes hominũ ad tẽperantiam erudit. Eſt igitur (vt à Terentio rectiſsimè dictũ eſt) rerum omnium viciſsitudo. Nec malè ſenſit profecto, quiſquis dixit. Calamitatis auſpicium miſerę, nimiam eſſe homini fœlicitatẽ. Nã, vt iã aduerſa ceſſent, quibus magna ſunt ſemper expoſita: ſatis illud eſt mali, mente excidere. Qui morbus, plurimum fortunatos infeſtat. Prudens ergo admodum Euripidis in Archelao conſideratio illa eſt. Iam dudum apud me Fortunas hominum cõſidero quomodo inuicem permutentur. Nam qui lapſus fuerat, rurſum erigitur: & qui prius fortunatè viuebat, cadit. Quid in Andromeda idem? Nullus ferè hominum adeò fortunatus eſt, quẽ nõ tandẽ aliquãdo Deus cõcutiat. Qua propter ceu admirabũdus, ita loquitur in Meleagro. Papè, quam cito res fortunatorũ, Deus inuertit! Cui concinit ſubtilis Ouidius, ait enim.

Ludit in humanis diuina potentia rebus:
Et certam præſens vix habet hora fidem.

Quæ cum ita ſe habeant, àd ſedationem animi vtile valde fuerit: mutationis tantæ effectorem mente Deum cognoſcere atque cognitum teuereri: cuius, vt ait Boethius.

Conſtat, æterna poſitumq; lege eſt,
Vt conſtet genitum nihil.

Quod vbi didicerimus, erit illud ſapiẽtis: in vita vti in teſſarę ludo: ſi deſtinatus animo iactus non cadit, ferre quem ſors dederit, placidè: cum ea, quę proximè ceſsit proſpere, ſiniſtrã in pręſentia ſortẽ ſedulo compenſantes. Tã enim eſt varia, multiplex, reciprocabilis mũdi huius harmonia, quam lyræ aut arcus eſt. Vt ſapienter docet Plutarchus. Nec in humanis quicquam eſt, quod purum, ſyncerum, ſimplexq; ſit. Verum vt Muſica ſonis acutis & grauibus conſtat: & grãmatica literis vocalibus & mutis: at muſicus grammaticuſq; eſt, non qui horum alterutris, illorũq; offenditur: ſed qui vtriſq; vti, miſcereq; accõmodatiſsimè nouit: haud aliter, ſapienter is demũ inſtituiſſe vitam videtur, qui diuerſiſsimos rerũ euentus, mutuoq; ſibi obuerſarios miſcere ſcitè didicit: ſecundos cũ aduerſis cõpenſando. Nam vt ſeorſum bona, mala ponantur: humanę vitæ commoditas non admittit. Sed temperamẽtum quoddã ex vtriſq; conflari conuenit. Si rectè de ijs ſtatuere volumus. Nõ eſt igitur conſentaneũ alteris eorũ ingemiſcere: & tanquam oneri iniquo ſuccũberę animo concidentes. Sed deterrimi cuiuſq; euẽtus vim atq; impreſsionẽ meliorũ rerũ recordatione retundere: omninoq; cõmodis incommoda veluti inuolucro quodam velantes, totius vitę tenorem ex proſperis aduerſiſque rebus concretum, ac coagmentatum, quaſi concentum quendam efficere harmonica ratione temperatum. Hęc de tranquillitate animi diſſerens monebat non iniuria Plutarchus. Qua propter, cum citra moleſtiam ętatem agere nulli ſit hactenus (vt Socrates ſentit) tributum: vtq; placet Euripidi,

Mortalis nemo eſt, quem non attingat dolor,
Morbuſq;.

Salutaria vitæ monita præcipientem præ oculis Plutarchum habere, vt & meus quidẽ animus fert, pſectò iuuerit valde. Stare enim vitę ſpecies nequit: ſed variat, vt vidit Alexis. Eſtq; haud dubiè verum illud Herodoti, humanarum rerum quendã eſſe quaſi circulũ cenſentis, qui rotatu iugi nõ temere permittat eoſdẽ vſq; fœliciter agere. Quã nos ceu irrequietę vertiginis rotam ne in vita admodũ miraremur, cur Deus optimus Maximus humanas res variabili circunſcripſerit motu, ſic in Pymãdro docet Ægyptius Hermes: generationis perſeueratio malũ ſurrepere cogit: eaq; de cauſa mutationem rebus Deus inſtituit, & ceu quãdam generationis ipſius purgationem. Moxq; ita ſubdidit. Deus ipſe in cœlum quidem ſerit immortalitatem: in terram vero mutationem.

. . Sic rerum ſumma nouatur
Semper: & inter ſe mortales mutua viuunt.
Augeſcunt aliæ gentes: aliæ minuuntur,
Et quaſi curſores, vitai lampada tradunt.

Vt ait Lucretius, non tamẽ ea forma, qua ſenſit homo impius. Neq; enim munera vitę ab homine quiſq; mutuatur: ſed humano ſatu, & diuina gratia editi, in parentũ ſenſim decidentiũ, ac in mortem tandem naturę lege procumbẽtium: nos illorum poſteri ſubrogamur. Fitq; eo pacto, per maris & fœminę cõiunctionem aſsiduè recidiuo ſemine, genus hominũ immortale. Cui alioqui ſpecie ſua in dies exhauſta, imminere mors poterat, periculũq; creari. Quo nũc remedio à Numine cõſtituto, ab interitu vindicatur. Quod erit ſanè nobis multo lucidiꝰ, ſi quæ de ſpecie rerũ ac genere in Aſclepio Hermes

docet in mediũ adduxerimus. Species (inquit) generis eſt pars: vt homo, humanitas. Quã neceſſe eſt, ſequi qualitatẽ ſui generis. Vnde efficitur, vt quamuis omnia genera ſint immortalia: ſpecies tamen non omnes immortales ſint. Diuinitatis enim genus, & ipſum & ſpecies immortales ſunt: reliquorum vero genera, quorum ęternitas eſt generis, quanuis per ſpecies occidat: naſcendi tamen fœcunditate ſeruatur. Ideoq; ſpecies mortales ſunt, vt homo, mortalis: immortalis, humanitas. Atque hæc quidem ille hactenus. Mutationis autem noſtrarum rerum cauſas nõ ille quidẽ indoctius Triſmegiſto, in ijs, quę de republica ſcripſit Pythagoreus ſic Hippodamus exequitur. Omnia ſanè mortalia propter neceſsitatẽ naturę in mutationibus voluuntur: dum aut à meliori ad deteriorem ſtatum tranſeunt: aut contrà. Res enim natæ augentur: auctæ, vigent: cum viguere, ſeneſcunt: & tandem corrumpuntur. Accidit autem corruptio rebus à natura productis: dum per ipſam naturam ad inuiſibilem eius terminum rediguntur. A quo rurſum ad mortalem ſtatum conueniunt, per mutuas generationis & corruptionis vices: quæ ambitu reciproco talẽ circulum conſtituunt. Quædam propter humanam ſtultitiã, prę luxuria & ſatietate feruentẽ interitum ſibi accerſunt. Quinetiam familiæ & ciuitates magna fœlicitate turgẽtes, ampliſq; opibus abundantes, vna cum bonis ſuis tantopere laudatis peſſum eunt. Sed omittam cætera: ne aut curioſus valdè, aut ambitioſus nimis eſſe videar. Cum ex his, quæ adducta ſunt, viciſsitudinis huius humanæ cauſa, amplius eſſe nequeat obſcura. Eaque ipſa (ſi cordati vtriq; eſſe volent) afflicto, ne deſperet: ſuperbo ne tumeat, ſatis ſit. Cum humana cuncta intelligant ſolita eſſe mutari: & huius tantæ mutationis authorem Deum eſſe: qui arrogantium ſæpe ceruices contundit, perſringit, conterit. Proiectum ſic, atque humilem, interim efferens, ſubleuans, erigenſque: non vltra iam caducis honoribus. Quod cum inſanæ alumnus ſapientiæ, & Epicuri cultor diſciplinæ, non vidiſſet, Horatius, exiſtimaſſetque potius Fortunæ cæcæ impulſu, non prouidentia Dei, diuinoq; effici conſilio quæ homines paterentur: vbi Stoicis rationibus animum excolere inſtituit, mentemque cœpit Socraticis chartis imbuere, mutatus ſubitò, prouidentiam Dei celebrauit verſibus, inquiens.

Parcus Deorum cultor, & infrequens,
Inſanientis dum ſapientiæ
Conſultus erro. Nunc retrorſum
Vela dare atq; iterare curſus
Cogor relictos. Nanq; Dieſpiter
Igni coruſco, nubila diuidens,
Plerumq; per purum tonantes
Egit equos, volucremq; currum
Quo bruta Tellus, & vaga flumina,
Quo Styx, & inuiſi horrida Tænari
Sedes, Athlanteuſq; finis
Concutitur. Valet ima ſummis
Mutare: & inſignem attenuat Deus
Obſcura promens. Hinc apicem rapax
Fortuna cum ſtridore acuto
Suſtulit. Hic poſuiſſe gaudet.

Si ergo obſcura promens attenuat Deus inſignem: valet quia ſummis ima mutare, haud dubiè, qui humana caſus rotæ inſtar videntur circumagere, rerum omnium gubernatoris Dei ſapienti conſilio accidunt: non Fortunæ rebus noſtris temerè præſidẽtis. Nullo enim Fortunæ nutu hominum vita regitur, noſtręq; res agũtur, ſed ſummi ac prępotentis Dei: cuius (vt de Diuinatione ſanctè teſtatur Cicero) numini cuncta parent. Vnde præclarè ad filium poëta ſapiens Simonides: O fili! penes ſe habet Iuppiter altitonans fines rerum omnium, quæ fiunt: & pro arbitrio ſuo diſponit. Cuius quidẽ ſententiæ Epicteti illud mirificè congruit. Tu quidem ó Cirne paupertatem, rerumq; indigentiã haud quaquam obieceris cuiquam Iuppiter enim bilancem bonorum aliàs aliter inclinat: modo ad diuitias: modo ad pecuniarum inopiam. Atq; alibi multo pręclarius: cum ait. Omnes profectò erramus animis homines: & lance Deorum diſtributa diuerſa dona ferimus pectore inſipienti. Quod cum ita ſe habeat eſſe nihil Saluſtio poteſt dementius, qui ait. Sed profecto in omni re Fortuna dominatur. Nihil etiam Marone vanius, qui & ipſe omnipotentem appellat: Theophraſto nihil indignius, qui contra Philoſophiæ debitam grauitatẽ: impiam illam ſententiam in Caliſthene (qui de beata vita liber eſt) proferre non ſit veritus.

Vitam Fortuna regit, non ſapientia.

Nihil enim claro alioqui Philoſopho, beatitudinemq; quęrenti minus congruebat, quã iuris tãtũ Fortunę arrogare: vna vt vitę, ſic & rerum omnium ſanctiſsima moderatrice ſapientia planè neglecta, & ſine cauſa turpiter faſtidita. Quo vno tam temerè,

tamq;

tamq; abſurdè poſito: Philoſophorum omnium in ſe armauit manus, qui ſummis hominem maledictis inceſſentes, vęcordiæ illius fortiter reſtiterunt. Negantes ab eo, qui ſeſe & haberi cuperet, & Philoſophum profiteretur dici, quidquã potuiſſe languidius. SED RElinquam hos omnes, veniamq; ad vnũ Plautũ, qui & ipſe Fortunæ patrocinio turpiſsime delectatus, ſic in captiuis dixerit. *Fortuna humana fingit, arctatq; vt lubet.*

Malè profectò ipſo cum genere hominũ actum à numine foret: ſi tam peruerſam cęcamque dominam noſtra eſſet vita ſortita. Quid? quod ne ipſe quidem hominis conditor Deus iuſtę expers inuidię fuiſſet, ſi operum ſuorum longè omnium nobiliſsimũ Fortunæ ſiuiſſet regendũ? Quę enim maior eſſe poſſet inſcitia, cum omnibus in rebus ſummi illius Diuûm hominumq; parentis, ac mundi huius & cœli (cuius ambitu cuncta teguntur, ter Optimi quaterq; Maximi artificis prouidentia ſingularis eluceat) quẽadmodum à Triſmegiſto in Pymandro, & à M. Cicerone. 2. de natura Deorum, & à Claudio Galeno paſsim in libris de vſu partium: & è noſtris à Firmiano Lactantio in libro. de opificio Dei, memorię eſt diuinitus traditum. Vnum hominem (cuius manifeſtum eſt, fuiſſe cuncta ditioni ſubiecta) genitum ita fuiſſe, vt in eo elaborando, quę tam vbiq; verſata eſſet egregiè, prouidentia ceſſaret, ſolertię ſuę prorſus oblita. Non ſolum non contenta nudum, inermem, animantiũ q; cunctorum fragilem maximè produxiſſe (quod ipſum à quibuſdam eſt Philoſophis ſępe conqueſtum) ſed & inſuper hac miſerũ nota traduceret, vt caſuum Fortunęq; leuitati exponeret: quem ſemel creatarum à ſe rerum dominum eſſe, atque principem voluiſſet: ſibi tantum vni cedentem. Vt ſcilicet beneficio diuino (ſi gratus eſſe pergeret) cũ ipſo vitę munere rerum omnium principatum aſſecutum fuiſſe ſe, reminiſci poſſet. Quem igitur vel ethnicus Cicero libro de legibus primo pręclara quadam conditione à ſupremo Deo dicit generatum: quod videlicet ex tot animantium generibus atque naturis notitiam Dei habeat: intelligentięq; ſit & rationis particeps factus, cum cætera ſint omnia expertia. Et, quem miraculum magnum haud iniuria vocauerit Triſmegiſtus, honorandum & adorandum animal, quod videlicet quaſi ipſe ſit Deus, in Dei naturã tranſeat. Sic enim in Aſclepio autumat. Quãdoquidem ſolus homo ex vniuerſis terrenis animantibus duplicis naturæ cenſetur: mortalis quidẽ propter corpus, immortalis autẽ propter hominẽ ipſum cõſubſtantialẽ. Immortalis enim eſt, cunctorumq; arbitriũ obtinet. Cætera vero viuentia, quę mortalia ſunt, fato ſubiecta patiuntur. Itaq; rectè idẽ ipſe Triſmegiſtus. At pater omnium, intellectus, vita & fulgor exiſtens, hominem ſibi ſimilem procreauit, atq; ei tanquam filio cõgratulatus eſt: pulcher enim erat, patriſque ſui ferebat imaginem. Deus enim re vera propria forma nimirum delectatus: opera eius omnia vſui conceſsit humano.

CVI IGITVR ſummus ille opifex rerum tantum fauoris indulſit: quem ſupra cæterorum conditionem animantium tam euexit altè: tamq; ab ignobili omni natura longè ſeiunxit, vt ſibi dumtaxat fecerit vni cedentem: hunc ſcilicet ſit credibile infra omnes infimos animantes conſtitutum, genitũ ita fuiſſe vt ſeruiret miſerè: ac Fortunæ inſanę vſq; quaq; ancillaretur. Non ita eſt, abſit immane nefas. Neq; enim more hominũ Deus tam excors eſſe, atq; adeo cæcus potuit: vt imaginem ſuam tam miſerabili ſeruitutis iugo premi: vel iniuria affici, ſine cauſa pateretur. Imo potius quę ſua eſt prouidentia ac ſumma bonitas: cum mirabili quadam commixtione ex diuina & humana natura hominem coagmentaſſet, ita eum poliuit atq; vndiq; tẽperauit: & ingenij opibus dotibuſq; animi inſtruxit, ornauit atq; muniuit: vt illius ſapientiæ mortalia cuncta dominij iure cederent, & parerẽt velut principi. Qui excelſę mẽtis bono ſuam ipſe iam naturam perſcrutatus: vbi ſocietatem carnis cœpit refugere, & à contagione ac turpi obſequio corporis procul abeſſe: Fortuna omni longè maior & valentior conſtitutus, ac ſui ipſe iuris particeps, & voti compos effectus: mortalium omnium rerum ſolus exiſtit arbiter: inter nata cuncta ſibi vẽdicans palmam, poteſtatem atque dominium. Vt enim pręclare apud Muſonium extat ſcriptum homo in vniuerſum ſolus omnium in terra degentium Dei imago eſt: & ſimiles ei virtutes habet. Nam ne inter Deos quidem pręſtantius aliqua excogitari poteſt, quam Prudentia, Iuſtitia, Fortitudo, & Temperantia. Quemadmodum igitur Deus propter iſtarum virtutum pręſentiam, à voluptatę & auaritia vinci nequit, ſuperatq; omnem cupiditatem, inuidiam & ęmulationẽ: magnanimus, beneficus, & hominum amans eſt (talem enim Deum eſſe animo cõcipimus)

ſic & imaginem eius, videlicet hominem ſimiliter ſe habere exiſtimandum eſt, cum ſecundum naturam viuit: & ſic ſe habentem, deſiderabilem & ęmulatione dignum eſſe. Qualis cum ſit, ſtatim & fœlix fuerit. Non enim alios quam fœlices ęmulamur. Atqui, talem fieri hominem, impoſsibile non eſt. Neq; enim alia de re virtutes iſtas animo cōcipere poſſumus. Hęc de ſenectutis viatico diſputans Muſonius prodidit chartis. Nunc de vita hominū differens Pythagoreus Euryphamus quid pręceperit, non erit negligendum. Hominis autem perfecta vita (ait) inferior quidem eſt Deo, quod non per ſe ſit perfecta. Brutis autem animalibus præſtat vtpote virtutis & fœlicitatis particeps. Nam neq; Deus vlla cauſa extrinſeca indiget, vt qui natura bonus exiſtens & natura fœlix, perfectus ſit. Nec vllum animal brutum, virtutis aut fœlicitatis capax eſt. Cum enim rationem non habeant, ſcientiæ actionum quoq; expertia ſunt. At hominis natura auxilio eget: quod partim ex propria voluntate, partim à Numine ei accedit. Quatenus enim rationes imaginatur, honeſta & turpia cogitat, à terra erectus eſt, & in cœlū reſpicit, & ſummos Deos contemplatur, diuina ope fruitur. Quatenus autem voluntatem & propoſitum, & tale principium intra ſe habet, per quod libere poteſt ſtudere virtuti, & malitiam ſequi, & Deos colere, & ab eiſdē auerti, proprio motu vtitur. Quamobrem qui virtutem aut vicium ſecuti ſunt, vituperantur vel laudantur: & honore vel ignominia afficiuntur: partim diuinam, partim humanam ob cauſam. Sic enim omnino ſe res habet: Deus hominem pretioſiſsimum animal in mundum collocauit, ſuæ quidem naturę penè ęqualem: inſpectorem vero rerum ordinationis futurum. Quamobrem illa nomina rebus impoſuit, quę notæ ipſarum eſſent. Literas etiam inuenit, memoriæ theſaurum inſtituens: & vniuerſitatis conſtitutionem imitatus eſt, iure ac legibus ciuitatum communionem concinnans. Nullum enim tam egregium in mundo, & Dijs dignum opus ab hominibus factū eſt, quam ciuitatis bona legitimaq; inſtitutio, ac legum & reipublicæ adornatio. Hæc Pythagoreus homo iuxta veteris diſciplinę placita de Deo atq; homine ratiocinatus eſt nō illepidè. Quocirca minime mirandum eſt, Triſmegiſtum Mercurium humanam exaggerantem naturam, hominem ipſum diuinum animal eſſe, neq; cum terrenis brutis, ſed cum Dijs cœleſtibus comparandum, cēſuiſſe. Homo verus, vel cœlicolis pręſtātior eſt (inquit) vel ſaltem pari ſorte potitur. Etenim quicunq; cœlitum deſcendit ad terram cœli limitem deſerit. Homo autem aſcendit in cœlum, illudq; metitur. Nec eū fugit quę ima ſunt, quæve ſublimia: ac reliqua omnia diligenter inquirit. Quodq; maius eſt, terram quidem haud dimittens, in cœlum attollitur. Tam ampla eſt humanę naturæ poteſtas! Quamobrem Hermetem ſi ſequare, audendum eſt dicere. Hominem quidem terrenum, Deum eſſe mortalem: Deum vero cœleſtem immortalem hominem. Hæc in omni ſcientia vir maximè excellens in Pymādro docebat Triſmegiſtus. Ex quibus perſpicuum eſt, mortalium vitæ omnia potius vſu eſſe ventura, quam hominem ipſum Fortunę pariturum.

NAM PRÔ DIVVM atq; hominum fidē! ſi homo maximè voluptarius Metrodorus ſapientia animi comparata ſibi, vſque adeo Fortunę acerbius ingruentia tela potuit cōtemnere, illius vt omnem aditum à ſe eſſe glorietur obſtructum. Si collega eius ac ſigniſer in omni turpi doctrina Epicurus, vllas eſſe negat in ſapientē vires Fortunæ. Si, eam ipſam, vt iam poſsit aliquid, perexiguam cēſet interuenire ſapienti, ac ceū manco in illū (vt Flacco placet) pede ſemper incurrere. Si in omni Philoſophia vir maximè excellens Ariſtoteles de Fortuna diſceptans, prudentiſsimè opinatur, vbi ſuas partes ratio teneat, minimum ibi loci Fortunæ poſſe relinqui. Si Aſcręi tandem vera ſunt carmina vatis.

Optima (crede) iuuat rerum prudentia cunctos.
Læditur aduerſo, qui negligit, vndiq; Fato.
Fœlices operum ſucceſſus ab Ioue ſummo
Hinc capies.

Intelligemus nimirum, triſtioris aut ſecundioris euentus vim non tam à Fortunæ temeritate, quam ab animi noſtri tranquillitatē vel concitatione, mentiſq; adeò ipſius ſedulitate aliqua, vel affectione contraria, originem ducere, principiaq; ipſa trahere. Id quod Plautina in Perſa teſtatur vere Toxilus. Ait enim.

Si quam rem accures ſobriè aut frugaliter
Solet illa rectè ſub manus ſuccedere.
Atq; ædepol fermè vt quiſq; rem accurat ſuam
Sic ei procedit poſt principio deniq;
Si malus aut nequam eſt, malè res vortunt, quas agit.
Sin autem frugi eſt, eueniunt frugaliter.

Deum

Deum immortalē? ratione exactius inita, quanta fouetur ſpe proſperè euenturi negotij! Sic enim ad extremum ſuam ipſe orationem finit.

Hanc ego rem exorſus ſum facetè & callidè:
Igitur prouenturam benè, confido mihi.

Quod cum ita ſe habeat, mirari quidem ſatis nequeo hiſtorici inſcitiam Saluſtij, qui contra perſpicuę ipſa iura veritatis, falſo omni in re dominari Fortunam dixerit. Neque hoc contentus, res illam cunctas ex libidine magis, quam ex vero celebrare atq; obſcurare prodiderit. Quam poſt paulo coarctās ipſe ſententiam, ſic in Iugurthę hiſtoria loquitur. Humanarum rerum plęraq;, Fortuna regit. Atq; hinc eſt, quod in prima ad Cęſarem de ordinanda republica oratione, ab ipſo imperio Fortunæ (quo vult res mortalium ſemper adminiſtrari) euentorum fila metitur. Sic enim ait, quin etiam praua magis quam bona conſilia proſperè eueniunt: quia plæraſque res Fortuna ex libidine ſua agitat.

SED QVOMODO, ô omnium ſtolidiſsime, pleraſq; mortalium res regere Fortuna poteſt? Aut quo pacto, rectè conſulta proſpero fraudantur ſucceſſu: ſi quaſi ferraria aliqua in officina, malleo incudeq; noſtra cudi, & tornari cenſes actiones? Hac enim in oratione; qua vis auſpicijs ac ductu Fortunę, Mortalium fermè regi cuncta negotia: ea ipſa tu vim omnem fortunę peruellis ac labefactas. An oblitus es illud, quod in veſtibulo huius dixeras orationis? Sed res docuit, id verum eſſe, quod in carminibus Appius ait.

Fabrum eſſe quemq; fortunæ.

Quid illud alibi? Sed dux atque imperator vitæ mortalium animus eſt: qui vbi ad gloriam virtutis via graſſatur, abundè pollens, potenſque eſt neque Fortunæ eget, quippe quæ virtutem, probitatem, induſtriam cęteraſque artes bonas neq; dare neque eripere cuiquā poteſt. Si igitur ſentētię memor es tuę: Si appius benè ſentit? Si prodis vera ipſe: Qui actionum noſtrarum eſt arbiter, atq; idem Fortuuæ artifex animus in culpa eſt: non Fortuna quæ fingitur humanis inuida bonis. Itaq; hunc ęquius culpare fuerit, quam innocuam Fortunam traducere. Conſilio enim iudicioq; noſtro res in vita geruntur: non cæcę arbitratu Fortunæ. Proin, qui ingenio iniquo & prauo, maliſq; moribus prædıti, vitio animi in egeſtatem, calamitatem, ac morbum: aliaque id genus mala inciderunt (quę dicuntur Fortunæ vel corporis) cum Fortunam accuſant: improbitatem ipſi arguunt ſuam; ac deſidiā reprehendunt. Quæ infœlicitatis, triſtioriſque euentus quaſi ſatores quidam habētur, vt rectè eſt à prudentibus dictum. Qui igitur Fortunæ cónatum reprimere, furoris aciem retundere, vimq; omnem illius labefactare ac ſubuertere volet, SIT SAPIENS, nullo ſiquidem inſtrumento melius atque efficacius impotentiam eius, furibundumq; impetum ludificari quis, vel vlciſci poterit: quam ſi ſapientiæ opibus communitus illi procedat obuiam. Cuius rei haud ignarus M. Cicero ſapienter illud protulit, VSQVE QVAQVE ſapere oportet. Id erit telū acerrimum. Rectè ergo Plautina in Trinummo ſenex ille Philto, cum Lyſiteles adoleſcens filius petiſſet ab eo vt amici ſui cuiuſdā ſubleuaſſet inopiam: pollicitus quę volebat facilè: vbi intellexit perdito cuidam iuueni, qui ingluuie atq; ſcortatione paterna bona diſsipauerat, filium dare operam: ſic illum tandem alloquitur.

Non ædepol tibi pernegare poſſum
Quicquam, quod velis, cuius egeſtatem tolerare
vis: loquere
Audacter patri. Lyſ. *Leſbonico huic adoleſcenti,*
Charmidæ filio,
Qui illic habitat. Philt. *Qui comedit quod fuit,*
quod non fuit?
Lyſ. *Ne opprobra pater. Multa veniunt homini,*
quæ volt, quæ ne volt.
Cui ſubiratè mox haud temere, ita pater.
Mentire Ædepol gnate. Atq; id nunc facis haud
conſuetudine.
NAM SAPIENS. *quidem pol ipſe fingit Fortunam ſibi.*
Eò ne multa, quæ ne volt eueniunt: niſi fictor malus
ſiet.

Vult igitur cordatus ſenex, per ſtultitiam homines ſibi mala cuncta ciere: per prudentiam vero facile propulſare. Ac fortaſsis in hanc ſententiam deflecti non incommodè poterit celebratus iſte verſiculus.

Qui volt quod volt: ita ei dat ſe res: vt operam
dabit.

Quem non equidem video cur ita infamarit Cicero, malorum ipſum omnium ſeminatorem dictitans, de natura Deorum libro. 3. Nam vt interim demus fieri poſſe, ne ſucceſſus reſpondeat operę, quod opinor ideo fit, ne viribus noſtris admodum ipſi fidamus, ne ve ab animi vigilantis induſtria euentorum tumidè vſquequaq; fils metiamur: ſed Deum eſſe putemus, qui euentus

ſecundos largitur. Tamé quis non videat: ſi-ſuicuiquiq; mores ſortunam fingunt, vt eſt à veteribus dictum, induſtrijs & cautis ſplédida cuncta: inerti & incauto homini ſiniſtre infauſteq; omnia vſu eſſe ventura. Hoc nimirú illud eſt VSQVEQVAQVE ſapere oportet, cuius paulo ante meminimus. Vt enim rectè gerendarum rerum inſtrumentum eſt efficax diligentia: ſic ad euertendas res nata ſegnitia eſt: pœnitentiæ organum multò notiſsimum. Hinc ſiniſtrum alijs genium adeſſe: alijs bonam propitiamq; Fortunam ſuppetias quaſdam ferre, non ſemel vulgo dicitur. Cum naturam rerú exactius reputanti: oſcitantiæ humanæ ſupplicia ſint illa, hæc induſtriæ noſtræ vera ſint præmia. Sapienter enim illud eſt dictum. Qualem ſementem feceris: ita & metes.

MISERIARVM igitur huiuſcemodi cauſa cum ſit animi ſola deſidia: audent tamen male conciliati quidam homines, ſeruili & obnoxio ingenio pręditi, iniquitatis geniú poſtulare: atq; proprię ipſorú culpæ Fortunam reá agere. Neq; his cótenti, tragicis ceu furijs exagitati, maledicút cœlo: núc ſidera nunc Fata, & naſcédi duras leges ſtultiſsimè culpátes. In quos Chęronei Plutarchi ad Apollonium inclytum extat elogium. Multi (inquit) omnia criminantur: quæcumq; ſibi præter ſpem contigerunt, ex Fortunæ & Dęmonum violentia fieri arbitrantur. Aduerſus quos dicere quiſpiam poſſet, Deus tibi nocumento non eſt: ſed tu ipſe tibi: & quæ ex imperitia proficiſcitur. ſtultitia atq; dementia. Næ ille, & rectè.

Nam qui deſidiam laxumq; ſequetur inertem,
Dum fugit oppoſitos incauta mente labores,
Turpis inopſq; ſimul miſerabile tranſiget æuum.
At quiſquis duros caſus virtutis amore
Vicerit: ille ſibi laudemq; decuſq; parabit.

Quę igitur maior eſſe poſsit amentia, quã cum Deo importunè rixari: quod ſtertenti ac nihil vſq; curanti tibi non omnia fortunet: èq; tuo ſtulte pendere cuncta minime ſit paſſus arbitrio? Atquì Spartiatis cordatiſſimis viris, ſic enim accepimus, niſi prolata manu, Fortunam inuocare neſas erat. Nempe, vt innuerét, ſedulis atq; adeo operi accinctis, præſentem eſſe Deum: alijs ceu abſentem exiſtere. Hinc tritum illud Heſiodi.

Segnes animos & inertia corda
Oderunt ſuperi.

Cuius ſententię Catonis illud apud Saluſtium vel maximè adſtipulatur. Non precibus, neque ſupplicijs muliebribus Deorum auxilia comparantur: Vigilando, agendo, rectè conſulendo proſpere omnia cedút. Vbi ſocordię atq; ignauiæ te tradideris ne quicquam Deos implores, irati infeſtique ſunt. Vnde Carthaginenſis Hannibalis meritò eſt ſolertia laudata. Cum enim vniuerſus exercitus anxia perplexitate ſuſpenſus pugnam detrectaret, ob oraculi varietatem, ſecunda nunc, nunc aſpera pollicentis: ſiniſtra ad lęuam, bene promittentia ad dexteram iuſsit appendi, conſcenſoq; ſuggeſto ait (ſi patriæ virtutis memores ducem (eritis ſtudioſè ſecuti: hæc vobis reddita ſunt oracula, oſtenſis ſecundioribus. Sin autem pręſumpta animo imbellia, pugnantem cupitis Imperatorem prodere, & ſalutem ſuga quęrere, haud dubiè hę veſtrę ſunt ſortes, demonſtratis aſperioribus. Nec cordate minus fecit apud Pruſiam. Cum enim rex magna belli occaſione exercitus recuſaret miſcere, quod exta prohiberent, Tu, inquit, rex curunculæ vitulinæ mauis credere, quam veteri Imperatori. Quas ob res, non hercle de nihilo eſt quod nobilis ille dux Poſthumius fractos militú animos, quia ſemel atq; iterum infœlici eſſet Marte pugnatum: ſic ad pugnam erexit. Differuntur interdum, vt maiora acerbioraq; ſint debita ſupplicia. Cęterum oportet vos viri fortiſsimi nihilo ſecius adniti, vt victoriam ex hac acie reportemus. Fauét enim Dij pietati, fauent Iuſtitiæ: ſed huic quę nó imbellis, non ignaua ſit. Neq; enim illi ſponte proiectum erigunt; ceſſantem ve in vltionem ſuſcitant: ſed in acie ſtantem, pia & honeſta tuentem iuuant, ſuoq; protegunt numine. Cui nimirum ſententiæ, vel maximè adſtipulatur vetus illa parœmia, DII FACIENTES adiuuant. Quæ omnia huc nempe redeunt, vt intelligamus, ſapienter fortiterq; geſtorum bonam Fortunam ſemper eſſe comitem. Atq; hoc quidem eſt, quod obſcure alibi Plutarchus prodidit inquiens, Fortunam à Deo petendam: à nobis vero ſumendam eſſe ſapientiam. Cum ſignificare vellet, Deum ſucceſſum ei proſperum ſolitum eſſe largiri, qui ſuſceptæ rei animo prudenter foret accinctus. Quod proculdubio (ne ſingula altius repetantur) mirifice congruit cum docta illa Heſiodi concluſiuncula, cuius paulo antę meminimus.

Fœlices operum ſucceſſus ob Ioue Summo
Hinc capies.

Sapiet ergo quiſquis Ageronę malit ſacra facere, quam placare Murceam. Cum enim pręſidere illa credatur induſtriæ: ſocordiæ hęc

hæc putetur Dea. Præſtantius longè eſt, propitiam habere diligentiam: quam pręſentem, fautricemq; deſidiam. Quæ cum ita ſe habeant: nunquamne inſane quid egeris conſiderabis? Nunquam ne, quam iniqua poſtules, tecum ipſe perpendes? At vero, ſi neq; preces tantum ſatis ipſę ſunt, vt conſequaris id quod exoptas: ſed neceſſaria opera eſt, induſtriaq; opus. Quorſum attinet, cum horũ nihil feceris eſſe infenſum ſuperis, diuiſq; aduerſum, quod nõ tibi protinus quę amaris, ipſe pręſtiterint? Sapienter igitur. Q. Metellus Numidicus oratione quadã illud ſcripſit. Dij immortales plurimum poſſunt: ſed non plus velle debent nobis, quam parentes, at parentes ſi pergunt liberi errare: bonis exhęredant. Quid ergo nos à Dijs immortalibus diutius expectemus, niſi malis rationibus finem fecerimus? Iiſdem Deos propicios eſſe æquum eſt, qui ſibi aduerſarij non ſunt. Dij immortales virtutem approbare, non adhibere debent.

CVM ERGO imperio mentis turpiter faſtidito paſsim temerarius oberres: miſerabileſq; tibi animi turbulentia vndiq; caſus cõcites. Quo audes ore rigidas ortus leges prætendere, vel Fortunam accuſare? Cum præſertim diuino munere incluſam pectore ſapientiam habeas, non ſolum Fortunæ victricem (vt ait Iuuenalis) ſed vel eius etiam (quod turpiter cauſaris) Syderis dominatricem. Nunquam ne Ptolomei aſtrologi clariſsimi nobilem audiſti ſentẽtiam, qua vult: iſtam ipſam aſtrorum vim, quam tu irrefragabilem cenſes, ſapientia animi domari atque omnino comprimi poſſe? Sic enim ille ait.

Vir ſapiens dominabitur aſtris.

Quid ille alter, quam ſerio triumphat! Qui ſapientiæ aliquo tandem reperto palmario, mirabilem illam, meritoq; laudatam vocem extulit. Anteuerti tibi Fortuna, teq; occupaui: atq; omnes tuos aditus quamlibet arctos intercepi: vt ad me aſpirare non poſſes. Nonne & ille ſapientiæ armis expugnaſſe Fortunam fatetur? Non enim peſſulis, aut clauibus, nõ ſtructuris animaſſe ſeſe, erexiſſeq; videtur: ſed decretis potius philoſophicis elogijſq; ſapientũ. Quę tamen ipſa in medio polita ſunt, obuiaq; omnibus: atq; adeo in manibus dumtaxat ſumere volentibus. Quibus & ipſis ſi Mortales ſepti, ac circumuallati ad aliquid agendum ſeſe protinus accingerent: Nũquam profecto, aut certè perquam raro, in Fortunam ipſam impingerẽt. Nũc cum ſtultitia ſua, ea pleriq; moliantur ac tentẽt, quę neq; effici commodè poſsint, aut præſtari queant dignè, propter ipſam temerè ſuſcipientium inſcitiam atq; animi incogitantiam: audent tamen mortalium omnium lõgè ſtolidiſsimi homines Fortunam accuſare. Perinde quaſi (vt de tranquillitate animi diſſerens Plutarchus docet) Fortunæ ſit ſuccenſendũ, quod vel aratro ſagitam eiaculari nequeas: aut boue incitato venari lepuſculum: quaſiq; iniquus quiſpiam Deus ijs aduerſetur, qui euerriculis ceruos irrito conatu venantur: & non vęſania potius atq; improbitate ſua, impoſsibilia etiam perficere aggrediantur. Cuius erroris cauſa nulla profecto eſt alia, quam peſsima illa philautia, quę plęroſque facile proſternit atq; peſſundat. Nihil etenim perinde conturbat ac frangit conſtantem illum, tranquillumque animi ſtatum: quam ſi altioribus ſpiritibus ad aſſequendum quidpiam, quod pro viribus maius ſit, enitare: quaſiq; grandioribus proportione velis, vehi poſtules. Quippe immodica nobis atque immenſa affulgente vtcunq; ſpe) Fortunam ſtatim iniquitatis, Geniumq; noſtrum poſtulamus. Cum temeritatis potius nosmetipſos damnare deberemus: qui impetu animi cæco rapti, & affectuum turbulentia conciti cũcta fermè inconſultè aggredimur, inconſideratè perficimus: pœnitentiam ad extremũ loco fructus, amariſsimam demetentes. Verum eſt enim, non temerè fœliciter cedere, quę tentantur amenter: & improuidè ſuſcipiuntur. Quod autem ab animo rei magnitudinem rectè permenſo facinus ſuſceptum eſt, id ſine in ipſo amaritudinem nullam habet admixtam, nec triſtitiam vllam parit authori. Ac ne vllos quidem iratæ, inſano ceu mundi huius naufragantes in mari, Fortunę pertimeſcit ſcopulos. Ex quo illud nimirum efficitur, vt à Fortunæ inſultu ac temeritate penitus ſint aliena, quæ aut iudicio cõſtant: aut ratione nituntur. Non enim temeraria cum domina poteſt eſſe coniunctum, quod rationis eſt noſtrę adminiculis geſtum.

QVOD CVM ITA ſe habeat, eluceantque in ſingulis rebus muneris huius diuini paſſim clara veſtigia: perſpicuũ eſt, ſortis huius temeritati (quam eandem Fortunam rectè dixeris) nihil prorſus loci eſſe relictum: ni idipſum ſua quiſq; incogitantia atq; animi leuitate Fortunæ patefecerit. Quod ſi accidat, ſuæ cuiuſq; culpæ: non naturæ aut Dei prouidentiæ, cuius prudenti conſilio cũcta regun-

reguntur, imputandum eſt. Sed quorſum de Fortuna tam multa? ſit iam modus. Neque enim obſcurum eſt, totum hunc de fortuna tractatum ab illis eſſe profectum: qui Chriſtianam Fidem penitus ignurarunt. Hi nanq; Dei optimi Maximi prouidentiam (cuius non ſemel cuncta gubernari conſilio diximus) vix odorantes ægreque ſentientes ex inæquali contingentium caſuum varietate inęquales magis ipſi: cum eorum fontes, ob rationis penuriam defectumq; eximij illius & superni luminis: cuius Numinis benignitate Chriſtianæ gentis pectora fulgore ſunt atque ſplendore illuſtrata, cognoſcere nequirent, cauſas ve perpendere, Fortunā hanc ſunt commenti: quæ exleges & anormes quoſdam rerum effectus, cæco veluti cauſarum inuolucro emittere putaretur. Quæ tā temeraria & impia perſuaſio, vſq; eo tempeſtate illa miſera plerumque animos peruaſit: vt eius tam pernicioſa ac peſtilens contagio, etiam nunc ſuperſtitione quadam animos quorundam infecerit. Qui parum (ſi Dijs placet) præſidij in ipſius rationis intellectu, & prudentiæ humanæ conſilio eſſe putant: niſi & hanc vnam fautricem habeāt: cui vim tantam eſſe aiunt, vel ad res deſperatas conſequendas: vt vel dormienti benè poſsit omnia fortunare: & diuina quaſi (vt dici ſolet) virgula ſuppeditare. Cuius rei id eſſe indicio, magnoq; argumēto: quod multi cum neque opera neque induſtria in obeundis ritè rebus deficiant: proſpero tamen, optatoque earum ſucceſſu fraudantur. Alij contra, ne id quidem ipſum curantes, rerū ſępe exitus minimè pœnitendos ſortiantur. Quod in Theramenem ac Theopompū ob ſucceſſum rerum diſparem quotidianis obtrectatorum maledictis iactari vulgo ſolitū, Plutarchus refert.

QVOD EGO potiſsimum, cauſam fuiſſe auguror, vt vario errore deluſa Gentilitas, huius ſit diuinitatem commenta, & numen fabulata. Neceſſe enim eſt, vt cauſarum ignoratio: euentorum quoque obſcuram efficiat ipſam notionem. Vnde fit illud profecto, quod in libro de audienda poetica rectè Plutarchus ſcribit, vt ſicubi inter dicendum Fortunæ verbum incidat: dum ratione percipimus, vim illius cauſæ occultæ, quæ rebus ipſis neceſsitatem imponit, nullo fine, nulliſque legibus humanis circumſcribi ac comprehendi poſſe: poetæ Deorum nominibus haud abſurdè illā explicauerint. Quē admodum & nos ſolemus, res, mores, ſermones, hominesq; ipſos diuinos plerumq; appellare. Quas ob res, haud iniuria naturali in hiſtoria Plinius ſtultam ridet hominum vanitatem: qui Fortunam ipſam, ceu ſententiæ perplexitate detenti execrationibus deprecantes, mutati ſubitò ambire incipiunt precibus: & tanquam inuitare munuſculis. Sic enim in. 2. libro loquitur. Toto mūdo & locis omnibus, omnibuſq; horis omniū vocibus fortuna inuocatur: ſola laudatur: ſola arguitur: & cū cōuitijs colitur: Volubilis: àpleriſq; vero & cæca etiam exiſtimata. Vaga, inconſtās: incerta: varia: indignorum fautrix: huic omnia expēſa: huic omnia feruntur accepta: Et in tota ratione mortaliū ſola vtramque paginam facit: adeoque obnoxię ſumus ſortis, vt ſors ipſa pro Deo ſit: qua Deus probatur incertus. Rectè nimirum Plinius. Nihil enim commercij cum diuina natura, cæca poteſt habere temeritas. Sunt igitur præclara Græca illa Comici Philemonis, gentilis noſtri carmina, quæ à Cyrenſi Pontifice Theodorito ſexto libro, qui de Dei prouidentia inſcribitur, in libris hiſtoriarum per Satyram: quibus de curatione Græcarū affectionum omnibus ſimul eſt titulus, in hanc ſententiam traduntur.

Non eſt Deus Fortuna: non inquam Deus.
Sed caſus ille quo fit omne vt contigit
Cuicunq;, Fortunæ vocatur nomine.

Cuius quidem rei vim cum egregie Tullius noſſet, non eſt paſſus Fortunam ipſam inter numina cenſeri. Huc enim ſecundo de natura Deorum cum de erraticis loquitur, mihi videtur alludere. Nulla igitur in cœlo (ait) nec Fortuna, nec temeritas, nec erratio, nec vanitas ineſt: Contraq; omnis ordo, veritas, ratio, conſtantia. Quæque his vacant, ementita, & falſa, plenaque erroris: ea circum terras, infra lunam, quæ omnium vltima eſt, in terriſq; verſantur. Quod apertius idem in operis huius tractauit tertio. Cum enim ſub Pontificis Cottę perſona acceptas à maioribus publicè religiones penitus ſuſtuliſſet, fortiſsimis argumentis docens, ſuperſtitiones aniles penitus eſſe explodendas: & fidem nullam commentitijs ac fictis Dijs eſſe adhibendam: ſic ad extremum ſubdidit. Quare autem in his vis inſit Deorum, tum intelligam, cum cognouero. Quo in genere vel maximè eſt Fortuna numeranda; quam nemo ab inconſtantia & temeritate ſeiunget: quæ digna certè nō ſunt Deo. Quid in ſecundo de diuinatione cum culpare vellet ſortes, quarū pręſes Fortuna

dicitur,

dicitur: nonne ibi diuinum exhiberi vultũ Fortunæ dolet: diuinandique per ſortes cõſilium totum irridet? Quid enim ſors eſt, inquit? Idem propemodũ quod micare: quod talos iacere, quod Teſſeras: quibus temeritas, & caſus: non ratio, nec conſilium valet. Tota res eſt inuenta fallacijs: aut ad queſtũ, aut ad ſuperſtitionem: aut ad errorem. Atq; vt in aruſpicina fecimus, ſic videamus clariſsimarum ſortium quæ tradatur inuẽtio. Numerium Suffucium Preneſtinorum monumenta declarant honeſtum hominem & nobilem, ſomnijs crebris, ad extremũ etiam minantibus, cum iuberetur certo in loco ſilicem cædere, perterritum vilis, irridẽtibus ſuis ciuibus, id agere cœpiſſe. Itaque perfracto ſaxo ſortes erupiſſe, in robore inſculptis priſcarum literarum notis. Is eſt hodie locus ſeptus religioſè propter Iouis pueri, qui lactens cum Iunone in gremio Fortunæ ſedens mammam appetens, caſtiſsimè colitur à matribus. Eodem tempore illo loco, vbi nunc Fortunæ ſita ędes eſt: mel ex olea fluxiſſe dicunt, aruſpiceſq; dixiſſe, ſumma nobilitate ſortes illas futuras. Eorumque iuſſu ex illa olea arcam eſſe factam, eaque conditas ſortes, quæ hodie Fortunæ monitu tolluntur. Quid igitur in his poteſt eſſe certi, quæ Fortunæ monitu, pueri manu miſcentur atque ducuntur? Quomodo autẽ iſtæ poſitæ in illo loco? Quis robur illud cecidit, dolauit, inſcripſit? NIHIL eſt (inquiũt) quod Deus efficere non poſsit. Vtinam Stoicos ſapientes effeciſſet, ne omnia ſuperſtitioſa ſolicitudine & miſeria crederent. Sed hoc quidem genus diuinationis vita iam communis exploſit: Fani pulchritudo & vetuſtas Præneſtinarum etiam nunc ſortium retinet nomen: atque id in vulgus. Quis enim magiſtratus, aut quis vir illuſtrior vtitur ſortibus? Cęteris vero in locis ſortes plane refrixerunt. Quod Carneadem Clitomachus ſcribit dicere ſolitum, nuſquam ſe fortunatiorem quam Præneſte vidiſſe Fortunam.

VERVM PRÓH DIVVM atq; hominem fidem! Vnde tam obtuſa noſtri ſenſus facta repente eſt acies? Vnde tanta caligo? Quæ malũm, tenebræ obductam, irretitamq; noſtri integritatem tenent iudicij? Vt ijs non ſit aſſentiri pudor, qui de Fortuna diſceptant: commentaque eius vbiq; diſſeminãt: ſtultos quoſdam miſerè paſsim ludificãtes? Perterritarint ſanè blateramenta hæc Ethnicorum quorundam viles abiectoſq; animos: Chriſtiani vero homines cor Fortunæ huius formidine vana tangi, nefas ſit. Fabulati ſint illi licet diuinitatem, vimque maximam Fortunæ: nobis tamen fidem illis habere profectò impium fuerit. Prædicarint quidem encomia illius ac laudes, conuicia pariter opprobriaque ipſius retexerint inconſtantes. Nos Chriſtum Seruatorem optimum mundique Deum creatorem canamus.

Qui mare, qui terras, qui cœlum numine complet.

Quid? quod ne ethnici quidem qui habiti ſunt doctiores, vanitati huic latè apud eos vaganti, inque dies longius ſerpenti, animo indulſerunt credulo. Sed in eam ſæpe acerrimè inuecti ſunt, cæcam eam temerariamque appellantes. Neque hoc contenti, non cæcam tantum appellauerunt, ſed & eos etiam cæcos crediderunt efficere, quos fuiſſet aliquando complexa: naſcenti morbo, qua potuere cumque, obuiam itiantes. Inter errorem namque ſtultitiamque ſummam alta, confotaque deinde credulitate in ſana, Fortuna (quæ fingitur) eſt: vanitatiq; fides diuinitatem peperit. Sed parta ab illis, qui fœdè in terra demerſi, neque ſapienter noſſe quidpiam, neque altè aliquid animo poterant intueri. Præclarè itaque poëta Iuuenalis.

Nullum numen abeſt, ſi ſit Prudentia. Sed te,
Nos facimus Fortuna Deam: cœloq; locamus.

Qua ex hominis ſententia limpidiſsimo ceu in ſpeculo intueri licebit, Fortunæ numen non niſi ab ſtultis fuiſſe confictum. Pernicioſæque deinceps imprudentiæ effeciſſe contagia, vt Dea crederetur, quę nulla ſit. Nam quis neſciat, ſi quid improuidis incautiſque hominibus (quorum omnis eſt actio miſerrima, vehementerque temeraria) quondam accidiſſet, id ipſum Fortunæ eſſe ſolitum imputari. Vnde ſcitè Publianus ille Mimus.

Ex hominum queſtu facta Fortuna eſt Dea.

Quod cum non fuiſſet Catoni illi incognitum, qui egregia illa de moribus, quæ vulgo circumferuntur ſcripſit Carmina, bellè profectò ait.

Cum ſis incautus: nec, rem ratione gubernes:
Noli Fortunam, quæ non eſt, dicere cæcam.

Dolebat nimirum cordatiſsimo viro Catoni; tam temere atq; licenter exitioſis paſſibus, mortalium vndique ſtultitiã eſſe diffuſam, tamq; latè omnibus locis diſperſam; impune vt eſſet obiectum vanum commenta, cui turbulentia animi cõtractum vulnus libe-

liberet quoties poſſet impingere, & meritũ imputare dolorem. Ideo iure optimo ſentit, nullam prorſus eſſe fortunam: vel (vt iam ſit aliqua) non tamen cæcam exiſtere. Sed nos potius, qui ſuſcepti negotij parum animo rimantes qualitatem: pecudum more pręcipiti ferimur impetu, celebratiſsimę illius ſententiæ parum memores.

PRIVS QVAM incipias conſulto: Vbi conſulueris, maturè facto opus eſt. Dubia ſiquidem in re, difficilique negotio: conficiendi primnm in vtramque partem probè ratione ſubducta, accingi actioni conuenit: non cæco animi rapiẽte impetu, temerè ad opus accedere. Nam re vera conſilia ſana hominũ in ſuſcipiendis rebus, exoptatus plurimum comitari ſolet euentus. Quę vero temeritate & turbulẽtia animi negotia ſuſcepta ſunt ſucceſſus parum ſecundos, comitemq; inſuper pœnitentiam habere cõſueuerunt. Neq; id ſanè confirmare exemplis conuenit. Pleni ſunt annales temporum: tum etiam vita cõmunis referta. Si quis autem exemplorum facultatem copiamq; exoptat, ſeipſum velim inſpiciat. Habet enim in hoc genere toto; ne curioſè alterius inueſtigare vitę agrũ cupiat, miſeriæ ſegetem domi. Pręclarè igitur Salaminius ille Solon, qui inter ſeptem illos ſapientiæ ſama celebres ſæpe citatur vnus, ſuum illud paſsim homini elogium occinebat QVIDQVID agas, ſapiẽter agas: & proſpice finem. Re enim vera, multos ideo incepti ſæpe piget, dũ potiuntur: quia ſtultè concupiuerũt: temeritatem facti (vbi ſemel tranſacta emendari non poſſunt) animo reputantes. Alios hoc ipſo euentus deſtituit optatus, quod intẽpeſtiuè tentarunt: vel optarunt feruidè nimis. Ita quę cordatè parum ineuntur, vel forte tentantur amenter, aut omnino non eueniunt: aut ſucceſſus illos habent, quos habere non licet. Vnde multi, inauſpicatè incepti conſilij, turbidè vè peracti, ſiniſtrę tanquam & infauſtę cuipiam Fortunæ pœnas vſq; luunt incogitantiæ. Id quod accidit iure valde. Vt enim ſera prorſus nimiſq; ridicula eſt in fundo parſimonia: ſic cauendi tempus in medijs malis, proculdubio ſerũ eſt. Quocirca, qui quod gerit ipſe negotium, recte cupit eſſe confectum: luſtrare animo cuncta debet: etiã quę procul diſiuncta ſunt, oculis ſubdens: futura omnia (quod fieri poſsit) cogitatione præcipiens. Ne videlicet ſtultorum illud incurrat. NON PVTARAM. Excubabitq; potius Terentianum illud ſedulo mente repetens.

Iſtuc eſt ſapere, non quod ante pedes modo eſt videre:
Sed etiam illa quæ longe in poſterum futura ſunt proſpicere.

Haud temere ſiquidem, ſtudij optatum ille aſſecutus eſt finem: qui fideli rationis in libra, conſilij ſui lances tempeſtiuè noluit expendere. Vigilandum igitur eſt, accurateque videndum rei aliquid molituro, vt in vtramq; partem, tam exactè ratione ſubducta, ſe ad agẽdum accingat, nihil vt eius animo, vel improuiſi vel noui, vnquam poſsit accidere. Conformabit ſe, quin etiam conſilia ipſe ſua tanquam fręno aliquo regens, ad tempora: conficiendi negocij quam ocyſsimè occaſioni ſubſeruiens. Quę (vt ſapienter eſt dictum, ceu vinculum exiſtit, rerumque omnium nodus.

Vnde fortaſſe fluxit non indiſertus ille verſiculus.

Cuncta domat, capti temporis articulus.

Quem qui languore animi effluere ſinũt, in pœnitentiam illico incidunt. Quæ idcirco à fictoribus priſcis occaſionis ſimulacro ſimiul erat effita: vt in nobili illo Phydię opere perſpectum eſt, quod ad hunc modum celebrauit Auſonius.

Cuius opus? Phydiæ, qui ſignum Pallados, eius
Quiq; Iouem fecit, tertia palma ego ſum.
Sum Dea, quæ rara & paucis Occaſio nota.
Quid rotulæ inſiſtis? ſtare loco nequeo.
Quid talaria habes? volucris ſum: Mercurius quæ
Fortunare ſolet, trado ego cum volui.
Crine tegis faciem? cognoſci nolo. Sed heus tu
Occipiti caluo es? ne tenear fugiens.
Quæ tibi iuncta comes? Dicat tibi. Dic, rogo, quæ ſis?
Sum Dea, cui nomen nec Cicero ipſe dedit.
Sum Dea, quæ facti, non factiq; exigo pœnas.
Nempe vt pœniteat, ſic Metanœa vocor.
Tu modo dic quid agat tecum? ſi quando volaui
Hæc manet: hanc retinent, quos ego præterij.
Tu quoq; dum rogitas, dum percontando moraris
Elapſam dices me tibi de manibus.

CVM IGITVR occaſionis tanta ſit vis: eaq; ipſa, ni ſimul ac illuxit, ſedulo eſt apprehenſa: quam celerrimo nobis ſeſe protinus greſſu ſubducat (ſi perfrui iuuat optatis) erit nimirum illi ſtudioſè vſquequaq; ſeruiẽdũ, non cunctationi ſegni pernicioſè vacandũ. Occaſionem ſiquidem, partem eſſe temporis remur: cuius vis omnis in faciendi aut nõ faciẽdi aliquid idonea opportunitate ſit poſita. Quam è veſtigio eſſe arripiendam, non ſine cauſa admonuimus. Multos enim faciẽdorum tarda dilatio, & procraſtinatio vi-

tioſa

tioſa tẽporis, graui ſæpe dãno afficit. Quod vel Heliodus poeta teſtatur, ait enim.

Ne differ dum cras veniat, dum tertia lux ſit.

Subiungens illud ſtatim,

Triſtia dilator patietur damna frequenter.

Quẽ ſecutus forte Martialis, ſic de deſidia fugienda dixit.

O cui Tarpeias licuit contingere quercus
Et meritas prima cingere fronde comas!
Si ſapis: vtaris totis, Coline, diebus
Extremumq; tibi ſemper adeſſe putes.
Lanificas nulli tres exorare puellas
Contigit, obſeruant, quem ſtatuere diem.
Diuitior Criſpo, Thraſea conſtantior ipſo
Lautior & nitido ſis Meliore licet:
Nil dicit penſo Lacheſis, fuſoq; ſororum
Explicat, & ſemper de tribus vna necat.

Sed & Poſthumum quendam cuoctatione nobilem culto ad hanc formam carpit epigrammate.

Cras te victurum, Cras dicis, Poſthume ſemper
Dic mihi Cras iſtud Poſthume, quando venit?
Quàm longe cras iſtud, vbi eſt, aut vnde petendũ?
Nunquid apud Parthos, Armenioſq; latet?
Iam cras iſtud habet Priami vel Neſtoris annos.
Cras iſtud quanti, dic mihi, poſſit emi?
Cras viues: hodie iam viuere Poſthume, ſerum eſt:
Ille ſapit, quiſquis Poſthume, vixit heri.

Sapienter ergo Iulio præcipit idem, ne vnquam ſeſe dedat ſegnitiæ, aut dilationi cũctationiiq́ue noxiæ ignauo animo incũbat. Ait nanque.

Non bene diſtuleris, videas quod poſſe negari,
Et ſolum hoc ducas, quod fuit eſſe tuum.

Sententioſumq; ad extremum ſic diſticho clauſit epigramma,

Non eſt, crede mihi, ſapientis dicere viuam
Sera nimis vita eſt craſtina, viue hodie.

SED SINT HAEC De Fortuna atq; occaſione hactenus dicta ſatis. Huc enim pertinent omnia: pleroſq; Mortalium, quos in vita incidant caſus, ſibi inſcitia ciere: dum ceu præſtituta ab hora temere producunt diem. Quæ rectè interim cupiũt confecta negotia negligenter admodũ tractantes; vel obeuntes intempeſtiuè, vel quo minime oportebat tempore tumultuoſe ac temere effectui mancipantes. Ex quo humana cæcitas non ſolum Fortunæ quondã delubra finxit, ſed occaſionis etiam, vt accepimus, aras ſacrauit. Quas tamen omnibus horis ſubuertit ac deſtruit gnauus; ignauus contra erexit atq; reſtituit, concedens illis tantum quantum ſibi ipſe diminuit, oſcitabundo animi languore torpens. Sic enim natura comparatũ eſt, vt quo minus quiſq; vigore mentis pollet: eò magis Fortunæ huius vim atque fulmina perhorreſcat: cum conatũ eius vanum rectus vſque derideat, qui animi fultus opibus rationi conſulit vitę: quas agit res cunctas iudicio ſuſcipiens, intellectu gubernans, & ſapientia decidens. NIC. Si libere quę ſentias expromere animi ingenui eſt ô Philemon, admiratione ſuſpenſum nũc me, nunc varia perplexitate ſolicitum, mirificè hic modo tuus recreauit epilogus. Ex eo enim clarè licet intelligi, quam habere vulgo potentiam fortuna fingitur: in noſtra, ne habeat, manu poſitum eſſe, atq; adeo ſitum arbitrio. Quod multi nec indiſerti nec rudes euertere ſæpe conantur. Fortunæ impetum ac feritatem nulla vi ſapientię vel retardari poſſe imminentem: vel iam adortam fugari. Ideoq; aleam eius homini prorſus eſſe ineuitabilem. Quorum ego placitum hactenus ſtudioſè refugi: ratus, tam iniquum & abſurdum dogma, intelligentię rationiſque participi animanti, nullo poſſe pacto probari. Non enim eſt credibile excellenti hominum turpiter obiectum eſſe naturæ: quod ne brutorum quidem abiectam conditionem tali aliquo mancipij nexu conſtrinxiſſet, aut ſeruitutis miſera lege ligaſſet. Quæ & ipſa inſtinctu quodam naturę à Fortunæ iugo libera, nec nutũ eius obſeruant anxiè, nec poteſtatem reformidant: nec inſultum pertimeſcunt. Quas obres, quod mihi probari non potuit, id tibi falſum item videri, eſt Hercle ſummè iucundum. Statuis enim eam eſſe ſapientiæ humanæ vim: vt Fortunę vires contemnere, ingruentiaq; eius tela perfringere, inſuper & aditũ omnem obſtruere (velit modo) potis ſit. Percuſſit attamen illud animum: quod cũm mutationem rerũ quæ vt exiſtimant multi, ipſas mortaliũ res verſat inęqualiter, à Deo non Fortuna vlla ſapienter eſſe decerneres (quia vbique eius numine cuncta fiant, haud defuturas tibi concertationes illorum) pugnaſque videbam: qui quaſi malorum authori, numini maledicunt. Exiſtimantes temere, qui mutationis ſit effector, eundẽ & malorũ pariter authorem habendũ; quod non abſque malis accidat ſępe mutatio. Quod ſi demus, nõ iam beneficam hominum generi diuinam eſſe naturam: atq; ideo de numine querendi, mortalibus iuſtam cauſam non defuturam. Proptereaq;, quem fecerit atq; ornarit hominem; malis impetat, ærumnis fatiget, calamitatibus laceret, morbis exedat: impro-

prouiſaq; interdū atq; adeo inopinata mor-
te tandem abſumat. Vnde id ipſum Naſci,
quidam arbitrati ſunt, miſerum. Quorum
fauēs ſtultitiæ Phocilides vaniſsima illa car-
mina fudit.

Optima non naſci res eſt mortalibus vna,
Nec Solis radios cernere luminibus.

Cui in Creſphōte adſtipulatur illud Eurip.

Nam nos decebat cœtus celebrantes, domum
Lugere, vbi eſſet aliquis in lucem editus:
Humanæ vitæ varia reputantes mala.
At, qui labores morte finiſſet graueis,
Omnes amicos laude, & lætitia exequi.

Hęc illi, ſiue ita perſuaſi: ſiue inſigni ali-
qua malorum clade fracti ineptiſsimè doce
bant, diſplicentia vitæ eorum animos ſæpe
imbuentes, qui ætatis ſpatia prima vixdum
eſſent permenſi. Non igitur temere dictum
eſt, grande homini perſuaſionem malū eſſe.
Illeque non eſt falſus, qui morbum grauem
animi, ſtultitiam ſit confeſſus. Quæ cum ani
mo intueor, Democriti illud elogium præ-
clarum ſolet videri: quo ait, magnum eſſe: ſi
quis in calamitatibus (vt par eſt) ſapiat. Ra-
ro enim accidit, vt illorum ſtabilis & incon-
cuſſa maneat mens, qui animi perturbatio-
ne aliqua graui, aut Fortunæ ſæuo vulnere
ſunt affecti. Quod ſatis graphicè apud Sopho
clem expreſsit, quiſquis eſt ille, qui dixit.

Neq; mens enim ô rex quamlibet vigens manet
Fortunæ quibus eſt triſtis: imo bis excidit!

Atque hoc illud eſt quod ſapientum dog
ma innuit, ait enim: Animum ira concitum
non oportere ſpectari. Quod in omni reli-
qua animi perturbatione proculdubio la-
tiſsimè patet. Quippe vehementiori dum
affectui mens indulget, tantiſper exulat:
Hinc illud Ennij.

Quo vobis mentes, rectæ quæ ſtare ſolebant
Antea, dementes ſeſe flexere viai!

Sic, qui in alienis malis ſapiunt maximè,
quam ſuis ipſi proſtrati caſibus, & ęrumnis
afflicti deſipiant, eſt operępretium attende-
re! Videtur enim neſcio quo pacto (quem-
admodum ait Sophocles) priſtina Fortuna
collapſa, acciſaq; miſere cum re, mens ipſa
hominis vna concidere. Vnde ſi quis altius
humani morem ingenij velit ſcrutari: ſerua-
tamve à paucis aduerſis in rebus conſtan-
tiam animi exactius intueri: Naſonis illa car
mina; quæ philoſophorū omnis ſchola gra-
uius impetit, parte aliqua nimirum ſubleua
bit, ſic enim ille ait.

Rara quidē eſt virtus, quam nō Fortuna gubernat,
Quæ maneat ſtabilis cum fugit illa, pede.

Loquuntur illi ſanè (vt illius gentis eſt
mos) magnifice atq; præclare. Negant enim
tam eſſe vim virtutis eneruem, vt Fortunæ
clade aliqua improbè preſſa ſtatione ſua poſ
ſit, atq; loco dimoueri. Generoſo nanq; ani
mo caſus aſperos ſuſtinere, & mala cuncta
perferre, eſſe aiunt virtutis proprium. Sed
tamen illi ipſi, qui hæc eadem animoſè no-
bis ſæpe decantant, malorum haud ſemel
ipſo ſub onere concidunt, ęrumnarumq́ue
aſsidua mole ſeſsi, fatiſcunt. Siquidem M.
Tullius qui calamitatum colluuie amicorū
debilitatos animos, graui ſępenumero ora-
tione conſtanter erexerat: quiq; aliquoties
adminiculis doctrinę vſus, inimicorum for-
titer impetus omnes retuderat, & Fortunæ
tela contempſerat: chariſsimę ſubito filiæ
obitu, ceu graui aliquo Fortunæ fulmine ta
ctus: literarum, præceptorum, roboris, pri-
ſtinęq; etiam virtutis immemor factus: ſu-
peratum, victumq; ſe turpiter à Fortuna fa-
tetur. Cedo, inquit, En manum tollo. Quo
in loco præclaras huius viri ſententias vol-
uens animo, quin ei grauiter ſuccenſeam,
me equidem continere vix poſſum. Etenim
ſapientem illum ego odi, qui ſibi parum ſa-
pit.

TENE iſthuc loqui Marce Tulli! nónne
flagitium eſt, te alijs conſilium dare, foris ſa
pere, tibi non poſſe te auxiliarier? Quo nam
pręcepta tua illa philoſophica reciderunt.
Nihil eſſe pręcipuè cuiquam dolendum in
eo, quod accidat vniuerſis. Leuat enim do-
lorem communis quaſi legis & humanæ cō
ditionis recordatio. Nam ſi humanis rebus
exempta filia (quam tu vehemēter amabas)
Fortunę, telum fuit: illatam tibi ab illius im
probitate iniuriam, ſapienter mediusfidius
vlciſci debuiſti, vimq́ue eius omnem pror-
ſus contemnere. Quam tu leuem eſſe, im-
becillemq; exiſtimas, & ab animo firmo &
graui: tanquam fluctum à ſaxo frangi opor-
tere. Sin autem (quod philoſophum virum
credere par eſt.) Naturæ vetus hęc lex, atq;
adeo communis eſt omnium: legis ſanctæ
iugo placidè conuenit colla ſubdere: mini-
meq; velle more gigantum diuis cum ipſis
luctari: dum mortalis immemor ſortis, ipſi
hominum conditioni quaſi repudij aliquo
dicto libello, eximius vnus in orbe cupis ha
beri. Quod cum fieri nequeat, naturæ pro-
uida iura, æquo tibi boniſq́ue omnibus ani-
mo, ferenda ſunt. Alioqui virtutibus, quas
ipſe ſæpe decantas, vel irridendi, vel obiur-
gandi tui fertilem materiam dabis: atq; eo-
dem

dem pacto magnam tibi ignominiæ feneſtram patefacies. Liceat iam tandem, Marce Tulli de re non leui tuis te mihi verbis affari. Queſo obteſtorque te, ſi Samius ille Pythagoras, Socrates, vel Plato (quorum ipſe ſolertiam mentis & ingenij acumen miraris, tecum ita agerent. Quid iaces? aut quid mœres? aut cur ſuccũbis? cediſque Fortunę? quę peruellere te forſitan potuerit, & pungere: non potuerit certè vires frangere. Magna vis eſt in virtutibus: eas excita, ſi forte dormiunt. Iam tibi aderit princeps fortitudo, quæ te animo tãto eſſe coget, vt omnia, quæ poſſunt homini euenire, contemnas, & pro nihilo putes. Aderit temperantia, quę eſt eadem moderatio: à teque hoc eodẽ (quo hæc fragmenta decerpſimus) Tuſculanarum lib. 3. paulo ante dicta frugalitas: quę te turpiter & nequiter facere nihil patiatur. Quid eſt autem nequius, aut turpius effœminato viro? Ne Iuſtitia quidem licet iſta facere: cui minimũ eſſe videtur in hac cauſa loci. Quæ tamen ita dicet, dupliciter eſſe te iniuſtum: cum & alienum appetas, & qui mortalis natus, conditionem poſtules immortalium: & grauiter feras, te, quod vtendum acceperis, reddidiſſe. Prudentiæ vero quid reſpondebis dicenti virtutẽ ſe eſſe contentam, quomodo ad bene viuendum, ſic & ad beatè? Quę ſi extrinſecus religata pendeat, & non oriatur ex ſe, & rurſus ad ſe reuertatur, & omnia ſua complexa nihil quærat aliunde: non intelligo, cur aut verbis tam vehementer ornanda, aut re tãtopere expetenda eſſe videatur. Ad hæc igitur bona ſi te illi præſtantes ingenio viri (quorum memini paulo ante) reuocare ſtrenuè pergant: leuitatẽ animi permenſus tui: actutùm niſi pareas, ſtultè pereas neceſſe eſt. Commune hominum, non etiam Deorum aduerſis iuxta ac ſecundis rebus vti. Nemini ſiquidem hominum vnquam Fortuna ęquabilis perpetuaq; fuit. Dij vero morborum, & ſenij, & laborum expertes, clamoſam Acherontis effugère traiectionem (vt ait Pindarus. Res autem & affectiones hominũ iiſdem nunquam ſed alijs atque alijs, & identidem variantibus reguntur, & temperantur caſibus, vt de ſuperſtitione differẽs, Cheroneus ſenſit Plutarchus. Non eſt, mihi crede Marce Tulli, delicata res viuere. Longam viam ingreſſus es: & labaris oportet, & arietes: & cadas, & laſſeris: & exclames. O mors iter metiaris! Alio loco comitem relinques, alio efferes, alio timebis. Per eiuſmodi offenſus (vt prudenter arbitratus eſt Seneca) emetiendum eſt confragoſum hoc iter. Optimum igitur eſt pati, quod emendare nõ poſsis. Et, Deum, quo authore cuncta proueniunt, ſine murmuratione comitari. Malus miles eſt, qui Imperatorem gemens ſequitur: quare impigri atq; alacres excipiamus imperia: Nec deſeramus huoc operis pulcherrimũ curſum: cui quicquid patimur intextum eſt. Et ſic alloquamur Iouem, cuius gubernaculo (vt teſtatur idem Seneca) moles iſta dirigitur: quemadmodũ Stoicę familiæ doctiſsimus vir Cleanthes diſſertiſsimis his verſibus ipſum alloquitur.

Duc me parens, celſiq; dominator poli
Quocunq; placuit. Nulla parendi mora eſt:
Adſum impiger. Fac nolle, comitabor gemens:
Maluſq; patiar quod pati licuit bono.
Ducunt volentem fata: nolentem trahunt.

Pręclare nimirum Cleanthes. Videamus igitur quid ex eiſdem carminibus, quę luculente ac grauiter latinis literis illuſtrauit Seneca, ad extremum velit efficere. Sic viuamus, ſic loquamur (ait) paratos nos inueniat atque impigros fatum. Hic eſt magnus animus, qui ſe Deo tradit. At contra ille puſillus ac degener, qui obluctatur, & de ordine mundi malè exiſtimat: & emendare mauult Deos, quam ſequi. Hęc tu, quæ in omni genere doctrinę à principibus viris memoriæ hominum ſuot ſalutariter atq; vtiliter edita, àteq; ipſo locis multis mirificè prodita, omnia exempla ſequare Marce Tulli, magna licet in oratione crepes, inane te adhuc & exile quiddam, ac nihil planè ſolidum ſapere, fateri tandem ingratis cogar: & magnifica iſta de tolerantia humanorum caſuum, arduiſq; rebus moderate ferendis, quibus ſubinde vteris, verba contẽnere. Vehementer enim eſt turpe, planeq; pudendum: quæ ſpecioſè alijs de virtute pręcipias, corrupti animi prava mollitie opportunè tibi nolle capere: teq; tibi ea in re (inqua generoſi pectoris magnitudo, celſitudoque animi demonſtranda in primis, adhibendaq; eſt, oſtẽdẽdaq; verè, ac patefaciẽda virtus) deficere tanquam ac veluti claudicare, multorum cum admiratione repente incipere: ſuſceptę ſemel perſonæ, ipſiuſque etiam tui officij parum memorem. Vt enim prudenter ait Flaccus, leuius fit patientia, quidquid corrigere eſt nefas. Rectè igitur Menander.

Si lege natus Trophime tu fores ea
Vt omnia ad votum tibi quæ velles fluerent:
Et id Deorum aliquis recepiſſet tibi:

Rectè doleas quidem (feſellit enim fidem
Ac fecit abſurde) ſed iiſdem legibus
Communè quoniam tu quoq; quibus nos alij,
Cœlum hauſeris; vt audentius tecum loquar
Ferenda ſunt hæc fortius.
Proin tu Terentiani memor Chremetis.
Homo cum ſis, humani à te nihil alienum putes.
Latamq; à ſuperis in vniuerſum genus hominum
ſapienter legem, æquo animo patere.

Quid de Oileo iam dicam? Qui, cum luculente ſatis de Aiacis morte Telamonem conſolatus eſſet nuperrimè: is cum audiſſet de ſuo, debilitatus repente animo concidit. De cuius mutatione Sophocleũ illud ſcriptum extat.

Nec vero tanta præditus ſapientia
Quiſquam eſt, qui aliorum ærumnam dictis alleuans.
Non idem cum Fortuna mutata impetum
Conuertitat: clade vt ſubita frangatur ſua,
Vt illa ad alios dicta & præcepta excidant.

Habet nimirum hoc Fortunæ omnis ſubita mutatio, præſentis vt cladis dolore ſæuo percita: & tempeſtatis tanquam magnitudine fluctus adobruta, communi ſenſu decidat, ſapienter vt docet Sophocles. Quẽ egregie parte hac quarto de Ponto imitatus Ouidius doctè ſanè ait.

Crede mihi miſeros prudentia prima relinquit,
Et ſenſus cum re conſiliumq; fugit.

Hinc nimirum non raro venire vſu videmus, vt ſi quid vulneris ſubito ſit animo inflictum: intellectus frigeat, obtorpeat mẽs, hebeſcat ratio: deliquio animi toto interim homine ſtupeſcente. Idque malum tantiſper hominem diuexare, miſereque affligere: donec pars animi concitatior à meliori altera ſenſim emollita, iamque illi ſacta obſequens, ad omniaq; morigera, acerbitatis virus illud, quod ſæue animum exedebat, exuit atq; eliminat.

V N D E F E R V O R E malorum lumine mentis orbati: multi ſapientiæ obliti, Deum turpiter ſunt criminati: Infortunij in ipſum culpam omnem ſtultiſsimè reijcientes. Ita affectu obcæcati fœdiſsimo de natura mali diſputãt, atque ipſa culpæ ratione: Et quam ne ſomniarũt quidem ſobrij: impetu cladis ebrij, definiunt tamen. Verum ſic, vt bacchantis fanaticique hominis oratio omnis illorum, planè ſapiat affectum. Quid enim ſani vel recti videre poſſunt, qui inſpectione ſuarum rerum iam ante afflicti, indignis ſunt modis animo cõſternati? Quare, vt furioſorum facta, itidem eorum ſpectãda arbitror eſſe iudicia. Licet enim authorum exempla non deſint, quæ à Deo mala afferant, vt à te eſt variè monſtratum; tamen ſi penitius illa ſcrutemur: etiam ſi ſenſui dolorem incutiant, bona rectius appellabimus: quod eorum, quibus mittuntur dumtaxat ſalutem reſpiciant. Quis enim mordentia guſtum pharmaca, & prudentis medici manu temperata amara pocula auſteritate reſpuat, quorum ſit fructum mox incredibilẽ ſenſurus? An faſtidire medicum conuenit, quod non porrexerit dulce? Quid? quod ſi faceret, ſciebat ſe eſſe læſurum? Verum quis tam ſtultus vt neſciat, quicquid vulnus ſanat: id eius ipſius habẽdum eſſe remedium? P H I L. Certè ni mens turbida ſit ô Nicete, quod profuit, ſalutique fuit: id cuipiam malum dici pacto vllo non poteſt. Nam ſi, quia ſenſum amaritudine mouet, prauum cenſendum eſt, ſanitatis ars, quam Medicinam appellãt, ipſi hominum generi vtilis parum putabitur: cuius præſentiſsima quæque remedia (infectæ morbo parti dum vim ſuam ſalutiferè applicant) vulnificentiora primo aſpectu eſſe, maioremq; animo dolorem incutere ſæpe videntur. Atqui, vt tu probè cenſes, attendendus eſt fructus: atque ipſa breui dolorem conſecuta ſanatio: cuius cauſa à prudenti medico, ſalutiſque cupido medicamenta fuerant, & remedia cuncta adhibita. Sic Deus Optimus Maximus cum ea quæ ſenſus feriunt cœlitus immittit, facit mali nihil. His enim eiuſiaculis medicina ſubeſt: non mali aliqua pernicioſa viſ. Eiuſmodi ſiquidem ille rebus ſuperbos homines, elatoſque nimium animos ac ſibi præfidentes ad temperantiam vitæ, Iuſtitiamque erudit: ne rerũ affluentia, inſolentiæ morbo acrius inualeſcente, penitus corrumpantur: & inſanabiles fiãt. Ita hoc ipſum quod graue, quod acerbum & moleſtum eſt, quod diſcruciat animum, quodque impijs male à Deo ſæpe videtur fieri: bonum eſt, vtile eſt, atq; adeo ſalutiferum. At, non ſemper hæc (inquiunt) improbis tela ingruunt: nam & triſtiores caſus bonos ſæpe feriunt: & quæ ſontes pœna præterit, quandoq; iuſtos lacerat. Primum, dico: de malitia vel probitate alterius quidpiam rectè cenſere ſupra hominis eſſe captum. Quis enim humanæ penetralia mentis ius habet conſcendere, præter vnum Deum, cui nihil occultum eſt? Ac ſic fieri poſſe, vt qui mihi exploratori morũ parũ ſagaci,

gaci, minimeq́ue extiſpici, boni ſint: longè apud Deum diſsimiles, iniuſtioreſq́ue inter dum proculdubio habeãtur. Poſſunt igitur iure plecti. Quamquam quæ iſta tandem eſt pœna, quæ ſalutem modo tribuit? Longe aliter ſe habet in hominis diuina vindicta: acriuſq́ue multo malis decretum ſuppliciũ imminet. Ita, ſi aſpera hæc offendicula vitæ (quæ ſenſus dicuntur mala) promiſcuè ac veluti indiſcretè ſæuiant aliquando: profanent ſine diſcrimine cuncta habito nullo delectu: haud erit ſanè mirandum. Non hîc diſparilis actionis merces rependitur: non hîc honeſtorum laborum premia erogantur: alia eſt in expectatione vita: Iudicium ibi. Vbi malitiæ ac probitati perpetua illa quidem, variè tamen conſtituta ſunt premia. Quocirca etiam ſi in eiuſmodi caſus qui boni putantur incurrant: prætextu aliquo mali numen culpare non licet. Quod vel Ethnicus Plato de republica ſenſit, cum dixit. Sic itaque de Iuſto viro exiſtimandum eſt: ſiue in pauperie: ſeu morbis, ſiue quibus alijs, ex his, quæ mala videntur, fuerit Conſtitutus: huic demum vel viuenti vel mortuo ad bonum aliquod iſta conducere. Quid igitur de iniuſto dicendum eſt? Nunquid quod in hos vitæ ſcopulos raro vel nunquam inciderit: fœlicem eum eſſe arbitrari conuenit? Nequaquam. Cum enim in omnipotentis Dei omnes ſimus cuſtodia (etiam ſi morte effugiſſe debitum ſupplicium videatur) ad extremum tamen iniuſtitiæ pœnas luet. Ita vndiq; illud efficitur, VT DEVM IPSVM nihil vnquã mali facere, piè ſit & conſtanter aſſerendum.

SED QVIA MVLTI MALI ipſa appellatione perplexi: cuius mente parum rectè perceptam habuere naturam: Deum mala facere interdum ſunt opinati: quæ huic nomini ſubiecta vis ſit aperiendum eſt paucis. Ne, qui ignorantia forte nominis ſunt decepti impietatis rei à nobis agantur indicta cauſa. Nam mihi tam peruerſè malus nullus videri poteſt: vt, ſi quid Deus, atque proprie malum ſit, ſecum ipſe perpendat: tam improbam animo opinionem induat. Quis enim totius boni fontem, Iuſtitię vindicem, & afflictæ probitatis vltorem: mali quidpiam exiſtimet eſſe facturum? ſcilicet, cum nemo bonus malitia delectetur: qui ipſe ſit ſumma bonitas nocendi gaudebit arte: vel affligandi turpi ratione? Abſit, vt qui per bonitatem hominum extitit artifex: deſtructor idem per inuidiam ſit, illorum quos fecerit ante. Eſt enim grande nefas, tam tetrum Deo affectum velle aſsignare. Nullius enim probitati Numẽ inuidet: creſcereq́ue potius, atq; adeo perfici animi vera laude cupit: vt perſeuerantem in bono, tandem coronet in fine. Quid igitur eſt in cauſa, vt facere mala dicant? Certè nihil aliud quam obſcura nominis ratio: Cui iam tandẽ lucis aliquid à nobis ferendum eſt (ſi modo qui lux eſt vera Deus) mihi dicenti fauerit.

MALI NOMEN vt aſſerũt noſtrates Theologi, bifariam ſolet intelligi: primum impudenter, flagitioſè, ac turpiter ab aliquo quid piam ſignificantes eſſe patratum. Vt occiſos à Medea liberos: & ſcelerata à Catilina arma illata patriæ: & conſilium de prodenda Xerxi Sparta pecuniæ ergò à Pauſania turpiſsimè ſuſceptum: & per ſummam iniuriã à Tarquinij filio ſtuprum illatum Lucretiæ. Vel ſi profanis in hac cauſa non libenter exemplis ducimur, rei huius facilè ſenſus conſtabit: ſi dixerimus innocuos lactenteſq́ue adhuc infantulos, terreni regni caduca ſceptra amittendi vana formidine, ab Hebræorum principe occiſos: aut vẽditum propter inuidiam à fratribus Ioſephum. Secũdo, quoties mali aliquid aliquem innuũt eſſe perpeſſum: vt corporis atq́ue Fortunæ bonorum euerſio vno fermè temporis puncto Iobum conſecuta: vel cum ſecretas quaſdam ob cauſas cum detrimentis ac morbis multi in vita luctantur. Cuius quidem ſecundi malorum generis Deus creditur eſſe effector: cum primi illius infamis atque teterrimi peruerſa ſibi quiſq́ue voluntate ſit author. Quod haud aliter ſe habere, ipſa profecto maximè dictat ratio. Nam ſi Deum bonum vel ſcimus vel credimus (neq; enim aliter exiſtimare homini eſt fas) malum facit nihil. Porrò ſi eundem iuſtum fatemur (quod ipſum negare eſt abſurdum) qui bonis premia tribuit, hunc malis irrogare ſupplicia, erit proculdubio dicendum: quæ nimirum patientibus mala ſunt. Quas ob res (vt de arbitrio libero diſputans rectè cenſet Aurelius Auguſtinus, multiplici rerum ſcientia clarus, ac ſanctitate animi vir eximius) ſi nemo iniuſtè pœnas luit, quod neceſſe eſt credamus, quandoquidem diuina prouidentia hoc vniuerſum regi credimus: illius primi generis malorum (vt diximus) nullo modo, huius autem ſecundi verè Author eſt Deus. Quod autem prima illa genera à nobis

ſint vel illud ſatis arguit, videlicet eiuſmodi malefacta & vltione Dei corripi, & iuſtitia vindicari. Non enim iuſtè vindicarentur, niſi fierent voluntate. Sic, quod propriè malum eſt, quod peruerſum, quod improbum, quodque appellatione mali maximè dignum eſt, nempe peccatũ ipſum: id omne proculdubio ex voluntate noſtra dependet. Cum perpetrare mala, abſtinereque rurſus à malo in nobis ſitum ſit, atque adeo cunctis liberum. Vnde ſummi ac præpotentis Dei excellens illa diuinaque maieſtas: in illius haud iniuria laudes erumpit. Qui potuit malum facere & non fecit: legem tranſgredi, & nõ eſt trãſgreſſus. Quod cum ita ſit, eiuſmodi malorum non poteſt pacto vllo Deus author haberi. Illorum autem quę pro turpiter acta vita ceu ſtipendij ac mercedis loco vitalis huius auræ perfunctis munere, irrogata ſunt: & tenorem & rationem excogitauit diuina iuſtitia. Quorum quia pœnam ſenſus maximè continet ratio: diſparili ſpecie ſæpe ferit vitam mortalium. Malis quaſi futuri iudicij exiſtens prægustatio: vt vel iam hîc ſua ipſi hariolentur exitia: bonis vero aduerſus pernicioſa mundi philtra amulethi inſtar incubans. Ideo enim plaga illis immittitur, vt vel ad honeſtatis ſtudia frigentem excitet atque alliciat: vel, vt inſolentem alioqui compeſcat. Vnde cordatis viris haud illa quidem temere, cedit ſine fruge. Intelligunt enim (vt à me dictum eſt antea) vitæ ſimilem plagam aduerſus triſtiora mala antidoti vice fungi. Hinc non iniuria Baſilius, qui ob multiplicem rerum ſcientiam cognomento magnus eſt dictus, afflictiones corporis, & externas calamitates ad peccata hominum coercenda, & excogitatas eſſe, & diuinitus cenſet immiſſas. Ex quo illud etiam acutè velle videtur inferre: quamuis a Numine hæc dicantur immitti, Deum tamen mali nihil efficere. Quẽ admodum medicus cum aliquid ſanitatis ergò ſecat, aut euellit è corpore: mali quidpiam facere non intelligitur: noxias enim hoc animo corporis partes abſcindit, ne pars ſyncera trahatur in perniciem. Ita, quoties triſti hoc ille vtitur remedio, non corpori morbum inuehere: imo tollere potius merito erit dicendus. Nec obſtat vulgatum illud, conditore ab vno cuncta in orbe fieri. Quia licet exiſtentium rerum vna tantum efficiens ſola ſit cauſa: eius (quod propriè malum dicitur) peccati eſt nulla exiſtentia. Non enim velut animal prauitas ipſa ſubſiſtit: eiuſve ſubſtantem aliquam eſſentiam producere poſſumus. Siquidem priuatio boni omnino ipſum eſt malum. Qua ex re illud efficitur, vt ſubſtantiam mali imaginari eſt abſurdum: non aliter ſubſtantiæ mali authorem Deum putare, temerarium atque impium eſſe. Deus etenim vt videret affixit homini oculos: ad perniciem vero ipſorum ex morbo cęcitas ſucceſsit. Quare, ſi non corruptibilis naturæ oculus fuiſſet: ad læſionem oculi cæcitas non habuiſſet acceſſum. Sic nimirum, non in propria ſubſtantia malum eſt: ſed cæcitatem ipſam animæ ſuccedit. Neque enim ingenitum eſt (vt impij aſſerunt) qui malam bonæ naturam æqualem faciunt, ſiquidem ambæ principio carẽt, & generatione priores ſunt: neque tamen genitum. Si enim omnia ex Deo ſunt: quomodo malum ex bono eſt? Neque enim turpe ex honeſto eſt: neque vitium ex virtute. Lege mundi creationem, quam diuino afflatus ſpiritu magnus cecinit Moſes: omnia bona ibi, atque adeo bona valde facta eſſe reperies. Non igitur malum vna cum bono creatum eſt. Sed neq; intellectualis ac ſpiritalis creatura (vt Baſilius ſubtiliter ait) ab opifice facta admixta prauitate ad eſſe producta eſt. Quod vnum, ad cætera vt poſtea dicam turpiſsimè lapſus, nõ ignorauit Lactantius: pugnet licet ſecum ipſe, in eoque ſępe hæreat. Sed vrgere opus eſt cœpta.

SI ENIM CORPORA NON habebant in ſe ipſis malum vnà creatum: quomodo ſpiritalia in tantum puritate ac ſanctitate præſtantia communem ad malum ſubſtantiam habuiſſent? Atqui, malum eſt, aiunt, & actio ipſa multum per omnem vitam diffuſum eſſe demonſtrat. Vnde igitur ipſi eſſe contigit: Si neque ſine principio eſt, neque tamen vnquam eſt factum? Viciſsim interrogentur qui talia quærunt, vnde morbus? Vnde corporis mutilationes? Neque enim ingenitus eſt morbus, neque tamen opificium Dei. Sed creata quidem ſunt animalia. Cum conueniente ipſis ſtructura ſecundum naturam, & ad vitam producta ſunt membris abſoluta: Ægrotauerunt autem ex naturali ſtatu emota. Diſcedunt enim à ſanitate aut propter prauam dietam, aut ob quaſcunque cauſas morbificas. Igitur corpus quidem creauit Deus non morbum: & animam item fecit Deus, non autem peccatum. Vitiata eſt autẽ anima ex naturali ſtatu emota. Quod

vero erat ipſi pręcupuū bonū? Aſſeſsio Dei, & coniunctio per dilectionem, à qua vbi decidit, varijs & omnis generis malis vitiata eſt. Cur autem ad malum ſuſcipiendum peruia fuit? Propter liberum arbitrium, quod maximè rationalem naturam decet. Soluta enim ab omni neceſsitate, & volūtariam ac in ſua poteſtate ſitam, vitā à conditore adepta: per hoc quod ad imaginem Dei creata eſt, intelligit quidem bonum, & nouit ipſius fruitionem: & permanens in boni ſpeculatione ac intelligibilium fruitione, libertatem ac poteſtatem habet conſeruandi ſuam ſecūdum naturam vitam. Habet autem etiam poteſtatem declinandi aliquando à bono. Id ipſum verò cōtigit ei, cum ſatietate beatę dilectionis accepta, & veluti dormitatione quadam grauata, & à ſupernis dilabens: propter turpes voluptatum illecebras, carni fuerit admixta. At, cur (inquiunt) in ſtructura nō habemus, vt ne peccemus, & vt neq; volentibus nobis peccare detur? Quia etiam tu famulos, non cum vinctos habes, beneuolos putas: ſed cum volūtariè ac libenter ea, quæ officij ipſorum ſunt explere videris. Itaque etiam Deo non gratum eſt, quod coactum eſt: ſed quod ex virtute rectè atq; ſponte geritur. Virtus autem ex voluntate & non ex neceſsitate fit. Voluntas vero ex his, quæ in nobis ſunt, dependet: in nobis autem eſt liberum arbitrium. Qui igitur opificē repræhendit, quod non naturaliter cōſtruxit nos, vt ne peccaremus: is nihil aliud facit, quam quod irrationalem naturā rationali præfert: & immobilem & concitationis expertem, actuoſæ & electionis voluntatem habenti. Deſinamus igitur corrigere ſapientem. Deſinamus in his quę à Deo facta ſunt, melius aliquid requirere. Nam etiam ſi eorum, quę particulatim ab ipſa gubernantur rationes nos latent: attamen vnū illud dogma in animis noſtris hęreat, Nullum malum à bono fieri. Quod Plato aſſerere nixus, à principio ſtatim eſt lapſus: quia nec mali videre propriam naturam: nec ſpecies eius rectè diſtinguere potuit. Sed hac ipſa de re facientem verba Platonem pauliſper attendamus. Secundo enim de republica libro, quo loco de Iuſto differit, in hanc ſententiā effatur. Non igitur Deus cum bonus ſit omnium cauſa eſt (vt multi dicunt) ſed paucorum quidem hominibus in cauſa eſt: multorum vero extra cauſam. Multo enim nobis pauciora ſunt bona quam mala. Et bonorum quidem ſolus Deus eſt cauſa dicendus: malorum autem quamlibet aliam præter Deum cauſam quærere decet. *V*eriſsima mihi loqui videris Glauco inquit; Neq; Homeri igitur, neq; alterius poëtæ accipiendum eſt peccatum, ſtultè de Dijs dicentis in Iouis limine duo iacere dolia plena ſortibus, bonis vnum, malis alterum. Cumq; ex his Iuppiter inuicem commixtis impertit alicui, aliâs huic bene, alias malè eſt. Cui vero ex altero datur hunc vęſana fames ſuper terras exagitat. Neq; vero admittēdum eſt Iouem nobis penarium eſſe bonorum atq; malorum. Et mox. Neq; quod dicit Æſchilus, adoleſcentes audiant: Deum mortalibus cauſam prębere, quando vult funditus domum ſubuertere. Verum ſiquis Iambica inducat, in quibus paſsiones Niobes referuntur, vel Pelopidarum vel Troianorum: aut aliquid huiuſmodi: vel ſinendum non eſt, eum dicere hæc Dei eſſe opera: vel ſi Dei ſunt, educēda eſt in his ea, quam nunc quęrimus, ratio. Dicendumque Deum quidem bona iuſtaq; egiſſe, atq; eos puniendo iuuiſſe. Quod vero miſeri ſint, qui pœnas pendunt, ſitq; Deus qui ſic affligit, pœnam dicere non eſt permittendum. Sed ſi dicerent, malos homines vt pote miſeros, pœnis egere, eaſque ſoluentes à Deo iuuari, permittendum. Malorum autem alicui cauſam eſſe ipſum Deum, cum bonus ſit: refellendum eſt omnino. Neque permittendum hoc quemquam dicere in ſua ciuitate: ſi bonis inſtitui legibus ciuitas debet. Neque inſuper quemquam audire, ſiue ſit ille iunior, ſiue ſenior: ſiue carminibus hæc inſerantur, ſiue ſoluta oratione narrentur: tanquam quę neq; dictu ſancta ſint: neque nobis vtilia, neq; inter ſe conſona. Et poſt paulo. Hæc itaq; vna ſit lex atque figura ex his quę circa Deos ferendę ſunt, in qua cogatur vnuſquiſque & dicere & inducere: Deum non omnium cauſam, ſed bonorum. Hæc ille.

DECVIVS profecto iam nihil dicā errore, quia laudabili arrepto argumento, dum patrocinio eius indulget: non malitiæ aliqua turpi ratione, ſed veritatis ignoratione, vt apparet, fuit deceptus. Quod tamen eo facio cōſilio, quia ex his quę mihi ſumpta ſūt carptim de Magni ſonte Baſilij: quid Platonem falſum egerit, obſcurum eſſe non arbitror. Vt enim intelligatur vniuerſalis cauſa Deus, priuatio atque defectus proculdubio nihil obeſt, vnde fluxit verè malum. Cuius rei fuit Plato inſcius, quod ſi pacto aliquo ingenij acie luſtrare & indagare

potuiſſet, è veſtigio infamem caſum, offenſionemq; euaſiſſet. Nam quod pœnę mala putat non eſſe diuinitus data, ſi ſe diligentius audiret, haud ille quidem negaſſet. Nihil enim tunc peccat Deus, quia id vt corrigat facit. Cum præſertim intelligi oporteat, quòd ab illo ſignificatum eſt antea, einſmodi ſeriem malorũ etiam prodeſſe defunctis. Quæ tam inclyta ſententia bonitatem ſummi Dei vel in primis cunctis arguit: conſtat enim inſtituto noſtræ gentis, iniuriam paſſos indignè & malorum clade preſſos (vt iã ſubleuati non ſint) ſepultos lucra capeſſere. Neque enim ſedulo cultę virtutis gratia vnquam quidem interit. Quæ & ipſa ſiquando alias elucet in funere maximè. Vbi immortalitate tandem parta, cultor eius Deus fit. Sunt enim, ſunt vbique ſua premia laudi.

S E D miſſum faciam Platonem, vt de vno dicam Lactantio: qui in explicanda malorũ ratione exitioſo miſer ęſtuat, planè deceptus errore. Is enim Deum cenſet, fabricam mundi facturum, mali excogitaſſe rationẽ: quia ſine diuerſitate virtuti locus eſſe non poſſet. Quod dum probare nititur, ope Dędalęa nititur pennis vitreo daturus nomina pontó; vt rectè quodam loco de imitatoribus Pyndari cẽſuit Flaccus. Dictu enim mirum eſt, quos ſibi ipſe hac dum de cauſa diſputat, nectat Labyrinthos. Vnde cùm hac ſe explicat turpiter illac manet implicitus. Quo de homine anteaquam vlterius verba facio, ne temere in virum tantum pronuntiaſſe quidpiam videar, prius illud deprecabor: me videlicet eum eſſe, qui inuidiæ morbo nemini maledicam: tantum abeſt, vt clariſsimis viris laudis aliquid cupiam eſſe detractum. Sed tamen illud ſedulo optaſſe, vt cuius quiſq; claſsis foret, veritatis idem defenſor, ac pietatis ſummus cultor, ſine fraude haberi poſſet. Nam qui ſeſe rei huius profiterentur hoſtes, eorum me acerrimum inimicum eſſe: & in ſua omnia infeſto vſque animo fore: & prę me tuliſſe aliquoties reor: & inpoſterum iuuante Deo, multo ſtudioſius ac diligentius polliceor atq; affirmo, id me vſquequaque eſſe facturum. Verùm ſic ſtatuo, Firmianum Lactantium non nocendi aliquo turpi conſilio, ſed obſcura recti ratione à veritatis ſana orbita deuium, fuiſſe præcipitem actum. Nam & de ſummo ac præpotenti Deo: deq; eius circa mundi gubernatione mirabili prouidentia multa multis locis piè ac ſanctè diſſerit: illorum perfringens & eneruans accuratè rationem: qui curare nihil Deum magno cum malo hominum, prodere ſunt auſi, vt etiam taceam quanto ſtudio Deorum falſas, quæ tamen id temporis opinione multorum veriſsimæ putabantur, religiones labefactauerit, extirparit, deſtruxerit. Docens interim vni ſoli veroque Deo rerum omnium opifici, puritate ſumma animi eſſe vſquequaq; ſeruiendum: repetitis altius in eum finem ſecretioris philoſophiæ obſcuris adytis, prophetarum placitis, & Sybillarum doctis carminibus: quæ diuino quondam ſpiritu afflatę, Chriſtiani totius inſtituti, veritatiſq; huius noſtræ teſtimonia clariora perhibent, quam vt in dubium queant ab aliquo vocari. Quale Erythreæ eſt illud Sybillæ, Gentilis populi amentiam carpentis in amplexanda & colenda plurium vanitate Deorum: ad vnius illum veriq; Dei cultũ officioſè reuocans.

Αὐτὸν τὸν μόνον ὄντα σέβεσθ' ἡγήτορα κόσμου,
Ὃς μόνος εἰς αἰῶνα καὶ ἐξ αἰῶνος ἐτύχθη.

Atq; alia alibi dicens.

Ἑλλὰς δὴ τί πέποιθας ἐπ' ἀνδράσιν ἡγεμόνεσσι,
Πρὸς τί δὲ δῶρα μάταια καταφθιμένοις ἀνατίθης,
Θύεις εἰδώλοις, τίς τοι πλάνην βάλεν ἐν νῷ
Ὥστε τάδε ποιεῖν μεγάλοιο θεοῖο πρόσωπον, λειπομένου.

Videbat ſcilicet homines cõſecrari publicè Magno Dei ore relicto. Vndè ſummi Dei ad mortales vocem perferens dixit.

Εἷς μόνος εἰμὶ θεὸς, καὶ οὐκ ἔστι θεὸς ἄλλος.

Sed neceſſe non eſt ambitioſè ſingula exequi, plurima enim huius libris (qui recondita ſunt ac varia doctrina referti, impreſſa extant clara veſtigia) quæ candorem eius mirum, pietatemq; animi arguunt. Quæ cum ille diligenter faceret, ſtudioſè contraria refutans Conſtantini Cæſaris ætate, qui primus Romanorũ principum CRVCIFIXI CHRISTI nomen induere publicè eſt auſus, princeps ipſe factus diuinæ atque verę religionis, & ſanciendæ firmiter apud omnes: & ſanctiſsimè propagandæ. Profectò errores huiusomnes (quãdo difficillimis maximiſq; de rebus differenti vel non hallucinari, vel in nullo falli paucis eſt datum, qua ſi cum illuſtri aliqua prærogatiua honoris

ac hominis viri tanti, excipiendi nobis ſunt: & quoad ęquitas feret, mitius interpretandi. Multum enim intereſt, imprudentia an malitia deprauati animi pecces. Quid quod opere in lõgo, ſi minus obrepere ſomnum fas (qnod tamen licere cenſet Flaccus) eſt; tamen quædam benignitas, quę tãquam ex longinquo petitę laſsitudini ingenij atq; virium, & multarum rerum varietati difficili, mendum ſæpe condonet. Cum præſertim habeatur inhumanũ, vbi plura niteant, paucis velle tamen maculis animo offendi. Ignorantia enim lapſis, vel morbum alioqui cõfeſsis, venię profecto portus, difficilis eſſe non debet. Verum enim vero hic Lactantij error eiuſmodi eſt, vt ni eius lectorem admoneas, grande ſibi incauto vulnus animo poſsit infligere. Malorum ſiquidem authorem ipſum Deum nobis innuit. Quod profecto nihil eſt aliud (Magno ſi quicquã credis Baſilio) quam Deũ ipſum diffiteri. Cum enim à bono fieri, mala nequeant: vtrinq; negatio eſt, ait, vel factorẽ mali dicere: vel omnino nullũ aſſerere. Itaq; tã inſigne facinus quaſi non diſparis culpę graui aliquo, capitaliq; ſupplicio actutũ erit plectendũ. Quod cum ego diu ac multũ cunctanter diſsimulaſſem, amici acris oratio vt accingerer animo fecit. Quid tu malum (ait) ſummi ac præpotentis Dei diuinum ſanctumq; honorem imminui ex parte cum videas, inultam deſeris cauſam: qui & confoueri optas, atq; adeo ſuſcipivis? An vereris (opinor) ne cum laruis luctari incẽtere: defunctorum vẽdicare manibus bella ciere? Quin vnum me aſpicere ſuſtineto, pro aſſerenda gloria CHRISTI timiditatis ab animo, degenere omni affectu procul expulſo, ſupplicijq; iuſti reo (verę pietatis in cauſa) nulli gratiam facientem. At enim dices, impiorũ hominũ inimicitias & exequi tutũ: & ſuſcipere eſſe glorioſum. Cum eo vero, qui cum multa & ſenſerit piè & protulerit ſanctè, non tam malitia quam imprudẽtia vel facilitate animi ſit lapſus, nõ eſſe æquum criminoſius aliquid agere vel aſperius. At quĩ videndum eſt, ne intempeſtiua iſta lenitas (neglecti inſtar incẽdij) viri apud mentem incautã praue ſi peccata diſſimules, pernicioſè vires inſtauret. Siccine deſidia in rẽ honeſtiſsima languens, reperturum palmarium teſlaturum Niceterium? & Brabium aliquod exiſtimas eſſe carpturum? Vide amabo, ne qui alijs ſępe ſapis, tibi vni deſipias. Hæc tam aſpere mecum egit Antonius Caceres Paciecus indefeſſæ vir le-ctionis: atq; in omni honeſta doctrina princeps huius ętatis. Quamuis enim bonitate Dei memoria noſtra præſtantium ingenio virorum admodum ſit copia referta, hic tamen vnus tantum excellit, vt quaſi Varro noſtri temporis alter poſsit haberi. Accedit huc ſcriptorum elegantia ac dicendi mira puritas, quæ dictionem eius omnem ita cõmendat atque vndiq; exornat, vt orationis alioqui ſumma grauitas non ita cautis interdum facundiæ ſummo munere, ſi non iam omnino victa: obſcurata ex parte eſſe, proculdubio videatur. Quod ſi quis tam erit malitioſus, vt amicitię iure ductum, pluris quam fortaſſe ſit, ęſtimare me exiſtimet hominem: is ſi philippicas eius in Lutheranos orationes, de educatione principis libros, & de vrbana prætura opus animo erit intuitus facilè, vt ſpero, meę opinioni erit aſſenſus.

SED VENIO ad ipſum Lactantium: cuius licet altius repetita, habent tamen verba ſic, quæ ſcripſit ille quidem creationis mundi myſterium conatus exponere. Sed neſcio quonam fato, orationis ipſo in limine, quæ de rebus maximis texebatur: doctiſsimus atq; oculatiſsimus alioqui vir in ratione boni & mali explicanda, tam ſit fœdè ac turpiter lapſus. Fabricæ enim mundi accinctum Deum (priuſquam eorum quicquam quæ oculis contuemur proferret in lucẽ) in principio, ait, bonum & malum feciſſe. Qui (vt opinio mea fert) duplici de nomine exitialis eſt error. Primũ quòd mali aliquam exiſtimat eſſe naturam: eamque rerum omniũ Deo aſsignat opifici: deinde quod naturæ boni illam tempore facit æqualem. Cum exiſtentiam mali eſſe nullam conſtet: & poſt opificium mundi (quo in ipſo valde bona creata cuncta fuere) rationem mali à dęmone non à Deo ortam eſſe liqueat, & in terrarum orbem inductam. Sed Lactantium ipſum iam tandem audiamus. Sic enim air. Cum eſſet Deus ad excogitandum prudentiſsimus, ad faciendum ſolertiſsimus: antequam ordiretur hoc opus mundi. †Fęcit in principio bonum & malum. Id planè quid ſit apertiùs explicabo, ne quis me ita loqui arbitretur, vt poetæ ſolent, qui res incorporales quibuſdam figuris quaſi inuiſibilibus comprehendunt. Cum præter ipſum nihil adhuc eſſet. † Quoniam pleni & conſummati boni fons in ipſo erat, ſicut eſt ſemper, vt ab eo bono tanquam riuus oriretur, longeque proflueret: produxit ſimilem ſui ſpiritum, qui eſſet virtutibus

Dei patris Præditus. Quomodo autem id
fecerit, hic, cum ſolus eſſet, in quarto libro
docere conabimur. Deinde fecit alterum, in
quo indoles diuinæ ſtirpis non permanſit.
Itaq; ſuapte inuidia tanquam veneno infe-
ctus eſt: & ex bono ad malum tranſcendit:
ſuoq; ue arbitrio, quod à Deo illi liberum da
tum fuerat, contrarium ſibi nomen aſciuit.
Vnde apparet cũctorum malorum fontem
eſſe liuorem. Inuidit enim illi antecesſori
ſuo, qui Deo patri (perſeuerando) tum pro-
batus: tum etiam charus eſt. Hunc ergo ex
bono per ſe malum effectum Græci διάβολον
appellant: nos criminatorẽ vocamus, quod
crimina, in quæ ipſe illicit, ad Deũ deferat.
‡Cur autem iuſtus Deus talẽ voluerit eſſe,
quantum ſenſus noſtri mediocritas pote-
rit, explanare conabor. Fabricaturus Deus
hunc mundum, qui conſtaret, in rebus in-
ter ſe contrarijs, atque diſcordibus; conſti-
tuit ante diuerſa: fecitque ante omnia duos
fontes rerum ſibi aduerſantium, inter ſeq;
pugnantium: illos videlicet duos ſpiritus re
ctum atque prauum. Quorum alter eſt Deo
1. tanquam dextera: alter tanquam ſiniſtra, vt
in eorum eſſent poteſtate contraria illa, quo
rum mixtura & temperatione mundus, &
quæ in eo ſunt, vniuerſa conſtarent. Item
2. facturus hominem, cui virtutem ad viuen-
dum proponeret, per quam immortalitatẽ
aſſequeretur, bonum & malum fecit, vt poſ
ſet eſſe virtus: quæ niſi malis agitetur, aut
vim ſuam perdet: aut nõ erit omnino. Nam,
vt opulentia bonum videatur, acerbitas ege
ſtatis facit: & gratiam lucis commendat ob-
ſcuritas tenebrarum. Valetudinis & ſanita-
tis voluptas ex morbo ac dolore cognoſci-
tur ita bonum ſine malo in hac vita eſſe nõ
3. poteſt: Et vtrumq;, licet contrarium ſit, ta-
4. men ita cohæret: vt alterum ſi tollas, vtrum
q; ſuſtuleris. Nam neque bonum compre-
hendi, ac percipi poteſt, ſine declinatione,
ac fuga mali: nec malum caueri ac vinci ſine
auxilio comprehenſi, ac percepti boni. Ne-
5. ceſſe igitur fuerat & malum fieri, vt bonum
fieret. Et quoniam fas nõ erat, vt à Deo pro
ficiſceretur malũ (neque enim contra ſe ip-
ſe faciet) illum conſtituit malorum inuen-
torem, quem cum faceret, dedit illi ad mala
excogitanda ingenium & aſtutiam: vt in eo
eſſet & voluntas praua, & perfecta nequitia:
& ab eo contraria virtutibus ſuis voluit ori
ri, eumque ſecum contendere: vtrum ne, ip
ſe plus bonorum daret, an ille plus malorũ.
6. Sed rurſus quoniam Deo ſummo repugna-
ri non poteſt: bonorum ſuorum poteſtatem illi vltori aſsignauit: quem ſupra bonum ac perfectum eſſe diximus. Ita duos ad certamen compoſuit & inſtruxit. Sed eorũ alterũ dilexit, vt bonum filium alterum abdicauit, vt malum. Poſtea autẽ multos genuit alios operũ ſuorũ miniſtros quos Græci ἀγγέλους nominãt: & illos vnius ſed repugnantis naturæ, qualis Deorum. Sed pars illa corruptibilis, non vtique ſtatim corrupta eſt in ortus ſui principio: ſed poſt compoſitum ordinatumque mundum, ſicut mox docebimus, à ſubſtantiæ cœleſtis vigore peruerſa voluntate deſciuit. Cęterum in principio pares vniuerſi ęqua conditione apud Deum fuere: & idcirco angeli omnes, quorũ principes erant illi duo. Cum autẽ Deus ex his duobus alterum bono præpoſuiſſet, alterũ malo: exorſus eſt fabricam mundi omnibus his, quos creauerat miniſtrãtibus & per certa officia diſpoſitis.† Hęc de origine erroris libro capite. 9. Lactantius. Quæ tamen exiſtimant multi ab aliquo parum pio, quò inuidiam illi faceret, appenſa fuiſſe Firmiano: ſic enim (quiſquis ille fuit) veris falſa permiſcet, ſic quędam intricat & illaqueat, perplexitatis ceu quodam diſsidio vix cohęrentibus aſſertionum capitibus: vt in boni & mali natura explicanda, ſecum ipſe locis multis pugnare videatur: atque hoc maxime loco, quem citaui nuperrime. Quo in ipſo quaſi vorticoſo aliquo mari, natare mihi viſus eſt ęſtuans. Quoniam autem quę excuſa typis accuratius eſſe videbantur exemplaria, nõ eâdem ſunt ſerie cõtextus impreſſa, nec verbis totidem: ſtellari quadam notula pręſignare libuit ea, quæ ſuſpecta mihi ſunt viſa, & probatiori quodam codice non habebantur. Quæ igitur aſteriſci duo priores interiactu ſuo hinc inde incluſa continent, eiuſmodi mihi eſſe videntur, vt merito expingi debeant: nam neque receptæ fidei aliquo exemplari probantur, & chriſtiana cum fide non bene conueniunt: & profecto ſublata de medio ſi erunt, orationis Lactantij contextum pium magis, candidioremque efficient: & quaſi pietatis offendiculo procul abiecto, dictionis continuata ſeries inter ſe admodum congruit, ſtyli quodam candore mirifico. Iam vero, qui aſteriſcus tertio loco eſt à nobis affixus, dum ad ſuum comparem recta graditur, quę in medio ſcriptá cõſpicit; nec probari rectè exemplari aliquo exiſtimat: & eiuſdẽ cenſet impietatis poſſe damnari. Sed tamen habet aliquid quod

poſsit

poſsit vtique ſuſtineri, nempe eum ad extremam eſt curriculi partem peruentum: dum explicare nititur, pars illa, quæ corruptibilis primum in Angelo fuerat, quo ſit tēpore vitiari & corrumpi cœpta. Quæ dum contemplor ſingula, eſſem & ipſe (fateor, eius particeps opinionis cui video plures aſſenſos) ni & de natura mali differentem: ſuperiori huic loco de fabrica mundi, quem improbare me dixi: ſimiliam eius confirmationem multa Lactantium alibi afferre deprehendiſſem. Quæ non magis pijs auribus
1. probari poterunt, quam id quod paulo an-
2. te diſplicere mihi innui. Siquidem hoc ipſo
3. loco peccat ille ter & amplius. Primū quod
4. naturam cenſet aliquam eſſe mali (vt iam ſu-
5. perius oſtendi) deinde quia naturæ boni eā
tempore facit ęqualem: & quod eſt abſurdum maximè ab vno fonte deductam. Quo in ipſo videtur ſæpe nutare, illaqueatus à ſe ipſo ſententiæ perplexitate. Poſtremò, quoniam ceu neceſsitate coactum, nobis inducit Deum, vt virtus eſſe poſſet, interim mala facientem. Stultè, vt apparet, ratus: ſine vitio virtutem penitus non poſſe conſtare. Quod ſexti libri decimo quinto capite etiā probare nititur: dum Stoicorum ſtultā illam de euellendis affectibus opinionem labefactat. Quo in loco malo ipſo de medio ſublato, ne virtuti quidem locum vllum poſſe relinqui, ſtultiſsimè opinatur. Sed expēdam mox CHRISTO auſpice ſingula exactius, nunc quæ dicat audiamus.

STOICI ergo furioſi (ait) hinc enim præciſe exordiendum eſt, ne longè retro in hac cauſa aliquo ſumpto principio, mihi ipſe fuiſſe videar obſtaculo, qui ea non temperant ſed abſcindunt, rebuſque à natura inſitis caſtrare hominem quodam modo volunt. Quod tale eſt, quale ſi velint aut metū detrahere ceruis, aut venenum anguibus, aut iram feris, aut placiditatem pecudibus. Nam quæ ſingula mutis animantibus data ſunt, ea vero vniuerſa homini ſimul. Quod ſi, vt medici dicunt, letitiæ affectus in ſplene eſt, irę in felle, libidinis in Iecore, timoris in corde; facilius eſt interficere animal ipſum, quam ex corpore aliquid euellere: quod eſt animantis naturam velle mutare. Sed homines prudentes non intelligunt, cum vitia ex homine tollunt: etiā ſe virtutem tollere, cui ſoli locum faciunt. Nam ſi virtus eſt in medio irę impetu ſe ipſum cohibere, ac reprimere, quod negare non poſſunt: caret ergo virtute quiſquis ira caret. Si virtus eſt, libidinem corporis continere, virtute careat neceſſe eſt, qui libidinem quam temperet, non habet. Si virtus eſt, cupiditatē ab alieni appetitione frenare: nullam certè virtutem poteſt habere, qui caret eo, ad quod cohibēdum virtutis vſus adhibetur. Vbi ergo vitia non ſunt nec virtuti locus eſt quidem: ſicut nec victoriæ quidē, vbi aduerſarius nullus eſt. Ita ſit, vt bonum ſine malo eſſe in hac vita non poſsit. Affectus igitur, quaſi vbertas eſt naturalis animorum. Nam ſicut in ſentes ager, qui eſt natura fœcundus exuberat: ſic animus incultus, vitijs ſuā ſponte inualeſcentibus, velut ſpinis obducitur. Sed cum verus cultor acceſſerit, ſtatim cedentibus vitijs, fruges virtutis oriuntur. Deus itaque cum hominem primum fingeret, mirabili prouidentia ingenerauit ei prius iſtas animi commotiones, vt poſſet capere virtutem, ſicut terra culturam: poſuitq; materiam vitiorum in affectibus, virtutis in vitijs. Quę profecto, aut nulla erit, aut in vſu eſſe non poterit, ſi deſint ea, per quæ vis eius aut apparet, aut conſtat. Sed neceſſe eſt, leuiter hæc perſtringam: vt ad alia quoque tranſuolem, quæ ab illo in hanc ſententiam non magis ſapienter ſunt dicta. Quę cum contemplor animo, ſubit illud ſtatim, paucis cōceſſum eſſe, omnibus horis ſapere. Sed ſpectemus huius generis, quæ ab hoc dicta ſint reliqua. Is enim de diuino premio libro, capite quinto ſic loquitur. Neque nunc aliquis eò confugiat, vt dicat ad ipſius culpam pertinere, qui & bonum inſtituit & malū. Cur enim malū voluit eſſe, ſi id odio habet? Cur non bonum tantum fecit, vt nemo peccaret, nemo faceret malum? Quamquam hoc in omnibus ferè prioribus libris docuerim, & id iam ſuperius, quamvis leuiter attigerim: tamen ſubinde admonēdum eſt, quia omnis ratio in eo poſita eſt. Nulla enim virtus eſſe poterat, niſi diuerſa feciſſet. Nec omnino apparere vis boni poteſt, niſi ex mali comparatione. Adeo malum nihil aliud eſt, quam boni interpretatio. Sublato igitur malo: etiam bonum tolli neceſſe eſt. Si læuam manum, aut pedem amputaueris, nec corpus erit integrum: nec vita ipſa conſtabit. Adeo ad compagem corporis temperādam, aptiſsimè cum dextris ſiniſtra iunguntur. Item ſi pares calculos feceris, nemo ludet. Si vnum colorem circo dederis nemo ſpectandum putabit: ſublata omni Circenſium voluptate. Quos profecto qui prius inſtituit, amator vnius coloris fuit: ſed alterū ei, quaſi

ęmulum poſuit, vt poſſet eſſe certamen: & aliqua in ſpectaculo gratia. Sic Deus cum bonum conſtitueret, cum virtutem daret, ſtatuit etiam diuerſa cum quibus illa confligerent. Si deſit hoſtis & pugna, nulla victoria eſt. Tolle certamen, ne virtus quidem quicquam eſt. Quam multa ſunt hominum inter ſe, & quam varijs artibus inſtituta certamina? Nemo tamen fortior, velocior, præſtantior haberetur: ſi aduerſarium, cum quo contenderet, non haberet. Vnde autem ab eſt victoria, abeſſe hinc & gloriam ſimul, & pręmium neceſſe eſt. Vt igitur virtutem ipſam exercitatione aſsidua roboraret, eamq; faceret de malorum conflictatione perfectam, vtrumque ſimul dedit quia vtrumq; ſine altero retinere vim ſuam non poteſt.

Ergo diuerſitas eſt, cui omnis ratio veritatis innititur. Non me pręterit, quid hoc loco à peritioribus poſsit opponi. Si bonum ſine malo eſſe nó poteſt: quomodo primum hominem dicis ante offenſum Deum in ſolo bono fuiſſe? Aut poſtea in ſolo bono futurum? Diſcutienda nobis hæc quęſtio eſt, quod in prioribus libris prætermiſi: vt hîc implerem. Diximus ſuperius ex elementis repugnantibus hominis conſtare naturam. Corpus enim, qu ę terra eſt, comprehẽſibile eſt: temporale, brutum, atque tenebroſum eſt. Anima vero, quia de cœlo eſt tenuis, ęterna, ſublimis, illuſtris eſt. Quæ quia inter ſe contraria ſunt, neceſſe eſt, hominem & bono, & malo eſſe ſubiectum. Animæ adſcribitur bonum, quia diſſolubilis eſt: corpori malum, quia fragile eſt. Quoniam igitur ſociata & cõiuncta ſunt corpus & anima: ęquè bonum & malum cohęreat neceſſe eſt: nec ſeparari alterutro poſſunt, niſi cum illa ſeparata ſunt. Deniq; boni maliq; notitia ſimul homini primo data eſt: qua percepta, ſtatim de loco ſancto pulſus eſt: in quo malum nó eſt. Vbi cum eſſet in bono tantum, id ipſum bonum eſſe ignorabat. Poſtquam vero accepit boni malique intelligentiam, iam nefas erat, eum in beatitudinis loco morari. Relegatuſque eſt in hunc communem orbem, vt ea vtraque ſimul experiretur: quorú naturam pariter agnouerat. Apparet ergo idcirco datam eſſe homini ſapientiam, vt bonum diſcernat à malo: vt ab incommodis cómoda, ab inutilibus vtilia diſtinguat: vt habeat iudicium, & conſiderantiam: quid canere, quid appetere, quid fugere, quid ſequi debeat. Sapientia igitur conſtare ſine malo non poteſt. Vixitque ille princeps generis humani, quam diu in ſolo bono fuit, velut inſans, boni ac mali neſcius. At enim poſtea hominem neceſſe eſt & ſapientem eſſe, & ſine vllo malo beatum. Sed id fieri non poteſt, quandiu anima domicilio corporis induta eſt. Cum verò factum fuerit corporis atque animę diſsidium. Tunc malum à bono ſeparabitur. Et ſicut corpus interit, anima manet: ita malum interibit, & bonum permanebit. Tunc homo accepto immortalitatis indumento, erit ſapiens, expers mali ſicut Deus. Qui ergo vult nos in bono eſſe tantum, id potiſsimum deſiderat, vt ſine corpore viuamus, in quo eſt malum. Quod ſi tollatur, aut ſapientia homini (vt dixi) aut corpus adimetur: Sapientia, vt ignoret malum: corpus, vt non ſentiat. Nunc autẽ cum homo & ſapientia ſit inſtructus, vt ſciat, vtrumq; pariter in hac vita Deus eſſe voluit, vt ratio virtutis ſapientięque conſtaret. Poſuit itaq; hominem inter vtrumque mediú: vt haberet licentiã vel mali, vel boni ſequẽdi: Sed malo admiſcuit apparentia quædam bona, id eſt varias ac delectabiles ſuauitates: vt earum illecebris induceret hominem ad latens malum: bono autem admiſcuit apparentia quędam mala: ideſt ęrumnas, & miſerias, & labores; quorum aſperitate, & moleſtia offenſus animus refugeret à bono latenti. Hîc ergo ſapientiæ officium deſideratur: vt plus mente videamus quã corpore: quod pauci admodum facere poſſunt: quia & virtus difficilis ac rara eſt: & voluptas cómunis, & publica. Ita neceſſe eſt ſapientẽ, pro ſtulto haberi, qui dú appetit bona quę non cernuntur, dimittit è manibus quæ videntur: & dum vitat mala, quę non aſpiciuntur: incurrit in mala, quæ ante oculos ſunt. Quod accidit nobis, cum neque cruciatum, neq; mortẽ pro fide recuſamus: quando ad ſummum nefas compellimur: vt prodita fide, atque abnegato vero Deo, dijs mortuis, mortiferiſque libemus. Hęc ratio eſt, cur hominem Deus & mortalem fecerit, & malis ſubiecerit: licet ipſius cauſa mundum ędificaſſet: ſcilicet vt virtutem caperet & ei virtus ſua immortalitatem daret. Virtus autem, ſicut oſtendimus, veri Dei cultus eſt. Hęc ille hactenus.

QVAE nimirum omnia, eò nempe redeunt, vt doceat malorum fabricam idcirco in terras inductam à Deo rerum opifice, vt conſtare virtus poſſet. Nulla (inquit) eſſe poterat, niſi diuerſa feciſſet. Itaque & ſapientiæ rationẽ adimit ſi contrarijs vita careat, quod

ſit in delectu rerum vſquequaq; illa poſita. Vt enim illam diſcerniculo rerum præficit: ſic virtutem ipſam non probari ſolum: ſed vult conſtare per mala. Quid? quod diſſolutum iri hominem cenſet, ſi quis è contubernio malorum diſſociare vitam pergat? Vt virtutis in anima: ſic vitij in corpore docens ſitam eſſe rationem. Verum videamus etiam 20. de ira Dei capite quid de hac materia ſentiat. Ante omnia (inquit) diuerſitatem eſſe voluit: ideoq; vulgo non aperuit veritatem: ſed eam paucisſimus reuelauit: quę diuerſitas omne arcanum mundi continet. Hæc eſt enim quę faciat virtutē: quę ſcilicet ſine ipſa non modo nō eſſe, ſed ne apparere quidem poſſet. Quia virtus eſſe non poterit, niſi fuerit compar aliquis, in quo ſuperando vim ſuam, vel exerceat, vel oſtendat. Nam vt victoria conſtare ſine aduerſario non poteſt: ſic nec virtus quidē ipſa ſine hoſte. Ita quoniam virtutem dedit homini, ſtatuit ei è contrario inimicum: ne virtus otio torpēs naturam ſuam perderet: cuius omnis ratio in eo eſt, vt concuſſa & labefacta firmentur: nec aliter ad ſummum faſtigium poſsit venire niſi prudenti manu ſemper agitata, ſe ad ſalutem ſuam dimicandi tenore fundauerit. Noluit enim Deus hominem ad immortalem illam beatitudinem delicato itinere peruenire. Daturus ergo virtutem, dedit hoſtem prius: qui animis hominum cupiditates, & vitia immitteret: qui eſſet author errorum, malorumque omnium machinator. Vt quoniam Deus hominem ad vitam vocat: ille contra, vt rapiat & traducat ad mortem.

VIDES NE varietatis hominem prætextu deceptum ceu tempeſtatis aliquo fluctu ac procella compulſum illuc non ſemel adigi, vt à Deo mala dictitet? Etenim quid dici poteſt abſurdius, quam à bonorū fonte Deo, à quo mali nihil poteſt oriri: virtutis nobis hoſtem datum, & tanquam emiſſarium iniectum, qui reluctantes tandem planeq; inuitos nos ad mala propelleret? Quod vt cogitare poſsit ſtultus; credere profecto, niſi impius nemo poterit. Siquidem Diabolum ipſum in ortus ſui principio, Angelū à Deo conſtat fuiſſe creatum. Eumq; mox inſolētia turpisſimi faſtus, cōditoris ſui, ac creationis oblitum: auerſum à Deo ſtatione ſua deſerta, cœleſtis militiæ ordine motum, ac cœlo exturbatum, diabolum eſſe cœpiſſe. Statimq; infœlicitatis ſuæ clade cognita & intellecta ruina in authorem ſuum priſtinū, ſæua arma paraſſe. Cumque ſe tanto disſimilem tantoq; minorem, & viribus imparē, vniuerſæ naturæ authori mali nihil moliri poſſe conſpiceret: acerbitatis ſuæ virus in hominem (quem aliquādo ſuum in locum ſuffectum iri præſenſione quadam olfecerat) conuertere ſtatuiſſe. Sicque tandem, ea altius plaga animo impacta, exitij atq; interitus paſsim laqueis iniectis vniuerſum genus hominum aggredi dolis tentaſſe: & malorum genus omne propter inuidiam ad expugnationem ipſorum facilè excogitauiſſe. Inſidiatur itaq; vniuerſis, ſed eos, quorū pectora conditore omnium vel miſerè non intellecto, vel abnegato turpiter, tetra caligine ſepſit: errore impedit, ſtultitia obruit, tenebris circumfudit, nequis poſsit ad diuini nominis peruenire notitiam. Quo in vno & ſapientię humanæ ſumma continetur: & immortalitatis ac perpetuæ vitę ratio omnis eſt poſita. Eos autem, qui Deum ſciunt dolis & aſtutia aggreditur, vt cupiditate ac libidine irretiat; ac peccati blandimentis deprauatos impellat ad mortem. Vel ſi dolo nihil profecerit; violentia etiam deijcere conatur. Denique tentat omnia, ne & videndi & fruendi Dei (qui vnus eſt à ſummo rerum opifice finis homini conſtitutus) beneficio ac dignitate fruatur. Atq; ita non maleſaciēdi arte inſtructus à Deo (quod profecto ſit nefas atque impium cogitare) ſed primigeniæ peruerſione naturæ ac malignitate ingenij (quam eſt prçuaricatione ſortitus, & humani generis odio: inuidię morbo exæſtuās, atq; impatientia doloris ad Iuſtitiæ opera labefactanda inſurgit alacer: ne ſcilicet aſpiremus eò, vnde ingratę cęcæq; mentis furore correptus: ac ſortis oblitus, temerè inſoleſcens animo; decidit ipſe. Sed de hoc hactenus.

ATTENDAMVS igitur quid libri huius cap. decimo quinto, paulo dixerit ante. Sic enim loquitur. Hîc fortaſſe quęrat aliquis, vnde ad hominem peccata peruenerint: aut quæ prauitas diuini inſtituti regulam ad peiora detorſerit, vt cum ſit ad iuſtitiam genitus, opera tamen efficiat iniuſta. Illam ſuperius explanaui, ſimul Deum propoſuiſſe bonum ac malum: & bonum quidem diligere: ac malum quod huic repugnat, odiſſe. Sed ideo malum permiſiſſe, vt & bonum emicaret: quod alterum ſine altero (ſicut ſæpe docui) intelligimus non poſſe cōſtare. Deniq; ipſum mundum ex duobus elementis repugnantibus, & inuicem copulatis eſſe con

cretum

cretum: igneo & humido. Nec potuiſſe lucẽ fieri, niſi & tenebræ fuiſſent: quia nec ſuperum poteſt eſſe ſine infero: nec oriens ſine occidente, nec calidum ſine frigido, nec molle ſine duro. Sic & nos ex duobus ęque repugnantibus compacti ſumus, anima & corpore: quorum alterum cœlo adſcribitur, quia tenue eſt & intractabile: alterum terrę, quia comprehenſibile eſt. Alterum ſolidum & ęternum eſt: alterum fragile atq; mortale. Ergo alteri bonum adhæret, alteri malum: alteri lux, vita, Iuſtitia: alteri tenebrę, mors, iniuſtitia. Hinc extitit in hominibus naturæ ſuæ deprauatio, vt eſſet neceſſe conſtitui legem: qua poſſent & vitia prohiberi, & virtutis officia imperari. Cum igitur ſint in rebus humanis bona, & mala, quorum rationem declaraui: neceſſe eſt ad vtramq; partem moueri Deum, & ad gratiam cum iuſta fieri videt: & ad iram cum cernit iniuſta. Hæc ille.

ATEGO ex orationis tam illuſtri principio de totius mali origine atq; ratione habiturũ me eſſe ab homine boni ac certi aliquid, ſine dubio rebar: cum eſſe finito capite non tantum mihi lucis allatum: quantum animo nubis obductum ex confuſa dictione comperi. Cœpi igitur opinari quando de ipſo fonte mali appoſitiſsimo in loco author verbum non fecerat, ſermonis id paulo ante initio clarè pollicitus, quamuis graphicè idẽ alibi caſum depinxerit hominis, vim tamen & cauſam malorum non ad vnguem cognouiſſe. Vnde in libro de ira Dei. 13. capite ait, & bona & mala à Deo, ipſorum cauſa hominum conſtituta fuiſſe ſalubriter. Perinde quaſi quod ſubſtantiæ omnis eſt expers, in prętabili naturæ opificio, vel omnino partem occupet, vel eſſentiæ aliquid habeat. Verum ipſum iam audiamus ſua ſic orationis fila texentem.

SED Academici contra Stoicos differentes ſolent quærere. Cur, ſi Deus omnia hominum cauſa fecerit, etiam multa contraria, & inimica, & peſtifera nobis reperiantur tam in mari quam in terra? Quod Stoici veritatem non reſpiciẽtes ineptiſsimè repulerũt. Aiunt enim multa eſſe in gignentibus, & in numero animalium, quorum lateat vtilitas, ſed eam proceſſu temporum inueniri. Sicut iam plura prioribus ſęculis incognita, neceſſitas & vſus inuenerit. Quæ tandem vtilitas poteſt in muribus, in blattis, in ſerpentibus reperiri? Quæ homini moleſta, & pernicioſa ſunt? An medicina in his aliqua latet? Quæ ſi eſt, inuenietur aliquando, nempe aduerſus mala: cum id illi querantur, eſſe omnino malum. Viperam ferunt exuſtam, in cineremq; dilapſam mederi eiuſdem beſtię morſui. Quanto melius fuerat eam prorſus non eſſe, quam remedium contra ſe ab ipſa deſiderari! Breuius igitur ac verius reſpondere potuerunt in hunc modum. Deus cum formaſſet hominem veluti ſimulacrum ſuum: quod erat diuini opificij ſummum, inſpirauit ei ſapientiam ſoli, vt omnia imperio ac ditioni ſuę ſubiugaret: omnibusq; mundi commodis vteretur. Propoſuit tamen ei & bona & mala, quia ſapientiam dedit: cuius omnis ratio in diſcernendis malis ac bonis poſita eſt. Non poteſt enim quiſquam eligere meliora, & ſcire quid bonum ſit, niſi ſciat ſimul reijcere, ac vitare quę mala ſunt. Inuicem enim alterutrum connexa ſunt: vt ſublato alterutro, vtrumq; tolli ſit neceſſe. Propoſitis igitur bonis, maliſq;, tunc demũ opus ſuum peragit ſapientia: & quidem bonum appetit ad vtilitatem, malum reijcit ad ſalutem. Ergo ſicut bona innumerabilia data ſunt homini, quibus frui poſſet: ſic etiam mala, quę caueret. Nam ſi malum nullum ſit periculumq́ue, nihil deniq; quod lædere hominem poſſit: tollitur omnis materia ſapiẽtię: nec erit homini neceſſaria. Poſitis enim tantummodo in cõſpectu bonis, quid opus eſt cogitatione, intellectu, ſcientia, ratione? Quocumq́ue porrexerit manum, id naturæ aptum, & commodum ſit: vt ſi quis velit apparatiſsimam cœnam infantibus, qui nondum ſapiant, apponere. Vtiq́ue id appetent ſinguli, quò vnumquemq́ue aut impetus, aut fames, aut etiam caſus attraxerit: & quicquid ſumpſerint, id illis erit vtile, ac ſalubre. Quid igitur nocebit, eos, ſicuti ſunt, permanere: ac ſemper infantes, ac neſcios eſſe rerũ? Si autem admiſceas vel amara: vel inutilia, vel etiam venenata, decipiuntur vtique per ignorantiam boni & mali: niſi accedat his ſapientia per quam habeant malorum reiectionem, bonorumq́ue delectum. Vides ergo, magis propter mala opus nobis eſſe ſapientia: quę niſi fuiſſet propoſita, rationale animal non eſſemus. Quod ſi hæc ratio vera eſt, quam Stoici nullo modo videre potuerunt, diſſoluitur etiam argumentum illud Epicuri. Deus (inquit) aut vult tollere mala, & non poteſt: aut poteſt, & non vult: aut neq́ue vult; neq; poteſt: aut & vult: & poteſt. Si vult & non poteſt: imbecillis eſt, quod in Deum non cadit. Si poteſt & non vult, inuidus:

uidus: quod ęquè alienum à Deo. Si neque vult, neque poteſt: & inuidus & imbecillis eſt: ideoq; neque Deus. Si vult, & poteſt: quod ſolum Deo conuenit, vnde ergo ſunt mala; aut cur illa non tollit? Scio pleroſque philoſophorum, qui prouidentiam defendunt, hoc argumento perturbari ſolere, & inuitos penè adigi, vt Deum nihil curare fateantur. Quod maximè quęrit Epicurus: ſed nos ratione perſpecta, formidoloſum hoc argumentum facilè diſſoluimus. Deus enim poteſt quicquid velit, & imbecillitas vel inuidia in Deo nulla eſt: poteſt igitur mala tollere, ſed non vult: nec ideo tamen inuidus: idcirco enim non tollit, quia & ſapientiam (ſicut docui) ſimul tribuit: & plus boni ac iucunditatis in ſapientia, quam in malis moleſtiæ. Sapientia etiam facit, vt etiam Deum agnoſcamus: & per eam cognitionẽ immortalitatem aſſequamur: quod eſt ſummum bonum. Ita niſi prius malum agnouerimus, nec bonum poterimus agnoſcere. Sed hoc non vidit Epicurus, nec alius quiſquam: ſi tollantur mala; tolli pariter ſapientiam: nec vlla in homine virtutis remanere veſtigia: cuius ratio ſuſtinenda & ſuperanda malorũ acerbitate conſiſtit. Itaque propter exiguũ compendium ſublatorum malorum: maximo, & vero, & proprio nobis bono caremus. Conſtat igitur, omnia propter hominẽ propoſita: tã mala, quam etiam bona. Hæc ille. VIDES IGITVR, licet multa nec ruſticè nec indiſertè locis his omnibus colligat, tamen in illam tandem partem propẽdere, vt à Deo mala aſſerat. Quod profectò eſt valde mirandum: cùm quæ ſit ratio veritatis in boni atque mali origine, minimè ipſum lateat. Nam cum ſexto diuinarum inſtitutionum libro, capite quinto: Virtutem in boni atque mali ſcientia non eſſe poſitã acutè diſſeruiſſet contra Caij Lucilij Aruncij hominis poëtęque ſatyrici verſus, quos Cicero ſequutus eſt, Stoicum æmulatus Panętiũ, ſuos illos inſignes de Officijs ad filium libros ſcripſit; proximo ſtatim capite declarat: Vnde orta bona ſint, & à quo etiam fonte mala proflu xerint. Sed poſt iſthuc ibo, nunc Lucilij verſus videamus.

Virtus, Albine, eſt, pretium perſoluere verum,
Queis inuerſamur, queis viuimus rebus adeſſe.
Virtus eſt homini, ſcire id, quod quæq; habeat res.
Virtus ſcire homini rectum, vtile, quid ſit honeſtum.
Quæ bona, quæ mala item, quid inutile, turpe, inhoneſtum.
Virtus, quæ rendæ finem rei ſcire, modumq;
Virtus, diuitijs pretium perſoluere poſſe.
Virtus, id dare, quod re ipſa debetur honori:
Hoſtem eſſe atq; inimicum hominum morumq; malorum:
Contra defenſorem hominum, morumq; bonorum.
Hos magnifacere, his bene velle, his viuere amicum.
Commoda præterea patriæ ſibi prima putare,
Deinde parentum, tertia iam poſtremaq; noſtra.

Hęc Lucilius elegãter ſanè, nimiſq; ſpẽdide: ſed tamẽ errat alicubi. Non enim moralis virtutis vis in notione tãtũ eſt poſita, ſed in actione potius. Eſtque ideo grande nefas, ſi à malitia non declines, cum facti turpitudinem cernas. Quid enim habet pulchri, quæ honeſta ſunt cognoſcere: ſi à benè cognitis, praua aliqua animi affectione impeditus, vel malitia detentus mentem auertas? De induſtriaq; tibi ipſe defectionem in re præclara molitus, vitæ ſtudia cuncta alio prauè deflectas, voluntatiſque aliorſum adaptans vela diſtendas, quam quò ſanctè tuum curſum generoſus mentis ardor, atq; animi conſciẽtia direxerit? Igitur (iudicio meo) quod Lucilius ait,

Virtus eſt homini, ſcire id, quod quæq; habeat res.

Ita demum verum putabitur, ſcientiæ ſi comes acceſſerit.

. . . Pretium perſoluere verum
Queis inuerſamur: queis viuimus rebus adeſſe.

Tunc enim virtus animi Iuſtitiaque verè floret, cum ad libram rationis, examenque iudicij, rectè ſunt cuncta dimenſa: eſtque ſuus rebus, pro illarum dignitate iuſtus valor à cunctis atq; premium perſolutum. Vnde Inclytum illud iam ſummè vigebit,

Virtus diuitijs pretium perſoluere poſſe:
Virtus, id dare (quod re ipſa debetur) honori?

Quod qui facere recuſauit, eò magis eſt peccare credẽdus, quò minus id quod omiſit, eſſe rectum ignorauit. Quo ſanè nomine libidinoſo amore flagrantes vel maximè culpantur: qui ſua peruidentes mala: deqne vi morbi ipſius, quo premũtur, prudẽter multa ac facundè diſſerentes, affectui ſuccumbunt noxio. Quæ ſalutari quodã ductu nere fila cœperant (mollitie animi praua victi) in exitia ſua tandem turpiter ſuccidentes. Teſtis Sidonia Dido illa Maronis, quę Ænea viſo amoris ſæua percita face, ſtimulos parum caſtos (de pudicitia ſanctè diſputãs) etiam imprecatione dira & pudoris obiectu graui coercere ſe atq; obiurgare auſa, cæco artubus regnante Deo, fruſtra conatur auertere.

tere. Ait nanque.

Anna (fatebor enim) miſeri poſt fata Sichæi
Coniugis, & ſparſos fraterna cæde penates:
Solus hic inflexit ſenſus, animumq; labantem
Impulit agnoſco veteris veſtigia flammæ.
Sed mihi vel Tellus optem prius ima dehiſcat,
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad vmbras,
Pallentes vmbras Erebi, noctemq; profundam:
Ante pudor, quam te violem, aut tua iura reſoluam.

Vim hæc cladis perſentit ſuæ: quantique ſit pudoris fama æſtimanda, ſatis innuit: quę horrificæ imprecatione mortis, perire miſerè mauult potius, quam pudicitia lęſa, vita frui. Magnifica ſanè oratio, virgineoq; pudore, & regali genere digna! Sed quid verba vana proficiunt, degeneri ſi ad extremū affectioni, victo pudore, ſuccumbas? Verum ſit mihi de Didone hęc dixiſſe hactenus: cuius in moribus Maroniano carmini aſſentiens, multa eſt improbè ſama mentita. Adeò vt mendaciſsimæ poeſis error, opinione ſalſa hominum confirmatus, audacter nimis veritate contempta, iniquè contra ipſam (quæ fuiſſe caſta fertur) conſtituiſſe ius publicè, penè videatur. Quare, Eliſę Manes nulla ipſe iniuria tali ſolicitans, neceſſe eſt hinc aliò tranſuolem: vbi parum caſtum apud animū impotentia ſolutioris affectus (nullo tempeſtiuè rationis fræno coercita) permiſſa eſt præter ſas vagari liberius. Quo in loco vna nobis erit adducenda Medea, quę licet generoſum, forteque primum huic ſit furori pectus opponere auſa: poſtremo tamē vi morbi victa, quæ ſaniora probat, vitę conſilia reſpuit: & pudicitia cum ipſa paterni imperij, fideiq; oblita: cuius ab aſpectu exitiales animo amoris modò flammas ebiberat, huius quam patris incolumitatem animi & gloriā optat in maius creſcere. Argumentatur itaque (dum vim morbi conatur expellere) vtramque inpartem acutè multa. Sed cōcepta ſemel Amoris vęſani rabie, quam in ſuū auidè præceps exitium ruat, conſilij ſani ratiunculas auerſata: ipſe, qui impotentis animi illius & dicta & facta cuncta accuratè cōſcripſit Ouidius, ſuo id nobis iam carmine pandat.

Concipit interea validos Æetias ignes,
Et luctata diu, poſtquam ratione furorem
Vincere non poterat; fruſtra Medea repugnas:
Neſcio quis Deus obſtat ait: mirumq; quid hoc eſt
An aliquid certè ſimile huic, quod amare vocatur.
Nam cur iuſſa patris nimium mihi dura videntur?
Sunt quoq; dura nimis. Cur quem modo deniq; vidi
Ne pereat; timeo? Quæ tanti cauſa timoris?
Excute virgineo conceptas pectore flammas,
Si potes infœlix. Si poſſem, ſanior eſſem:
Sed trahit inuitam noua vis, aliudq; Cupido,
Mens aliud ſuadet. Video meliora, proboq;:
Deteriora ſequor.

Boni igitur malique ſcientia vana eſt, ni præſtantiora quę nouit, ȧmplecti qui ſaciat, præſto adſit animi generoſus affectus. Non enim vera virtus eſt, ſcire quæ optima ſunt, niſi cognitis vtare. Merito igitur in Catone Maiore vitioſæ hui⁹ ac pernicioſæ cauſa ſciētiæ Athenienſium facta Cicero reprehendit dicens, Athenienſes ſcire quæ recta eſſent: ſed ſacere nolle. Quem haud iniuria morbum, vitæ hominum exitioſum maximè, arbitratus eſt Sophocles: atq; hoc quidem genere hominum ſtomachatus, vehementerque offenſus poeta Pacuuius, belle profecto ait.

Odi homines ignaua opera, & philoſopha ſententia.

Næ ille & rectè. Siquidem corruptum apud animum, magnificè licet ſumpta, inane eſt tamen actionis præludium, Oratio. Pręclare igitur Lactantius. Dixi quod erat primum ſcientiam boni non eſſe virtutem: deinde, quid ſit virtus, & in quo ſit. Sequitur, vt id quoq; ipſum, quid ſit bonū & malum: neſciſſe philoſophos breuiter oſtēdam: quod pene declaratū eſt lib. 3. cum de ſummo bono diſputarem. Qui autem quid eſſet ſummum bonum neſcierunt, & in cęteris bonis, malisve, quę ſumma non ſunt, errauerint neceſſe eſt. Quod non poteſt vero iudicio examinare, qui ſontem ipſum non tenet, vnde illa deſcendunt. Fons autem bonorum Deus eſt: malorum vero ille ſcilicet diuini nominis ſemper inimicus: de quo ſæpe diximus. Ab his duobus principijs bona malaq; oriuntur. Quæ veniunt à Deo hanc habent rationem, vt immortalitatem parēt: quod eſt ſummum bonum. Quæ autem ab illo altero, id habent officium, vt cœleſtib⁹ auocatum, terreniſq; demerſum ad pœnam interficiant ſempiternam: quod eſt ſummū malum. Nō igitur dubium eſt, quin illi omnes, quid eſſet bonum & malum ignorauerint: qui nec Deum, nec aduerſarium eius ſcierint. Hęc ille planè diuinitus. Atq; vtinā parte nulla, perplexitate quadam ſententiæ, ceu vertigine correptus, vitioſè nutare cœpiſſet. Speciosſo enim hoc iacto fundamento, ex quo fonte bona defluunt, oriri mala

non poterunt. Quis enim errorem non videat, ſi quis id fieri poſſe, temerè tentet aſſerere.

IGITVR malorum ſi diabolum authorem ais Lactanti: quomodo vtrumq; à Deo dicis effectum? & ipſorum gratia hominum ſalubriter conſtitutum? Pergis pugnantia ſecum frontibus aduorſis componere: vt qui bonorum verè ſolus ſit author: idem & malorum pariter ſit effector habendus: quod prorſus abſurdum eſt & recti nulla ratione ferendum? Sed quanquam contrarium ſibi, hîcq; planè hęrentem hominē teneam: pergamus tamē ad reliqua, cœptaq; ipſa finiam⁹. Quid? quod ex ipſa natura rerū, quę multiplici varietate diſtincta à prudentiſsimo artifice ita temperata eſt, vt ex eius tanquam inteſtino bello & obuerſario motu, iuxta ſui cuiuſq; generis ſpeciem mirificè pacatus conſtet ac germinet fructus, compagem pariter corporis noſtri dimetiens, ne opificium quidem eius poſſe conſtare cenſet, virtutemve vllā ſubſiſtere: ſi in mūdo mala non ſint? Ita quaſi membrum ipſius aliquod videatur, congenitam nobis ducit eſſe malitiā: quod profecto eſt longè aliter. Niſi enim humani ille generis princeps (qui noſtræ huius tantæ calamitatis fuit author, & aſsiduè quo premimur vſque, omnis laboris fons) diuinā eſſet legem tranſgreſſus contra ſummi Dei interdictum nobilem attingens arborem, quæ & mali erat & boni ſcientiam complexa, non nos pannis obſita egeſtas premeret, nō aſper dolor adiret, non luctus acerbus conficeret: non curę inſomnes: non violenta fames: nō ęgra & vicina morti ſenectus, tardum ac debilem greſſum ſcipione fulciret: non ipſa tandem hominem conſumeret mors, intercepta ſubito multarum rerum ſpe, & inani omni prærepto vitæ conſilio. Quodq; eſt longe omnium & grauiſsimum & miſerrimum, non horribilis Mars: non opum væſana cupido: non ſcelus infandum, & iniuriæ ardens libido, quæ humanum genus peſtilentiſsimè peruaſit, primigeniæ illius ac beatæ vitę imaginem dolo dęmonis diſturbaſſet, lachrymabilem hunc ſtatum, triſtemq; formam inducens. Quo magis miror, cū hæc non ignoret, in ea prorſus Lactantium eſſe opinione, vt exiſtimet alicuius nobis mali eſſe Deum authorem. Cum prę ſertim Aquinas Thomas, Aurelius Auguſtinus & Baſilius Magnus, ſanctitate viri eximij, atq; in omni honeſta ſciētia exercitatiſsimi, pro ſua quiſq; virili, id fieri poſſe inficientur, à cuius rei veritate, cum quādoq; non abhorreat (vt paulo ante eius verbis à nobis eſt patefactum) neſcio tamen quonam fato Lactātius à ſe deſciſcat, ſententiæ ſuæ ipſius perplexitate detentus. Sed audiamus inquam iam reliqua.

RESPONDENDVM eſt hoc loco philoſophis (inquit) maximeque Ciceroni (qui ait) cur omnia noſtri cauſa cum faceret, tantam vim natricum, viperarumq; fecerit? Cur tam multa peſtifera, terra mariq; diſperſerit? Ingens ad diſputandū locus eſt: ſed vt in trāſcurſu breuiter ſtringendus eſt. Quoniā homo ex rebus diuerſis ac repugnantibus conſiguratus eſt, animo & corpore: id eſt cœlo atq; terra, tenui & comprehenſibili, æterno ac temporali: ſenſibili atq; bruto: luce prædito atq; tenebroſo: ipſa ratio ac neceſsitas exigebat, & bona homini proponi, & mala. Bona, quibus vtatur: mala, quę vitet & caueat. Idcirco enim data eſt illi ſapientia, vt cognita bonorum malorumq; natura: in appetendis bonis, maliſq; declinandis vim ſuæ rationis exerceat. Nam cętera animātia, quibus ſapientia data non eſt, munita indumentis naturalibus & armata ſunt: homini autē pro his omnibus (quod erat pręcipuum) rationem dedit ſolam. Itaq; nudum formauit & inermem, vt eum ſapientia muniret & tegeret. Munimenta & ornamenta eius non foris ſed intus: non in corpore ſed in corde conſtituit. Niſi ergo eſſent mala quæ caueret, quę à bonis, vtilibuſq; diſtingueret: non eſſet ei ſapientia neceſſaria. Sciat ergo Marc⁹ Tullius, aut ideo homini datam eſſe rationem, vt & piſces caperet vſus ſui gratia, & natrices viperaſq; vitaret ſalutis ſuæ cauſa, aut idcirco mala ei, bonaq; propoſita, quia ſapientiam acceperat: cuius vis omnis in diſcernendis bonis, maliſq; verſatur. Magna igitur & recta & admirabilis eſt vis, & ratio, & poteſtas hominis: propter quem mundū ipſum, & vniuerſa, quæcumq; ſunt Deus fecit! Tantumq; illi honoris habuit, vt eū pręficeret vniuerſis: quoniam ſolus poterat Dei opera mirari.

SEMPER igitur eò videtur propendere, vt à Deo mala ſint. Atq; ideo. 3. de Dei ira capite non iam diſsimulanter, ſed aperte quid ſentiret exprompſit. Ait namq;. Cum autem videamus non modo mala eſſe in rebus humanis, ſed etiam bona: vtiq; ſi Deus nō eſt, authorem eſſe alterum neceſſe eſt, qui contraria Deo faciat, & det nobis bona. Si eſt, quo nomine appellādus eſt? Aut cur nobis, qui

qui malefaciat notior eſt, quam ille, qui bene? Si autem nihil eſſe poteſt præter Deum: abſurdum eſt & vannm, diuinam putare poteſtatem (qua nihil eſt maius nihil melius) nocere poſſe prodeſſe non poſſe. Quibus ille verbis (niſi & iam nunc fallor) manifeſtè vult illud ſentire: vt bonorum ſic & malorũ rationem à Deo eſſe profectam. Ac, ne conſectandis hinc inde locis defatiger vſq; (neq; enim his modo in hac ille cauſa dicendi modum facit) extremo iam in calce perorationis inſtar, locum vnum appendam, qui licet ſub perſona ἀσεβὴς, ἢ ἄθεος ſit confictus, dubitandi tamen, meo quidem iudicio, rationem arguit, atque adeo ſummam continet. Epithomes enim. 9. capite qui liber eſt ἀκέφαλος, ad hanc ſententiam loquitur. Cõſideremus igitur, quæ ratio fuerit huius tãti, tamque immenſi operis fabricandi. Fecit Deus mundum (ſicut Plato exiſtimauit) ſed cur fecit, non oſtendit. Quia bonus, inquit, & inuidens nulli, ſecit quę bona ſunt. Atquĩ videmus in rerum natura & bona eſſe & mala: poteſt ergo exiſtere peruerſus aliquis, qualis fuerit ἄθεος ille Theodorus, & Platoni reſpondere· imo, quia malus eſt, fecit quę mala ſunt. Quo modo illum redarguet? Si, quæ bona ſunt Deus fecit: vnde igitur tanta mala eruperunt? Quę plerumq; etiam bonis prętualent. In materia (inquit) continebãtur. Bona igitur & mala, aut nihil ſecit Deus. Si bona tantum ſecit, ęterniora ſunt mala quæ ſacta non ſunt, quam bona, quę habuerunt exordium. Finem igitur habebunt quæ aliquando cœperunt, & permanebunt, quæ ſemper ſuerunt. Mala igitur potiora ſunt: ſi autem potiora eſſe non poſſunt, ne ęterniora quidem poſſunt. Ergo aut vtraq; ſemper fuerunt, & Deus ocioſus: aut vtraq; ex vno fonte fluxerunt. Eſt enim conueniens, vt Deus omnia ſecerit, potius quam nihil. Ergo, ſecundũ ſeutentiam Platonis, ideo Deus & bonus eſt, quia bona ſecit: & malus, quia mala. Quod ſi fieri non poteſt, apparet, non ideo ſactum mundum eſſe, quia mũdus bonus eſt. Sed haud eſt neceſſe plura perſequi: eſt enim & Firmianus ipſe præſto, atq; adeo locus in promptu.

O LACTANTI ſi oſoris Dei atq; hominũ tam temerariam vocem pertimeſcis! ſi tam ſacrilegam hominis vereris ipſe ſententiam: cur ſummi ac præpotentis Dei orbatæ patrocinio cauſæ, ac ſine legitimo tanquam aduocato aliquo ſummè periclitanti non ſtatim occurris, opemq; ſedulus fers? ne impietatis rabies impunitatis ſpẽ peſtilenti in morbo nacta, latius ſerpat in omnes, obuia quæq; proſternens: & miſera tabe deuaſtans? an ſcilicet, te authore, quæ libeat cuncta, licitum erit obijcere, & minime obiecta diſſoluere? Atquĩ flagitium eſt, quod obiectum ſemel, diluere rectè, infirmare vere, & ſubuertere commodè poſsis, ad exitium velle manare. Eſt enim profecto ſas, quæ impiè dicta ſentias, cum aliter eradicare extirpareq; illa nequeas, ſaltem qualicumq; conatu extenuare, tabificum virus eneruans, oratione, maledicto, aut ſi iam vtriuſque rei arte careas, vel ipſo vultu: qui in re tam indigna ſęuus, immitis, aſper, horrificus, trux, non adeſſe non poterit.

HI FERE loci ſunt, qui mihi ex Lactantio ſunt viſi à Deo mala eſſe, maximè velle probare: quos eo citaui animo, ne quis veritatis expers, & totius huius noſtrę planè rationis ignarus: in eos fortè incurrẽs offendere poſſet incautus. Cuius nimirum animo, ſi à me allata ſuperius ſanitatis exiguam opem ſubminiſtraſſe: vel remedium curationis aptæ nullum etiam attuliſſe videbũtur: is, ſi eximios illos doctores (quorum memini paulo ante) in hac cauſa aſciſcet ſibi patronos, vi omni morbi ab animo procul expulſa, ſanitatis actutùm iucundo, dulcique adeo potietur fructu, ſontes limpidiſsimos nactus vnde veritatis poſsit ſitim extinguere, tota mente luce diffuſa. Ac ne quis (quod deprecatus ſum antea) maledicendi aliquo turpi conſilio, vtq; viro tanto honoris quidpiam velim eſſe pręreptum, ſentire me non bene de eius exiſtimet animo, Statij illud in Synephœbis exclamare mihi iam libet.

Proh Deum! popularium omnium adoleſcentium
Clamo, poſtulo, obſecro, oro, ploro, atq; imploro fidem!
Non leui, inaniq; de re (quod ſtomachatur ille) edi
In ciuitate flagitia capitalia:
Ab amico amanti argentum accipere meretrix
Non vult!

Sed vt adſint, cognoſcant: intelligãt pietatis, religionis, ſanctitatis propugnatorẽ acerrimũ: & omnipotentis Dei cultorẽ pientiſsimũ, me ſemper duxiſſe Lactantiũ. Nec vero meę huic ſentẽtię obſtat, quod in ipſa Chriſtianæ pietatis ſchola, quam diuinarum inſtitutionum accuratè libris editis, ab ethnicorum vana perſuaſione diligenter eſt tutatus: ſpecie recti quandoq; videatur eſſe deceptus. Licet enim veritatis vſquequaq; nõ collimet ſcopum, aberrat attamen illo animo,

mo,

mo, vt imprudentia non malitia erroris labem omnem appareat eſſe contractam. Id quod iudicari facilè ex eius poteſt ſcriptis quæ præter ſtyli elegantiam, qua iure commendantur à doctis, pietatem animi ſummam redolent, candoremque vitæ teſtantur authoris: & circa officioſam omnem actionem modeſtiæ genus mirificum. Quod cum ſit profectò verum, non capitali aliquo ſupplicio (quod ad impiorum peruerſorum que hominum exitiũ comparatum eſt: non triſti aliquo remedio quod deſperato conuenit morbo: non meriti honoris ſuggillatione, quod inuido fit ab animo. Sed miſerationis potius ſalutari aliqua ope, oſtenſa veritate, eiuſmodi eſt affectioni protinus occurrendum. Quo circa conabor equidem (quoad mihi verum amanti fas erit, & conciliare hominis dicta potero) de malorum natura & fonte his Lactantij locis, quæ difficultate ſenſus perplexa eſſe valde atque inuoluta videntur, obſcuritatis miſera de medio ſublata caligine, lucis aliquid atque opis afferre. Quod quò à me poſsit commodius meliuſque fieri, Magni illud Baſilij ſubijciendum eſt, quod ingenio vir excellens in concione quadam ſcripſit, cui titulum fecit: QVOD MALORVM AVTHOR DEVS NON EST.

MALORVM (inquit) aliud eſt quantum ad noſtrum ſenſum: aliud quantum ad ipſius naturam. Quod natura malum eſt, ex nobis pendet: iniuſtitia, petulantia, deſipientia, timiditas, inuidiæ, cædes, veneni exhibitiones, aſtutiæ: & quæcumque his cognatæ ſunt affectiones: quæ animam ad imaginem conditoris factam contaminantes, pulchritudinem ipſius obſcurare ſolent. Rurſus, malum dicimus id quod nobis moleſtum eſt, & ad ſenſum dolorem inducens: morbum corporis, plagas corporis, & rerum neceſſariarum inopiam, ignominias, pecuniarum detrimenta, familiarium amiſsiones, quæ ſingula nobis à prudenti & bono domino ad vtilitatem inducuntur. Diuitias enim aufert à male vtentibus, inſtrumentum ipſorum ad iniuſtitiam corrumpens. Morbos verò inducit his, quibus vtilius eſt, vt membra impedita habeant: quàm vt impetus ad peccandum non impeditos habeant. Mortes autem inducuntur, terminis vitæ expletis, quos ab initio circa ſingulos iuſtum Dei iudicium conſtituit. Qui à longè quod vnicuique noſtrum conducibile eſt, proſpicit. Porrò fames, & ſiccitates, ac humiditates, communes ſunt vrbium ac gentium plagæ, mali immodeſtiam punientes. Quemadmodum igitur beneficus eſt medicus, ſiue labores, ſiue dolores corpori inducat: cum morbo enim pugnat, non cum ægroto: ſic bonus eſt deus ſalutem omnibus per particulares caſtigationes diſtribuens.

HACTENVS Baſilius. Ex quo manifeſtè apparet (etiam ſi Deus author malorum nõ ſit) quod pio & religioſo viro conſtanter eſt atque intrepidè aſſerendum: multa tamen quæ interpretatione hominum ſpeciẽ mali, & eam quidem non leuem habere videntur, Deum nobis immittere: quorum proculdubio immiſſu, idcirco Deus optimus Maximus nihil facere mali intelligẽdus eſt, quia clade hac acerbitatis opportunè ac ſapienter iniecta, quod inuaſit acrius extirpare malum vult, vel arcere fortè imminens: propulſans illud longè, proculque amoliens atque abigens: ne hominem ipſum affligens miſerè irreparabili caſu euertat funditus atque proſternat. Cuius, qui exactè parum Conſilij ſanctam animo rationem expendunt: graui ſe Dei telo confixos eſſe queruntur. De immiſſa malorum ſorte cum ipſo ſæpe Numine ſtultiſsimè diſceptantes. Vnde factum eſt, vt cum hęc haud raro aut imperante vel non prohibente Deo, accidere in vita cõtingat quę moleſta nobis atque inimica ſunt corpori, vel cum damno aliquo rei familiaris coniuncta: malorum illi fabricam quidam impudenter attribuant. Cum interim ſiniſtrum nominis omen ſpiculum illud exuat, quod Deus nobis intorſit. Nihil enim habet mali telum, quod (vt ſeruet) vulnus facit. At, qui rectè ſapiunt, palmarij inſtar ducunt, diuinis flagris cædi, à vitiorum namque ſomno continuò expergefacti, diſciplinæ ſtudent morum: intermiſſa probitatis atque virtutis fila, ſedulo repetentes. Itaque more vulgi, huiuſmodi malorum Deus poterit author dici: etiam ſi, ex eo quòd immittuntur ab illo, quo eſt iam animo dictum: triſtem illam nominis vim deponant ilicò, amittant planè, ſtatimque exuant amaritudinem illam, quam à principio habere fortè videbantur. Ad cuius quidem vulgi normam dicendum eſt, Lactantium fuiſſe locutum. Quod enim acerbitate quadam moleſtiæ pectora contur-

bat noſtra, atque hominum communiter ferit ſenſus: malum ritè appellari vulgo ſolet.

ILLVD VERO EXCVSATIONEM criminis proculdubio nullam habet. Vult enim, Deum Optimum Maximum antequam mundi fabricam ordiretur, & bonum & malum ſimul instituiſſe. Qua in re miſerabili eum conſtat errore vel maximè fuiſſe deceptum. Nam ſi de natura mali ſentit: dubium non eſt, quin origo eius, ex arbitrij noſtri libertate manârit. Verum, quæſo bone Lactanti, liceat mihi per te de cauſa nunc diſceptare. Deus fecit omnia, inquis, fateor. Nihil ſiquidem eſſe poteſt, quod non à Deo originem traxerit. Summi enim præpotentiſque Dei vel ſingularis eſt gloria, omnium conſtitutio. Sed quid tum poſtea? Si vnus artifex, ſi rerum vnus eſt opifex: ex eo perſpicuo apparet feciſſe mala Deum, quod in mundo mala ſunt. Quis tibi ſanus hoc dabit? Scilicet, ſi mala bonus facit: gaudebit iniuſtitia iam iuſtus? & cordatus ſumme vir, ſtulta ſine fine patrabit? Imo in ſuos prius fontes fluenta refluent: lepores maria, ſaltuſque dabunt piſces: quam vt bonus mala faciat. Nulla, inquis, eſſe virtus poterat, niſi diuerſa feciſſet. Ne hoc quidem (opinor) non ſtultus iam dabit. Verum concedamus aliquid. Igitur, ſi vtraq; condidit (cum malitiam odio habeat) aliquid fecit inuitus? Inuitum autem aliquid facere Deum vel cogitare abſurdum: credere vero planè impiũ fuerit, cum voluntate eius cuncta dependeant: ſitque omnino nihil (vt Stoicos rectè id opinantes omittam) vel Ethnico teſte Naſone, quod DEVS non poſsit efficere.

Immenſa eſt, ait, finemque potentia cœli
Non habet, & quicquid ſuperi voluere peractum eſt.

Porrò, cum rerum omnium cauſa Dei ſola ſit bonitas, & voluntas, ſumma perfectior vtpote, cum voluiſſe, & perfeciſſe vno eodemque temporis puncto compleat (vt ſapienter docet in Aſclæpio Triſmegiſtus) placita enim Dei neceſsitas ſequitur, voluntatem comitatur effectus. Neque enim credibile eſt, Deo diſpliciturum eſſe quod placuit: cum & futurum id, & placiturum multo ante viderit. Nimirum aſſerendum eſt (ſi tamen illa fecerit) voluntate prorſus Deum mala feciſſe. Sed cum contra ſe quidpiam facere haud ſit opus ſapientis: ſitque Deus ſumme prudens: aut omnino feciſſe mali, nihil actutum eſt dandum: aut non ſapientem eſſe Deum; turpiter erit dicendum. Stultum autem putare rerum opificem, qui inſuper cuncta regit, ſuauiterque diſponit: id eſt, vt ego interpretor, rectè atque ordine diſtribuit, mirificeque ſuſtentat: non iam ſingularis cuiuſdam inſcitiæ, ſed extremæ proculdubio erit dementiæ.

ITA, vndique illud efficitur: nihil eſſe malum in omni rerum natura. Defectus enim & priuatio boni, malum eſt: vt à nobis ſuperius eſt dictum. Ita, cum illius ſit nulla ſubſtantia: ipſe rerum artifex Deus; nullius profecto erit culpæ malorum affinis. Qui enim creauit omnia, vniuerſa ſimul vidit, & erant valde bona: recreatuſque illorum aſpectu, ſtare iuſsit, vegetari, ac creſcere: & iuxta ſuum quęque genus adimpleri ſobole, affatim reddito fructu. Non hic Diabolum, non Peccatum, non Mortem creauit: quæ haud dubiè mala ſunt. Per peccatum enim ſibi mors parauit aditum, atque intrauit in orbem. Peccatum vero Arbitrij libertas peperit: dum conceſſa nos abutimur: eadem & Diabolum fecit. Non enim, qui eſt modo Diabolus, idem fuiſſet, ſi in ordine permanſiſſet, in quo fuit primum ab imperatore locatus. Verum ille peruerſa voluntate deſciſcens, Summi ac prępotentis Dei deſertor temere eſt factus. Decidit igitur miſer; culpa propria non natura Diabolus factus. Libertatem ſiquidem habuit permanendi, ſi vellet cecidit verò, quia noluit ſtare. Sic, ne in Inferno quidem mala Deum authorem habent. Principium enim & radix peccati eſt, quæ in nobis eſt poteſtas ac libertas. Nam cum in noſtra poteſtate fuerit abſtinere à malo, & nihil graue perpeti: cum per voluptatem ac peccatum ineſcati ſumus: quam nam decoram excuſationẽ afferre poſſumus, quod non ipſi nobis ipſis pœnarum authores ſimus? Cum pręſertim vera & recta lege naturæ perſpicuum ſit, peccantem omnem naturaliter addici ſupplicio, ac pœnæ ſubdi.

SED REVERTAR IAM illuc. Nulla virtus eſſe poterat, niſi diuerſa feciſſet. quaſi vero, ſi fœlicis vitæ Adamus gradum ſeruaſſet, non ſine aliquo contubernio malitię, virtute omni iugi affluens, ætatem agere po-

potuiſſet, & in tali vita perſiſtere? Non igitur aliquo eget contrario virtus: quia licet vim eius oppoſita clarius exprimant: intelligi & conſtare abſque illis ratio virtutis poteſt. Erat aliquando Adamus in ſupernis (vt ait Baſilius) non loco, ſed volũtate: cum nuper accepta anima ad cœlum reſpiceret: & ex his quæ videbat lętitiam conciperet, benefactoremque valde diligeret: qui vitæ quidem æternæ fruitionem largitus eſſet: jn delicijs vero paradiſi in quiete locaſſet, & principatum ſimiliter vt Angelis dediſſet: ipſumque contubernalem Archangelorum feciſſet, & diuinæ vocis auditorem. Super hæc omnia protegebatur à Deo, & voluptatum omniũ breui ſatur erat: & ex ſaturitate velut ad iniurias procedebat: & quod carneis oculis iucundum videbatur, intelligibili pulchritudini prætulit: & ventris ſaturitatem ſpiritalibus voluptatibus potiorem duxit. Ex quo ſtatim extra paradiſum erat: & extra beatam illam vitam pulſus eſt. Non ex neceſsitate malus, ſed ex temeritate factus eſt. Qua propter peccauit quidem ob prauam voluntatem: mortuus eſt autem ob peccatum. STIPENDIVM enim peccati mors eſt. Quantum enim decedebat à vita: tantum appropinquabat ad mortem. Vita enim eſt Deus: priuatio vero vitæ mors. Quare ſibi ipſi mortem per ſeceſſum à Deo Adam parauit: iuxta id quod ſcriptum eſt. Ecce, qui elongant ſe ipſos à te, pereunt. Sic non Deus creauit mortem, ſed nobis ipſis ex nos praua mente adtraximus. Nec vero prohibuit diſſolutionem per mortem propter prædictas cauſas, vt ne immortalem in nobis ęgritudinem conſeruaret. Quemadmodum ſi quis vas fictile perſtillans non admoueat igni, donec vitium in ipſo exiſtens per reformationem perſanet. Hæc Baſillus magnus hactenus. Verum illud etiam excutiamus, quod paulo ante leuiter perſtrictũ, loco hoc & requiri maximè atque obijci ſolet. Vnde diabolus, inquiunt, ſi à Deo mala non ſunt? Quid igitur. Quis enim neſciat huic quoque cauſæ eandem ſufficere rationem, quæ de prauitate hominis dudum reddita eſt? Quæro enim vnde ſit homo malus effectus? Atqui conſtat malitiam eius omnem ex ipſius propria voluntate eſſe contractam. Vnde igitur malus Diabolus? Certe ex eadem cauſa. Nam & ipſe per ſe liberam habebat vitam, & in ſe arbitrium liberum ſitum, aut manendi apud Deum, aut ſe ab ipſo abalienandi. Gabriel Angelus eſt, & Deo iugiter aſsiſtit. Satanas Angelus, & ex proprio ordine penitus excidit. Et illum voluntas in ſupernis ſeruauit: & hunc mentis libertas deiecit. Poterat enim etiam ille deſciſcere, & hic non delabi. Sed illum quidem conſeruauit dilectionis Dei inſatiabilitas: hunc vero reiectaneum fecit, à Deo ſeceſſus, hoc eſt, ipſum malum: abalienatio à Deo. Modica oculi conuerſio aut cum ſole nós eſſe facit, aut cum corporis noſtri vmbra: & illuc quidem reſpicienti promptum vt illuminetur: declinanti vero ad vmbram neceſſaria eſt tenebroſitas. Sic malus eſt diabolus ex voluntate malitiam habens, non natura bono oppoſita. Ex eo tamen, quia contraria Deo facit, bono aſsiduè intercedens, ſeduloque obſiſtens: Hebræorum germana voce, rectè Satanas eſt dictus διάβολος autem ex Græco fonte cadens, calũniator nobis eſt. Quia cooperator & accuſator (vt Baſilius ait) noſtrorum peccatorum exiſtit: gaudens quidem noſtrò interitu: traducens verò nos ad ea quæ fecimus: qui mos calumniantis eſt proprius.

SED VIDENDVM EST illud etiã, quod argutuli ſciſcitantur: cur exitij noſtri cauſa futura, arbor fuerit inſita paradiſo? per quam dolis nos dęmon aggreſſus, fælicem illum ſtatum vitæ perfringere poſſet. Non enim nos fatum pertingeret mortis: ſi ad labefactandam obedientiam, hanc quaſi fraudis eſcam in cladem noſtrę ſalutis aſtutus ille non tenderet? Sed nimirum cauſa illa fuit, quia (vt Baſilius Magnus tradit) oportebat eſſe pręceptum, quod obedientiam noſtram probaret. Propterea planta erat ſpecioſorum fructuum ferax, quo in abſtinentia voluptatis, temperantiæ virtutem oſtendentes, patientiæ coronis merito digni fieremus. Sed & rogant illud ſtatim: cur homini data eſt arbitrij iſta libertas? qua & in fraudem leuiter illici, atque adeo cadere poſſet? Reſpondeo, arbitrij libertatem, intelligentiæ rationiſque participem animantem decere maximè: vt libere, quæ vellet efficiens: virtuti pateret ianua. Quæ niſi voluntaria ſit ac libera, eſſe vlla non poteſt. Adeo virtus ipſa nihil amat adactum, nihil coactum, nihil violentum! Ita vndiq; illud relinquitur, bonum ſapientemq; Deũ nihil quicquam mali feciſſe. Ita per hoc vnum, quod ad ſummi prępotentiſq; Dei imaginem hominis anima ſit efficta, motus habet animi

liberos, contrariarũ rectè rerum differẽtias intelligẽs, bono placidè acquieſcẽs, intelligibiliumq; ſępe delectata ſpeculatione, libertatem poteſtatemq; habet iuxta naturę pręſcripta, ſuę ipſius conſeruationis. Sed & habet contra poteſtatem declinationis. Quod illi demum accidit, cum ſatietate beatę dilectionis accepta, turpium illecebris delinita voluptatum, ſocietati carnis improbè ſomnolentia quadam cępit ſe ipſam ſenſim dedere. I T A V N D I Q V E illud efficitur, quod non ſemel dictum eſt: à nobis malũ eſſe ortum, non à Deo malum fieri.

C E T E R V M, quia de arbitrij libertate multorum eſt illa ſententia, vt exiſtiment, adminiculis eius, tum inimici fugiẽtis impetum: tum peccati vim omnem refugituros eſſe ſe facile: labefactanda hęc omnis peruerſa illorum opinio eſt, & in eius locum, quę ſit vera ſufficienda: id quod in ſermone de libero arbitrio ad hunc modum docet pręclarè Baſilius. Quod in hominis poteſtate ſitũ eſt arbitrium liberum, in eligendo aut non eligendo, vt diabolo reſiſtat, ſitum eſt, Non in eo, vt poſsit contrà affectus omnino robur habere. Abſurdum eſt enim cogitare, propria nos aliqua virtute animi atq; fortitudine, praui illius hoſtis inſidias, ſcãdala atq; offenſiones, ſuperaturos eſſe bene atq; grauiter: cum id ex vna dumtaxat inuicta potẽtia Dei, penitus nobis contingat. N I S I E N I M Dominus cuſtodierit ciuitatem: aut ędificauerit domũ, fruſtra vigilat, qui cuſtodit: & laborat, qui ędificat eam. Nam profectò, Liberum quid in homine citra Dei gratiã valere poſsit Arbitrium; magnificam pollicitationem Petri, quę breui eſt conſecuta negatio, facile arguit. Neq; id ſanè conditionis noſtrę imbecillitatem conſideranti mirabile admodum videri debet. Non enim ſumus ſufficientes (vt Paulus ait) cogitare aliquid ex nobis, tanquam à nobis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Fieri itaque non poteſt, vt ſuper Aſpidem & Baſiliſcum tuto gradiare impune conculcato Dracone, & feritate ſpreta Leonis: ni virtutem accipias ab eo, qui ipſe dixit Apoſtolis. Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones: & ſuper omnem virtutem inimici. Siquidem enim humana natura ſtare poſſet extra ſancti Spiritus armaturam aduerſus captioſas diaboli tendiculas, non vtique dictum eſſet ab Apoſtolo, Deus autem pacis conteret Satanam ſub pedibus veſtris breui. Et iterum, Quem Dominus IESVS tollet ſpiritu oris ſui. Quapropter etiam pręceptum eſt nobis, rogare Dominum vt ne deueniamus in tentationem: ſed liberet nos à malo. Niſi enim perpotentius auxilium ab ignitis aduerſarij iaculis liberati, digni facti fuerimus adoptione in filios, fruſtra omnia molimur: velut procul à potentia Crucis exiſtentes. Hæc ferè de magni ſunt fonte Baſilij.

V E R V M quę illa eſt ingenij tanta peruerſitas, quæ in vita lucta diſpari aduerſus terribilem, portentoſiſque viribus præditum, & multiplici techna inſtructum vndique hoſtem non ſtare ſolum, ſed & vincere temere credat: ni maior aliqua ſibi cœlitus virtus affulſerit? Atqui, omne datum optimum, & omne donum perfectum, ſupera eſt cœlitum ab arce delapſum: à teque ô Adonay patre luminis ortum. Quod (ethnicus quamuis) non obſcurè tamen teſtatus Cicero eſt, cum dixit. Neminem virum bonum, aut clarum in republica ciuem eſſe poſſe ſine aliquo afflatu diuino. Cum igitur non bonitas, non virtus eſſe vlla poſsit, ni à Deo nobis conceſſa ſit primitus: multo minus effectum virtutis victoria, ſine eius ipſius pręcipuo aliquo pręſidio, & tanquam pręſenti fauore conſtare poteſt. Reluctari nos hoſti ceu calcitrantes quidem arbitrij bono poſſumus, vincere vero nõ poſſumus. Quin hoc totum animoſè pręlium inire, Dei ſolius ſit ductu. Cuius permiſsione ac voluntate pugnamus, & ſingulari virtute vincimus. Ille vires porrigit, & diuinæ gratiæ nos armatura cõmunit: ille, ne degeneri aliquo timore ſubacti, aſsiduo in vitę duello, cedamus hoſti: intellectu noſtra pectora inſtruit, & ſenſum illuſtrat. Cunctorum enim vitę lux vera, Deus eſt vt prodidit ille (qui ſupra hominem vidit multa) Triſmegiſtus. Lux inquam vitę germana, Deus eſt: iuxta Ioannis elogium. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Fruſtra igitur noſtris virib⁹ inali tenebras & obſcuram peccati noctem, libertatis arbitrij liberi adminiculo effugere poſſe temur, & veram boni cõſequi lucem: ni ab illo antea ſimus illuminati, qui vera ipſe lux exiſtens, lumen veritatis oſtendit, ne in vitę conficiendã via cęco labamur errore. Quippe, vt ille doctè ait.

Omnes in triuio ſumus: atq; hoc tramite vitæ,
Fallimur: oſtendat ni Deus ipſe viam.

Incertus ſuſpenſuſque quaſi, & tanquam ad ignotum triuium animi pendens viator: haud

haud aliter nos profectò in vitę via diſpari, arbitrij libertate perſtamus. Multa enim ſunt, quæ animi noſtri rationem impediãt, in diuerſa ve trahant: quæ intellectum turbent: ſolertiamq; mentis fallant, in lumẽ de ſuper porrigat, qui cuncta ſua luce illuſtrat ac complet Deus. Ille igitur exorandus eſt, lumine vt ſuæ gratiæ pectora noſtra inflammet, accendat atq; fœcundet: quò poſſimus verum quod eſt videre bonũ, & viſum amplecti. Exorandus eſt inquam, & prece aſſidua (vt ſic dixerim) ſolicitandus, propalet vt ſe, referetque nobis: qui boni totius eſt fons. Nam quod ad arbitrij rationem pertinet: vt rationis perturbato munere, ſic & arbitrij corrupta libertate, plerique (quod dolendum maximè eſt) non tam bona quam mala ſæpe patrarunt. Vnde quidam arbitrij reprehendunt libertatem. Alij pręclarũ hoc munus rationis intelligentiæ atque conſilij, quo nihil maius, nihil melius, nihil pręſtantius hominum generi tributum eſt ſummi ac prepotentis Dei ſingulari quodam ac diuino beneficio, haud debuiſſe illis concedi, aſſerunt. Quod argumentum, vt eſt apud M. Ciceronem de natura Deorum lib. 3. cõtra ſuos ipſorum Deos Cotta põtifex & ſuſcepit animoſè, & vrſit conſtanter: & quidem veſtita vndique diſputationis aculeis magnificè cauſa: ratiunculas ad extremum fugerit, cur dari omnino non debuerit. Sed ſcilicet nihil erat, quod orationis facundæ incredibili artificio ab Oratorum principe (cuius Cotta ipſe inſtructus eloquio proceſſerat ad pugnandum) non effici poſſet. Qui in eo ipſo ſuæ gentis Deos auſus eſt aculeata oratione perſtringere & ſermone culpare: in quo omnium maximè pręclarè de natura hominũ, Dei eſt benignitas merita. Sic parte ab omni vſquequaque ſit (quod ſæpe ſumus teſtati) à Deo malum non fieri, vel eſſe creatum.

Qvae cvm ita ſe habeant, vt bona cuncta verè atque primigeniè eſſe à Deo dicimus: ſic & mala omnia permiſsione quadam diuina, intelligimus quaſi ab illo manare. Quod omnis rei cuiuſque poteſtas hîc cœlitus ſit permiſſa. Id quòd diuina ipſa Veritas planè nobis expreſsit. Cum enim Pilato ſciſcitanti vnde eſſet, reſponſum nullum daret, eáque de re Pontius ipſe cen deſpectui habitus, ira incandens diceret, mihi non loqueris? An ignoras, quod poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatẽ habeo dimittere te? Hîc ſeruator noſter CHRISTVS IESVS peropportuno in loco, myſterij paſsionis ſuę vel maximè tacita fide, tantùm illud dixit: Non haberes poteſtatem aduerſus me vllam, niſi tibi datum eſſet deſuper. Hem! Quid hoc? Vanas Cęſaris iras valde timenti, iniuſto à iudice de ſuffigendo infami Crucis patibulo vitæ datore impia ſententia fertur: nec tam furentis animi cæcum impetũ coercet, amensve retardat conſilium Innocui Agni omnipotens pater, qui tẽpla cœli ſumma ſonitu concutit? Ita planè, tantiſperque, dum ille peragit grande nefas, conniuens velut, indormit: ne (quas dedit ſemel liberas) voluntates velle hominum impedire videatur. Sic vel teterrima in re motu libero animi, Pontium ſinit abuti. Qua propter cum Lucanus ait.

Mens hauſti nulla ſanie polluta veneni
Incantata perit.

Nõ dubitamus quin totũ illud, quicquid eſt mali: Dei factum ſit aliquo Numine. Qui omnia quæ fiunt, aut iuſto iudicio facit: aut permiſſu ſuo ita fieri ſinit.

Atqve hæc quidem de ipſa mali origine & cauſa hactenus dicta ſufficerent: ni extremũ illud reſtaret, ꝙ ex parte non omni diſcuſſum, in pręſentia mihi eſt Coronidis inſtar addendũ. Videlicet quandam eſſe malorum ſpeciem horrificam, ab omnipotentis Dei inductam iuſto iudicio, ad illorum animos modeſtia imbuendos, qui ad peccandũ ſunt maximè lubrici. Velut Dathanius atq; Abironius, quos inſpectante populo abſorpſit ſubito terra dehiſcens. Quo ſupplicij genere non illi quidem meliores ſunt facti (neq; enim id illis venire vſu potuit, quos actutum excepit inexplebilis Tartarus) ſed exẽplo ipſo ſuo, tẽperantiæ miras aſtantibus leges ſanxerunt. Docentes, ſummi Dei numẽ irreuerenter habere: & iuſſa diuûm contemnere, nulli poſſe cedere impunè. Sic nimirũ numeroſo cum exercitu Ægyptius ſubmerſus eſt Pharao: ſic, qui, Palęſthinę prius oram incoluerunt, ad vnum ſunt diſsipati. Reliqua malorum genera: partim velut certamina, ad demonſtrandam fortitudinem dimittuntur: vt priuatio liberorũ Iobo, & in vno temporis puncto opum omnium diſsipatio fortunarumq; euerſio, atq, inſuper vlceris plaga. Partim velut medicina peccatorum, vt domus turpitudo Dauidi, iniquę concupiſcentiæ pœnas danti.

Et qvidem malorum ſpecies illa, quæ incommodorum varietate, & rerum clade multiplici ad corroborandam virtutem fit,

in ipſa mortalium vita proculdubio latiſsimè patet. Neceſſe ſiquidem fuit in hoc vaſto mūdi pelago, & vitę ancipiti agone (quo ſtrenuis tantum athletis ſuperna domus Cœlitum, immortalitatis merces; & premium laboris proponitur) aduerſum aliquid, ceu hoſtis inſtar, inijci: vt haberet quocum induſtria noſtri animi & ratio confligere poſſet. Ne aduerſarij huiuſcemodi; graui liberata diſcrimine, quæ vis eſt animo inſpirata diuinitus, in deſidiam lapſa corrueret: atque adeo virtus ipſa funditus tolleretur. Quæ ſine aduerſario marceſcit (vt ſapienter eſt à Seneca dictum) Sicque nobis inclyta illa premia (quæ rectè facientibus & bonis deſtinata ſunt viris) marcore animi deſidiaque noſtra omni ex parte perirent. Itaque, non ſicut ex contagioſi hominis affrictu repentina vis morbi: ſic & huiuſcemodi malorum ratio ex vitioſo aliquo attactu ſubitò exorta eſt. Quin ſalutaris aliqua potius cauſa fuit: quę moleſtarū rerum ipſa in acerbitate ſub amari tanquam temperie poculi faceret ſanitatem, hominemq; Deo ſapientiæ munere perfunctum, atq; ideo malis multis exercitum, ſed ereptum tamen copularet amicè, amoris in æternum fœdere mutui reuinctum. Vt enim apud nos cuius arduis in rebus, difficillimiſq; temporibus, & perſpecta fides; & periclitati ſunt mores, charus magis habetur amicus: ſic quem parum aduerſa mutarunt: quem pręſentis minimè ſeculi mala fregerunt: quem iniqua atq; aſpera hæc offendicula vitæ ne tantillum quidē à recta ſegregauerunt: à Deo, neq; iniuria, vir ille valde diligitur. Cumq; (vt philoſophi perhibent) hanc ceu vitæ ſcenā ingreſſis duæ proponantur vię, voluptatis vna, doloris, aduerſitatis atque adeo laboris altera, vt cum Ouidio loquar.

Hac iter eſt Superis ad magni tecta Tonantis.

Et vt pręteriti doloris ſecura recordatio, quæ ſumus potiti gaudia, iucūda magis efficiat, non niſi malis & periculis mille perfunctis.

In ſuperos ædes ſcandere poſſe datur.

Quod quiſquis ille fuit apud Maronē inſinuauit egregiè, qui tranquillitatis portus futuros, Fatiſque debitas terras non niſi exanthlatis laboribus, ac multis iactatus caſibus conſequi potuerit. Vt iure quodam ſuo exclamare illud poſſe rectiſsimè videatur.

Per varios caſus, per tot diſcrimina rerum
Tendimus in Latium. Sedes vbi Fata quietas
Oſtendunt!

Quæ ſi vera ſunt: tot hæc mala, ſeu appellare mauis aduerſa, in quibus & ſapientiæ & patientiæ, & virtutis maximè ſplendor elucet, meritorum haud dubiè nobis ſunt diuinitus facta materies. Vnde non ſine cauſa Ægyptius ille Hermes ſic in Aſclępio dixit, Nec enim ego dixi ô Aſclæpi; & Amon, quod à multis dicitur, Non poterat Deus incidere atque auertere à rerum natura malitiam. Quibus reſpondendum omnino nihil eſt. Veſtri tamen cauſa & id perſequar, quod cœperam: & rationem reddam. Dicunt enim ipſi; Deum debuiſſe omniſariam mundum à malitia liberaſſe: ita enim in mūdo eſt, vt quaſi membrum ipſius videatur eſſe. Prouiſum cautumque eſt, quam rationabiliter ab ipſo Deo: tunc, cum ſenſu, diſciplina, intelligentia mentes hominum eſt munerare dignatus. His enim rebus, quibus cæteris anteſtamus animalibus, ſoli poſſumus malitiæ fraudes, dolos, vitiaque vitare. Præclarè profecto Mercurius: Quanquam id apertius iam, longeque diuinius Magnus nobis declarauit ipſe Baſilius: Sed nimirum vel ex Hermetis ipſo præſcripto obiectionem hanc malorum nobis euincere licet. Siquidem egregijs nos haud dubiè armis aduerſus malorum omne genus benignitas ſummi Dei inſtruxit atque muniuit: intellectu atque ratione. Quibus animantium cunctorum Domini atque victores effecti, toti orbi iura damus: & quæ aſpera nimis, admodumque nobis eſſe videntur luctifica, animoſè ſuſcipimus; patiendoque emollimus, atq; inuicto tandem ſuperamus animo. Quippe, vt in Oreſte ſuo rectè cenſet Euripides.

Neq; tam terribilis vlla fando oratio eſt:
Neq; ſors, neq; ira cœlitum inuectum malum,
Quod non natura humana patiendo ferat.

His igitur vtendum eſt, his incumbendum, & generoſè vſque malis occurrēdum: non ignaui inſtar militis ante datos exceptoſque ictus demiſſe ac timidè abiecto animo concidendum. Quod illi ſæpe fecerūt, qui ſeſe affligentes miſerè humanæ incommoda vitæ muliebriter eiulantur, et malorum Conciliabulum ipſam appellantes: ad quam luendorum ſcelerum cauſa homines admittantur. Atque ideo, non naſci homini longe optimum: neque in hos ſcopulos incidere vitę. Quā ex Sileni vanitate ſententiā in libro de conſolatione Cicero arripiēs, de noſtra omniū natura falſo queritur.

Quis

Quis enim credat vſuram vitæ, ſupplicij cauſa à Deo homini eſſe tribntam? Cum etiam recenter nati, originalis culpæ labe vna tantum excepta, ſint prorſus nulla delicta, ſitq; inuidi animi ad ſupplicia & pœnas eum vel le vocare, qui nihil vnquam commiſerit. Quod à prępotentis Dei abhorret ipſa natura. Sed fiunt, Epictetus ait, ingrata quædam & moleſta in vita. An verò putas quòd tam clarus euaſiſſet Hercules, niſi leo ille Cleonęus fuiſſet, & Hydra, & Ceruus, & Aper: & iniuſti quidã immaneſq; homines, quos ipſe expulit, interfecit, purgauitq; regiones? Hæc tu animaduertens, inſpice facultates, quibus te ipſum ornes. Sed ò ignaui, hęc negligentes ſedetis, alia ne contingant metuentes: alia, quæ iam contigerunt, deplorantes deinde Deos incuſatis. Quid enim aliud, huiuſmodi illiberalitatem conſequeretur, quam impietas? Atquî, Deus non ſolum nobis dedit iſtas facultates, quarum beneficio quemlibet euentum ſuſtineremus, nõ deiecto neque confracto animo: ſed ꝙ boni regis erat, & re vera patris, liberũ id dedit: & omnino noſtrę voluntatis arbitrio ſubiecit. Atq; hæc quidem Epictetus ait, Ethnicus ille quidem, non tamen ignobilis ſua ætate philoſophus. Quid nos vel proferre poſſumus ſanctius: vel cogitare diuinius: vel monere prudentius? Non igitur contriſtemur, ſi virtutis diſciplinam rerum obumbret aſperitas. Cum hę, quæ à Superis nobis conceſſę ſunt dotes, rationis intelligentięq; participi animanti, naturæ dignitatiſq; ſuæ benè ſi memor ſit, ad peruincẽdas eiuſcemodi incommodorum difficultates, quæ mortalium vitam infeſtant, ſatis ſuperq; ſufficiant, ac nimis robuſtę ſint, laboreſq; omnes leues efficiant, & pulcherrimi facti gloriam honeſtiorem. Quæ & ipſa, dummodo potiatur optatis, diſcrimina cuncta libens adire ſolet. Nimirum quòd intelligat, opimos ſe inde fructus, magiſq; expetendos eſſe percepturam. Quod ſubtilis ſentit Ouidius, ſic enim ait.

Hectora quis noſſet, fœlix ſi Troia fuiſſet?
Publica virtutis per mala facta via eſt.
Ars tua Typhi iacet ſi non ſit in æquore fluctus:
Si valeant homines, ars tua Phœbe iacet.
Quę latet, inq; bonis ceſſat non cognita rebus,
Apparet virtus arguiturq; malis.

Atq; hæc; ille quidem ad vxorem ſcribit, vt in tam atroci Fortunæ fulmine, tantiſq́ue vitæ procellis, quæ illi erant obiectæ exilio apud barbaros viri, thalami ſeruaret reuerẽtiam, pactamq́ue viro fidem. Eſt enim mulieris dos pulcherrima, pudicitia, quemadmodum & alibi ait.

Aſpicis vt longo teneat laudabilis æuo
Nomen vt extinctum Penelopea fides.
Cernis vt Admethi cantetur atq; Hectoris vxor,
Auſaq; in accenſos Hyphias ire rogos?
Vt viuat fama coniux Phileceia, cuius
Iliacam celeri vir pede preſſit humum.

Quid? quod amicum, qui Fortunæ tam luctifica facie fidus in ſe perſtiterat, ita cohortatur ad rite obeundam rationem officij vt ſentire videatur, ſe ideo Diuûm numine cecidiſſe, vt illius fides atq; integritas perpetuo laudaretur? Sic enim ait,

Si tamen hæc nauis vento ferretur amico,
Ignoraretur forſitan iſta fides.
Theſea Pirithous non tam ſenſiſſet amicum,
Si non infernas viuus adiſſet aquas.
Vt foret exemplum veri Phoceus amoris,
Fecerunt furiæ triſtis Oreſte tuæ.
Si non Eurialus Rutulos cecidiſſet in enſes:
Hyrtacidæ Niſi gloria nulla foret.
Scilicet, vt fuluum ſpectatur in ignibus aurum,
Tempore ſic duro eſt inſpicienda fides,

Non igitur mali aliquo nomine calamitatis hæc veſtiri debet ſpecies: quæ tam fertilem colligit fructnm: virtutis aciem ipſam, cotis inſtar, exacuens: vimq; adeo eius cognobiliorem, illuſtrioremq; efficiens. Mirum eſt enim quantum habeat verę laudis, inuicta animi patientia & cõpreſſa & edomita, tribulatio. Itaq; haud de nihilo eſt, quod diuina illa maieſtas (cuius numini parent cuncta) conſimili clade aliqua amicos ſæpe ſuos exercet atq; pertentat, quemadmodum de Abrahamo, Iobo atque Tobia, ſanctiſsimis obſequentiſsimiſq; Deo viris, ſacris eſt literis proditum. Cognoſci enim, palamq; fieri vult, quanta ſit amoris ſolidi vis, & ſynceræ fidei conſtantia. Vt cuiuſq; virtute probata & cognita: quę ab ſtrenuo milite aduerſo ſunt pectore vulnera excepta, immortalitatis tandem premio digno penſentur. Iam vero ſi vt res ipſa indicat.

Viuere, militia eſt.

Quod non ſolum ſancti ſcriptores affirmant: diuiniq; prophetę teſtãtur, ſed & profani etiam poëtę nec admodum docti id ipſum ſæpe ſenſerũt, qualis fuit Valerius Martialis, cuius eſt hoc hemiſtichium, quo ſum vſus paulo ante, vſq; adeo verum nobis vt poetico inre glorians, Naſone cum ſuo illud poſsit occinere.

Eſt Deus in nobis: agit ante caleſcimus illo.

Quòd ſententiam fuderit à Iobo in omni patiẽtia viro eximio iam ante decantatã. Is enim malorũ, quibus inceſſanter premebatur, colluuie ipſa ne tãtillum quidem conſternatus: Sũmi ac prępotentis Dei vbi magnificè laudes extulerat: illud ſubinde dicebat, Militia eſt vita hominis ſuper terram.

PROFECTO, ſi vita militia eſt; immortalitatis brauium; quam victoriam appellamus, conſequi nemo poterit: ni hęc obiecta quæ mala vulgo vocantur; quod aduerſarij loco nobis in vita poſitã, moleſtiæ amaritudine quadam perturbent cuncta, negotiumq; faceſſant: ſtrenui inſtar militis robuſti cõſtãtia pectoris exceperit, ratione profligauerit, atq; animi virtute peruicerit. Ex quo cernere licet malorum eiuſmodi ſpeciem, quæ ad illuſtrandam virtutem inducitur, ipſi hominum vitę vtilem eſſe; atq; adeo neceſſariam. Etenim ſi ipſa vita hominum certam quandam militiæ habet effigiem: quis niſi certamine clarus, accipiet coronam iuſtitiæ quam illis dumtaxat conſtat aſſeruari: qui inſigni quadã elatione animi prędititi: æſtuoſas has humanarũ rerũ Syrtes generoſè ſunt prætergreſſi: ad ſcopum vnum Deum, indeſeſſe vſq; nitentes? hi enim probati illi ſunt viri; qui ex præſcripto ſanctę legis viuendi ſemper accuratè fila ducunt: terrena ac ſordida hęc, cœleſtium amore calcantes? Re enim vera in hac mortali vita inteſtino, atq; eo quidem ancipiti maximè, obſeſsi bello tenemur: aſsidueq; ſeditione aliqua animi, mẽtiſq; tumultu variè vndiq; infeſtamur. Caro ſiquidem ſpiritui ſępe inſidiatur: reluctatur autem ſpiritus corpori, cæcę eius libidini obſiſtens. Sed periculoſa nimis cõflictus huius eſt alea: atq; ideo vario Marte certatum vbi diu eſt, vtrinq; à pugna deſiſtitur, & quidem ſine laude. Non hic Salmacida (quod aiunt) conſpiciuntur ſpolia, ſine ſanguine & ſudore: ſed Cadmea planè victoria. Quippe proſtratus fœdè humi, qui modò victor extiterat: ſubitò concidit animus: noxias nanque vires corporeus hoſtis colligẽs, in victorem ferox inſurgit: & cum nequeat aliter, fraude, pacta reſcindit: tæchnis ſecurum adoriens. Quid quæris? Explet amens rabiem ſuumq; temere dominum ludificans, excarnificatur ipſum: ſoluit vitiorum ſentinam olidam: proprijſque ſic viribus concidens, exitij ſui ignorans peragit triumphum.

VERVM ô cæcum! ô ſtolidum! ô nũquam ſanum corpus! Nunquam ne intelliges, affecto malè animo, tuam ipſius ſalutem rectè non poſſe conſtare: Expergiſcere quęſo: ne rebelles amabò: tibi luditur, cùm affluis amens: Sed nimirum hunc talem, tãtumq; ne tumultum, vt effugere poſsit parum in ſe quiſq; roboris planè habet, ni præſtantiori aliquo cœlitus auxilio firmetur. Qua propter danda proculdubio opera eſt, atq; adeo pro virili nerui ſunt intendendi: vt ceu quotidianis fatigatum precibus, placatum, præſens, propitiumq; nobis NUMEN efficiamus. ne in vitæ hac lucta terribili, perturbatione aliqua ſenſus: & tanquam maiori aliqua vi nobis erepti, corpori ipſi cedamus peccati fœditati miſeræ nos ipſos temere ſubijcientes. Sit illud in promptu ilico: deficio miſer: En linquor animo: fer ſedulus opem! Domine vim patior: DOMINE reſponde pro me! Exurge Domine, & adiuua nos! Adiutor meus, & liberator meus es tu: Domine ne moreris. Ne auertas faciem tuam à me Domine. Domine reſpice in me. Certus ſum enim ô dulciſsime IESV, inimici virtutem omnem nihil valituram: vbi primum mihi tu proximus eſſe cœperis. Qua propter feſtina DOMINE: Domine ne cunctere. Impar eſt expenſi accepto ratio, fateor: eſtq; reliquatio ideo magna mihi. Verum ô miſericors! ô cuſtos hominum! Ne reminiſcaris peccata: ne memineris ignorantias. Tandem non intres in iudicium cum ſeruo tuo Domine, quia non iuſtificabitur in cõſpectu tuo omnis viuens. O vitę vera via! O lux! O natorum omnium fœcunda generatio! Ne deſere quęſo tuarum opus manuum. Et ad tanti archetypi fabricatam imaginẽ grati aliquo crimine turbulentia animi conciti, ne patiare opprimi. Sit ſanctiſsimæ Crucis tuæ trophœum, ſalus afflicto mihi: ſit erranti medicina confeſsio: ſit tua virtus tandem portus naufrago mihi. En crimina pando: En veniã poſco: En adſum Domine: Domine miſerere mei.

NIC. Euge mi Philemon, hic pium eſt peñ ſoluere: non tibi blandiri, proprijſque adeo viribus temere credere. Nulla non in terris hominum virtus eſt fragilis: inſidias plures patitur, & dęmonis cæcos occurſus: aduerſus quos non tam facultate libertatis arbitrij, & conceſſę rationis opibus, quam virtute & gratia Dei conuenit dimicare. Sit vitæ puritas armatura, ſit ſcutum diuina gratia: ſit qua hoſtem obtrunces, pro machera, Dei virtus. His tu armis inſtructus, vel prouoces licet, ſine dubio triumphabis. Aliter neque tali cum hoſte conſerere manus eſt tutum:

necq;

neq; in malorum vaſto pelago licet, ab omni caſu ſecuro, pro arbitrio vela dare. Sæpe enim trãquillo mari vel fatiſcens perit cymba: ætatiſq; rupta vitio, vectores prodit ipſa triremis. Sic vnde non putes; Fatum triſte mortis emergit. Viſitq; ideo multus Acherontem ridens nauita. Vbi cum miſeria iugi infœlicis animi cognita dementia, reuocare fruſtra gradum cupit, ſuperaſque euadere ad auras:

Sed vetant leges Iouis.

Sic ſtultorũ omnis profectò vita labitur: Quorum extrema gaudia, triſtis dolor, acerbus luctus, & perpetuus mœror occupat.

CAETERVM, quando citra vehementiorem aliquem tanquam amaritudinis flatum tranſigere vitam non licet: multiſq; per corpus & patemus malis & caſibus ſumus obnoxij, excubias agamus vſq; generoſo vbiq; pectore magis cum diſcrimina premunt, virtutis gradum ſeruantes. Et quoniam inteſtini quaſi belli terribilis hoſtis aſsiduè paratus atq; obiectus eſt nobis: temperantiæ ſanis frenis carnis reprimamus ferociã: cupiditatum inedia gliſcentem huius laſciuiam, ſtudioſè conſtringentes. Vt igitur periti domitores equorum, non verbera ſolũ adhibent ad domandum, ſed cibum etiam ſæpe ſubtrahunt: vt fame dometur equuleorum nimis effrenata vis: ſic nimirum, ne ſatietate affluens, feritate noxia inſoleſcat moleſtiſſima beſtia corporis: deductione modò cibi, modo macerationis atq; afflictionis ſcutica: ſalutari tanquam opportunè freno adhibito, in intelligentiæ ac mentis eſt campum, & rationis gyrum flectenda. Cupiditatem enim ſi improbam lactes, nihilo ſanius ages ac ſi, ſopitum frigere colubrum, cuius præſens virus intelligas, vel ſinu recrees, vel nudato pectore foueas. Non hęc (ha demens) miſericordia eſt, ſed mera potius inſania: an non ebullientis ſentis? eijce. Exurget iam ferox: gratiamq; illam rependet, quam altrici quondã retulit lupus capræ, immani morſu eius præcordia ſęuè dilanians, cuius modo creuerat lacte. PHIL. Tuo iſto inclyto pro conſilio; quod mihi profectò non minus gratum accidit, quam ad vitæ functionem omnem fructuoſum cunctis fore planè delibero: referat qui & ſolet & poteſt (bonorũ author omnium) gratiam Nicete tibi. Deus enim ſapientię qui opibus humana pectora ditat, conatum mentis pium, datumq; egenti viro conſilium premio abſque non ſinet. Ego vero quod in me fuerit, conſilijs ſanis tuis, ſanctiſque monitis parere ſemper conabor. Exiſtimo enim dum hęc dicis, tacitè innuere te, ne corpori valde aſſentiamur: cuius amor nimius obeſt. Mũdani ſiquidem homines, noxiarum voluptatũ ſęculi huius ineſcati delicijs, nimis ventri indulgent: qui vero CHRISTVM ſapiunt, pernicioſo corporis obſequio (quo ad homini fas eſt) ſe abdicare nituntur. Neq; id ſanè iniuria. Huius enim cura improba, animæ creditur tabes. Vnde cum mirabili quadam ratione ab opifice Deo in noſtri quoq; fictione; cœleſtis ſpiritus terreno indutus ſit corpore: ſeruitio huius eſt ad imperium animi vtendum. Quod à multis contra fit, quibus animus, miniſter eſt corporis. Quamuis enim coagmentationis ratione ac veluti congruentia quadam factum illud eſt, vt res cunctę ſtudiaque omnia noſtra (vti Criſpus Saluſtius veriſsimè exiſtimauit) corporis alia: alia animi naturam ſequantur: ab illis tamen mortalitas, tabes; corruptio atq; miſeria ipſorũ alumnis incubat merces: ab his cõtra incorruptio, immortalitas, ſummã fęlicitas, ipſaq; tandem cunctorum votis expetita beatitudo, cultoribus ſuis premium demetitur. Sic vitę amplexa diſpar ratio triſti alios mortis ictu perimit: ęternæ alios vitę munere beat: victrices animas reſtituens cœlo, vnde illarum fœlix origo manarat. Nec vero mirari conuenit tantam eſſe premij diſparilitatem. Id enim & ratio ipſa poſcit, & Iuſtitiæ ordo flagitat. Quis enim æquum dixerit, quæ in vitæ certamine magna ſtrenuis fortibuſque viris premia propoſita ſunt: eadem pacto aliquo deſidi atque ignauo militi conuenire? Studiorum porrò diſsimilitudinem eſſe varietatemq; actionum, arbitrij libertas facit: & corporis ipſa conſtructio. Conſtat enim ad effigiem magni huius mundi: cuius (vt ait Plinius) circumplexu cuncta teguntur: & minoris item mundi (quem appellant hominem) ſapientiſsimè conſtructam & conglobatam eſſe naturam. Vt quemadmodum ille concordia quadam diſcordi, ex elementorum quadripartita temperie mirabiliter coadunatus ſe tuetur & continet, rebuſque eſt aptus alendis: ſic hic, quem ideo Græci μικρόκοσμον appellant, mirificè concinnatus varietatem actionis germinare poſſet: diuerſitatiſque præ ſe illam ferret ſpeciem, qua à principio liquet fuiſſe coagmentatum. Vt vtriuſque rei, id eſt Cœli atq; terrę, cuius in mirabili hoc corporis opificio à prudentiſſimo artifice ratio incluſa eſt, in ipſis rerum

actionibus imagine repręſentata, & bona & mala capere poſſemus:hac atque illac libere diſcurrentes:ſed illa ſectantes maximè, quæ ſibi non extremas vendicarunt in ortu. Vt parentis conditoriſq; omnium Dei voluntate vitalis huius aurę munere tandem expleto, ſpecioſaq; hac corporis machina diſſoluta, cum ſuosquęq; fontes repetant, victrices animæ (contagione nulla carnis infectę) rectà cœlos adeant: potianturq; ſuo fine vltimo Deo.

SED DE HAC ipſa ſabrica noſtri corporis, in veterum ſcriptis & peruestigandis & ſtudioſè cognoſcendis diligentem hominem Crinitum ſecuti, aliqua perſtringamus. Is enim quò loco diſputat, quibus elementis atq; initijs conſtructa eſſe animalia dicãtur: Sapientes veteres, Triſmegiſtumq; in primis ſecutus, vniuerſas animantes elementis quatuor conſtare aſſerit: ex eiſdemq; hominem atq; inſuper diuino ſpiritu, quẽ eſſentiam alij quintam nuncupant. Dicunt igitur ab ipſa terra, carnem haberi: ab aqua, humorem: ab aere, anhelitum: ab igne feruorem: à diuino ſpiritu ingenium ſiue rationem. Cuius quidẽ ſententiæ princeps extitit Hermes Ægyptius, qui non ſolum Platonem ac Socratem, ſed & ſeptem illos, qui in Græcia ſapientes ſunt habiti, antecesſit ætate: dicerem & ſapientia, niſi me Platonis grauitas aliquantulnm retardaſſet. Qui tamen (pace ipſius dixerim) licet in omni diſciplina excellens ſit & mirificus vir habitus, in diuinarum rerum ſcientia, iudicio meo (inuidia verbo abſit) haud erit cum Mercurio ipſo Triſmegiſto comparandus. Vel vnus enim Pymander, vt de Aſclepio nihil dixerim, me vera ſenſiſſe teſtabitur: me (inquam) neque Platonicæ doctrinæ inexpertum, neq; in eo euoluendo incurioſè verſatum. Nam ſi ſemel atq; iterum (nimirum quia homo) lapſus videtur eſſe Mercurius: in multis, quæ ęgregiè collimauit Hermes, Plato ipſe eſt fœdisſimè hallucinatus. Cuius rei Timæus mihi atq; Phędon fidem facient: quorum alter de opificio Mundi; de immortalitate alter animi ſcriptus, authoris errores arguunt. Nec tamen inficior, nè viro tanto ſuggillare honorẽ videar, multa in eis ſcripta eſſe præclare, & contineri diuinitus dicta. Sed Pythagoræ Plato, atq; aliorũ non admodũ ſapientũ placita vana ſecutus., in errores eſt nõ leues ibidẽ ipſe prolapſus. Sed redeo ad Triſmegiſtũ. Animantiũ (ait) corpus ex quatuor elementis conſtitutum eſt à Deo. Habet enim aliquid in ſe ignis: aliquid aeris, aliquid aquę, aliquid terræ. Neq; tamen ignis eſt, neq; aer, neq; aqua, neq; terra. Quæ facile probari poſſunt. Nam terrę ratio in carne eſt: humoris in ſanguine, aeris in ſpiritu, ignis in calore vitali. Sed neq; ſanguis ſecerni à corpore poteſt, ſicut humor à terra: neque calor vitalis à ſpiritu, ſicut ignis ab aere. Adeo rerum omnium duo ſola inueniũtur elemẽta: quorum omnis ratio in noſtri corporis fictione concluſa eſt. Itaque ex rebus diuerſis ac repugnantibus homo factus eſt: ſicuti & mundus ipſe ex luce ac tenebris; ex vita & morte. Quæ duo inter ſe & in homine pugnant: vt ſi anima ſuperior euaſerit, quæ ex Deo trahit originem, ſit immortalis: & in clara perpetuaq; luce verſetur. Sin corpus euicerit animam, ſuoq; imperio ſubiecerit, in tenebris ſempiternis atq; in obitu deliteſcat. Hæc de elementorum ratione, in cunctorum opificio animantium ex Hermetis ipſius theſauris & Firmianus ipſe Lactantius. 2. diuinarum inſtitutionum libro, decimo tertio capite retulit. Cuius miror à Crinito factam nullam eſſe mẽtionem: cũ & facile lector in homine furtum agnoſcat: ſitq; animi obnoxij (vt loco quodam teſtatur ipſe) deprehẽdi in furto malle, quam mutuum reddere. Adeo quoſdam pudet, cum ſors fiat ex vſura, fateri per quos profecerint! Sed ſint hæc de Crinito dicta hactenus.

CVM IGITVR quaſi ex cœlo & terra hominis ſit coagmentata & conglobata natura: propterq; eius ipſius varietatem permiſtionis, irrequietæ ſint animo ab ipſo corpore lites: etiam atque etiam videndum eſt, ne curandi ſtudio corporis, pars illa altera, quæ in nobis diuina eſt, quæq; à prudenti artifice imperium eſt noſtri plane omne ſortita, deſerta per incuriã, neglecta vel inculta fuiſſe videatur. Nihil enim calamitoſius eſſe, vel exitialius poteſt, quam ſi naturæ temere perturbato ordine (dux atq; imperator mortalium vitæ) miniſterijs corporis prauè anima obedire cœperit. Præpoſterum ſiquidem, nimiſq; abſurdũ eſt: Si legitima ſtatus noſtri perperam conditione mntata, ſeruo herus obtemperet. Cæterum quò abierũt Zamolxidis & Abarydis Hyperborei ſalutares illæ incantationes, animi temperantiam docentes: de quibus in Platonis Charmide pręclarè loquitur Socrates? Nimirum omnes ſunt abolitæ: & corporis tantum improba cura viget. Benè igitur Zamolxis, rex noſter ac

Dens

Deus tradit, inquit. Quemadmodum oculos ſine capite curare non decet, neque ſine reliquo corpore caput: ita neq; ſine anima corpus. Rectè ille quidem. Omnia nanque vel bona vel mala ab anima in corpus & hominem totum manant: indeq; ſimiliter vt ex capite in oculos effluunt. Illam igitur primum, & maximè curari iubet: ſi modò caput, & vniuerſum corpus bene valere debeat. Prȩclarè hoc Epictetus, Vitioſo animo quam ægroto corpori mederi magis conuenit: præſtat etenim mori quam turpiter vitam agere. Cur hoc ſtatuis optime Epictete? Num quia multis peccatis refertam animam ad Inferos deſcendere extremum eſt omnium malorum; vt apud Platonem Socrates docet in Gorgia? Colligmas facilè, Epictetus ait. Non enim terribilium mors eſt (vt Ariſtoteles exiſtimauit) ſed in hæc venire loca peius morte putandum eſt. Vnde veriſsimè Plato de legibus nono. Mors vltimũ non eſt, ait, ſed extrema magis ſunt Inferorum ſupplicia. Itaque non iniuria monet in Phœdone, graue periculum fore ſi quis animam neglexerit. Quin etiam, ne ſtudio corporis ipſa deſeratur: in Alcibiade priori (qui de hominis natura liber inſcribitur) probare nititur, hominem nihil aliud eſſe quam animam: atque ideo animȩ curam habendam: ſemperq; ad ipſam eſſe reſpiciendum, monet. Neque id ſanè iniuria. Quamuis enim ex anima & corpore conſtet hominem eſſe compactum. Quorum alterum (vt ait Hiſtoricus) nobis cum Dijs, alterum cum belluis commune eſt. Corpore, quod quaſi vaſculum animi à natura datum eſt, pro ſeruo erit vtendum: & imperio parendum animi. Si modo qui ſumus (re enim vera nos ſumus anima) eſſe velimus. Nam corpus hoc multi ſepulchrum, nos vaſculum, carcerem quidã atque alij vario vinculum nomine appellãt. Præſtantioris igitur partis cura in primis habenda eſt: nec tamen altera eſt omnino deſerenda: dummodo ſit perſuaſum, hanc prȩ illa debere vilipendi. Ita commodis noſtris rectè erit proſpectum, & naturȩ ordini abũdè ſatisfactum. Natura nanque, vt vita nos verè perfrui poſſemus, immortali mortale, & corruptibile æterno voluit eſſe ſubiectũ. Hanc, qui vitæ perperam inſtituta ratione naturæ legem violant, quam ſibi turpiter viuendo peſtẽ comparent, velim intelligant, ne illos ad extremum ſera pœnitentia compunctos, atra occupet mors. Qua de ipſa, paucis mihi eſt in prȩſentia, Deo auſpice, differendum.

ERIT TAMEN principio illud tenẽdum; quòd licet omnis humana immortalis ſit anima: non tamȩn omnis beata diuinaque exiſtit. Illorum enim hoc extremũ eſt proprium, qui piè ac ſanctè vitam inſtituerunt. In ſua enim cuiuſq; vita, anima hominis laudari ſolet. Quemadmodum Prophetarũ vaticinijs inclytis, nobis eſt diuinitus proditum. Quod non ſolum Hermes & Plato atq; Cicero ſenſerunt, ſed philoſophi fermè omnes, qui celebritate famæ, ac laude aliqua nominis digni ſunt habiti: præter paucos admodum, qui non ſolum diſcrimen hoc animarum ſuſtulerũt; ſed & animos ipſos, ceu capite damnatos morte mulctarunt. Quorũ ſtultitia Epicuro authore maximè creuit. Illius enim ſunt omnia, quæ in libris de rerum natura Lucretius paſsim delirat, ait nanque.

Scire licet nobis, nihil eſſe in morte timendum:
Nec miſerum fieri, qui non eſt, poſſe neq; hilum
Differre an nullo fuerit iam tempore natus,
Mortalem vitam mors cum immortalis ademit.

Et iterum,

Tu quidem, vt es letho ſopitus, ſic eris æui
Quod ſupereſt, cunctis priuatus doloribus ægris.
At nos horrifico cinefactum te propè buſto
Inſatiabiliter defleuimus: æternumq;
Nulla dies nobis mœrorem è pectore demet.

Et rurſum.

Nil igitur mors eſt, ad nos neq; pertinet hilum:
Quando quidem natura animi mortalis habetur.

Sed neceſſe non eſt ſtultiſsimi hominis ſingula perſequi. Cui præcipuum hoc apparet ſtudium fuiſſe, vt ſapientiæ fœdè ementito vulgo titulo, aciem mentis illorum perniciosè prȩſtringeret, qui ſuę ipſius opinioni ſemel fauere cœpiſſent. Quid enim, nitorem modò verborum demas; ab huius carmine diſcas, quam vitæ impietatem miſerã, vel meras ineptias? Verum quid ille docere ſani poterat, qui magiſtrum ſectatus eſt corruptela morum, atq; ipſo doctrinæ genere mortalium omnium longè deprauatiſsimũ? Sed de his hactenus. Veniamus ergo ad tragicum Senecam, qui aſſertam à ſe animi immortalitatem, in Troade vocat in dubium. Sic enim ibi chorus loquitur.

Verum eſt? An timidos fabula decipit?
Vmbras corporibus viuere conditis?
Cum coniux oculis impoſuit manum,
Supremusq; dies Solibus obſtitit,
Et triſtes cineres vrna coërcuit,
Non prodeſt animam tradere funeri?

Sed reſtat miſeris viuere longius.
An toti morimur,nullaq; pars manet
Noſtri? Cum profugo ſpiritus halitu
Immiſtus nebulis ceſsit in aera,
Et nudum tetigit ſubdita fax latus?
Quicquid Sol oriens,quidquid & occidens
Nouit:cæruleis Oceanus fretis
Quicquid vel veniens vel fugiens lauat,
Ætas pegaſeo corripiet gradu.
Quo biſſena volant ſydera turbine?
Quo curſo properat ſecula voluere
Aſtrorum dominus, quo properat modo
Obliquis Hecate currere flexibus,
Hæc omnes petimus fata.Nec amplius
Iuratos ſuperis qui tetigit lacus
Vſquam eſt.Vt calidis fumus ab ignibus
Vaneſcit ſpatium per breue ſordidus:
Vt nubes grauidas quas modo vidimus,
Arctoi Boreæ diſsipat impetus:
Sic hic(quo regimur)ſpiritus effluet:
Poſt mortem nihil eſt.Ipſaq; mors nihil.
Velocis ſpatij meta nouiſsima.
Spem ponant auidi:ſoliciti metu.
Quæris quo iaceas poſt obitum loco?
Quo non nata iacent.
Tempus nos auidum deuorat,& Chaos.
Mors indiuidua eſt,noxia corpori
Nec parcens animæ. Tænara & aſpero
Regnum ſub domino:limen & obſidens
Cuſtos non facili Cerberus oſtio
Rumores vacui,verbaq; inania:
Et par ſolicito fabula ſomnio.

An potuit quicquam magis impium proferre,vel ſtultius prædicare: quam immortales hominum, mortales eſſe animas profiteri? Et qui in Furenti Hercule damnatorũ pœnas perpetuas,Inferos ac Tartara graphicè deſcripſerit, nũc totum putet hominem morte perimi: oblitus quæ in Medea atque Octauia de integritate morum: de pietate ac ſanctitate vitæ præclarè prorſus ſcripſerit. His nimirum animi dotibus atq; hoc genere vitæ, patere aſſerens cunctis in cœlum viam. Quid? Quòd in OEtheo Hercule, per virtutem cœlo additum Alcidem ipſum inducit,ad hunc modum de ſuo ipſius funere non ſanas matris lachrymas prohibentem.

Quid me tenentem regna Syderei poli,
cœloq; tandem redditum,planctu iubes
Sentire Fatum? Parce:nam virtus mihi
In aſtra,& ipſos facit ad ſuperos iter.

Quibus ex verbis patet profectò quod de legibus tertio optime ſentit Cicero: omniũ quidem hominum immortales eſſe animos: ſed bonorum fortiumque diuinos. Cur igitur tam inſipienter multa de animi morte dicuntur? Nempe, quia perſonis Tragici attribuunt accommoda dicta: Neque eſt magnopere mirandum, ſi rude atque ignobile vulgus,cui de immortalitate animi haud ita perſuaſum eſt:de ipſius ſępe obitu interituque diſceptet. Cum pręſertim Epicuri ſecta nondũ eſſet abolita: qui cùm ſuis cuiuſque moribus (vt pulchrè tradit Lactantius) aptiſsima pręciperet, magna erat in laude. Atq; hęc ipſa de animorum morte, & de Dei prouidentia peiora non impunè ſolùm, ſed & magno applauſu vulgi ſępiſsimè concinebat. Quem ſecutus amens Ennius, ſententiam de Deo impiam proferre non eſt veritus.Sic enim ait.

Ego Deûm eſſe genus ſemper dixi & dicam Cœlitum.
Sed eos non curare opinor, quid agat humanum genus.

Quibus quidem carminibus vt peſtilentius nihil eſt vitę,ſic ne ſtultius quidẽ quicquam poteſt excogitari, ipſaque diuina natura omnino nihil magis indignũ. Vt enim interim demus plures eſſe Deos, quod tamẽ falſũ eſt: hi ipſi Dij pio affectu humana omnia reſpiciunt atq; cuſtodiunt, vt in Aſclæpio docet Triſmegiſtus: quem diuinus Plato ſecutus bellè in philoſopho ait, Deorum omnia eſſe plena. Quod quidem hanc cenſet habere vim: vt Superi neq; obliuiſcãtur noſtrarum rerum: neque nos deſerant. Sapienter itaq; Mercurius, prępotentis ac ſummi Dei laudes concinens ait, Deus ſupra verticem ſummi cœli conſiſtens, vbiq; eſt: omniaq; circumſpicit. Deus ergo, viuentiũ vel vitalium, quæ ſunt in mundo, ſempiternus gubernator eſt: ipſiuſque vitę diſpenſator ęternus: vt vult qui à me toties citatus eſt diuinus Triſmegiſtus. Ille homines in periculis regit, ſingulorũ deſuper actus ſpectans. Vtq; rectè cenſet Locrẽſis Sthęnidas, Deus omnia ſemper gubernat, & viuit: ipſius in ſe poſsidens ſapientiam: nec vnquam ceſſat, gubernatione ſua neglecta. Qua de ipſa haud erit mihi amplius verbum faciẽdum, quoad mortalitatis noſtrę rationem aperuero. Loquar tamen ore Triſmegiſti: quoniam magna vir ille ſapientia clarus fuit.

DE IMMORTALI vero & mortali modò diſſerendum eſt, inquit. Multos enim ſpecies timorque mortis, verę rationis ignaros excruciat. Mors enim efficitur diſſolutione corporis labore defeſsi, & numeri compleri; quo corporis membra in vnam machinam ad

ad vſus vitales aptantur. Moritur enim corpus quando hominis vitalia ferre poſſe deſtiterit. Hæc ergo eſt mors corporis diſſolutio & corporalis ſenſus interitus: De qua ſollicitudo ſuperuacua eſt: Sed & alia neceſſaria: quam aut ignorantia, aut incredulitas contemnit humana. ASCLEP. Quid eſt ô Triſmegiſte, quod aut ignorant, aut eſſe poſſe diffidunt? TRISM. Audi ergo ô Aſclepi: Cũ fuerit animæ à corpore facta diſceſsio, tunc arbitrium examenque meriti eius tranſiliet in ſummi Dæmonis poteſtatem. Iſque eam (cum piam iuſtamque peruiderit) in ſui cõpetentibus locis manere permittet. Sin autẽ delictorum illitam maculis, vitijs oblitã viderit: deſuper ad ima deturbans, procellis turbinibuſque aeris, ignis & aquæ ſæpè diſcordantibus tradet: atque inter cœlũ & terram mundanis fluctibus, in diuerſa ſemper æternis pœnis agitata raptabitur: vt in hoc obſit animæ æternitas: quod ſit immortali ſententia æterno iudicio ſubiugata. Ergo, ne his implicemur verendum, timendum, cauendumque eſſe cognoſce: Incredibiles enim, poſt delicta cogentur credere: nõ verbis ſed exemplis: nec minis ſed ipſa paſsione pœnarum. ASCLEP. Non ergo Triſmegiſte, hominum delicta ſola humana lege puniuntur? TRISM. Primò enim ô Aſclepi, terrena omnia quę ſunt, mortalia ſunt. Tum ea etiam quæ ſunt ratione corporali viuentia, & à viuendo eadem lege corporali deficientia: ea omnia pro vitæ meritis, aut delictis, pœnis obnoxia: tanto poſt mortem ſeuerioribus ſubijciuntur, quanto multa forſitan fuerant celata dum viuerent. Præſcia enim rerum omnium diuinitate: reddetur, perinde vt ſunt, pro delictorũ qualitatibus pœnę. Hæc ille. Quæ profectò veri certam omnino habent effigiem. Nõ tamen in magni Dæmonis poteſtatem, animarum examen tranſiliet: ni & piè hoc vereq; interpretere, ſed quæ in corpore geſſerũt, diſcutiet facta Deus, atq; merita penſitabit. Sontes æternis animas ſubdens pœnis: pietati cultrices & innocuas in cœlum ſecum auehens. Vbi ægritudine nulla immortale gaudiũ mœror contaminabit. Talis enim (vt quidam ait) cœlitum eſt vita Deorum.

VNDE apparet profectò, vel gladio confoſſo: vel aquis obruto: vel igni cremato: vel terris corpore reddito: & (vt ſemel finiam) quo genere cunq; mortis abſumpto: ſuperſtitem atq; adeo incolumẽ animam ſemper exiſtere. Nam licet corporei ſenſus in ipſo funere intereant, vt eſt à Claudiano poëta veriſsime dictum.

Hæc ſola manet, buſtoq; ſuperſtes
Euolat.

Quæ cũ ita ſe habeant, ſtultitia procul reiecta & vanitate exploſa Epicuri, eſt certè Propertius maximè dignus laudari, cum ait.

Sunt aliquid manes: Lethum non omnia finit,
Luridaq; euictos effugit vmbra rogos.

Pietati igitur, virtutiq; omni ſtudendum eſt: Ne communi naturæ lege reſoluto per mortem corpore: deterior animũ mors atq; triſte Fatũ occupet. Quod procul dubio, cum mors corporis ex æquo cunctis immineat, in ſua cuiuſq; eſt facilè poſitũ manu. Quamuis enim & ipſæ animæ morte careãt, (vt ab Ouidio etiam video celebratum) mori tamen rectiſsimè dicuntur, quoties diſſolutione morum & vitę depravatione: quam in corpore adhuc manentes, egerunt: æterno apud Inferos ſupplitio, ab ipſarũ authore damnantur. Nam ſicut Seneca ait.

Mortis habet vices agrè, tum trahitur vita cum gemitibus.

Rectè ille quidẽ atq; ſapienter. Cui enim ad irrequietum mœrorem, perpetuumque cruciatum (ſine ſpe vlla iam reliqua ſalutis) vita conceſſa eſt: ille certè prudentũ opinione mortalium haud dubie mori dicitur. Vnde concinnè quidem, appoſitoque admodũ Flaccus de hoc mortis genere dixit.

Ingrato miſero vita ducenda eſt, in hoc
Nouis et vſq; ſuppetias doloribus.
Optat quietem Pelopis infidus pater,
Egens benignæ Tantalus ſemper dapis.
Optat Prometheus obligatus aliti
Optat ſupremo collocare Siſyphus
In monte ſaxum. Sed vetant leges Iouis.

Quod genus mortis vt obſcuriſsimũ triſtiſsimumq; eſt, ſic & longè omnium miſerrimum atque infeliciſsimum conuenit iudicari.

QVOD ex ipſo quanta ſcateat ſtultitia peruulgatũ illud Socratis apud iudices de animorum immortalitate dilemma, profectò planum efficitur. Sic enim habet. Si non moritur animus, maiora me expectant bona: ſin moritur, nihil ſentiam mali. Atqui animos conſtat non mori: neq; tamen mortuos omnes eſſe conſtat fœlices. Nam, cùm mortis ratio ex vitæ filo pendeat: fœlicitas ipſa dumtaxat illos pertingit, qui piè ac ſanctè vixerunt. Vnde pari cum Socrate errore epiſtola quadam ad Titiũ mihi Cicero videtur fuiſſe deceptus. Qui aſſertionis conſtanter patum

poſito

poſito fundamẽto : nihil eſſe in morte mali:
ita probare nititur. Quòd ſi reſideat ſenſus
immortalitas illa potius quam mors ducen-
da ſit: ſin ſit amiſſus, nulla videri miſeria de-
beat, quę non ſentiatur. Cuius equidem ſen
tentiæ partem cum primam inſpicio, quod
aſſentiar nihil habeo. Neque enim manentę
animo, ſenſuq; reſidente continuò illud ef-
ficitur, vt immortalitate quiſq; fruatur, cum
in ſumma contra poſsit verſari miſeria, vti
Flacci modò eſt carmine pateſactum. Sic &
Chæroneus Plutarchus ſcriptorum oblitus
ſuorum, vt docebo paulo poſt, præcipitio
quodam eſt lapſus dũ ait. Enim vero ſi quis
naturam animę noſtræ vel quoquo modo
ſubodoratus ſit, ſecumq; reputauerit, tran-
ſitum ex hac vitæ conditione ad aliam, me-
liorem fieri per mortem: aut certè non detę
riorem: profectò is non modicum iam via-
ticum habet, quo ſe ad ſecuritatem animi ać
tranquillitatem conferat, mortis ſcilicet cõ-
temptum. Hæc ille. Quę haud quaquam
probari nobis poterũt, qui benignitate ſum
mi Dei veræ rationem mortis exactiſsimè
callemus. Quęro enim ſi munere vitę in cor
pore perfunctis, ad apparituram vitam cun-
ctis ex ęquo animabus cõmigratio fœlicior
eſt, aut certè non deterior futura : quod ſit
virtutis ac vitij diſcrimen? & an ne putet in-
ter Catonem, quem ipſe ſanctiſsimum virũ
credit : & ſacrilegum atq; patriæ ſuę acerri-
mum hoſtem Catilinam : inter crudeliſsi-
mum tyrannum Phalarim: & eximia Iuſtitia
præditum Ariſtidẽ intereſſe omnino quic-
quã? Hæc, ſi ſanus Plutarchus certè putabit
nunquam? Neque enim incolumi à funere
animo perſiſtente : factaque ipſa hominum
diuina expendente Iuſtitia, actionum hic
pulcher delectus, & Iuſtitiæ valde cõgruẽs,
poterit eſſe ſublatus: niſi, & cum corporib⁹
ſimul interire animas cenſeat : Quod natu-
ralis hiſtorię octauo libro Plinius perperam
eſt atq; impiè ſuſpicatus. Sic enim ait, Omni
bus à ſuprema die, eadem quę ante primũ:
nec magis à morte ſenſus vllus aut corpori
aut animæ, quam ante natalem. Hęc ille, de
liri ſecutus ſectam Epicuri, vel forte Caium
Cæſarem qui oratione quadam exitioſum
ciuem parricidamque patriæ defendens Ca
tilinam, id ipſum turpiſsimè exiſtimauit. Sic
enim loquitur. De pœna poſſum equidem
dicere id quod res habet: in luctu atq; miſe-
rijs, mortem ęrumnarum requiem, non cru
ciatum eſſe : eam cuncta mortalium mala
diſſoluere. Vltra neq; curæ, neq; gaudio lo-
cum eſſe. Quæ hominis verba cum ſanctiſ-
ſimo id temporis viro Catoni probari non
poſſent, bella ad hunc modum Ironia Cæ-
ſaris orationem eluſit, contempſitq;. Benè
& compoſitè Caius Cęſar paulo ante in hoc
ordine de vita & morte diſſeruit: credo, fal-
ſa exiſtimans ea, quę de Inferis memorãtur:
Diuerſo itinere malos à bonis, loca tetra, in
culta, fœda atq; formidoloſa habere. Itaque
cenſuit, pecunias eorum publicandas: ipſos
per municipia in cuſtodijs eſſe habẽdos. Sed
præſcindam (ne perſequar plura) locũ. Hoc
igitur tam inclytum, tam ſpecioſum, tamq;
verum, beneficio ſectę Cato intelligere po-
tuit. Ecce enim Inferos Zeno Stoicus do-
cuit : & ſedes Piorũ ab impijs eſſe diſcretas:
& illos quidem quietas ac delectabiles inco
lere regiones: hos vero luere pœnas in tene
broſis locis atq; in cœni voraginibus horrẽ-
dis. Rectius itaq; quã Cęſar ſenſit quiſquis
ille fuit, qui de republica moderanda præ-
cepta dedit Cæſari, ſic. Mihi pro vero con-
ſtat, omnium mortalium vitam diuino nu-
mine inuiſi: neq; bonum neq; malũ facin⁹
cuiuſquam pro nihilo haberi. Sed ex natura
diuerſa premia, bonos, maloſq; ſequi: inte-
rea forte ea tardius procedunt : ſuus cuique
animus ex conſcientia ſpem præbet. Atque
hæc quidem ille hactenus. Cui Faſtorum. 1.
congruit illud Ouidij.

Conſcia mens vt cuiq; ſua eſt, ita concipit intra
Pectora pro facto ſpemq; metumq; ſuo.

Vnde multo melius quam in Apologia
vbi ſtulto Socrates dilemmate apud Iudices
vſus, differentiam hanc Plato idem ſub So-
cratis ipſius perſona in Phędone declarauit:
ſic etenim ait. Propterea haud ſimiliter mor
tem moleſtè fero: ſed bono animo ſum. Spe
roque ſupereſſe aliquid his, qui deſuncti
ſunt: atq; vt iamdiu dicitur, multo melius
bonis fore, quam malis. Ergo, vt cum Lactã
tio loquar, ſi quis nos roget : Vtrũ ne mors
ſit bonum, an malum, reſpondebimus qua-
litatem eius ex vitę ratione pendere. Nam,
ſicut vita ipſa bonum eſt, cum virtute viui-
tur: malum, ſi cum ſcelere: ita & mors ex
prętéritis vitę actibus ponderanda eſt. Ita ſit,
vt ſi vita in Dei religione tranſacta ſit, mors
malum non ſit: quia tranſlatio eſt ad immor
talitatem : ſin aliter, malum ſit neceſſe eſt:
quoniam (vt dixi) ad ęterna ſupplicia tranſ-
mittit. Id quod ſentit etiam ex ethnicis phi-
loſophis Plotinus. Nam quo loco de non
conſciſcenda morte diſſerit: illorum execra-
tus vęſaniam qui ſibi necem intulerunt : vt

ab

ab eiuſmodi flagitio in poſterum rerum deterreret ignaros, ſic ait. Cum conſter, remunerationem animis illic eſſe tribuendã, pro modo perfectionis ad quam vna quæque in hac vita peruenit (loquitur autem cum illic dicit, de vita apparitura, non eſt præcipitandus vitę finis, cum adhuc proficiẽdi eſſe poſſit acceſsio. Nec fruſtra hoc dictum eſt, nam in arcanis de animæ reditu diſputationibus fertur: in hac vita delinquentes ſimiles eſſe ſuper ęquale ſolum cadentibus; quibus denuo ſine difficultate pręſto ſit ſurgere. Animas vero ex hac vita cum delictorum ſordibus recedentes æquandas his, qui in abruptum ex alto pręcipitati, delapſiq; ſunt: Vnde facultas nunquam ſit reſurgendi. Ideo ergo; conceſsis vtendum vitæ ſpacijs; vt ſit perfectę purgationis maior facultas.

S E D M I S S V M faciam Plotinum: neque enim neceſſe eſt, quę reſtant ſingula exequi: ſint licet omnia nec abſurdè nec inutiliter dicta. Libet nanque aliquantiſper cum Plutarcho mihi eloqui: qui de ſera numinis vindicta ſcribens, multoque antea cordatius de ratione mortis diſſerit. Vna igitur, inquit, eſt ratio; quæ diuinam pariter prouidentiam, humanęq; animæ immortalitatem oſtendit atq; confirmat. Nec alterum repudiare, alterum vero amplecti datur. Cum enim poſt obitum anima ſuperſit, admodũ decet: imo neceſſe eſt, illam aut premijs: aut affici ſupplicijs. In vita etenim quemadmodũ athleta decertat: cum vero certamen peregerit: tum debitum ex merito conſequitur. Cęterum quo pacto anima cum illic exiſtit remuneretur ſiue plectatur ob anteactam vitam nil certi, ſiue quod affirmare audeamus, viuentes habemus: id enim penitus nos celatum eſt, ac latet. Atque hæc quidem Cheroneus Plutarchus, veriſsimè & ſentit & dicit. Nos tamen ſupplicij vel premij veram ſeriẽ profecto non ignoramus. Chriſtianæ enim gẽtis inſtitutis egregiè cognita eſt rei vtriuſq; ratio: quam vel Ethnici ipſi ſunt rimari conati: & diſtortis licet anfractibus, quamquam non eos certò appuliſſe, vidiſſe tamen veritatis portum non eſt profecto negandũ. Sed tamen ſunt pleraq; apud illos fabuloſis narrationibus, commẽtitijſq; fabulis plena: & corrupta planè omnia. Id quod indicabũt facile verba Platonis in Gorgia. Extabat autem lex de hominibus, ait, ſub Saturno, & ſemper: & nunc etiam extat apud Deos: vt quicunque homines iuſtè, pièque vitam egiſſent: cum è vita migrarent, ad beatorum inſulas profecti, in omni fœlicitate viuerent, à malis longè ſeiuncti: qui vero iniuſtè impieque vixiſſent, in punitionis iuſtique ſupplicij carcerem irent; quod appellant Tartarum. Et in Phœdone, ſic, Cum verò hęc natura ita diſpoſita ſint: quando in eum locum defuncti peruenerint, quo dæmon vnumquemq; perducit: primò illic iudicantur, & qui honeſtè ſanctèq; : & qui aliter vixerint. Itaq; quicunq; in vita quodam modo tenuiſſe medium quoddam comperiuntur, ad Acherontem profecti vehiculis quę vnicuiq; adſunt, in paludem perueniũt Acheruſiam, ibiq; habitant: purganturq; pœnas dantes iniuriarũ; & cum purificati ſunt, abſoluuntur: rurſuſq; pro merito ſinguli beneſactorum premia reportant. Qui vero ob ſcelerum magnitudinem inſanabiles eſſe videntur: qui videlicet ſacrilegia multa & magna; vel cædes iniquas: vel alia horum ſimilia perpetrauerint: hos omnes conueniẽs Sors mergit in Tartarũ: vnde nũquam ęgrediuntur. & mox, Qui autem piè prę cęteris vixiſſe inueniuntur: hi ſunt qui ex terrenis locis tanquam carcere ſoluti atq; liberati, ad altiora tranſcendunt, puramq; ſupra terram habitant regionem. Inter has autem quicunque ſatis per philoſophiam purgati ſunt, abſque corporibus omnino totum per tempus viuunt: habitationeſq; his etiam pulchriores nanciſcuntur. Quarum pulchritudo neque facilis dictu eſt: neq; pręſens tempus ad dicendum ſufficeret. Sed horum, quę narrata ſunt gratia: O Simia! omni ſtudio eſt adnitendum: vt in hac vita virtutem, & prudentiam, ſapientiamq; conſequamur: premium nanq; pulchrum eſt: & ſpes eſt ingens. Hæc igitur eo ſe pacto prorſus habere: quo ego diſpoſui, non decet virum ſanę mentis aſſerere. Eſſe tamen vel hæc, vel talia quædam circa animos noſtros, eorumq; habitationes (quandoquidem animus ipſe immortalis apparet) & decere mihi videtur: & dignũ (quaſi periclitantes) iſta exiſtimare. Honeſtum enim periculum eſt: oportetq; hęc quaſi carmina quædam (Magorum ritu) mentibus noſtris infundere. Hæc iam citatis locis Plato. Ex quibus manifeſtum eſt, Chriſtianæ perſuaſionis atq; adeo veritatis, nõ omnino expertes Ethnicos fuiſſe philoſophos: ſed tamen ſolis quaſi per tranſennã tenuiter ſplendorem, lucemq; vidiſſe: & quaſi gubernatore carẽtes ante optati portus oras, atq; littus con-

concidiſſe. Quos inter cum Triſmegiſto
Platonem parte hac primas tuliſſe, merito
erit dicendum. Cuius profectò rei duode-
cimo legum libro de ratione animę diſſeré-
tis, fidem facient verba Platonis. Sic enim
ille ait. Credendum eſt autem & de alijs le-
gum latori, & de anima: cum eam dicat om-
nino à corpore differre. Nec aliud preter ip-
ſam eſſe, quod in hac vita facit vt quilibet
noſtrum hoc ipſum ſit quod ſumus. Corpus
verò tanquam imaginarium quiddam, ho-
minem ſequi. Commodè etiam mortuorū
ſimulacra, corpora vocari. Ac re vera vnum
quemq; noſtrum, animam ipſam immorta-
lem eſſe; eamq; ad Deos alios proficiſci, ra-
tionem ſuorum operum reddituram, vt lex
patria continet. In quo certè bonis viris con-
fidendum eſt, malis autem formidandum:
quippe cum poſt mortem omni auxilio ca-
reant. Viuentibus autem neceſſarios omnes
opem ferre debuiſſe, vt quam iuſtiſsimè at-
q; ſanctiſsime viuant: ne maxima eos ſcele-
rum poſt mortem ſupplicia maneant.

CVM IGITVR animas morte carere li-
queat: & piorum ab impijs omnino ſedes eſ-
ſe diſcretas, & incolere loca diuerſa, ſuorum
quemq; operum premia condigna meten-
tes. Tum illud eſt etiam nobis vſquequaq;
putandum, ſpecioſam hanc mundi conſtru-
ctionem quaſi phanum quoddam eſſe ſan-
ctiſsimum ac maximè Deo dignū, in quod
homo naſcēdo admittitur, non quidem ſpe-
ctatum ſimulacra fabrè facta ac ſenſus ex-
pertia: ſed Solem, Lunam, Sydera: quæ pro-
uidētia diuina nobis viſenda prebuit: vt ſen
ſibilia ſanè ſint, intelligibilium ſimulacra
atque inuitamenta, quemadmodum ait
Plato.

SED ENIM, Quis tanti operis admiratione
raptus, non ipſum quoq; authorem nitatur
revereri, atq; adeò ſummè colere? Cum præ
ſertim à ſummo rerum opifice mirabilem
hanc mundi fabricam ita coagmentatā con-
globatamq; intelligat, vt ipſorum habitato-
rum rationem ſummam velit haberi: bono-
rum atque malorum diſcrimine conſtituto?
Ita preſtabiliſsimo hoc mundi opere perfun
ctus (ceu egregia aliqua ſalutaribus legibus
inſtructiſsimè fundata republica) premio &
pœna ſanxit ipſam mortalium ſalutem. Ne
immortalitatis ius (quod inęquali ſorte om-
niū animis pariliter diſtributū eſt) ex æquo
cederet cunctis: ſicque tandem bonitati de-
bito fructu malitia potiretur: quod quidem,
(vt ſunt Dei cuncta) factum eſt ſanctè admo
dum atq; maximè diuinè. Vt enim nec do-
mus, nec reſpublica ratione quadam & diſci
plina deſignata videatur: ſi in ea nec rectè fa-
ctis premia extent vlla, nec ſupplicia pecca-
tis: ſic (vt de natura Deorum. 3. pręclarè do-
cet Cicero) mundi diuina in homines mo-
deratio profectò nulla eſt: ſi in ea diſcrimen
nullum eſt bonorum atq; malorum. Vt au-
tem intelligeremus id à Deo ſalubriter con-
ſtitutum, facit illud etiam, quod legum lib.
2. ſapienter aſſerit idem. Neq; enim ait eſſe
mēs diuina ſine ratione poteſt: nec ratio di-
uina non hanc vim rectis, prauiſq; ſancien-
dis habere. Cum ergo hęc ita ſe habeant ſuę
cuique vitę ratio eſt in primis habenda: dili-
genterque curandum, ne pretioſiſsimo hoc
(quod ſibi eſt ad viuendum datum) tempo-
re abuſus, cladem hanc peſsimæ mortis in-
currat; & quando (vt prudenter Seneca tra-
dit) cum exceptione mortis vita cunctis eſt
data: huic ipſi meditatione iugi, erit vſque-
quaq; ſeruiendum. Miſerum eſt enim neſ-
cire mori. Verumtamen ſic erit memoriæ
mortis vacandum, ne vitam abrumpere ge-
ſtias. Improbum eſt enim, vt ignaui ab ſta
tione milites ſine iuſſu Imperatoris ſolent:
ſic à pręſidio, aſsignatoq; munere vitæ, ſine
imperio ſummi Principis, dominiq; omniū
Dei: ſtultè velle diſcedere. Pari nanq; con-
ſtantia (vt Macrobius rectè tradit) mors nec
veniens per naturam timenda eſt; nec con-
tra ordinem cogenda naturę. quod ſuarum
partium intellecta ruina & amici Pópeij cog
nita clade, Cęſare inimico victore, apud Vti
cam Cato ſibi necē inferens ſtultiſsimè per-
uertit. Maiori enim ſe (hoc ille facto) genere
calamitatis implicuit, non dāno mortis exe-
mit: conetur licet Seneca longa & artificioſa
oratione, Catonis facta probare. Sed nimirū
verę mortis ratio ex æquo latuit vtrumque.
Alioqui neq; ſibi manus Cato violenter in-
ferret; neq; ille talia patrantem, celebritatis
laude aliqua in Cœlum temerè efferre vo-
luiſſet. Defenſor culpæ obiectabit illud for-
taſſe, Amici hominis triſtiſsimo Fato ſuper
eſſe Cato noluit, beneficio hoſtis viuere nō
ſuſtinuit; deniq; proditori patrię (quod mor
talium rerum pretioſiſsimum eſt) vitam de-
bere prorſus arbitratus eſt nefas. Tempeſti-
ua hęc quidem (vt ingenuè quod ſentio fa-
tear) ad mortem cuncta fuerunt: mediocri
herclè, ſi quęras homini, Catoni verò ſapiē-
tiſsimo ſanctiſsimoq; viro, tempora ſi inſpi-
cias

ciasilla, fugienda haud dubie ſtudioſe, non obeunda fuerunt. Sed tamen arbitria ſua cuiq; (vt in ethnico homine) relinquens libera, reuertar eò vnde diſceſsi.

ET QVIDEM inferendi ſibi mortem procul hac turpi ratione dimiſſa, quam nefariam atque impiam eſſe penitus arbitramur & expetentis & obuerſaria vice abrumpere cupientis vitam temerè: ſcilicet extremum inter vtrumq; fluctuantis hominis opinioni, tempeſtiuè mihi erit in pręſentia conſulendum: Cui quò melius poſsim animi morbo mederi, ſit Auſonij illud in promptu.

Mortem optare malum: timere peius.

Doctè nimirum & acutè. Is ſiquidem mortem optat, cui vita diſplicet: timet porrò cuius vitæ omnis actio perijt. Sic, cum vtrunq; ſit malum: eſt tamen longè peius, turpiter factorum conſcientia (emendandi eluendique facta ſpacia cum nulla dantur) ſub ipſum obitum premi: impendétemque adeo, ferre non poſſe mortem. Quæ cum in omni loco, nulloque non tempore (vt ait Seneca) nos expectet; nos item contra ſecuro illam animo expectare debemus. Hanc vero ſecuritatem ſyncera mentis puritas; atque morum candor optimus facile nimirum pręſtabit. Idem ſenem miſerum eum eſſe dicebat, qui in limine mortis poſitus, nullum aliud teſtimonium haberet longiſſimę ætatis pręter annorum ipſam computationem. Sic ego infelicisſimũ illum planè ſtatuo, qui vitæ tempus permenſus diu, formidine mortis albeſcit: nullius interim egregij facinoris recordatus: Mens enim ſibi conſcia recti, honeſtèque actę vitæ memoria etiam cum extremus dies impendet, magno homini ſolet eſſe ſolatio. Quod egregiè nobis epigrammate hoc Martialis expreſsit.

Iam numerat placido fœlix Antonius æuo
Quindecies actas primus olympiadas.
Prateritoſq; dies & tutos reſpicit annos,
Nec metuit Lethes iam propioris aquas.
Nulla recordanti lux eſt ingrata, grauiſq;
Nulla fuit, cuius non meminiſſe velit.
Ampliat ætatis ſpatium ſibi vir bonus hoc eſt,
Viuere bis, vita poſſe priore frui.

Benè igitur in Pymandro Hermes ille Triſmegiſtus cum ſterili homine conuerſandum non eſſe monebat. Steriles eos, & ceu filijs orbos inſinuans, qui honeſtum, inſigneque nihil, vnquam in vita patrarũt. Sic enim ait. Extrema vero omnium calamitas & impietas accidit illi, qui abſq; filijs è vita diſcedit: qua de cauſa dęmoni dat pœnas poſt obitum. Igitur ô Eſculapi, Cum homine qui nullos genuit filios nullum habere commercium. Infœlicitatis tamen eius miſerere: cum noueris quæ hunc mala poſt interitum maneant. Hæc Mercurius: cum paulo ante declaraſſet, morum otioſum habitũ dęmoni concedi atq; dimitti. Eſt tamen (niſi fallor) ocioſus habitus ille, qui more pecudum dumtaxat inſeruiens ſibi, nil quicquam alteri boni facit: & cęterorum parum ęgrè hominum damna patitur. Quod vitæ genus proculdubio malum eſt. Labeſactat enim cognationis humanæ ſocietatem, vinculumq; naturę. Quę mutuo quodam coniunctionis fœdere cum homine hominem (ignotum licet) vel hoc vno nomine, quod homo eſt, iubet eſſe reuinctum. Quin etiã præclara illa naturalis deuaſtat fundamenta Iuſtitiæ: quæ non ſolum nocendum nulli pręcipiunt, verum etiam communi eſſe docent vtilitati ſeruiendum. Homo ſiquidem non vni ſibi tantum naſcitur, vt ad Architã Plato prudentiſsimè ſcripſit. Eſtq; ille reuera iuſtus (vt opinio mea fert) qui prodeſt quibus poteſt, nocet autem nulli. Qui vero & communi ſalute & multorum vtilitate neglecta vſibus ſuis inſeruiens, vni tantum ſibi cupit eſſe conſultum: ſpurius tanquam adulterq; naturæ, verè hominum eximendus eſt numero, & pecunię (cui ſe addixit) conditioni aſcribendus. Neq; id ſanè iniuria. Ad Iuſtitiam enim & honeſtatem (vt ſecundo de legibus libro) pręclare docet Cicero, homo in mundo naſcitur. Quid? Quod ad vitam conſequendam æternam; declinare à malo ſat non eſt: ſunt etiam pariter à nobis bona facienda. Itaque videndum eſt quod officiorum primo libro, acutè iudicio meo Tullius idem ait, ne non ſatis ſit id quod de republica diſſerentẽ apud Platonem eſt in philoſophos dictum: quod in veri inueſtigatione verſentur: quodque ea quæ plerique vehementer expetunt, de quibus inter ſe digladiari ſolent, contemnant, & pro nihilo ducant, propterea Iuſtos eſſe. Nam dum alterum Iuſtitiæ genus aſſequuntur in ferenda (ne cui noceant) iniuria: in alterum incidunt. Diſcendi enim ſtudio impediti, quos tueri debent, deſerunt. Quod vtrumque quaſi ſublatum de medio videri debet ab eo, qui hu-

manitatis nullo vinculo detentus, nulla hominis ratione habita, nulla vitæ ratione ſubducta, bruti inſtar animantis præter propter vitam agitans, propriæ ſeruit libidini: excelſi atque præclari, animo nihil moliens.

ATQVE HAEC Quidem de ratione mortis hactenus. Nunc verò, non de Dijs pluribus, vt ethnici quidam falſò putarunt, ſed de vno rerum omnium opifice Deo, cuius mirabili cuncta prouidentia reguntur, mihi dicendum eſt. Non quia exiſtimem maieſtatem ſummam eius, rectè me explicare poſſe dicendo (ſim etenim amens ſi id mihi arrogem quod neque humanum capere cor poteſt) vel ingenium exeqni; Sed quod videam ad pietatem animi pertinere, occurri illorum ſententiæ, qui execrabili maiorum vanaque ſecta corrupti, fabuloſum Deorum quondam genus excogitarunt, & rationem cultus exilem. Id quod veræ religionls ignari factitabant paſsim homines, ſapientum quorundam ſuorum nec inſpectis altius placitis, nec elogijs diligentius excuſsis, quibus in ipſis, vnius ſoliuſque Dei (quem vniuerſi Orbis verum eſſe conſtat opificem) aliquoties meminerunt. Quo circa perueniendum eſt ad abſolutum perfectumque bonum Deum vnicum: quemadmodum ſapienter, ait vir ille excellens Triſmegiſtus. Etenim ex ijs, qui prẹter ipſum appellantur Dij, ſeu dæmones, ſiue homines: nullus tam bonus eſſe poteſt, quam Deus vnicus. Is enim ipſum bonum eſt: nec aliud quicquam præter bonum. Reliqua omnia ab ipſa boni natura ſecreta ſunt, vt placet eidem. Audi igitur iam Mercurio etiam authore quid loquar. Vniuerſum mundum verbo, non manibus fabricatus eſt opifex. Ipſe vero ſic cogitas illum præſentem ſemper agentem omnia: Deum vnicum voluntate ſua cuncta conſtituentem. Id enim eius corpus eſt, non tangibile, non viſibile, non dimenſum, non diſtans, nec alterius cuiuſquam ſimile. Nā neque ignis, nec aqua, nec aër, nec & ſpiritus: verum ab eo hæc pendent omnia. Bonum vero ita eſt, vt ſibi ſoli id competat. Hæc ille.

SED ADDAM iam quidem reliqua. Nam ſi de ſummo ac prẹpotenti Deo ethnicorum nobis verbis fas videtur quidpiam effari (ad incredibilem vanitatem, ſingularemque amentiam gentis huius eludēdam) nullius quam Triſmegiſti Mercurij commodius erit vtendum. Multa enim arcanis noſtræ fidei admodum congruentia ſcripſit ille diuinitus: Mundū profectò (ait) continet ęuū, ſiue per neceſsitatē, ſiue prouidētia, vel natura, & ſi quis aliud quidquā cogitat vel cogitauit vnquā: id omne DEVS agit. Actio, Dei poteſtas inſuperabilis, cum qua nec humanam, nec diuinam vllam comparare quis audeat. Et mox. Caue igitur ô Mercuri, ne quid infernorum, ne quid etiā ſupernorum Dei ſimile cenſeas: nam à veritate quidem penitus aberraueris. Nihil quippe ſimile eſt ei, quod diſsimile ſolumque atque vnum eſt. Neque cuipiam putes eandem, quæ Deo, vim adeſſe. Quid enim poſt ipſum tale? Et poſt paulo; Neque enim ocioſus eſt Deus: nam ocioſa forent omnia: cuncta ſiquidem plena ſunt DEO. Et iterum. Agens non vni prẹſens eſt tantum, ſed omnibus. Nec vnum, dumtaxat, verum vniuerſa producit. Sed agamus omnino iam quidem cauſam reliqnam. Quod autem hæc omnia genita ſint ô dulciſsime mi Mercuri, nequaquam nunc opus eſt, vt me diſſerente perdiſcas. Nam corpora ſunt, habentque animam: & mouentur. Hęc autem in vnum congredi abſque congregantis virtute impoſsibile eſt. Oportet igitur aliquem eſſe talem ac penitus vnum. Nam cum multi varijque ſint motus, & diſsimilia corpora: vnus autem ordo velocitatis in omnibus, impoſsibile eſt duos vel plures eſſe factores: neque enim ordo vnus probaretur in multis. Prẹterea, qui inter illos imbecillior eſſet, potentiori nimirum inuideret: ex quo ſeditio quædam exoriretur. Itaque ſi vnus eorum actor mutabilium animalium extitiſſet: cuperet quoque immortalia gignere: quemadmodum genitor immortalium affectaret mortalia gignere. Quin etiam vna exiſtente anima vnaq; materia: ad quem illorum potiſsimum fabricatio pertinet? quod ſi ad vtrumque: ad quem prouincia maior? Sic autem cogita: omne corpus viuens ſeu mortale, ſiue immortale ex materia conſtat & anima. Omnia ſanè viuentia corpora animata ſunt: non viuentia vero nuda penè in omnia. Anima quoque ſimiliter ſecundum ſe ipſam ſuo propinqua parenti: vitæ cauſa eſt. Vitæ autem cauſa eſt quilibet immortalium. Quonam igitur modo mortalia viuentia differunt à mortalibus: itemque ab immortalibus immortalia? eſſe itaque omnium horum ✝ctoris, prẹ cæteris eſt prẹcipuum. Nam

anima

anima vna, vita vna, vnaquoq; materia quis
nam iſte, quis alter præter vnicum Deum?
Num alteri cuipiam quam ſoli Deo conue
nit procreare viuentia? vnus itaque Deus,
mundũ vnum eſt confeſſus: & ſolem vnũ,
vnicam Lunam, Vnamquoque diuinitatẽ.
IPSVM VERO DEVM, VNVM QVIDEM
CREDIMVS ESSE. vnus igitur ſingula fa
cit in multis. Num cenſes arduum quidquã
& laborioſum Deo, vitam, animam, immor
talitatem, mutationemq; efficere? tu enim
tot tantaque potes: vides, audis, odoras, gu-
ſtas, tãgis, loqueris, graderis, ſpiras, intelli-
gis, neq; alter eſt in te qui videt, quive audit
alter. Nec loquitur vnus: graditur alius. Hic
odorat: ille guſtat. Hic ſpirat: intelligit ille.
At vnus hęc omnia pręſtat. Neq; etiam poſ
ſibile eſt, illa ſine Dei natura fieri. Vt enim
qui ceſſat ab ijs non eſt amplius animal: ſic
qui ab illorum conſtructione ceſſaret, mini
me Deus eſſet. Id autẽ ſuſpicari nefarium.
Quòd ſi conceſſum, nihil in rerum natura
conſiſtere, cui non inſit naturalis quidam a-
gendi vigor, ſimulque certi operis executio
quanto magis aſſeuerandum eſt, Deo non
deeſſe poteſtatem omnium & effectuũ. Nã
quicquid ocioſum, imperfectũ, Imperfectũ
dicere Deũ, nefas. Facit igitur omnia Deus.
Nunc mihi id paulului temporis ô Mer-
curi, totus adeſto: ipſe te mihi dedito: opus
Dei confeſtim intelligis. Hoc opus adeſſe
neceſſarium erat: vt eſſent ea quę fiunt: quę
ve fiebant: & quę fient in poſterum. Id autẽ
ô ſuauiſſime mi Mercuri vita eſt, id vero
pulchrum: id autem bonum: id denique
Deus. Sin autẽ pateris vt hęc tibi per exem-
pla operum ante oculos ponam: aduerte
quid tibi accidat generare volenti: non ta-
men illius hoc ſimile. Ille ſiquidem non dif
funditur voluptate, non habet operis adiu-
torem: ſuapte natura efficax, vi propria ope
rans verſatur, in opere ſemper exiſtens ipſe
quodcunque fecerit vnquam. Si à quoquã
influxum ſuum ille ſubtraxerit: deficiente
vita in mortem corruent vniuerſa. Cum
verò viuant omnia: vnaq; ſit vita cunctorũ
Vnus eſt Deus. Rurſus, ſi omnia viuentia
ſunt, & quę in cœlo videntur: & quę iacent
in terra: vna profectò vita cunctorum ma-
nat ex Deo: atq; ipſa & ipſe eſt Deus. Ab vno
fiunt cuncta conditore. Vita vero eſt vnio
mentis & animę: mors autem non perniciés
concretorum: ſed vnionis plurium diſſolu
tio. Atque hæc quidem in Pymandro. Vi-
deamus nunc quid idem dicat in Aſclepio.

Omnia Dei voluntate dependent: & mox,
Voluntas etenim Dei, ipſa ſumma eſt per-
fectio: vt pote cũ voluiſſe & perfeciſſe vno
eodemque temporis puncto compleat, &
poſt paulo. Placita enim Dei neceſsitas ſe-
quitur: voluntatem comitatur effectus. Ne-
q; enim credibile eſt Deo diſpliciturũ eſſe
quod placuit: cum & futurum id: & placitu
rum multo ante ſciuerit. Hęc ille. Quod &
non multo ante (dum Lactantij opinionem
infirmaremus) loco ſuo non inconcinnè
retulimus.

SED haud eſt neceſſe: quid de ſummo re-
rum opifice, gubernatoreq́ue omnium Deo
Mercurius ipſe prodiderit, latius in pręſen-
ti exequi: cum abundè ſit perſpicuum: eru-
ditiſq́ue exploratum: diuinum hoc ſcientię
munus; pręſtabilius quam à cæteris ab illo
fuiſſe peractum. Verum audiamus quid de
Deo ipſo Iamblicus quoq; ſenſerit. Omnia
ex Deo ita ſunt (ait) vt nuſquam vel mini-
ma quęq́ue deſerantur à Deo. Vbiq́ue enim
diuina viget vnitas, per quam res quæque
conſiſtunt: ac perpetuo quodam circulo ad
Deum ipſum, à quo, & in quo ſunt: mirabi-
liter reuoluũtur. Alioqui in nihilum repen-
tè proruerent. Prodeuntiaq; vnitatem quan
dam ipſis impreſſam retinent: diuinæ vnita-
tis imaginem: qua & reuocantur in illam, &
reuocata perficiuntur. Hæc ipſa animas ra-
pit ad vota, quibus vnio cum Deo nobis im
pleatur. Hęc diuinus dicebat Iamblicus. Sed
facio non rectè profectò, qui grandiloqui
tamdiu Platonis obliuiſcar, ſimilia de ſum-
mo Deo locis multis ſanctiſsimè concinen-
tis. Is enim in ea diſſertatione: quam cum
Critone habuiſſe ſcribit Socratem: ſic Socra
tem ipſum perhibet eſſe locutum. Vnum
eſſe rerum omnium inſpectorem Deum, &
poſt aliquantulo, haud itaq́ue prorſus eſt ô
vir optime curandum: quid multi de nobis
autũment, aut loquantur. Sed quid ille, qui
& iuſtos audit & iniuſtos: qui eſt vnus: &
ipſa veritas. Quid? quod in Timęo ab opifi-
ce Deo mundũ dicit eſſe plaſmatum! Quem
ſecutus de vniuerſitate Marcus Cicero, ad
exemplum Dei, mundum dicit eſſe crea-
tum. Sic enim loquitur. Rectè ne igitur vnũ
mũdum dixerimus, an ſint plures, an innu-
merabiles: dictu verius, & melius. Vnus pro
fecto, ſiquidẽ factus eſt ad exemplũ. Quod
enim omnes animantes eos qui ratione in-
telliguntur complectitur, id non poteſt eſſe
cum altero. Rurſus enim alius animans,
qui eum contineat, ſit neceſſe eſt, cuius

 par-

partes ſint animantes ſuperiores. Cœlumque hoc ſimulacrum illius vltimi ſit, non
proximi. Quorum ne quid accideret, atque
vt hic mundus eſſet animanti abſoluto ſimillimus: hoc ipſo, ꝙ ſolus atq; vnus eſſet,
idcirco ſingularem Deus hunc mundum,
atq; vnigenam procreauit. At, plurium aliquando meminit vterq; Deorum. Quid mirum, ſi ij qui non auderet veritatem palam
profari, ad gratiã corruptiſsimi populi, pluritatem Deorum paſsim ſcriptis complecteretur: teſtati locis aliquot à ſe ipſis, hoc ſtultiſsimè fieri? Id quod inſinuauit in prima
Thuſculana. M. Cicero: expreſsit clarius de
natura Deorum lib. 3. & in opere de vniuerſitate, quod eſt totum ex Platonis Timæo
mutuatus, permutans Græca Latinis. Quid
Plato? quem inter plura alia quę ad tyrannũ
ſcripſit Dionyſium, diligens author Cyrenſis Pontifex Theodoritus Gręcarum affectionum lib. 2. ita perhibet eſſe locutũ. Notę autem meminiſſe te puto: quam videlicet epiſtolis illis appono: quas alicuius ponderis ſcribo: & quas nullius. Tu tamen, ea
quę nunc dicam intellige: ac diligenter aduerte. multi enim me rogãt, vt ad te aliquid
ſcribam. Quos haud fas eſt, à me prorſus vacuos repellere. Symbolũ itaq; tibi hoc eſto,
vt illius epiſtolę, quam vt ſerio à me ſcriptã
accipias velim, dictio hęc DEVS: in ſingulari numero ſit principium. Leuioris autẽ epiſtolę, Dij: numero multitudinis. Neſcio an
locupletius vel maius aliquod teſtimoniũ
ſit nobis optandum, quam quod eſt modo
à Platone nobis exhibitum. Ex eo enim
apertiſsimè patet ſuæ gentis vanitatem in
Deorũ multitudine probanda ab homine
fuiſſe deriſam. Iam vero in fine Gorgię quã
multa quã ſanctè tradit? vbi fortiſsimis argumentis probat, multo eſſe melius pati quã
facere iniuriam: quòd ſit rerum omnium
Deus inſpectòr ac vindex. Eſſe ergo debet
perſuaſum, Platonem timore coactum,
Deorum ſępe plurium meminiſſe. Quod in
legum decimo libro arguit profectò maximè. Ibi enim vbi argumentis quibuſdam rationibuſque probauit, diuinam eſſe naturã:
impiorum quorumdam infirmauit è veſtigio rationem, qui iniuſtorum hominum ſecundis collectis ſucceſsibus; & piorum verſa vice euentibus parum lætis, hoc ipſo probare nitebãtur, nulla Deos humanorum curã tangi: noſtraſque res omnes deſpicere atque negligere. Vbi reddita ratione oſtendit
& magna & parua ſemper curare Deos. Sic
enim ait. Non erit forſan difficile demonſtrare, Deos non minus minimarum rerum, quam maximarum curam habere.
Præſertim cum paulo ante dictum fuerit:
eos omni virtute refertos, prouidentiam
omnium ſibi propriam vendicare. Ibi igitur, ne cuncta latius exequar (eſt enim locus in promptu) admodum planum facit:
Deum omnium rerum & authorem & gubernatorem, nihil poſſe rerum ſuarum negligere: ſubdens ad extremum illud. Quin
etiam mortalia cuncta viuentia à Dijs fieri,
poſsiderique quemadmodum Cœlum vniuerſum dicimus. Iam ergo, ſeu parua
hæc, ſiuè magna quis dixerit, Dijs eſſe, nullo modo cum prouidentiſsimi atque optimi ſint: negligẽda ſibi ſua poſſeſsio eſt. Hæc
de legibus Plato. Sed operępretiũ eſt videre
quid de republica decimo, dè Deo ipſe meminerit. Multa enim multis locis tradit diuinitus Plato, vt non immerito ſit inde diuini cognomen adeptus. Dedi quidem vobis (ait) Iuſtum virum videri iniuſtum: iniuſtumq; iuſtum: vos enim petiſtatis. Licet
enim fieri non poſſet, vt iſta homines Deoſque laterent: tamen concedi hoc diſputationis gratia placuit, vt iuſtitia ipſa ad iniuſtitiam comparata iudicaretur. Non recordaris? Glauco. Quid ni recorder? Socra. Poſtquam igitur, indicatę ſunt, ego iterum poſtulo à nobis exponi, quam iuſtitia mercedem à Dijs & hominibus referat: vt & palmam ab opinione, & manifeſta exiſtimatione reportet: qua iuſtitia ſui participes decorat? poſtquam aperte viſa eſt etiam ipſa,
ſui pręſentia beneficia nobis conferre: neq;
eos decipere qui verè eam poſsident. Glau.
Debita poſtulas. Socr. Primum quidem hoc
mihi redditis, quod qualis eorum vterque
ſit: & iuſtus ſcilicet & iniuſtus Deos non latet. Glau. Reddemus. Socr. Si Deos id
non latet: vnus quidẽ à Deo amabitur, alter
odio habebitur: quemadmodum in principio conſenſimus. Glau. Eſt ita. Socr. Deorum autem amico omnia quoad fieri poteſt à Dijs optima tribuuntur: niſi quid mali ex priori delicto ei neceſsitate quadam
immineat. Glau. Omnino. Socr. Sic itaque de iuſto viro exiſtimandum: ſiue in
pauperie, ſeu morbis, ſiue quibus alijs, ex
his quę mala videntur, fuerit conſtitutus:
huic demum vel viuenti vel mortuo ad bonum aliquod iſta conducere. Neque enim
à Dijs vnquam negligitur, quicunque conari voluerit Iuſtus euadere: virtutiſque
officijs,

officijs, quoad homini licet, Deo ſimilis fieri. Glau. Decens eſt, talem virum à ſimili nõ contemni. Socr. De iniuſto autem contra omnino eſt ſentiendum. Glau. Vehemẽter. Socr. Apud Deos igitur iuſto viro hęc dabitur palma. Glau. Sic arbitror. Socr. Apud homines autem non ſic euenit? ſi vera fateri debemus: callidi quidem homines & iniqui perinde faciunt, ac curſores illi, qui ab inferioribus currunt benè, à ſuperioribus minimè. Nam primò celeriter exiliunt, tandem verò riſum reportant: auribus demiſsis, & ſine corona diſcedentes. Veri autem curſores ad finem perueniunt, adeptique premiũ coronantur: viris iuſtis ſimiliter vt plurimũ idem accidit. Nempe in fine cuiuſque actionis conſuetudiniſque & vitæ probãtur: muneraque ab hominibus referũt. Glau. Magnopere. Socr. Suſtinebis ne, vt ego de his, quæ tu de iniuſtis, adducam? Dicam equidẽ iuſti enim cum ad maturam ætatem peruenerint, ciuitatis muneribus pro arbitrio funguntur: matrimonia quibuſcum voluerint & dando & accipiendo viciſsim ineunt, ac ſummatim, quæcũque de illis tu: ego nunc de his aſtirmo, rurſuſque de iniuſtis hominibus aſſero: plærique enim ipſorum quamuis ad tempus ſua vitia celent: tãdem in curriculi calce, quales ſint deprehenduntur: ridiculi prorſus euadunt: & in ſenio miſeri à peregrinis & ciuibus obiurgantur, verberãturq́; eaq́; omnia patiũtur, quę tu aſpera eſſe reuera dicebas. Torquebuntur enim & inurentur. Porrò, quæcumque ipſe commemorabas; audire iterum ex me putato. Sed, vt dicebam, vide an ſis hęc toleraturus? Glau. Perferam equidem, nam decentia loqueris. Socr. Hæc itaque ſunt premia, mercedesq́; & munera: quæ iuſto viro præter ea bona quę ipſa in ſe iuſtitia continet, à Dijs & hominibus tribuũtur. Glau. egregia valde hęc ſunt & ſtabilia. Socr. At enim hæc & numero & magnitudine nihil ſunt: ſi ad ea comparentur, quæ vtrunque defunctum expectant. Sed imponã iam Platonicis dictis modum. Neque enim libet Heri Armenij genere Pãphilij de inferis hiſtoriam ſubtexere: quem ipſe poſt decimum à funere diem ab Orco reducem fingit, damnatorum miro ordine pœnas recenſentem. Adeo, vt à morum corruptela priſtina ſubitò mutatus, veritate rerum cognita, Vergilianum illud rectè poſsit concinere.

Diſcite iuſtitiam moniti: & non temnere Diuos

Et cum Heſiodo veriſsimum illud ſonare;

Quis ius violat?

Stat pœna nocenti poſt obitum.

Quam Platonis hiſtoriã ſub Solei cuiuſdam Aridei perſona fœliciter expreſsit Plutarchus de numinis ſera vindicta differens. Qui ambo de immortalitate animorum, & damnatorum æterno ſupplicio inducunt, quos dixi; loquentes. Quemadmodum & in Scipionis ſomnio Cicero ſomniantẽ Aphricanum, immortalitatem animorum, & beatorum ſedes inclytas atq́; fœlices à Paulo fingit edoctum.

SED QVANDO ex veterum ſacrarijs, quæ honeſta mihi videntur doctrina eſſe referta: & nulla ex parte abſurdè atque inutiliter dicta ſtudioſe hactenus, pro virili mea, excerpſi. Appendam hoc ipſo loco ſanctiſsimum quoddam procemium à legislatore Locrenſium nobili Zaleuco, quondam expreſſum. Cui ſi Deorum vanum nomen erit ademptum, vtilitas magna vitæ poterit ab illo decerpi. Omnes (ait) qui vrbem ac regionem inhabitant, perſuaſos eſſe oportet: exiſtimareq́ue Deos eſſe. Quod manifeſtum fit ex cœli & totius mundi inſpectione, rerumq́ue in ipſis diſpoſitione pulcherrima, & ordine. Haud enim fortuita aut humana huiuſmodi opera putare conuenit. Deinde colendi honorandiq́ue Dij ſunt, vt bonorum omnium nobis authores, quæ aliqua ratione fiunt. Singulos igitur habere, & comparare animam quemq́; ſuam oportet: vt ab omnibus malis pura ſit. Nam ab improbo homine non honoratur Deus. Neq́ue ſumptibus colitur; neq́ue tragœdijs capitur; inſtar hominis mali: ſed virtute ac inſtituto bonorum operum, & iuſtorum. Quo circa opus eſt, vnumquemq́ue pro virili bonum eſſe: tum factis, tum voluntate, qui modò futurus ſit Deo charus. Et non metuere pecuniarum iacturam, magis quam vitæ & famę dedecora: & ciuem meliorem exiſtimare, qui opes amittere maluit, quam honeſtatem & Iuſtitiam. Cæterum, illos quorum voluntas non facile ad hæc perſuaderi poteſt: & animus ad iniuſtitiam pronus eſt, viros & fœminas, ciues, alioſq́ue cohabitatores admonitos velim, meminiſſe Deorũ: vt qui & ſint, & pœnas ab iniuſtis ſumãt. Atq́; ob oculos ponere tempus iſtud, quod vnicuiq́; finis eſt vitę futurum. Morituros enim omnes iniuriarum, quas commiſerunt memores, pœnitentia inuadit, & vehemens cupiditas qua vellent exactam ſibi vitam omnem fuiſſe iuſtam. Quam obrẽ ſin-

gulos oportet, ſemper in ſingulis actionibus illud tempus adeo ſuis cogitationibus familiare facere, ac ſi præſens eſſet. Ita enim maxime honeſti iuſtique cura vigebit. Si quis verò à malo genio quopiam aſsiſtente ſibi ad iniuſtitiam inſtigetur, is ad templa aras, & delubra verſetur fugiẽs iniuſtitiam, ceu dominam impijſsimam, moleſtiſsimam que, & Deos oret, vt opem ad propellendã ipſam ſibi ferant. Accedat quoq; viros ad probitatis nomine claros, vt de vitæ fœlicitate: & malorum hominum vindicta differentes audiens, ab iniuſtis facinoribus animũ auertat. Hæc Zaleucus Locrenſis temporibus ſuis æqui obſeruantiſsimus vnus, vt memoriæ proditum eſt. Quem cum diuino Platone, ſecundo de legibus ſecutus M. Cicero, non ante ad ſtabiliendam legum formulis rempublicam eſt accinctus, quam religione Deorum ipſas mortalium mentes imbuiſſet. Perſuaſum cunctis eſſe debere aſſerens: Dominos ac moderatores rerum omniũ Deos eſſe: qui piorum atq; impiorum habita ratione, mortalium in vtramq; partem facta exactiſsimè diſcutiãt. Rectè ille profectò, ſi modo, quod vnius ſoliuſque Dei munus eſt proprium non ad plures ipſe Deos ſtultiſsimè tranſtuliſſet. Quod eſt valde in homine certè mirandũ, ſi modo, vt dixi, nullo id fecit metu coactus. Diſturbauit enim interdũ, ſuorum ipſe maiorum irridens vanitates, acceptas publicè religiones: & cõmentitios ac turpiſsimè creditos Deos emẽtito è Cœlo diſiecit. Docens interim in libris de legibus, & in primo de Diuinatione: Vnum eſſe ſupremum Deum, cuius Numini cuncta pareant: qui præclara quadam conditione formarit atque effinxerit hominem: vt taceam de vniuerſitate opus quod dixi. Vbi ſemel, iterum, tertio, ſupremum Deum creatorem hominis, & opificem mundi, vnum ſolumq; eſſe fatetur, & dicit.

VNDE ergo ethnicorum de Dijs pluribus tabifica fluxit rabies? Longum eſt, ſi vetera ſunt repetenda, in detegendo errore modò velle occupari: quod tamen non incurioſe ſuſcepit officium Lactantius. Sed nos ſecundo naturalis hiſtoriæ, breuitatis gratia Plinium libro citemus. Hic eſt vetuſtiſsimus (ait) bene meritis referendi gratiam mos, vt tales Numinibus aſcribantur: quippe & omnium aliorum nomina Deorum: & quæ ſupra retuli, Syderum, ex hominum nata ſunt meritis. Iouem quidem ait Mercurium, aliterue alios inter ſe vocari: & eſſe cœleſtem nomenclaturam, quis non interpretatione naturę fateatur? Quid poetam referam Iuuenalem? Qui ſtultam populi cæcitatem in diuinis decernendis honoribus, & vanitatem ſuæ gentis nota ſub Athlantis fabula lepidiſsimè irridet.

Nec turba Deorum.

Talis vt eſt hodie. contentaq; Sydera, paucis

Numinibus, miſerum vrgebant Athlanta minori

Pondere.

Nemo igitur, procul abiecto poeta, cuius eſt authoritas leuior, & fama laudis obſcurior, vel authore Plinio iam dubitauerit, vnde numeroſum illud Deorum effluxerit agmen. Quã in re quanta ſit olim publicè licentia graſſatũ, declarat Senecę Ludus. Vbi prudentiſsimus vir, doctis carminibus ſui temporis acriter obiurgat iniquitatem: dum peſsimos quoſque Romanorum Cæſarum in Diuorum numerum & videt, & dolet referri. Nõ igitur iniuria inter veterũ ethnicorum leges de religione Deorum, quas modò citabo, duas maximè video fuiſſe obſeruatas.

Separatim nemo habeſſit Deos, neue nouos

Diuos: & eos qui Celeſtes ſemper ſunt habiti, colunto:

Et illos, quos in Cœlum merita vocauerunt,

Herculem, Liberum, Æſculapiũ, Caſtorem, Pollucem, Quirinum.

Sed relinquamus ſtulticię atque impietatis ſegetem, Deorum leges ridiculas. Tragiciq; potius Sophoclis de ſummo ac prępotenti Deo audiamus Carmina inclyta. Quæ in libro de ſacrificijs ab authore diligentiſsimo Cyreñ Theodorito, commodiſsimè citantur. Sic enim Sophocles ait.

Vnus profectò ſolus eſt, Vnus eſt Deus

Terram qui fecit & polorum vertices,

Pontiq; fluctus, & ſonora flumina:

Sed nos ſopore cordis mortales vagi

Statuimus hoc ſolatium mentis leue,

Simulacra Diuum è marmore aut ex ære,

Elephantinoue ex ebore, fuluo ve ex auro,

Queîs ſacra, cætusque & coronas affatim

Dantes, putamus ſic pium perſoluere.

Vnde præclarè Lactantius de Dei ira opuſculo, cum pręſtantium philoſophorum & rationibus & ſententijs docuiſſet, quęcunq; facta videmus, ea diuina prouidẽtia regi atque conſtare: capite vndecimo oſtendit: hanc quidem prouidentiam vnius dumtaxat non pluriũ eſſe Deorũ. Itaq; illud tandẽ iure ſubiunxit. Vnus eſt igitur princeps, & origo rerum Deus, quemadmodum in Timęo

meo Plato & ſenſit & docuit. Cuius maieſtatem tantam eſſe declarat: vt nec comprehendi mente, nec lingua exprimi poſsit. Quod cũ intelligeret Simonides, qui Syculi Hieronis tyranni floruit ętate, ſciſcitanti tyranno quid, aut qualis Deus eſſet, quemadmodum de Deorũ natura primo libro memorię prodidit M. Cicero, deliberandi cauſa vnũ ſibi diẽ petijt dari: cumq; idem ex eo poſtridie quęreret, biduũ poſtulauit, & cũ crebra flagitatione fatigatus, ſemper duplicaret numerũ, admiratus tandem Hiero, quęſiſſe de homine dicitur, quid illa ſibi vellet induciarũ prorogatio, ſemperq; in maius adaucta petiti portio tẽporis? Quia quanto diutius conſidero, ait, tanto mihi res videtur obſcurior. Nimirum declarans, maieſtatem ſummi Dei humanis haud poſſe viribus comprehendi, atq; verbis enarrari. Id quod in Aſclepio & in Pimandro Ægyptius ille Hermes, quem ego honoris ergo, atq; adminiculi cauſa authorem ſæpe laudaui, pluribus locis expreſſit: Creatorem omnium Deum, inquiens, nec humano bene poſſe cõcipi ingenio, nec ore explicari.

NON igitur iam putabitur Leue crimẽ, Deorum mentionem facere. Cum authorem rerum omnium Deum, vnum conſtet haberi. Qui non ſolum procreaſſe contentus, vt Pythagoricus ſenſit Ecphantes, vſquequaq; illa moderatur, ac regit: neq; ceſſat vnquam gubernatione ſua neglecta: Nihil enim imperfectum, inchoatumq; relinquit, qui ſumma eſt, atq; abſoluta perfectio, vt ſuaui quõdam Orphęus cecinit cantu. Sicuti in libro, qui de principijs inſcribitur, Theodoritus nobis eſt author: apud quem ita ait Odriſius Orphęus.

Perfectus Deus eſt, qui perficit omnia ſolus:
Ipſe eadem Luſtrans, oculis nec cernere cuiquam
Hunc hominum liceat, tamen idem cuncta tuetur:
Conſpectus nulli, quoniam caliginis atræ
Obſiſtũt nebulæ: & mortalia nubila nobis:
Et pupæ tenues, caro circum atque oſſa reſiſtunt.

Qui paulo poſt, non ſolum prouidẽtiam eius celebrauit in cuncta creata: verum & maieſtatem pariter verendam deſcribit verſibus, inquiens,

Ipſe autem magnum ſupereſt innixus Olimpum
Aurato reſidens ſolio, pedibusque ſub ipſis
Preſſatur telus. Dextram uſque ad Littora tendit
Oceani. montes imis radicibus acti
Contrepidant, nec ferre queunt ea Numina dorſo.
In Cœlo reſidens, imis tamen omnia terris
Perficit: hic caput, hic medium, finisque tuetur.

CVM igitur Deus dumtaxat vnus ſit, perſpicuumq; iam ſit factum: quæ in vita accidunt, mutationes non à Fortuna, ſed Dei numine fieri. Dominus enim pauperem facit, & ditat: Dominus humiliat & ſubleuat, vt ſacre docent literę. Fuitq; etiam ex ethnicis à nobis teſte Flacco monſtratum: ſic enim (ille ait)

. . . Valet ima ſummis
Mutare, & inſignem attenuat Deus
Obſcura promens.

Id quod adnotauit etiã Diuus Aurelius Auguſtinus, ſanctitate morũ maximus, & doctrina vir eximius: is enim quo loco de commodis atq; incõmodis, quę in vita mortalium accidunt, diuinitus multa diſſerit: declarans interim quo pacto, in tam varia multiplicią; rerum Fortuna pro diſciplinarum decretis principia atque effectus habeantur, Aſtrologi, inquit, & hi qui Chaldęi vocantur: omnes morbos & calamitates Syderibus ac cœlo adſcribunt. Philoſophi autem phyſici, & medici, hęc eadem, aliaque ſimilia ad naturæ vires & maieſtatem referunt. Theologi verò vni Deo, eiuſque poteſtati: quam imperare omnibus & regere omnia meritò exiſtimamus. In quo tamen imprudẽtiæ ac mendacij omnes illos coarguit, qui non omnia (vt Crinitus ſcribit) ad vnius Dei poteſtatem, atq; Numen rẽferũt. Et rectè profectò (meo iudicio) Nam, vt demus interim hæc ab ipſo Fato, ſiue aſtro nobis inferi (quod tamen negat Plotinus) is enim in libro qui inſcribitur, Si faciunt Aſtra: planè aſſerit, Aſtrorum poteſtate, vel vi, euenire nihil hominibus. Sed tamen vt concedamus fieri, & Ouidium ſentire vera, cum ait.

Oduram Lacheſim! Quæ tam graue Sydus habenti,
Fila dedit vitæ non breuiora meæ!

Certè hanc tantam Aſtrorum efficiẽntiam, & ceu inſuperabilem vim Deo aſcribere conuenit: qui Aſtra, & ea quidem eiuſmodi vi prædita & fecit, & ordinauit. Ita ad fontem ipſum relabimur, vt nihilominus à Deo fieri cuncta dicamus. Quod de opificio Dei diſſerens vidit acutè Lactantius: Iam vero, ſi procul ablegaro Fato, Fortunę facta hęc aſsignare velimus, q̃ multi non iure fecerunt, profectò neſcio an hanc ipſam Fortunam, Dei volũtatem appellare liceat ſempiternam. Sicq; non abſurdè declarabitur, q̃ in ijs, quę in oratione proſa ſcribit, Ion poëta recenſet. Placet enim Ioui Fortunam atque ſapientiam, res diuerſas: ſimillimarum rerum eſſe effectrices. Vtramque enim

viros augere, ornare, in gloriam euehere: in opes, in imperia. Quid verbis percenſendis omnibus? ipſam omnia nobis edentem, con ferentemque naturam, quidam Fortunam eſſe autumant: quidam ſapientiam. Quod ſi verum eſt (Adſtipulari enim dictis de cohibenda iracundia differens mihi Plutarchus videtur profectò hanc tantã, taleq; ſiue naturã, ſiue ſapientiam, ſiue Fortunã dixeris, nõ male appellaueris Deum, à quo quidem mea ſententia non multum abhorret in Academicis Cicero, cum de natura atq; elementis diſputat. Vbi Deum ipſum, nunc mundi animam: nunc neceſsitatẽ: nunc, quod huic loco quadrat maximè, Fortunam appellat. Ait enim, quam vim animum eſſe dicunt mundi: eãdemq; eſſe mentem, ſapientiamq; perfectam; quem Deum appellant: omnium q; rerum, quæ ſunt ei ſubiectę, quaſi prudẽtiam quandam, procurantem, cœleſtia maximè: deinde in terris ea, quæ pertinent ad homines. Quam interdum neceſsitatem appellant; quia nihil aliter poſsit, atq; ab ea cõſtitutum ſit, intra quaſi fatalem & immutabilem continuationem ordinis ſempiterni. Nonnunquam quidẽ eandẽ fortunã. Quod efficiat multa improuiſa, hæc: nec opinata nobis propter obſcuritatem, ignorationemq; cauſarum. Rectè ſanè M. Cicero, eſtque profectò in vita nihil beatius, quam rerum aſſequi cauſas. Quaſi intellecto fonte vidiſſent: non tam illi paſsim miſerabili laberẽtur errore. Bene ergo dixit Maro Grẹcum ſectatus Heſiodum.

Felix, qui potuit rerum cognoſcere cauſas!

SI IGITVR, quod modo dicere incepimus, Deus eſt vnus. Si quę in vita accidunt cuncta, non à Fato, Sydere, vel Fortuna veniunt: ſed ſummi ac præpotentis Dei omnia diuino Numine fiunt. Si iniqua à pijs facta diſcernit Deus: ſi rationem curamq; noſtri proculdubio ſummam habet: ſi legitimè certantem tandem coronat in fine. Si ſeruitus, ſi paupertas, ſi claudicatio non obſtant, quominus charus Deo homo eſſe dicatur, quemadmodum Gręcis quibuſdam verſiculis (his ipſis malis affectus) gloriari ſolitus dicitur Epictetus. Videlicet quod ſit alia luendorum ſcelerum in homines diuina vindicta. Si acerbiſsimis vitæ caſibus iuſtum hominem premi atq; iactari non eſt cõtra prouidentiam: quia huic demum vel viuenti vel mortuo ad bonum aliquod iſta conducunt, vt eſt ex Platone mõſtratũ: ſumma pro fectò ratione diuino cultui erit, in vita vſquequaque vacandum.

NEC VERO perturbari oportet, ſi tempeſtatis tanquam ſuo aliquo fluctu iactati, boni quandoque fortunis egent, dolore vexẽtur: vel in luctu atq; miſerijs mœſtitia obruti conſeneſcant: cum improbi contra ijs rebus facile circumfluant omnibus, quæ ſuauem atq; iucundam hominis vitam efficiũt. Occultę enim licet ſint cauſę cur iſta fiant: Dei tamen fiunt nutu, indicio cuncta certo, atq; dexterã rectè librante. Quid ergo Chriſoſtomus ait, turbamur? Nemo videns malignos proſperitatem habere, turbetur. Non eſt hic retributio malignitatis neq; virtutis: In C. que god.4. ac, ſi aliquando contingat, vt aliqua ſit retributio, vel malitię vel virtutis: non tamen ſecundum quod dignum eſt: ſed ſimpliciter veluti quidam guſtus iudicij: vt qui reſurrectionem non credunt, talibus doceantur. Quando itaq; videmus malignum diteſcere, non ſubruamur: & quando videmus bonos mala pati, non turbemur. Illic corona, illic ſupplicia. Eſt & alia ratio, quia non poteſt vel malus in omnibus malus eſſe, ſed habet aliqua bona: neq; bonus in omnibus bonus eſſe, ſed habet aliqua peccata. Quando ergo proſperitatem malus habet: malo capitis ſui eſt. Cum enim pro illis pancis bonis retributionem hic accipit: illic iam plenius punietur. Hæc ille. Non igitur inconcinne, adoleſcens ille & candore morum, & ingenij acumine clarus fecit, cum illud ſcripſit.

Deſine mirari: ſigna ſunt certa ruinæ,

Proſpera cum videas tot geminata malis.

At non ruunt aliquando: licet reuera plærumq; accidat (quemadmodum ait Claudianus) vt in altum ſublati lapſu grauiore ruãt. Quid igitur impedit, quominus boni viri in medio incommodorum poſiti fœliciter agant: hanc malorum in rerum proſperitate conſtantiam, in poſſeſſorum tandem exitium conuerſum iri ſcientes? Deſinat igitur Harpalus, qui Diogenis Cynici temporibus prædo fœlix habebatur, teſtimonium dicere contra Deos: quod in illa tandiu Fortuna viueret. Deſinat & hoc ipſo nomine Numinibus ſuis Dionyſius tyrannus illudere. Qui cum expilato Locris Proſerpinę phano Syracuſas nauigaret, & proſperrimè curſum teneret, amicis inſuſurrabat: videtis ne ô amici! quam bona ab immortalibus Dijs nauigatio detur ſacrilegis? Deſinant igitur latrare impij, proſperitatis ſuę tabificum virus iam tandem intelligentes. Licet enim his omnibus (quia falſa colebant Numina) Dijs ſuis

ſuis illudere ceſsit ꝓſperè: veri tamé ſummiq; Dei Númen, maieſtatemq; contemnere, nulli erit vnquam impunè. Quod vel ijs ipſis interdum ceſsit infauſtè, non quia poteſtatem incommodandi commentitij falſiq; Dij vllam prorſus haberent: ſed quia peſsimè haberentur ab illis, qui veros eſſe putabant. Atq; ideo impius ille Sellius profectò faciebat illicitè, de quo ita eſt apud Martialem.

Nullos eſſe Deos: inane cœlum
Affirmat Sellius, probatq́; quod ſe
Factum dum negat hoc, videt beatum.

Hunc igitur impietate gaudentem ipſa rerum affluentia peſtilentiſsimè corrúpebat: neſcientem interim maiori ſe reſeruari ſupplicio. Sed nimirum excutere ſe quemq́ue confeſtim oportet: tot hęc, quę improbis tãdem mala imminent, animo peruidentem. Latet angnis in herba. Semper enim mali infœlices exiſtunt: etiã ſi in ipſo ſecundè fluẽtium rerum curſu, fallacium bonorum aleã nunquam experti, diſcedere è vita contingat. Ecquo enim pacto euadere poſſunt improbi, diuina vbiq; iuſtitia imminente: & quò ſe cunq; verterit, hominem aſſectante? è diuerſo autem vel acerbiſsimo boni genere mortis abſumpti: beati proculdubio ſunt & fœlices vſq; putandi. Vt enim beatus aut miſer contra putere, non quid corpori accidat: ſed quid defuncti animę immineat, penſandum eſt. Quod cum neſciret Ouidius, ineptè nimirum hęc carmina fudit.

Cum rapiant male Fata bonos, ignoſcite faſſo:
Heu! cogor, nullos eſſe putare Deos.

Non enim moleſto aliquo dolore, non morte corporis (quę vel immeritis per iniuriam ab homine ſępe infliguntur) diuini ſupplicij ratio (quæ ceu furijs quibuſdam impiorum mẽtes exagitat) metienda eſt: Quod vel ethnicus Cicero in nobili illa contra. L. Piſonem oratione clariſsimè ſenſit: Sic etenim loquitur. An ego ſi te, & Gabinium cruci ſuffixos viderem, maiore afficerer lætitia ex corporis veſtri laceratione, quam afficior ex infamiæ? nullum eſt ſupplicium putandũ, quo affici caſu aliquo boni viri forteſq; poſſunt. Atq; hoc quidẽ etiam iſti tui dicũt voluptarij Gręci: quos vtinam ita audires, vt erant audiẽdi: nunquam te in tot flagitia ingurgitaſſes. Verum audis in pręſepibus, audis in ſtupris, audis in cibo & vino. Sed dicunt ipſi qui mala dolore, bona voluptate diffiniunt. Sapientem etiam ſi in Phalaridis tauro incluſus, ſuccẽſis ignibus torqueatur: dicturum tamen, ſuaue illud eſſe: ſe ſeque, ne tantulum quidem commoueri. Tantam virtutis enim vim eſſe voluerunt, vt nõ poſſet vnquam vir bonus, non eſſe beatus! Quę eſt igitur pœna? quod ſupplicium? Id mea ſententia, quod accidere nemini poteſt, niſi nocẽti. Suſcepta fraus, impedita & oppreſſa mens, conſcientia, bonorum omnium odiũ: nota iuſti Senatus: amiſsio dignitatis. Nec mihi ille. M. Regulus, quem Carthaginenſes reſectis palpebris illigatum in machina, vigilando necauerunt, ſupplicio videtur affectus. Nec. C. Marius, quem Italia ſeruata ab illo, demerſum in Minturnenſium paludibus, Aphrica deuicta ab eodẽ, expulſum & naufragũ vidit. Fortunę enim iſta tela ſunt nõ culpæ. Suppliciũ autẽ eſt pœna peccati. Neq; vero ego ſi vnquam vobis mala precarer, ꝙ ſæpè feci, in quo Dij immortales meas preces audiuerunt: morbum, aut mortem, aut cruciatum precarer. Thieſtea iſta execratio eſt, poetę; vulgi animos: non ſapientum mouentis. Vt tu naufragio expulſus vſpiam ſaxis fixus aſperis, euiſceratus, latere penderes (vt ait ille) ſaxa ſpargens tabo, ſanie & ſanguine atro. Non ferrem omnino moleſtè, ſi ita accidiſſet: ſed id tamen eſſet humanum. M. Marcellus, qui ter conſul fuit: ſumma virtute, pietate, gloria militari, perijt in mari. Qui tamen ob virtutem, gloriæ laude viuit. In Fortuna quadam eſt illa mors, non pœna putanda. Quæ eſt igitur pœna? quod ſupplicium? quæ ſaxa? quæ cruces? ecce, duos Duces in prouincijs populi Romani habere exercitus, appellari Imperatores: horum alterum ſic fuiſſe infirmatum conſcientia ſcelerum, & fraudum ſuarum: vt ex ea prouincia, quæ fuerit ex omnibus vna maximè triumphalis, nullas ſit ad ſenatum literas mittere auſus: ex qua prouincia modò vir omni dignitate ornatiſsimus. L. Torquatus magnis rebus geſtis me referente abſens Imperator ſit appellatus. Vnde his paucis annis. Cn. Dolabellæ. C. Curionis. M. Luculli iuſtiſsimos triumphos vidimus. Ex ea te Imperatore, nuncius ad Senatum allatus eſt nullus: ab altero allatæ literæ, recitatę, relatum ad Senatum. Dij immortales idne ego optarem? Vt inimicus meus, ea, qua nemo vnquam, ignominia notaretur? vt Senatus is, qui in eam iam benignitatis conſuetudinem venit, vt eos, qui bene rem publicam geſſerint, nouis honoribus afficiat, & numero dierum & genere verborum: huius vnius literis nunciantibus non crederet? Po

ſtulãtibus denegaret? His ego rebus paſcor,
his delector ; his perfruor : quod de vobis
hic ordo opinatur, non ſecus ac de teterri-
mis hoſtibus:quod vos equites Romani, ꝗ
cęteri ordines, ꝗ cuncta ciuitas odit. Quod
nemo bonus,nemo deniq; ciuis eſt, qui mo
dò ſe ciuem eſſe meminerit, qui vos nõ ocu
lis fugiat,aurib' reſpuat , animo aſpernetur,
recordatione deniq; ipſa Conſulatus veſtri
perhorreſcat. Hæc ego ſempet de vobis ex-
petiui:hæc optaui: hęc precatus ſum. Plura
etiam acciderunt quam vellẽ. Nam vt emit-
teretis exercitum nunquam mehercule, op
taui. Illud etiam accidit pręter optatũ meũ,
ſed valde ex voluntate. Mihi enim non ve-
nerat in mentem furorem & inſaniam opta-
re vobis: in quam incidiſtis. Atquî fuit op-
tandum:me tamen fugerat Deorum immor
talium has eſſe in impios & conſceleratos
pœnas certiſsimas conſtitutas. Nolite enim
putare.P.C.vt in ſcœna videtis homines cõ
ſceleratos impulſu Deorum terreri Furia-
rum tędis ardentibus: ſua quemque fraus,
ſuum facinus, ſuum ſcelus, ſua audacia , de
ſanitate ac mente deturbat. Hæ ſunt impio-
rum furiæ:hę flammę:hę faces. Hęc in Piſo-
nem de malorum ſupplicio Cicero. Nunc
quid de eadem re in oratione de Aruſpicũ
reſponſis ſenſerit pariter eſt videndum.Præ
clarè enim & hoc loco circa horum pœnas
verſatur. A Dijs quidem immortalibus,ait,
quę poteſt homini maior eſſe pœna , furore
atque demẽtia? niſi forte in Tragœdijs quos
vulnere ac dolore corporis cruciari ac con-
ſumi vides: grauiores Deorum immortaliũ
iras ſubire quam illos,qui furentes inducũ-
tur,putas. Non ſunt illi eiulatus,& gemitus
Philoctetę tam miſeri (quãquam ſunt acer-
bi)quam illa exultatio Athamantis,& quam
ſomnium matricidarum. Tu cum furiales
in cõcionibus voces mittis: cum domos ci-
uium euertis : cum lapidibus optimos viros
foro pellis : cum ardẽtes faces in vicinorum
tecta iactas:cum ędes ſacras inflammas:cum
ſeruos concitas : cum ſacra ludoſque con-
turbas:cum vxorem ſororemq; non diſcer-
nis:cum quod ineas cubile non ſentis: cum
baccharis:cum furis:tum das eas pœnas,quę
ſunt ſolę hominum ſceleri à Dijs immorta-
libus conſtitutæ. Nam corporis quidem no
ſtri infirmitas multos ſubit caſus per ſe. De-
nique ipſum corpus tenuiſsima ſæpe de cau
ſa conficitur. Deorum tela impiorum men-
tibus figuntur. Quare miſerior es, cum in
omnem fraudẽ raperis oculis : quam ſi om-
nino oculos non haberes. Hæc in acerrimũ
inimicum Publiũ Clodium de Aruſpicum
reſponſis perorans Cicero , facile profecto
in malitia hominum ſupplicio comprimen-
da morem oſtendit Numinis. Apertè do-
cens, impietatum atque ſcelerum homines
improbos diuinis iudicijs pœnas luere:men
tis alienatione , & ad ſuſcipendum facinus
impudentis animi praua atq; effręnata licẽ-
tia . Alios quaſi Furijs quibuſdã exagitatos,
non quidem ardentibus tędis (vt eſt in fabu
lis)ſed angore conſcientiæ : & fraudis cru-
ciatu ceu attonitos cieri.Adeo, vt ne nocte
quidem (ſi forte indulſit cura ſoporem) in-
terquieſcant à malis, morum ſpectra viden-
tes. Non igitur ſuarum direptione rerum:
non ęgrotatione corporis : non iniqui iudi-
cij turpi aliqua oppreſsione:non acceptione
parum meritæ iniuriæ boni viri vita putãda
miſera eſt. Id quod ſecundo de legibus lib.
fratrem alloquens Cicero graphicè nobis ex
preſsit,ait enim. Non enim quinte rectè exi
ſtimamus quæ pœna diuina ſit. Nos opinio-
nibus vulgi rapimur in errore, nec vera cer-
nimus:morte,aut dolore corporis,aut luctu
animi, aut offenſione iudicij hominum mi-
ſerias ponderamus:quę fateor humana eſſe,
& bonis viris accidiſſe. Sceleris eſt pœna tri-
ſtis,& pręter eos euentus,qui ſequũtur: per
ſe ipſa maxima eſt. Vidimus, qui niſi odiſ-
ſent patriam , nunquam nobis inimici fuiſ-
ſent,ardentes , cùm cupiditate : tum metu
tum conſcientia. Quid agerent modò timẽ-
tes:viciſsim contẽnentes religiones: iudicia
pręrupta ab ijſdẽ corrupta hominũ, nõ Deo
rũ.Reprimã me,nec inſequar longius : eòq;
minus quo plus pœnarũ habeo, quam peti-
ui. Quis tam verè, luculentè, politè ac gra-
phicè hæc depicta cum videat , in compeſ-
cenda malitia hominum , morem Numinis
ignorare poſsit , ac ſeueritatem diuinæ vin-
dictæ? Cum pręſertim ſceleratos atque im-
pios homines , ea pœna (quæ reuera ſit ma-
xima)eſſe affectos aſpiciat? Cuius quidem
rei pręclarè ſanè de iniuſtitiæ mulcta diſcep
tans Plato meminit in Thęteto ; ſic enim
ait:Peſsimi homines , qui iniuſtitia & vafri-
cie gaudent : iniuſtitię mulctam ignorant,
quam ignorare minimè decet. Neque enim
eſt, quam forſitan opinantur, verbera & cæ-
des:quæ ſæpe hi patiuntur, qui iniuſtum ni
hil egerunt, & iniuſti ſæpe deuitant : ſed ea
potius quę vitari nõ poteſt. Siquidem,cum
in rerũ ordine ó amice exemplaria duo ſint:
diuinum quidem beatiſsimum , quod verò

Dei

Dei expers, miſerrimum: non videntes ita rem ſe habere: ſtultitia extremaq; dementia occupati, latenter huic quidem ob actiones, ſimiles redduntur illi cōtra diſsimiles. Cuius profectò delicti pœnas pendent, dum vitam illi conuenientem, cui ſimiles effecti ſunt, ducunt. Enim vero ſi dixerimus, quod hos quidem niſi à nequitia ceſſauerint, vita functos locus ille malorum expers non capiet, iſthic autem propriæ vitæ ſimilitudinem gerent ſemper vna cum malis mali verſantes: reſpondebunt aſtuti malitioſique homines deliramenta quędam ſeſe audire. Sed quorſum attinet ex veterum ſacrarijs tot ac tanta altius line ſine repetere? Eſt enim fas rebus imponere modum. Nam de hoc plura diſputare qui cōuenit? Cum illud ſit perſpicuum, quod licet hęc in vita prępoſtero ordine cadant, non tamen in morte effugient vera iudicia: Vbi ſuum cuiq; pro meritis à ſummo & Prępotēti Deo vel aſsignabitur premium, vel ſupplicium irrogabitur.

ATQVI hæc quidem quæ de bonorum & malorum ratione: de Fortuna: de Deo: de diuina prouidentia: de animorum immortalitate: deque ipſorum premio atq; ſupplicio à me hactenus dicta ſunt: & quæ deinceps cuncta colloquio noſtro dicentur, ſanctiſſimę Romanæ eccleſię matris gremio ſubdo atq; ſubmitto, meq; pariter totum, bonum vti decet alumnum; profiteorque, diligēter ac ſedulo ſequi velle me, quę illa dictant: & quę malitia inuenerit, ſtudioſè ſemper eſſe vbiq; refugiturum. Imprudentia enim lōgo varioq; in opere (quod tamen ſit more hominum) ſubrepet fortaſſe mendum, non inſidioſi vel fallacis animi aliqua turpi ratione, quę rectè eſt à prudentibus nomine dicta malitia. NIC. Stupet animus tantarum rerum admiratione Philemon! Ita enim cuncta ſuis vndique numeris à te abſoluta ſūt, dimēſa rectè, & ab omni parte perfecta; nihil vt altius vel excellius humanè humana intuenti, ab homine poſsit optari. Quæ cum intueor animo, ſubit illud ſtatim pietatem vitę, non ſolum ad politè facundeque dicendum: verum etiam ad ſubtiliter atque acriter perſuadendum, neruorum ac roboris habere quam plurimum: vtq; verè trito ſermone dicitur facilia omnia leuiaque efficere. Cuius rei (niſi fallor) illud eſt baſis, quod Numen aſsiſtit pijs. Quid enim aſperū? Quid arduum: Quid denique eſſe poteſt laborioſum atque difficile: vbi fautor adeſt Deus ingenij vires ſuggerens, & acumen mētis ſuppeditans? Crede inquam mihi, qui audit, qui videt vniuerſa Deus, ac nutu ſuo regit & Numine complet: non adeſſe non poterit honeſta ſectanti: ad virtutiſque viam recta nitenti, quod tibi indeſeſſe video ſtudium eſſe propoſitum. Lętatur enim cum pręſidium ſuum ſanctè cernit expoſci: grati animi pietate libentiſsimè ducitur: beneficia ſua videns agnoſci, & illuſtri aliqua gratiarū actione affici, atq; hymnis extolli. Offenditur autem improborum hominum ingratitudine. Atque id ſanè inuidię nullo liuore, nulla iniuriæ cauſa ſuſcipit, ſed vero diuinæ ſuæ Iuſtitię facit officio. Quid enim habes, quod non accepiſti? ſi autem accepiſti: quid gloriaris quaſi non acceperis? Bona animi, bona corporis: agendarumq; rerum inſtrumenta illa notiſsima, & ſubſidia reliqua vitæ (quæ Fortunę vulgo bona vocantur) à Deo nimirū ſunt, cuius arcanas quaſdam ob cauſas diuino nunc mihi, nunc illi eripiuntur, ac Numine dantur. Quid igitur eſt, quod à nobis ſatis ei perſolui poſsit, vnde hæc accepta ſunt? Deus enim veri patris officio functus, corpus hoc noſtrum effinxit: ipſe animam qua ſpiramus infudit: ratione ornauit, intellectu muniuit, & contra aduerſa omnia ingenij ſolertia ſagaci, ac lumine mentis inſtruxit. Quin etiam inſuper, multiplici pectus noſtrum cognitione rerum oblepſit, & ſcientiæ decore inſigniuit. Vnde hoc totum reuera, quod ſumus, grato illi animo acceptum ferendum eſt. Niſi enim nos ille feciſſet, ornaſſet, inſtruxiſſetque; omnino nos quidem planè nihil eſſemus. Quod cum ita ſe habeat, eſt ingrati profectò excellens hoc pręſtantiſsimæ mentis Numen non vbique ſtudioſè colere, ſancteque vereri. Summum enim flagitium eſt, non eum ſemper vitę noſtræ ſapientię diſciplinam, quem & patrem vocat, ac rerum omnium ſummum ac verū eſſe, conſtanter credit opificem. Quid enim eſſe poteſt abſurdius, quam à ſupremi parentis virtute animi inclyta degenerare: ac ſummi conditoris imaginem, quæ in nobis inſculpta atque impreſſa diuinitus eſt, tetra animi cogitatione fœdere, & deplorati mori diſſolutione polluere, delereque tādem vitiorum horrenda voragine abſorptam, & effrenati animi damnoſa licentia ac libidine abſumptam? Quod ſi lex ciuilis ab Ethnico lata legiſlatore, patronatus iura dum equitate retinens, propter vi liberti ſeruitutis nexu priſtino colla conſtringit: non ne contumacis animi ceruices, Deo inſolenter erectas, ſalu-

ſalutari aliquo mancipij nexu vinciri, ac cõprimi par ſit: ne ab authore altoreq; ſuo impurũ pectus, ingrata mẽs, malus animus, perditè ac furibũde deſciſcat? Age verò, an non hac in parte Athenienſiũ inſtitutũ nobile imitari fas ſit? Apud quos (vt Valerius ait) conuictus à patrono libertus ingratus, Iure libertatis exuitur. Superſedeo, inquit, te habere ciuẽ, tanti muneris impiũ æſtimatorẽ: nec adduci poſſũ vt credã vrbi vtilẽ, quẽ domi ſceleſtũ cerno. Abi igitur, & eſto ſeruus: quoniã liber eſſe neſciſti. Haud diſsimiliter ꝓfectò ſũmi ille parẽtis hæreditate atq; nomine exuetur, qui vſura lucis hui⁹ abuſus, ſupremo rerũ omniũ largitori, authoriq; vitę Deo infidus eſſe perget vel obſequẽs eſſe noluerit. Qua ꝓpter valde proculdubio lętor mi Philemõ, pręcęteris rebus diuinę religionis amorẽ, pietatẽq; animi, tibi vni vehementer eſſe cordi. Id ꝙ ex oratione hac tua (quę diuina omnis mihi viſa eſt, ꝓfecto ſatis illuxit. Ex ea ſiquidẽ, vt iam cætera ſileã, perſpicuò conſtitit animorũ noſtrorũ pręſtãtia, ſimul & immortalitas: ſummi ac prępotẽtis Dei natura: & in nos ipſos benigni, vereq; paterni animi liberalitas: prouidentiaq; inſuper illa diuina, qua mirificè cũcta tuetur & cõtinet: patefacto interim lucidiſsimè illorũ miſerrimo errore, qui (quod omniũ opiſex Deus ipſe iure intelligatur) malorum Deum cauſam eſſe turpiter ſunt opinati. Quę, cum ipſe non ſine pręcipuo quodam Olympi fauore vndiq; abſolueris fœliciſsimè: accingere iam obſecro, ad eã, quę reſtant, animo Spemq; bonã cõcipe mi Philemõ, qui enim diuino beneficio humanarũ rerũ imbecillitatem, varietatemq; Fortunæ iam ante pulcherrimè declaraſti: luculentèq; alium nobilitatis fontẽ eſſe dixiſti, quam qui à fortuna vulgo ſtultiſsimè petatur: obibis tu quidem omnia (velis modo) proculdubio generoſè. Quas ob res, quęſo, obteſtorq; te: ac ſi pateris, oro: vt mihi quam primũ explanes, quibus præcipuè rebus nobilitatẽ hominis ſitam eſſe arbitrere. Ac, quo queat pacto parari: quę tam omnium votis expetitur. Bona ne hęc homini ſit, an contra. Nã placere video doctis, ea tantum bona putari, quæ hominem ipſum beant: animumq; eius exornant: Cętera minimè eſſe habenda in bonis. Sed cum diuitias, honores, opes, ſummãq; potentiam, & generis claritatẽ homines ſtudioſè ſemper, ſolicitèq; perquirant, in eiuſcemodi rerum ſedulo aduigilantes ſtudio: quę an bonorum albo ſint adſcribẽdę, multi adhuc dubitant (Aſcititia etenim omnia hęc ſunt, extraq; hominem poſita) opereprętium erit cognoſcere, quid tu item contra, ijs de omnibus eſſe dicendum ſtatuas: qualẽve circa ea exiſtimes boni, ſapientiſq; viri aſſenſionem animi, ac iudicium eſſe debere.

PHILEMON.

Vellem profectò Nicete mi, tantũ animi ſapientia pręſtare, vt quam à me controuerſię petis cauſam, dignè poſſem, rectèq; dicere. Sed difficultatem rei vides: nec te (opinor) fugit: quam mihi ſit curta ſupellex. Quæ licet alioqui eſſet multo amplior, haberet tamẽ ampliſsimũ illa campũ in quo hinc inde rectè poſſet libereq; excurrere. Verum non equidem is ſum, qui onus auſim ſuſcipere. Nam neq; vires ferendo ſunt pares, & vt iam maximè vellem: per tempus id parũ licet. Neq; enim temerè priſci legum latores, extremam diei partem, neceſſariæ tanquam laborum laſsitudini, quieti dicatam, interſtitium litium eſſe voluerunt, maiorũq; cauſarum continere direptionẽ. Ita enim XII. tabularũ antiquo iure accepimus cautum: In quibus ad hũc modum ſcriptũ eſt. SOL occaſus, ſuprema tẽpeſtas eſto. quibus nimirũ verbis illarũ cõditores, prudẽtiſsimi viri ſignificare voluerunt, poſt occaſum Solis cognoſcẽdas cauſas non eſſe, nec iudicandũ: ſed iuditiũ prorſus actutũ dimittẽdum.

NICETES.

Hęc cum Philemon dixiſſet, ſimul & nutu ſignificaſſet, ſe ex diſceptatione rerũ lõga: nõ tam cõceſsi occaſione tẽporis ad diſputandum: quam ſpatij interuallo aliquo ad quieſcẽdũ egere: differẽdi pauſa facta, ſcholam ſubito dimiſimus lege inter nos dicta: vt ſimul ac propinquo Solis aductu gratum terris lumen aurora dediſſet: ad ipſum illico iterũ ego diuerterẽ: Apud quem ambo conueneramus: ne ſuo quis interuẽtu impedire nos poſſet, vel ſermonẽ interrumpere. Quæ mihi nox, eiuſcemodi viri colloquij nimis auido longiſsima viſa eſt. Nihil etenim vnquam ſatis feſtinat amãti. Vbi tandẽ eſt illuceſcere cœptũ, laudato primum rerum omnium opifice (à diuinis nanq; precibus pio prudẽtiq; viro auſpicari diem conuenit) ad Philemonẽ recta pergo: quo viſo, dictaq; inter nos comiter de more ſalute: feſtinationis, credo, meę altè cauſã cõſiderans animo. Arriſit ille mihi: tẽpeſtiuumq; benignè aduentũ gratulatus, tum velut ſe ipſe colligeret, acquieſcẽs aliquantulũ, è veſtigio ſuam eſt ad hunc modum orationem exorſus.

PRIMI LIBRI FINIS.

IACOBI TAPIAE ALDANAE DE TRIPLICI BONO, ET VERA HOMINIS NOBILITATE

Liber Secundus.

INTER varias atq; multiplices Philoſophorum ſectas (fuere nanque multi quondam clariſsimi viri) qui dulcis amore ſapiẽtię, huic ſeſe ſtudijs tradiderunt, vnde & Græco nomine Philoſophi ſunt dicti, vnam pre cæteris & orationis lumine, & maximarum rerum pręſtantia ferunt antecelluiſſe: eculus & ipſius celeberrimum illũ Platonis diſcipulũ Ariſtotelem, principẽ fuiſſe memorię proditum eſt. Cum enim diuinus ille Philoſophiæ parens Socrates, philoſophandi ſtudium, primus, vt conſtat omniũ qui huius nominis gloria potiti ſunt: à rebus occultis, & ab ipſa natura inuolutis: in quibus omnes antea philoſophi miſerè verſabantur, auocaſſet: ad communemq; vitæ rationem traduxiſſet: vt de virtutibus ac vitijs: bonis maliſq; rebus homines diſceptarent, amota procul cœleſtium rerum indagandarum curioſitate: quippe quas maiores eſſe perſpicerent, quã quę humano poſſent ingenio complecti. Qua tamen vir ille tantus modeſtia fuit, hunc perpetuo differendi ſeruauit tenorem, alios vt demum refelleret, nihil ipſe affirmaret: nihil conſtanter aſſereret: nihil ſe ſcire vt diceret. Eoque vno dempto nihil quicquam ab homine percipi poſſe. Eamq; vnam arbitrari ſe cauſam potiſsimum fuiſſe, quod ab illo Deo, cui prę ter cęteros futura perſpicere: latentiſq; animi habitum explorare datum eſt, mortaliũ omnium ſapiẽtiſsimus exiſtimaretur. Hanc enim ſapientiam eſſe omnium multo maximam: vt ne temere arbitrere, te ſcire: quod neſcias. Quæ vbi ſeuerè grauiterq; dicebat, omnis eius oratio in virtutis laude conſumebatur: inq; ad illius amorem hominibus excitandis. Qui vbi primum naturę conceſſit (mortalium nanq; nemo eſt, qui non norit mortem: ac ſibi moriendum eſſe didicerit, atq; incertum an eo ipſo die futurũ ſit) ſapiẽtię ſuæ hæredes plurimos reliquit: quo in numero maximè celebrantur Plato, Cebes ac Xenophon (qui eum quondam audiuerant. Quorum ex libris luciduſsimè compertum eſt, qui Socrates ille vir fuerit: cum nullas ipſe literas ſcripſerit) vt M. Tullius Cicero, Cheroneus Plutarchus: alijq; item multi memoriæ prodiderunt. Plato igitur, qui ex Socraticis auditoribus vnus fuit: cuius vberem, copioſam, lacteam, locupletem, variam pręterea atq; multiplicem orationem eſſe perſpicuum eſt, philoſophiæ formam hęreditario iure ac veluti per manus à magiſtro ſuo Socrate acceptam nominibus duobus, quibus in ipſis vnus atque idem rerum conſenſus inerat, inſtituit. Hinc Academicorum, Peripateticorumque nomen fluxit; qui vnam eamdemq; rem prorſus defendẽtes, nomine tantum diſsidebant: nihil pręterea diſcrepantes. Sed & Platone vita defuncto, cum Speuſippũ ex ſorore nepotẽ, ſcholæ ſucceſſorem hęredemq; reliquiſſet, duoſq; item alios ſapientiæ ſtudio eximios, Calcedemonium Xenocratem, Ariſtotelemq; Stagyritam: qui Ariſtotelem deinde ſecuti ſunt, Peripatetici ſunt dicti, quod inambulantes diſputarent in Lycio: illi autem alteris, qui more rituq; Platonico in Academia, quod gymnaſium alterum erat, differebant: eo ex loco, quo erudiendi docendiq; coibant: vocati Academici ſunt. Qui omnes Platonica contenti vbertate, didaſcaliæ, magiſterijq; formulam, non exilem ieiunam atque eneruem vt antea: ſed floridam, abundantem, ac mirifici cuiuſdam ſuauiſsimiq; fructus affluentia refertam conſectati ſunt:

Socra-

Socratica dubitatione abrogata, difficultateque aſſerendi; claudicare enim ſapientiæ longè omnium pars honoratiſsima videbatur, nihil dum certi conſtituto. Hinc ars profectò eſt diſputandi, quod minimè tùc fuerat Socrati viſum. Hinc rerum ordines, deſcriptioneſq; manarunt.

Hos inter Philoſophos cum de bonorum, malorumq; finibus orta eſſet contentio: varijſq; modis inquirerent, quid nam illud foret, quod vt vltimum bonorum omnium maximè natura expeteret: quid illud contra, quod vt malorum ſummum aſpernaretur atque reijceret (hac enim in quæſtione philoſophiam ipſam verſari neceſſe erat, cuius ſcopus, ſumma & finis, vitæ eſt notio beatæ) quo vno conſtituto in philoſophia conſtituta ſunt omnia: quę profectò res ſi contra ignoretur, magno ſemper errore verſemur oportet, pernicioſè nimis ad veram lucem calligātes, non aliter atque ij, quibus ad optima queq; vitæ munia, veritatis lumē ademptum eſt. Nam ceteris in rebus, ſiue prętermiſſum, ſiue ignoratum eſt quidpiā (vt de bonorum malorumq; finibus. 4. lib. Cicero prudentiſsimè dixit) non plus incōmodi eſt quam quanti queq; earum rerum eſt, in quibus neglectum eſt aliquid. Summum autem bonum ſi ignoretur, viuendi rationem ignorari neceſſe eſt. Ex quo tantus error conſequitur, vt quem in portum ſe recipiant homines, ſcire nō poſsint. Cognitis autem rerum finibus, cum intelligitur quid ſit & bonorum extremum & malorū: inuenta vitę via eſt confirmatioq; omnium officiorum.

Cvm igitur hallucinabundi in re vna omnium ad vitam maximè neceſſaria miſere iactarentur: nec valerent, quod optabant ratione aliqua ſtrenuè atq; firmiter indagare: omnes enim Cymmerijs quibuſdā tenebris turpiſsimę ignorationis ex æquo demerſi atque obruti tenebantur. Neque enim habebant miſeri doctorem aliquē ſapientiæ, atq; ducem veritatis, cuius abſq; pręcipitij fraude aliqua, fideliter, tutoque ſequi veſtigia poſſent, & præcepta imitari. Subitò exortæ ſunt varię philoſophorum cohortes: qui extremum illud atq; vltimum, quod natura maximè expeteret, ac vt ſummum bonorū omnium ſibi aſciſceret, varijs in rebus collocarent: ijſq; quę ſemel placuiſſent, veram ſitam eſſe beatitudinem arbitrarentur. Sententiam quique ſuam mordicus defenſantes. Ita, in ſummo illo bono definiendo (quod eſſe ſimplex atq; vnum debet) tanta illorum varietas fuit, vt tot penè ſententiæ forent, quot homines extiterint. Quarum & ipſarum nonnullæ non ridiculæ tantum ſed & turpes ita fuerunt, vt referre pudor ſit. Quę ſi vera (vt illorum inſaniæ videbatur) eſſent haud ſanè loci quicquam virtuti relinqueretur. Cuius profectò dignitate conſtat, nihil in vita eſſe pręſtantius: nihil homine dignius: nihil magis expetendum. Cum ad germanam illam, diuinamque vitam, quæ pijs omnibus, qui bene, iuſte, ſanctèq; vixerint parata apertaque eſt, nulla ſit ianua certior, nulla paratior via. Quæ igitur hac de re cōmemorari honeſtè non poterunt, philoſophorum placita, fido à nobis in prę ſentia ſilentio contegenda ſunt. Boni enim prudentiſq; viri vt vniuerſam vitam, ſic & orationem vt ſapienter Plato ait, Iuſtitia atq; pudore refertam eſſe conuenit. Igitur Hieronymus Rhodius, qui (vt ſibi viſus eſt) non indoctus eſt philoſophus habitus: ſummum hoc bonum, quod tam illi anxiè ſolicitèq; quęrebant, indolentia metiebatur. Vt de Ariſtippeis, Cyrenaiciſq; philoſophis & Epicureis commemorem nihil, qui, vt mihi quidem videntur, bruta quadam temerariaq; voce, & omnino rationis experte: rē omnium optimam & pręſtantiſsimam, re omnium fœdiſsima atque teterrima obſcurabant: voluptati id ipſum temere aſsignātes. Sententiæ huius omnium perditiſsimę atq; maximè fugiendæ authorem Epicurum, veritatis inuentorem, & quaſi architectum vitæ beatæ flagitioſiſsimè appellantes. Quo tanto nomine vir ad corrumpendas hominum mentes natus, ſecundo apud Ciceronem de finibus libro à Torquato nuncupatur: quo honore nemo fuit vnquam indignior, nemo alienior. Cuius ea morum improbitas & vitæ impudentia fuit, vt voluptate vna de vita ſublata, intelligere ſe omnino negaret quid eſſet bonum dicendum: Voluptate atque dolore bonorum malorūque fines vbiq; finiens atq; dimetiens. Virtutis nihil omnino curans, huiuſq; eſſe ſatellites declarans. Quæ ſi tamen & ipſę amore dignæ ſunt, eſſe propterea dicebat amandas: quòd voluptatum eſſent certiſsimę effectrices. Perinde quaſi momenta rerum exactè ponderanti, propter voluptatem bonum, non hæc propter illud (ſi qua tamen honeſta voluptas eſt) expetenda ſit.

Sed quid non diceret homo vehementer ſtultus, quem ſuo ſe ore ſapientem appel-

pellare, profiteriq; non puduit? Quod mihi ſummæ eſſe videtur inſcitię. Nullũ enim cũ impudentia ſapientia animi, quæ vera ſit, cõmercium habere poteſt. Nec minus eius, qui ſe hoc nomine cenſeri vult, quam temperata vita, eſſe omnis debet oratio modeſta. Atqui, ante hunc ipſum tanta neminem arrogantia vel amẽtia legimus præditũ fuiſſe, vt ſe ipſe ſapientem prædicare auſus ſit. Nã ſeptẽ illos, quos Græcię quõdã floruiſſe ferunt, nõ ſuo ſed gentium omnium populorumque ſuffragio, nomine hoc honeſtatos fuiſſe accepimus. Quocirca ſegreganda procul vęſana huius hominis opinio eſt, nõ ſolum vt recta ſequi, ſed vt frugaliter etiam loqui liceat. Quibus à virtutibus; qui tam iniqua profitentur (ſi conſentanei ſibi eſſe volent) nec naturę interdum bonitate vincantur, magna eſt enim naturæ vis: ſint alieni neceſſe eſt. Quî enim aſpirare ad virtutẽ poterit, qui rem plane contrariam perinde ac bonorum maximum accuratè ſectatur: ſtudioſè ſolicitèq; perquirit, & in ea totus omnino verſatur? Quaſi verò voluptas ea, cuius quadam veluti titillatione ſenſus dulciter, iucundeque mouentur, hæc enim vna eſt in qua ſeriò triumphat Ariſtippus: aut nihil ſentire doloris, quod eſt indolentiæ proprium, ad bene beateque viuendum ſatis ſit? neutra enim partium harum fœlicitatis hominum verè ſcopum attingit. Sed ne ocioſæ curioſitatis videatur eſſe, omnes omnium opiniones velle rimari: cum id eloquentiæ Romanæ princeps. M. Cicero, de bonorum malorumque finibus libris quinque accuratè atque eleganter editis, diligẽtiſsimè ſit atque optimè perſecutus: tres tantum quorundam hominum, bonorum fines apponam: qui honeſtatis eſſe videtur expertes. Ariſtippi vnum Epicureorumq; omnium: alterum Rhodij illius cuius memini paulo ante: Carneadis tertium. Etenim hic principijs naturalibus poſſe frui, bonorum duxit vltimum: ille voluptatem: vacuitatem doloris Hieronymus Rhodius. Nam de Caliphone atque Diodoro dicere nihil attinet: qui cum virtutem eſſe crederent beatæ vitæ effectricem, vacuitatem doloris hic illi addidit, alter voluptatem appẽdit: horum veluti auxilijs atque pręſidijs deſtitutam virtutem parum in ſe ſe habere roboris rati, ac modo quodam mancam eſſe. Herylus præterea ſuam & ipſe ſententiam ſecutus ſummum bonũ in ſcientia poſuit, qui profectò licet optimum quiddam viderit, mirum tamen eſt, quantum illum boni ſumma feſellerit. Neque enim id eiuſmodi eſt, vt in eo beata vita repoſita ſit.

VETVS igitur cum Stoicis Academia reſtat, quorũ animi in ſummo bono definiendo, non tam hercle pernicioſo errore mihi videntur vagari. Atqui; Academiæ veteri (conſtat namq; eam ſcholam & Academicorum & Peripateticorum quondam fuiſſe communem, ac non vnó nomine idem tamen ſenſiſſe) illud vſquequaque placuit, vt bonorum finem, ſecundum naturam viuere, dicerent: id eſt, vt interpretabantur ipſi, virtute adhibita, primis frui à natura datis. Quę tamẽ virtus iſta, quę adhibenda ſit, eſſe debeat ex definitione conſtabit. Quoniam autem ſecundum Philoſophorũ placita virtutis definitio non ſemper vna eſt; neque enim vſquequaq; vnó eodemq; pacto virtus noſtri animi conſiderari ſolet, quæ pręſenti loco conuenire maximè videtur, duas tantum in medium adducam: Virtus, ſecundo de Inuẽtione rhetorica libro ait Cicero, eſt habitus animi naturæ modo & rationi conſentaneus. Quo intellecto, quid amet, quidve reſpuat natura hominis, quę opinione aliqua tetra corrupta, ac deprauata nõ ſit, cogitandum eſt. Deinde Theagis Pythagorici, viri in omni ſapientia diuini (vt veterum annales perhibent) de virtute definitio erit in promptu habenda, vt in vſura eorum quæ à natura homini data primitus ſunt, vitio aliquo infici nequeat. Sic autem ille ait, Virtus in vniuerſum irrationalium animi partium congruentia quædam eſt, ad eam quæ rationis eſt particeps. Hæc igitur eo pertinent, vt ex præſcripto naturę viuenti, vltimi ſumma boni expedita ac peruia ſit. Quam nimirum tranquillitatem animi adipiſci cupientes (omnis enim quies, pax, tranquillitas, mentiſque ſecuritas in extremi adeptione boni poſita eſt) ſedulo conſectatur. Cætera; quæ expetenda, & bona cenſeri vulgò ſolent, vſque eò non faſtidientes vt ne bonorum quidem albo eximerent. Id verò Stoicis ipſis perſuaderi nũquã potuit; Quamuis enim in hac congruentia naturæ cum Academicorũ & Peripateticorũ ſchola illis valde conueniat; negant tamen corporis hæc & Fortunæ externa ſubſidia in bonorum numero eſſe habenda, & in eo acriter pugnant. Tantam enim virtutis vim eſſe perhibent, vt ad benè beatèq; viuendũ ſe ipſa planè contenta ſit. Atque ideo virtute ſola animi beatam vitam & contineri &

ex-

expleri poſſe externo alio nullo adminiculo adhibito, vel comparato præſidio, facile arbitrantur. Hoc diſſenſionis caput, hæc contentionis origo: & controuerſiæ illorum procul dubio, hic omnis eſt fons.

SED QVAE ſit illa conuenientia naturæ: quæ vè primitus à natura datorum appoſite facta fruitio, certamen anceps eſt, iudicium varium, lis vehemens, controuerſia ingens, atque adeo fuſa nimis magna contentio. Poſtquam igitur acriter eſt infœlici Marte pugnatum: multi turpiter à pugna diſcedunt parum cognita veritate. Quidam enim paulo altius cauſas repetentes diſsidij: ſummi huius, naturaliſque boni rationem ex ipſis vſq; primigenijs: quę τὰ κατὰ φύσιν πρῶτα Græci nuncupant, petendam eſſe deliberant. Alij hoc totum vendicant ab effectibus: quibus nõ aliter atque ij, qui armati in acie decertant, ad aliquid agẽdum inſtructi, prodimus in publicum. Quibus quidem de rebus ſi ad plenum foret in præſentia differẽdum, nullum eſſet oratio habitura modũ. Neq; enim eum mihi ſeruare ſunt viſi, qui diſceptationis fibrulas vberius amplexi: rei huius, qua de agimus, difficultatem diffuſius paulò explicare ſũt orſi. Cuius nos profectò vitij, ſtrictim loco hoc de cauſa aliquid prælibantes, occaſionem debemus effugere. Sũt nanq; prima illa (vt opinio mea fert) ſeminaria actionum, affęctus: qui ad incolumitatem hominis, communem tutelã omnium, defenſionemq́ue naturæ, à ſupremo rerũ opifice nobis ſunt vtiliter ingenerati: quo promptius & alacrius, ac ceu maiori vi quadã roborata mens, impedimento omni pauoris vel deſidię procul expulſo: quæ ſalutaria ſunt animo vel amica corpori, vel conſentanea vtriq;, ſedulo conſectaretur, & ſtudij auiditate ardentiori, quæ cõtraria eſſe atq́ue noxia viderentur, declinaret atq́ue refugeret. Appetitionis declinationiſq́ue habenas ex naturali præſcripto, modò tempeſtiuè premens: officioſè modò relaxans. In quorum quidem moderatione, ductum impulſumq́ue naturæ, dexterè atq́ue alacriter vbiq́ue ſuſcipientes, ſtudioſeq́ue obeuntes: periti inſtar aurigæ cõuenit vſq́uequaq́ue verſari: ne impetu ipſorum aliquo turbatiori, temere agamur in pręceps. In conformatione igitur huiuſcemodi rationis arte tota nos quidem vti debemus. In omni actionis functione inclytã illam iuſtitiam animi (quæ in nobilium ignobiliumq́ue partium ipſius natiuo & ſalutari vinculo poſita eſt) quo naturalis quadam imperij lege conſtricta, ad præſtantiorum nutum parere & obſequi deteriora iubentur; exactiſsimè vigilantiſsimèq́ue ſine cunctatione obſeruantes. Quia verò noſtri affectus, non tam ab exceſſu, quam ex cauſa ſæpe culpantur: diligenter vſq́ue danda opera eſt, adhibendaq́ue ſedula cautio, vt rationis ſemper dignitate ſalua, incolumis ſit cauſarum ipſe delectus. Quæ obſeruatio illuc pertinet, ne temperatio ipſa officioſa parum, intempeſtiua & languida, aliquave ex parte iners, aut nimis ex diuerſo feruens alacritate quadam præcipiti extitiſſe videatur. Ductui imperioq́ue naturę, quoad eius fieri poſsit, reiq; natura feret, legitimo partium animi obſeruato rithmo, vigilanter & induſtriè ſemper obſecundantes.

QVO IN VNO, haud rarò peccatur à multis; qui laudabile hoc naturæ præſcriptum ſanctionemq́ue ſecuti, in commotione affectuum veſtigio comprimenda, & efferueſcentis animi primo regẽdo impetu, rigidas quaſdam opinionis ſuæ leges prætexentes loco non ſuo: affectus omnem exceſſum non poſſe culpa vacare ſtultiſsimè contendunt. Cum ad arguendam facti culpam nõ tam attendendus ſit ille: quam legitimè ſecus vè in affectus erumpendi, cauſa ipſa ſpectanda: quæ culpabilem nunc, nunc laudabilem conſtituit ipſum affectum: ſit licet ipſorum commotio ex naturæ imperio hauſta. Neceſſe eſt enim ad ſimulacra rerum quæ ſubiectæ oculis: vel inſculptæ, ſunt animo, variè hominem affici: atque inde imagine ipſarum obtutu mentis diutiuſculè comprehenſa; regulam ſumi affectionis contrariæ, obuerſariæq́ue actionis. Nam omnino non commoueri ſpectaculo rerum tali, ſupra hominem eſt: conditioniq́ue noſtræ proculdubio denegatum. Neque enim à ſcopulis ſumus orti, vt gaudij atq; lętitiæ, mœſtitiæ atque doloris, in ijs quæ læta nobis vel acerba contigerunt, vel fortè poſſe putamus accidere, ſenſu nullo animi moueamur: & quæ in partem vtramq́ue flecti ex cauſa nouit, naturæ humanæ documenta nulla demus. Vt enim ἀναλγησία illa Græcorum (quæ à nobis indolentia dicta eſt) nõ perinde probatur ab omnibus: ſic nimirum membrorũ ille ſtupor inſenſilis Graio nomine dictus ἀπάθεια, doctorum hominũ iudicio multo minus probari ſolet. Quæ ſicet vitæ hominum rarò accidant: ſi quando tamen vſu veniunt, reuera nihil habent cõ-

mune

mune cum laude. Non igitur Cæſariani militis, cuius loco quodam Gellius meminit, ſtupidam immanitatem ſæua inter vulnera, vitionesque ridentis: ſed ad honeſtatis atque Iuſtitię Amuſsim tolerandi doloris rationem doctè examinantis, prȩſtantiſsimi Ducis Caij Marij ſolertiam animi conuenit imitari: qui ad ſectionem varicum crus alterum poſcenti medico (cum iam ex altero varices ſibi extrahi mira animi patientia pertuliſſet) porrigere noluit. Negauit enim deformitatem varicum tanti eſſe, vt cum magnitudine doloris dignè compenſari poſſet. Rectè ſane. Venuſtatis enim, non ęquitatis atque Iuſtitiæ cauſa, cum dolore ſibi fuerat lucta illa ſuſcepta: quo minus ignominiæ abſque timore aliquo, ab officio boni viri ſibi eſſet diſcedere integrum. Laudari igitur Caius Marius non obiurgari debuit, ſi honoris ac laudis nulla ſecuta iactura, in deformitate varicum negligenda, acerbitate perſpecta doloris incolumitati ſuæ potius, quam hominum oculis ſeruire maluit. Cum prȩſertim id cuique noſtrum tacitè prȩſcribat ipſa natura, quæ ab omni metu periculi, ictu atque iniectu doloris, niſi iuſtior aliqua cauſa ſit perpeſſi, vehementer abhorret. Atque ideo, quæ premunt illa ſentire tandem conuenit, & doloris aliquo ſenſu moueri. Quod ille ſenſit pulchrè, qui de diſſoluto filio ſalutare illud protulit.

Dummodo doleat aliquid: doleat quodlibet.

Merito igitur indolentia, vacuitaſque doloris, atque ipſa ſenſus priuatio non ab Academicis ſolum, ſed etiam ab Stoicorum longè doctiſsimo viro Panętio improbantur. Affectus ergo non ſemper extirpare radicitus, penituſque euellere (quod violentum nimis eſt) inimicumq; naturę, ſed ad ęquilibrium etiam interdum vi nos alio adigente naturæ velle redigere, Symmetriamq; vbique ſeruare, grauitate id cauſæ parum patiente, difficile ſanè eſt interdum etiam inutile, minimeque adeò ex virtutis officio. Nam tyranni ob minas hęretici, & verbera ſęua carnificum, CHRISTI Optimi Maximi abnegata fide impiè: ignominia irrogata parenti, ſtupro illato filię & patria hoſti prodita vehementer dolere (incandeſcentię quia iuſta atque honeſta cauſa ſuit) nil habet ea res commune cum probro. Imo potius ſanctus ille iuſti doloris exceſſus, in egregia aliqua eſt laudis parte ponendus. Timor ſanctus, rectus dolor, iuſta ira, legitimum gaudium, honeſta voluptas, etiam cum videtur excedere, terminos tamen haud dubiè ſeruant ſuos. Dum enim honeſtati iuſtitięq; ſeruiunt, quam nobis tacitè legem ſanxit natura ad iuſtitiam enim atque honeſtatem naſcimur omnes, naturæ vbique concinunt modis: nec que ſemel optarunt, virtutum amata gynęcea linquunt. Atque ideo pretextu aliquo exceſſus reprehendi non debent, quæ remota procul ab omni vitio: ſuapte natura ſunt pulchra, honeſta, laudabilia, expetenda. An fuit vnquam aliquis tam agreſtis moribus, ab humanitate alienus, & humanarum rerum ignarus, qui ſancta martyrum perſpecta animi vel audita conſtantia in diuinæ religionis & Chriſtianę fidei officio animoſè atque ſtrenuè tuendo, non aliquo ſubito miſericordiæ fomite tactus, doloris indices lachrymas fuderit, & inter pios fletus incredibili quodam voluptatis gaudio ac lętitia mentis exceſſerit? Maximè cum perſpiceret breuiculę ſupplicio mortis, quanta manerent inexhauſtę ac veræ atque etiam ſolidę, prȩmia voluptatis. Hęc igitur tam eximia, certa fide animi fieri cum perſpiciat immortalitatis auida rectaque mens viri, dulcedine ſuauitatis, qua tota intus afficitur, quid ni prȩ gaudio exiliat? Cœleſtis dum aulę ciuis, cohæres CHRISTI, immortalitatis particeps, breui propter Deum ęquo animo corporis ſuperato labore, homo mortalis efficitur. An non res tanta, inſigni aliqua ſignificatione lętitiæ, exquiſita & rara: externaque etiam geſticulatione gaudij celebrari atque exprimi debet? Sed reuertamur ad patrię exempla proditę. Eſt ne tam immiti & inhumano animo quiſquam, quin in antiquũ viſtorem reſtituta patria, & ex ſæuiſsimi aliquo iugo tyranni in priſtinam libertatem aſſerta, communis cauſa boni in indicia aliqua voluptatis exultatione mentis erumpat? Cum prȩſertim ſpectacula talia cupienti, iamiamque cernenti animo, vel profuſum ſit gaudium honeſtum. Iam verò, ne pecces timere nimis, quis exiſtimet cuiquam eſſe criminoſum? aut in ſceleratorum mores perditos valde iraſci dicat illicitum? Maxime, cum licentiæ frena inijci in commune fit vtile: & morum ſanctam diſciplinam incorruptam, illibatamque prȩſtari rei publicæ neruos contineat; & huic vni ſtudio, prouincięque incumbere, prefecti ſit munus vel maximè vigilantis: ſeueriora que imperia nequeant ſine aliqua iræ acerbitate conſtare.

SECUNSMIRUM quę ab exceſſu culpari poſ-

ſent : ex cauſa interdum multa ſanctiſsimè fiunt:& quæ ocioſè alioqui extraq; modum vagari fronte prima videbantur, in primis efficiuntur honeſta. Nam quæ illa calumnia eſt, Iuſtum eſſe nimis, vt Ariſtidem perhibent: aut bonum valde, vt de Epheſio iactant Hermodoro? qui ambo ingratæ patriæ temeritate admodum: ſedulo cultæ virtutis miſerabiles pœnas dederunt. Neque verò Stoicorum nobis ratio placet, qui ſapientem illum ſuum omni prorſus ſpoliant affectu, immobilemque conſtituunt: parum id patiente natura, ad obiectamque ſibi vim reclamatione dolente. Non enim in fugam agi ſenſus, ablegari vel licet à corpore: infixi enim ſunt, altiuſque inhęrent quam vt facile poſsint euelli. Etenim, vt iam bene diſsimules, aliquo tamen etiam cum minimè putes, celatus animi dolor erumpet. Nam iſtud nihil dolere (vt Solenſis Crantor ait) non ſine magna mercede contingit: immanitatis in animo, ſtuporis in corpore. Cæterum ad ſerenitatem pectoris, tranquillitatemque animi parandam, qua in ipſa ſummum bonum eſſe repoſitum, ne pręſcripta ſibi munera affectus excedant, diligenter eſt videndum. Efferueſcente enim perturbatione animo: nulla eſſe mentis tranquillitas poteſt. Qui nimirum diligentia tali cohibiti, vbi ordine ſuo, legitimeque procedant, tunc principijs naturalibus frui homini facile dabitur: vltimumque illud & extremum bonorum aſſequi, quod in ipſorum fruitione ſolerti, moderataque vſura arbitrantur eſſe repoſitum. Vt ſit iam profecto aliud nihil conuenienter naturæ viuere, vel naturam ſequi ducem, quę ſi non corrupta eſt, virtutis expetens eſt, & honeſtatis valde diligens, quam accuratè animi abiecto procul omni, abdicatoq; tumultu: legitimæ & naturalis appetentiæ circunſcriptis prouidè, cuſtoditiſque limitibus: ad ſummi adeptionem boni (ipſius partium animi legitimum per concentum, germanamq; harmoniam) ſtudioſè vndiq; niti. Qui nimirum tam eximius vitę fœlicis ſtatus, turbulentia commotionis affectuum diligentia ac vigilantia tali in fugam longe acta, proculque expulſa, partus cum ſemel eſt, pacata cuncta tranquillaque cernens, ſecura ceu homine iam ſede locato, lętitia animi ſuperinfuſa, iucunda in pace quieſcit. Quam quidem ad rem in Phædone pulchrè exhortaretur cum nos Plato, ſapientis verba viri, quidam falſo intelligentes, lumine mentis orbati, fœliciori ſpe vitę, ſceleratè atq; impiè nefarias ſibi temere

manus intulerunt. Sic ex muro pręcipitem ſe Athenis dedit Cleombrotus, nil ſibi vnquam aduerſi cum accidiſſet. Sic ſuarum ruina partium, & Cęſaris perſpecta victoria Vticæ ſibi necem conſciuit Cato: ſic in ardentis flammæ conſtructam pyram ex gymnoſophiſtis vnus Indus ſe iniecit Calanus: ſic & animi furore non diſsimili Agrigentinus Empedocles, vt ait poëta.

Ardentem feruidus Ethnam. . . inſiluit,

Non enim id facinus philoſophorum princeps Plato ſuadere homini conabatur: ſed ad beatitudinem aſpiranti pręcipiebat, perturbationes mentis omnes neceſſario eſſe fugiendas: & tanquam in humano prius per Iuſtitiã temperantiamque animi affectionibus cũctis noxijs corpore conſopitis, illi eſſe moriendũ, qui ad immortalis fœlicitatem vitæ, Cœleſtis chori particeps factus, peruenire vellet. Quod eſt profecto veriſsimum, niſi enim perturbationum moleſta hac atque improba fęce emuncta, ac defęcata prius hominis rite ut mens fœlicitatis huius compos effici nulli dabitur. Cui ſententiæ eſt etiam eiuſdem illud affine. Qui rectè philoſophantur, mori meditantur. Quo ille tam inſigni elogio ſentire vult, ſalutari hac comprimendarum commotionum exercitatione: eorum inſtar, qui ad ea quę ſuapte natura formidoloſa atque aſpera ſunt, pręparati iam meditatique accedunt, (quibus accidere ſolet: vt faciliora ac leuiora longè cuncta videantur) conſuetudine ac familiaritate virtutum, ex ſtudij aſſuetudine tali memoriam mortis, leuiorem nobis ac mitiorem eſſe reddendam. Non enim pertimeſcere valde mortem poterit, qui ad hunc animo modum affectus: ad meliorem ſe vitam per huiꝰ diceſſum proficiſci, iam ante ſibi haud dubiè perſuaſerit. Sed ne plura longius exequar: Stoicorum circa naturalis ſummique boni adeptionem, affectuum hæc propemodum deſcriptio & regula eſt, veteris Academiæ parum diſsidente ſchola, aut multi[illegible] maiorum ſententia repugnante. Cum vero Academia vetus partibus ex quibus conſtaret homo diligenter inſpectis, quę conſentanea animo & vtilia ſunt corpori, quęque vtrinque eius firmius naturam continent: & alendo homini adminicula prębent, ſtatumque verum ipſius, externę impetu calamitatis exemptum, vi tuetur ab omni, tãquam hominis naturæ idonea atque apta maxime, ad fœlicem beatamque vitam eſſe illi diceret neceſſaria: atque ideo corporis atque externa ſubſidia, fœlicitatis huiuſcemodi ſtatum amanti: modis omnibus eſſe

quę-

quærenda præciperet vt in columis eius vndique foret habitus, ſarta & tecta natura; quo ad eius fieri poſſet indigentiæ nulli ſubiecta.

STOICI CONTRA pugnant, quorum princeps Zeno in ea eſt opinione, vt vitæ beatæ rationem decoro atque honeſtate exiſtimet contineri, atque vna hac re tantum penitus abſolui. Cætera quæ extra hominem poſita, vel illius adhærentia corpori, in bonorum numero ab Academia ſunt habita: nec appellari pacto aliquo bona debere: beatitudinemque ipſam parum penitus, aut certè nihil poſſe iuuare. Bene tamen pati ſe, quòd congruentia hominis naturæ videatur, præpoſita poſſe vel producta vocari. Huius itaq; diſcipuli, cum congruenter, conuenienterq; naturæ viuere ſummum eſſe bonum dicerent (q́ eſt illis cũ Academia priſca commune) circa corporis & externa bona ſententia anxiè obſeruata magiſtri, virtute atq; honeſtate beatam vitam credebant expleri contraq; turpitudine ac vitio, miſerã maximè infœlicemq; effici. Cuius tantam eſſe excellentiam dignitatem atq; præſtãtiam: vt quicquid præter id, expetendum, bonis ve in rebus habendum homines duxiſſent honeſtum illud, quaſi virtutis lumen arbitrarētur extingui, & virtutẽ ipſam penitus euerti. Ita factum eſt, vt qui in vltimi boni notione tradenda ſentiebant pene idem, vana quadam varietate nominis ſecum ipſi diſsidere, pugnare ac diſſentire orſi ſint. Nam, quæ Peripatetici bona clara voce appellant: hi nunc ſumenda, modo producta, alias præpoſita vocant: quæ illi mala, ipſi reiecta nuncupant: cumque re ſentiant idem, nomine ruſticè temereque decertant. Etenim quæ mala ſunt, eadem inter reiecta eſſe quis non ſentiat? quæ autem bona, eadem & ſumenda eſſe quis non videat? Quorſum igitur præſtigiæ iſtæ ac portenta verborum, ad pallianda obſcurandaq; ea, ad quorũ adſumptionem vel reiectionem, non ſolum ingenuæ profeſsione animi, quod in cauſa tali cordati munus eſt viri, ſed vi etiam ac poteſtate naturæ conſtringi verè te, illaqueariq; ſentias? An vt ſepiæ atramento diffuſo, piſcatoris ſæpe manus periculoſas euadunt: ſic & nominũ commento tali, ignorantiæ ſtruas latebras, vel fraudis quæras effugium? Atqui, nullus eſt profectò impoſturæ locus cõtra rationis vim manifeſtam, imperiumque naturæ. Nam, cũ honeſti ac turpis diſcrimine de medio ſublato, inter res cunctas intereſſe omnino neges quicquam: quis tibi ſanus hoc dabit, vt eorum, quorum te authore differentia ſit nulla, nullus delectus, nullum diſcrimen habendũ. aſciſcenda quædam atq; amplexanda: quædã vero omittenda, reiectanda & fugienda eſſe impunè dictites? Quis ne vnquam recto animi ſeruato, in ſanitateque poſitus, bona, vtilia ac ſalutaria deuitauit, concupiuit, aſciuitq; noxia? Nam & Horatianus ille, qui illud abſurde protulit.

Quæ nocitura ſequar: fugiam quæ profore credam.

Quamuis animi perturbatione inſigni aliqua motus, hęc dicta protulerit, intelligebat tamen, præter communem hominum morem, votumque naturæ: quæ ſtudioſè alij mala refugerent, ſe ſibi execratione temere, male cupiendo imprecari. Neque enim eiuſcemodi in rebus veritatem amanti obſcurum eſt cognoſcere, quò nos vocet, alliciatque natura: vnde contra nos auocet, ſubducat ac retrahat. Dolorem, exilium, damna, metus, diſcrimina, mortem, idque genus alia, quæ anxietatis atq; moleſtiæ perturbatione quadam mens hominis ſolet excipere, nimirum ſemper horreſcit. Vnde periculo tali perfuncta, votiq; ſui compos facta: naturali tãquam lætitia geſtiens, ſemper exhilareſcit. Ac re vera (prout harum rerum affectum induit) mortalis hęc noſtra & humana conditio, ita contrahi animo: vel dilatari conſueuit. Quæ res argumento eſt, quam, ſuorum procuratrix commodorũ, officioſa ſit ipſa natura ſibi: quã diligenter ac ſedulo, quæ habitum, ſtatumq; ipſius lędere ac corrumpere poſſunt, declinet, fugiat, atq; caueat. Rectè igitur. 4. de bonorũ malorumq; finibus libro. M. C. Zenonis leuitatem animi, ſtultitiamq; irridet, idq; cum M. Catone, qui Stoicas diſciplinas pugnaciſsimè loco omni ſemper eſt conatus defendere. Sic enim ait. Audi adhuc reliqua: & riſum cõtine: ſi potes. Media illa (inquit) inter quæ nihil intereſt, tamen eiuſmodi ſunt vt eorum alia eligenda ſint, alia reijcienda, alia omnino negligenda. Hoc eſt, vt eorum alia velis, alia nolis, alia non cures. At modo dixeras, nihil in his rebus eſſe, quod intereſſet? & nunc idem dico (inquies) ſed ad virtutes & vitia nihil intereſſe. Quis iſtud quaſi neſciebat, ſed dicam Græcè προηγμένα Latinè autem producta, ſed præpoſita, aut præcipua malo: ſic tolerabilius & mollius. Illa autem, morbum, egeſtatem, dolorem, non appello mala: ſed (ſi libet) reiectanea. Itaque illa non dico me expetere, ſed legere: nec optare, ſed ſumere: contraria autem non fuge-

re, ſed quaſi ſocernere. Quid ait Ariſtoteles, reliquiq; Platonis alumni? ſecundum naturam quæ ſecundum naturam ſint, bona appellare: quæ autem contra, mala. Videſne igitur Zenonem tuum cum Ariſtone verbis conſentire, re diſsidere? Cum Ariſtotele & illis re conſentire, verbis diſcrepare? Cur igitur cum de re conueniat, nõ malumus vſitate loqui? Aut doceat paratiorem me ad contemnendam pecuniam fore, ſi illam in rebus præpoſitis, quã ſi in bonis duxero: fortioremq; in patiendo dolore, ſi eum aſperum & difficilem perpeſſu & contra naturam, quam ſi malũ eſſe dixero. Facete M. Piſo familiaris noſter vt alia multa, & hoc loco Stoicos irridebat. Quid enim (aiebat) bonum negas eſſe diuitias, præpoſitũ eſſe dicis? quid adiuuas? auaritiam ne minuis? Quod ſi verbum ſequimur, primum longius verbum præpoſitum, quam bonum. Nihil ad rem. Ne ſit ſanè, at certè grauius. Nam bonum ex quo appellatum ſit neſcio: præpoſitum ex eo credo, q' præponatur alijs. Id mihi magnũ videtur. Itaq; dicebat, plus tribui diuitijs à Zenone, qui eas in præpoſitis poneret, quam ab Ariſtotele, qui bonum eſſe diuitias fateretur: ſed neq; magnum bonum, & præ rectis honeſtiſq; contemnendum, & deſpiciendum, nec magnopere expetendum. Omninoq; de iſtis omnibus verbis à Zenone mutatis ita diſputabat, & quæ bona negarentur eſſe ab eo, & quæ mala: illa lætioribus nominibus ab eo appellari quam à nobis hæc triſtioribus. Hactenus de Zenone Cicero. Illud etiam eiuſdem philoſophi nõ minori eſt obiurgationis animæ expoſitum, quã irriſione alijs eſſe videtur dignum. Quod cum appetitionem rerum ad viuendum accõmodatarum à natura profectã eſſe diceret: parum cautè perſtaret in eo, vt q' honeſtum ſit: id ſolum bonum habendũ eſſe præciperet: nec videret hac vna aſſenſione ſententiam ſuam labefactari, & dogma poſſe reſcindi. Perceptum etenim cunctis eſt, exploratum & cognitum, omnia quæ natura aſciſcat, in bonis: quæ autẽ aſpernetur ac reſpuat, eſſe in malis habenda. Iam vero quid tam eſſe poteſt repugnans, quam cùm animo ſua aſsignaueris pabula, ſuaſq; dotes liberas illi cõceſſeris: vt doctrina ac virtute lætetur, veritateq; adeo ipſa auidiſsimè ducatur, vt his quaſi epulis educatus & altius in maius ſemper atq; melius coaleſcat: quæ externo alendo ac vegetando, lege quadam naturæ, alimenta aſsignata ſunt homini: ea illi negare eſſe bona velis, illorumq; ei interdicas appetitionem, & vſuram cupias ademptam? Cum præſertim animo cõſtemus & corpore: ipſæq; noſtri corporis partes ſingulæ, ſubſidijs multis, admiuiculiſque egeant: quibus ſubtractis neceſſe ſit corpus interire: ipſumq; cum illo rectorem, moderatoréq; corporis animum, ſenſim cõtabeſcere. At enim dices, te id nuſquã dixiſſe. Quid refert dixeris necne: apertè cũ corporis eſſe bona negaueris, quæ illi re vera ſunt optima: & ad vitã omnino vel maximè neceſſaria? Quid? quod alibi dixeras neceſſe eſſe appetitionem animi moueri, quum aliquid ei ſecundum naturam eſſe videatur: omninoq; quæ ſecundum naturam ſint, æſtimatione aliquã digna, eaq; pro eo, quantum in quaq; ſit ponderis, eſſe æſtimãda. Vt iam rectè ipſius verba ponderanti nulli dubium eſſe poſsit, hanc hominis præceptionem, ad peculiarem coagmentationis compactioniſq; noſtræ tutelam, & partium commoditatem præcipuè pertinere: habita in primis ratione eorum, quæ in vniuſcuiuſq; conſtructione atq; opificio animantis natura ſunt præſtantiora, primaſq; iure tenent. Cui igitur eſſe obſcurum poterit, cum natura ſagax ad conſeruationem ſui latè vndiq; cuncta diſpiciat. Quæ quaſi aduerſantia ſibi amoliri procul impedimenta: quas commoditates inſpicere: quæ in primis emolumenta ſequi, conditionis ſuæ atq; officij nõ ignara, ſemper in vita debeat? Cũ præſertim illarum rerum, quas ſibi dari expetit, acquiſitione, ac veluti auctiori cumulo ad beatitudinem & fœlicitatem pleniori quodã gradu tendere ſe ſentiat? Quæ ſi in hac vita & in hoc fragili ac mortali corpore, vt illi autumant, ſit quærenda: neceſſario erit dicendum, niſi rerum omnium quas communis vita deſiderat affatim ſuppeditata copia: pacto vllo obtineri eam, vel poſsideri non poſſe. Nam omnia quæ ſumenda, quæq; legenda aut optanda ſunt, ineſſe debent in ſumma bonorum: vt is qui eam adeptus ſit, nihil præterea deſideret. Nos vero dum in terris agimus, multis per corpus & patemus calamitatibus, & caſibus ſumus expoſiti: vt de indigentijs interim ſileam, quibus quaſi pannis vndiq́ue ſum' obſiti. In quæ qui impegerit mala, beatitudine, animi perfrui qui poterit? An ne ad hanc peruenire poterit circunuẽtus aliquis morbo, exilio atq; inopia, vt Ennianus ille Alcmeo? num fœlicitatis huius honore dignabere Philoctetã? Quem tragicum apud Actium cruciatu ingenti vulnerum, & doloribus non ferendis affectum, ſagittæ, quas ab Hercule acceperat, parum tum conſolabantur.

Quum è viperino morſu venæ viſcerum
Veneno imbutæ tetros cruciatus cierent.

Exclamat itaq; infœlix, auxiliũ expetẽs, mori cupiẽs,
Heu! quis ſalſis fluctibus mandet
Me ex ſublimi vertice ſaxi!
Iam iam abſumor, conficit animam
Vis vulneris, vlceris æſtus.

Eneruet cuncta Zeno quæ in honeſti verã rationem non cadunt: extenuet omnia, quæ communis hominum vita deſiderat: periclitãti nulla adminicula ſuppeditet corpori: nulla morbo pharmaca ſubminiſtret: egeſtati nulla ſubſidia præbeat: nudam in nudo virtutẽ hominis non quærat & laudet animo. Certè ſi in hoc alternis fluctibus ærumnoſo mundi ſalo beatam vitam inquiret (quantumlibet magnifice præſtantiam virtutis exaggeret) obtinere non poſsit, is vt ſit fœlix ac beatus habendus, quem ad extremum vſq; vitæ halitũ malorum colluuies tãta premat atq; circumſtet. Beatus enim niſi in ſummo bonorum poſitus, eſſe non poteſt: quando quidem beata vita, ea demum intelligitur, quæ omni iugi bonorum ſaturitate ſit affluens. Quod probitatis atq; doctrinæ inclyta laude dignus Seuerinus Boethius intelligens, Beatitudinẽ ſic definiuit, vt bonorum omnium aggregatione perfectum, eſſe illam quendam ſtatum diceret. Quod ſi verum eſt, in hac mortali & corruptibili vita hominis ſummum bonum indagare ſi pergat, iam intelliget Zeno, in vſura virtutis tantùm, beatam vitam conſiſtere non poſſe. Cum perfectionem ſuam, fœlicitatemq; amant (vt tanti nominis dignitate exornari) ac fructu perfrui queat, & alia item quibus egere ſe ſentit, naturæ ipſi neceſſario ſint bona quærenda.

S E D tamen ne in virum ingenij indole clara præditum (cuius Conſilium animi non probare in eo quod humanarum rerũ longè optimam ac præſtantiſsimam virtutem mirificè vbique laudat, difficile ſanè eſt & ingenuo homine perindignum) ne inquam in virum talem vel ſtomachatus indignè, vel temere videar inuectus: facile equidem paterer in hanc eum partem potius fuiſſe propenſum, vt opinione multorum virtutis laudes plus nimio exaggeraſſe videretur: ni vna atq; eadem opera his hominem bonis, nulla quaſi nobis cõmercia tributa ſint corporis, conaretur emungere: quæ ſummi prouidentia Dei, alendæ hominum continendæq; naturæ, eſſe neceſſaria voluit. Nam neq; actionum noſtrarum vltimus finis eſt virtus: ſed ea propter immortalitatem, in qua re vera hominis ſummum eſt bonum, vulgo à cunctis expetitur. Perſuaſum eſt enim infixumque menti omnium, immortalitatis effectricem ſolam animi virtutem eſſe. Quã cũ ille mẽte ac corpore penitus in terra demerſus minime intueretur, quæ vtilia ſaltẽ corpori eſſe videbat: & quæ externa licet, neceſſaria tñ vegetatione ipſius adminicula rebatur, dũ arbitratu ſuo nomina verſat, propria quo ad eum (cui mancipata ſunt) vſum: appellatione bonorum fraudare non debuit: ſumenda nunc, modo producta, alias præpoſita: atque omnia potius, quam vera ipſorum vocabula explicans. Perinde quaſi de diſciplina ſua penitus eſſet actum, ſi præter virtutem ipſam aliquid omnino appetendum, bonis vel in rebus habendum, vnquam aſſeruiſſet. Cum præſertim fabricatio noſtri, ratioque ipſa clamet, animi & corporis ac externa etiam quærenda nobis vigilanter eſſe præſidia, ſi in eo, quo ſumus, ab opifice rerum ſtatu conſtituti, perſiſtere velimus. Sunt enim in terris immortales animi terreno induti corpore: quod iumenti inſtar ſuo indiget pabulo, vt eius, cui ſeruire debet, mentis dignitati proſpicere, ac animoſè rectèque poſsit curſum vitæ conficere atq; peragere. Quibus quidem de rebus non prius accuratius aliquid tractabo, quam bonorum nomen vnde fluxerit, paucis excuſſero.

P R O P R I E igitur vereque bona ex eo dicuntur, quod beant, hoc eſt beatos efficiunt. Beare porrò idem eſt quod prodeſſe, vt ſapientes quondam merito exiſtimauerunt. Qua ex re illud etiam efficitur, naturaliter vt bona dici non poſsint quæ plus incommodi quam commodi habent. Quod ſanctiſsimi legum latores, Stoicique philoſophi vim naturamq; bonorum altius animo contemplantes, ita eſſe arbitrati ſunt.

S E D C V M tria reperiantur in vita, quorum gratia ab ijs, qui quid in re quaq; boni ſit, auidè inquirunt, cuncta geruntur, Anima, Corpus, atq; pecunia: ſitque hoc virtutis propriũ (vt recte eſt à Lucilio dictum)

Pretium rebus perſoluere verum.

In bonorum ordine verè conſtituendo, harum rerum ſtudioſè à nobis ſic ratio debet iniri, vt ſuus cuiq; conſtet legitimus honos: & nominum eiuſcemodi apud homines ſplendor dignitatis elucear, prærogatiuaque adeo naturæ illæſa & ſalua ſit. Cum enim animo & corpore conſtemus omnes: ſitq; gratia animi, à Deo corpus effectum, vt loco alio dicemus: extremumque hoc, quia fragile & caducum à natura datum eſt, externis multis adminiculis ad vitam, & tanquam fulturis egeat: ſecutum illud eſt, vt ſubſidia illa, quæ naturam hominum ab ſtatu ſuo ne diuulſa

biet, firmius continent: bona dici cœpta ſint. Pecunia enim alendi cauſa corporis quęritur: corporis vero incolumitati ſeruitur, ne cunctatione lentum præ imbecillitate, animo ſeruitium exhibeat.

NINC eſt effectum, vt maximi illi viri ab Academia vetere Platone magiſtro, ab Ariſtoteleq; profecti, bonorum genera tripartitò diuiſerint. Quorum alia animi eſſe propria dicebant, alia corporis: quædam etiam quę extraijs in rebus videbantur ſita, ipſi, quæ vulgo hominum fingeretur, Fortunæ aſsignabát quod mutari facile ſolerent: nec eundé ſemper tenerent locum. Quem morem, familiaré maximè, ac proprium Fortunam ipſam habere, in confeſſo eſt. Quibus de rebus, dum naturale ſummumq; bonum hominis explicare nitimur, quanta veterum ſapientum controuerſia ac rixa fuerit, ex his quæ paulo ante declaraui obſcurum eſſe non poteſt.

SED vt miſſas de ſummo bono Philoſophorũ concertationes, opinioneſq; faciamus: conſtat quippe ſanctorum patrum decretis, & inſtitutis Chriſtianę gentis: Vno frui Deo, extremum illud atq; vltimum eſſe bonorum, ad quod cuncta conuenit referri. Quo vno parto, nihil eſt amplius quod ab homine poſsit optari, vel omnino maius intelligi. Cum omnis & virtutis, & beatę vitæ (quæ duo ex omnibus vel ſola maximè expetuntur) verus archetipus, Deus ſit. Quod ipſum quo queat pacto parari optimè Chriſtiana ſanctio docet, & à Deo pręſcripta lex. Quæ IESV CHRISTI Seruatoris mundi eloquio ſanctiſsimo promulgata, & pretioſiſsimo ſanguine roborata & conſtabilita: diuitias bonitatis conditoris omnium Dei, ac ſummi patris ipſius mirificè in lucem protulit: & ſpe non dubia immortalitatis allecto ad veræ fœlicitatem vitæ, erroris priſtini nube diſiecta & caligine procul expulſa, humano generi aditum patefecit. Hic enim ſolus (vt cum Lucretio loquar)

Veridicis hominum purgauit pectora dictis,
Et finem ſtatuit cupedinis atq; timoris:
Expoſuitq; bonum ſummum, quo tendimus omnes,
Quid foret: atq; viam monſtrauit limite paruo
Qua poſſemus ad id recto contendere curſu.

Nec monſtrauit tantùm (pręclarè vt Lactantius ait) ſed etiam pręceſsit, ne quis difficultatis gratia iter virtutis horreret.

QVOD cùm veriſsimè ſit ac ſapientiſsimè dictum differendi quam ſuſcepi, perſonam amplexus, triplex illud bonorum genus exequar quod à Socrate ac Diſcipulo eius Platone introductum Ariſtotele deinceps authore, robur ac neruos accepit: atq; ita eſt ſecta ipſius & ſententia comprobatum, vt ea diſputandi ratio non iam Platonicorũ, ſed Peripateticorum propria, eſſe dicatur. Quod eo faciá alacrius, quia bonorũ partitione hanc, orationis tuæ principio placere quibuſdã dixeras. Quæ vbi expediero, conſtabit facile mi Nicete, & boni natura, & verę nobilitatis exordiũ: quæ tu tã amas & cupis impensè. NIC. Stupet animus mi Philemon, tantarum rerum admiratione. Nam quæ obiter veluti tractanda ſuſcipis, ſolertia tanta perpolis: tã ſedulo, accuratè q; exequeris, vt nihil ad vnguem magis, fieri poſſe credendũ ſit. Quod si illud ia antea mihi eſſet perſuaſum, proprijs te ſemper laudib⁹ qui Socratico quodã more ductus, eſſe quã videri geſtias pręedicãdus, ſolere multũ offendi: virtutis mihi nequaquã viderer officio fũctus, ſi tã mirifica pectus laude probitatis excultum: eruditionis tam fertilẽ in homine cãpum, & iucundi meſſem fructus vberem, iuſto hic pręconio, palamq; non efferré. Nunc cogor, eheu! dũ tibi obſequor, contra ac rapior, niti: pręterireq; ſilentio, quod à me fuerat laudibus multis ornandũ. Tu tñ noſtram, ne deſpice mentẽ, ac ſentire puta, q per te mihi exprimere fas nõ eſt. Inuidię enim vt opinio mea fert, is facile notã incurret: qui in te laudãdo aſſentationis crimẽ aliquod poſſe cõtrahi, pertimeſcit. Quis enim id pertimeſcat, niſi in ſuo cuiq; iure reddẽdo, liuore aliquo mentis ęger, aliena laude tabeſcat? En age: quò tu⁹ te rapit ardor, pede fauſto perge: philoſophiæq; arcana nobis indoctis euulga. Nã nos ad audiendum ita erecto atq; prompto ſumus animo, vt non oratione tantum, ſed & fronte ac vultu, quibus tot preclara comunitur, non ſane parum excitemur ardenter. Moueor enim, vt ſi quis alius, maximè, ſpecioſiſſimè effictarũ ipſa rerum actione. Quo circa nullæ cupediæ lautiores, nullę cõditiores epulę, nulli animo meo ſapidiores cibi, nulla palato, ſtomachoq; noſtro gratiora vnquã fercula eſſe poterũt, quã eiuſcemodi viri confabulationes. Quibus, ego (vt ingenuè q ſentio fatear) mirificè recreor, maximeque afficior. O vtinã his colloquijs, q mihi reſtat vitę, tranſigere tecum liceat! Quid enim queſo te vitę verum fructum amanti, eruditionis atq; doctrinę, accommodatarumq; ad Iuſtitiam animi, cognitione rerum eſt gratius, dulcius atq; iucũdius? Quid ignoratione inſuauius? Quid inuiſius? Quid tetrius, & humanæ magis infeſtum, inimicumq; naturę? Illa qui non mouentur, parum homines eſſe creduntur: hac

qui

qui premuntur, ſtipites appellantur. Cum-
que hæc vna ingenij præſtantia, à brutis
prorſus ſimus ſeiuncti: propriũ hominis eſſe
videtur quæ vtilia vitæ, & fructuoſa ſunt
maximè aio meditari, & ſapienter aliquid
ſemper inquirere. Quod ſi ita eſt, lętari ani-
mum neceſſe eſt, cum hunc ſimus fontem
nacti, doctiq; viri ſapientiam experti. Pru-
dentis enim lingua viri, adſtantium men-
tibus nectar diffundit, ambroſias ſuggerit;
datq; epulis (vt ille ait) accumbere Diuûm.
Quid enim aliud Diuûm menſas appelles,
quam (q iucundũ, peculiareq; adeo mentis
eſt pabulũ) vera animi ſapiẽtia potest? Hic
enim vel vnus mortaliũ maximè, Homeri-
cũ nobis Neſtore exprimit, cui ab ore mel
le dulcior fluebat oratio. Mellitum medius
fidius egregie cordati hominis, ſapientiſq;
viri eloquium eſt, longeq; omni fauo dul-
cius. Ac reuera, niſi ſtultum apud animum,
quaſi in pertuſum dolium (vt Æchylus pru-
denter ait) ſapientię ſermones infundas, nõ
tam corpus cibis paſcitur, quam doctis ani-
mus dictis reficitur, & ad præſtãtiſsima quæ-
q; atq; optima ſubeunda erigitur, atq; in-
cenditur. Id quod ita habere, cognoſcere
nimirum haud erit difficile. Si modo cui, nõ
tã palatũ quã cor ipſum, rectè vereq; ſapiat.
P[illegible] aperi artificio, vel ſilentij accõmo-
dati rebus aliquo cõmento tali, inſcitię fœ-
ditatẽ obtegerẽt: maculas ve fortè, ſordeſq;
elucerent, qui vulgo pa[illegible] habentur diſerti:
non dubiũ eſt quin ſtultæ ruſticitatis famã
procul abiecta, doctrinę opinionem indue-
rent: ac medicina optime ei, quo premũtur,
morbo facta, longe alij (quam prius eſſe pu-
blice putabantur) mutari ſubitò videri mul
tis inciperent. Sed neq; technæ inuolucro
aliquo ignarus vnquam vitia potuit obuol
uere: neq; ſuum è diuerſo imprudens corri
gere nouit errorem. Eſtq; idcirco imprudẽ
tis & ſtulti emẽdatio vitæ rara, & culpa ſce
leris plurimum manifeſta. Sed relinquamus
eos, quorum nihil ſimile habere eius poteſt
ingenium: quem ſingularis virtus animi pa
ri eruditione coniuncta, prædicatione bo-
norum eò laudis euexit, vt exiſtimatio vera
ipſius, iudiciorum omni alea maior effecta,
inacceſſa ſit inuidiæ. Indoctum fateris te
ſapientiſsime Nicete. Id verò dum fingis, fa-
cis illud tam dextere, tam ornate, polite &
eleganter, vt communi hominum ſenſu
meritò carere dicatur, quiſquis orationis
tuæ filum dixerit non eſſe diſerti. Sic nimi
rum quæ celari occultariq; cupit interdum
facile ſe ipſa ſæpe hominis patefacit, prodit
que natura, & quemmadmodum delinquẽ
tium lapſus, atque errorem animi; taceri tã-
dem non ſinit. Ita rurſum ad ſapientiam, ho
neſtatem, decuſq; omne elationem mentis
inclytam, turpi aliquo ſilentio obliterari
non fert ipſumque adeo virtutis ſplendorẽ
in tenebris iacere diu mortis inſtar ducit,
ac moleſtiſsime patitur. Quod ſi verum eſt,
etiam ſi ſciens fallere geſtias, cui fucum fa-
cias alium quæras oportet. Nam ruſticitatis
& inſcitię ſuſpicionem omnẽ facile exina
niuit, & vires exhauſit, quæ tam cultæ ora
tionis tibi natura eſſe dedit artificem. Mihi
enim ſuadere vnquã nemo poterit; vt qui
tam doctè loquatur, ruſticus ſit, aut indiſer
tus habendus. Præclarè mehercules Demo
nax, orationem hominis quaſi ſigillum nõ
corporis ſimulachrum, ſed formam animi,
ipſumque mentis habitum pulchrè dicebat
effingere. Ergo ſi animi Symbolum oratio
eſt, in eaque perinde ac ſpeculo quodã lim
pidiſsimo ſua cuiuſque mens, ſuum inge-
nium, moreſque adeo ipſi dilucidè apparẽt
& ſapientia hominis cernitur (quemad-
modum Socratico paſsim commendari ſo-
let elogio) tam ne me eſſe putabas amentẽ,
vt quod ſalſum eſſe perſpicuè cernerẽ, ve
rum contrà eſſe, improbè ſtatuiſſem? Quid
quod fieri vix poteſt, vt qui tanta ſcientiæ
flagret cupiditate, vt inquirendæ adipiſcen
dæque eius ſtudijs, non ſecus ac iucundiſsi
mis cibis victitet: intellectus acumine orba
tus, & ſapientię poſſeſsione fraudatus, in caſ
ſum tandiu vigilet? Cum præſertim ex amo
re impenſo notionis, origo naſcatur Sapien-
tiæ: ac nõ poſsit non profeciſſe, qui id vnũ
conatu mẽtis tali; atq; animi tanto ſemper
quærat ſtudio. Quã propter hac in parte,
quia perſpicua omnibus ac maximè manife
ſta eſt, ampliꝰ nõ vagabor: neq; potiꝰ iãnũc,
ad Peripateticos ipſos opportunè conuertã;
BONORVM his triplicem ſeriem placuiſſe
diximus, ac ſuum cuiq; nomẽ indidimus:
Nũc reliquũ illud eſt, vt ſuã cuiuſq; formã
paucis explicemus: ab ea potiſsimum oratio
nis parte exordum auſpicantes, quæ ab illis
eſt fortunæ tributa, non enim abs re (vt ſpe
ro) videbimur feciſſe, ſi poſt Fortunę decla-
ratos mores, & in diſpertiendis muneribus
ſtultam temeramque ipſius animi leuitatem:
eam paulo exactius rimemur partem, quæ
breui veluti gyro, illius cuncta comple-
ctitur bona. Vt & illa notiora ſint, & quo
eis vti pacto conueniat, ratio ſit expeditior.

Sed ne quis fortè miretur, quid cauſæ ſit, vt illius bona notemus: quam alias nullā eſſe: alias boni nihil pręſtare cuiquam poſſe dudū dixerimus. Is ſecū ita conſideret, aliud eſſe cum veritas inter paucos lienatur cōtentione ſubtilius: Aliud cum ad vulgi opinionem omnis accommodatur oratio. Id quod notauit olim. M. C. Nam cum iuxta ſtoicorum. Philoſophorumq; adeo ſententiā omnium ita aliquando concatenatas, vnitaſq; inter ſe virtutes diceret: vt nullam is cenſeretur habere, à quo vna tantum abeſſet. Nō dubitauit tamen, virtutem poſtea ita ſe iungere, vt iuſtos hos, illos fortes, tēperātes alios, atque prudentes fieri poſſe in animū induceret. Quod qui mihi vitio verterit, Ciceronem is pariter accuſet, cuius par animi crimen eſſe perſpicitur. Cuius ego hominis hac in parte negligentiam ſequi malo: quam ſtultorum quorundam obſcuram diligentiam.

VT IGITVR à fortunæ bonis iam tandē incipiam (eſt enim æquum hinc profectò gradatim mihi ad animi bona: quæ omniū optima & pręſtātiſsima ſunt aſcēſum parare facilē) quę illorū ſumma ſit, paucis expediā. FORTVNAE bona credūtur, diuitiæ, honores, opes, imperia, gloria nominis, & generis claritudo. Idque genus cætera, quæ eſſe plurima ſolent. Quæ & ipſa in caſu poſita temporibus gubernantur: ac quam promiſere fidem, præſtare diutius nequeunt. Terrore veluti panico, calamitateque ſubita, intercepta cum florent: & vbi non putes ſæpiſsime erepta. Quæ tamen, cum hæc eorum natura ſit (quod profectò dolendum eſt maximè) & habentur in pretio: & magno à pleriſque vulgò ęſtimantur. Quorum de ſingulis vt ſuo quodq; ordine eſt, tecum mihi eſt in præſentia differendum. Vt quæ vnius cuiuſque vis quæ ve natura ſit, dilucidius atque illuſtrius longè, iam nunc omnibus poſsit innoteſcere.

IN PRIMIS Ergo ipſe accedant diuitiæ, quarum cauſa mala multa homines perſerunt. Dum ad eas parandas certatim quiſq; præceps fertur, illis veluti moliturus inſidias: adeò vt non illæpidè Synopenſis Diogenes videatur ſenſiſſe, qui phyſico ſciſcitāti cur aurū palleret, ſubitò reſpōderit, quia multorum timet inſidias. Eſt enim natura ita comparatum, plurimum vt impalleſcāt, qui multorum ſe inſidijs vel circumſeptos vident: vel timent expoſitos. Sed quoniam id maximè auere te, vt quæ his de bonis noſtra ſententia eſſet, oſtenderem, haud ita dudum teſtatus es: illud iam nunc dicendi genus ſequar, quod in vtranq; partem ſuſceptæ rei naturam melius adaperiat. Idq; loco omni ſtudioſè, diligenter ac ſedulo, quoad infirmitas noſtra feret, Deo iuuante, præſtabo. Vt vel eo ſaltem pacto, ſi modò id erit conceſſum, lectoris auidi acuam, confirmēque induſtriam: vel varietate ipſa rerū ſtudioſorum animos, ſi non iam delectare potero, morer tamē. Eſt enim ceu natura ingenitum, vt varietatis omnes ſtudioſi admodum ſimus. Vnde orationis non vno ac ſimplici filo: & diſceptationis grata quadam viciſsitudine detenta mens paſcitur, placidiſſimèq; ipſe animus ducitur. NIC. Alijs quid accidat neſcio: mihi certè varietas dictionis orationiſque ipſius aptè ſuis rebus accōmodata diſtinctio, nō aliter quam in nemore, vel in cædua ſylua qui alicunde viatoris animum recreans proſpectus erumpit, vehementer eſt cordi. Id quod verè homini, non inertia languido, deſatigationis dulce eſſe ſpectaculum arbitror, ac lenimentum laboris. Neque enim mundus, quem ab ornatu κόσμον. Græci dicunt, tam eſſet incolis gratus, atque ipſo mirabilis viſu: niſi diuina illa mens, inſeneſcens æuo, incorrupta atq; æterna natura (quæ ſummi ac præpotentis Dei implet ac continet numen) ipſa rerū (quæ in lucem protulit) ſemina, varietate diſtinxiſſet: iuxta genus cūcta ſuum latè vndique concinnans, adornans atque perpoliens. Vt nihil ſub ſpatioſi orbis complexu tam ſit par aut ſimile alteri: quod non mirabili aliqua diuerſitatis nota à cognato ſibi diſtingui poſsit corpore: & diſcerni natura.

CVM IGITVR Plæraſque res commēdet ipſa varietas: eaque haud iniucundo hominum animis blandita lenocinio ſpectantiū oculos paſcat, ad ſeq; leniter mentem attrahat: dabis tu in præſentia mi Philemō accuratè operam, vt hanc voluptatis illecebram, quam pectoribus noſtris inſeruit ipſa natura: oratione doctiſsima tua auidius nobis excites, dulcibus interim variegati ſermonis hiſtorijs, ceu de via languentes allectans, nouaque ad id ſemper inuitans conditura varietatis. Erit ad extremum vehementer mihi gratum, percontationis & reſponſionis moleſtia omni te à nouis prorſus liberari. Continente enim oratione tua quam ipſe oblecter: vix mihi ſermone aliquo dignè ſatis poſſe videor exprimere. Sed tamē vnū vereor, ne ſi immodicè laudādo diuitias ſe-

mel extuleris: mutatus poſtea, dum honeſti cauſa deprimis, conſtare vt poſsis tibi. Verũ tamen hoc tu vel optimẽ cauebis: aut certè Fors ipſa viderit, quę ſemper fauet audenti. Noſti enim illud, opinor.

Audaces Fortuna iuuat: timidoſq́ repellit.

Quas ob res ad dicendum quæſo (ſi ſapis) iam tandem accingere. PHIL. formido licet ignaua noſtra vexaręt pectora, oratione tamen hac tam pulchra erectus, indecorem animoſe animo pauorem excuterem. Sed nullus reuera modo me tenet pauor, vel ad dicendum metus impedit. Spero, imo auſpice Deo, quas ſemel partes fouero, non difficulter nimis me eſſe poſtea ſubuerſurum. Quid enim haber negotij res opinione hominum parum conſtanter poſitas, aut vituperando deprimere, aut rurſus laudãdo extollere? Cum præſertim non deſint, qui aſſerant, vnam quamq́ue rem ita prorſus habendam, vti eius apud aliquos frequens opinio eſt. Quorum ſi eſt vera ſententia, multa nobis probroſa ignominioſaq; videntur, quæ apud alios non perindè putantur indecora: multa rurſus nobis ſunt honeſta, quæ inhoneſta ſunt alijs. Sed nimirum in rectis prauiſq́ue ſanciendis Natura legis eſt norma; non licentia vitę peſsima corrupti mores hominum, & gentium varia inſtituta. Etenim hominibus cunctis tacita lex eſt ratio à natura nobis inſita. Cuius iure ſancitum eſt, vt honeſta ac ſalutaria quæ ſunt, ſemper habeantur in bonis: contraria ponantur in malis. Sic igitur habendum eſt, in diſcrimine rerũ rectè conſtituendo, Iuris fontem eſſe naturã. Vimq; eius in hac parte, nulla poſſe lege hominũ, vel pactione mutari. Quod cũ ſit profecto veriſsimum; credibile eſt tamẽ ſi quid inter aliquas nationes in aliqua damnetur genre: ignominioſum ſibi atq; inutile videri. Tantum valet inſtirutio, & conſuetudinis longæ vis! Sed orationem iam in locum ſuum reducam, ne longius prolabar dicendo, & diuitiarum laudes ab ipſa paupertate auſpicabor, quæ infami hinc inde vix panno contecta vſq; adeo ſtudio refugitur; vt in truculentam aliquam beſtiam, aut peſtẽ noxiam corpori incidere non ſit aſperius, quam in paupertatem incurrere. Vnde non dubium eſt, quin diuitiæ ipſæ hominibus amabiles videantur, atq; admodum expetẽdæ. Malum eſt paupertas. Quid ita? nimirũ quia maximè miſerã vitam efficit. Etenim hæc vna neceſsitas, cum natura omnes liberos & faciat & pariat hominẽ homini ſeruire coegit, dulciq; bono ſe ipſum priuare, & indigno alterius ſubiacere dominio, alienoq; tandem palato viuere: ſtulti atque improbi domini non animum modo ſed & nutum ſæpe captantem. Quæ & ipſa multa ſæpe hominem cogit facere, quæ admittere pudor eſt. Eripit quin etiam authoritatẽ, ac deſpicabiles efficit. Vnde optimè Iuuenalis.

Nil habet infœlix paupertas durius in ſe.
Quam quod ridiculos homines facit.

Quid? quod ad ſummã claritudinẽ aſpirantibus viris obſtaculo ſępe eſt, virtutemque ipſam impedit, & ab incœpto retrahit?

Itaq; nimis ſcitè is qui à me modo citatus eſt, ait.

Haud facilè emergunt, quorum virtutibus obſtat.
Res anguſta domi.

& alibi.

Rara in tenui facundia panno.

Sic memoria noſtra ſapientia animi vir clarus Alciatus, cum ingenioſum hominem paupertate preſsũ vellet innuere, eiuſmodi confinxit emblema,

Dextra tenet lapidem, manus altera ſuſtinet alas:
Vt me pluma leuat, ſic graue mergit onus.
Ingenio poteram ſuperas volitare per arces,
Me niſi paupertas inuida deprimeret.

Ex quo factũ eſt, vt probris vulgo ab omnibus impetatur: eamque illis paſsim imprecemur, quibus peſsimè cõſultum volumus, quale eſt Ouidij illud in Ibim,

Exul, inops erres: alienaq; limina luſtres:
Exiguumque petas ore tremente cibum.

Porrò, vt querula atq; anxia, nimiumq; ſemper ęgra ſenectus natura eſt, ſic inopia ipſa morboſa. Vnde quidam Sophocleum illud ſpecioſum putant,

Sunt, qui à morbis immunem laudant:
At, mihi nullus videtur qui pauper ſit vacare morbo, ſed ægrotare perpetim.

Hinc tu, impiger extremos curris mercator ad Indos.
Per mare pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignes.

Nil obſtet tibi, dum ne ſit re ditior alter,
Vt ait Horatius:

Nec verò deſunt, qui ad hęc paupertatis incommoda, grauiora etiam mala appẽdant, cuius ſunt generis in Aulularia Plauti, nota illa verba Lycomidę.

Pueros proſtrare cogit indigentia:
Viros furari, mendicari & ipſos ſenes.

Itaque non pauci extiterunt, qui extrema omnia ſubeunda, & in ſcopulos inſanũque ventis mare irruere potius eſſe decernerent, quam in indigẽtiã rerum aliquam,

atque egeſtatem impingere. Vnde Theognidis ad Cyrnum à quibuſdam ſolet illi laudari verſiculi,

In mare ſluctiuagum ne te premat aſpera egeſtas,
Deſili, & à celſis corrue Cyrne iugis.

Sed ne veſtigare omnia curioſius videar, quę varijs ſparſa locis hac de re ſunt ab autoribus prodita, nil amplius dicā: demonſtraſſe contentus, eam ſemper pleriſq; mortalium infamem viſam fuiſſe. NIC. O miſera paupertas, quę tam male audit vbique? Nę, vera hęc ſi ſunt, fortaſsis iure contemnitur. Metuo tamen, ſuis vt illam dignè coloribus pinxeris. Quod ſi malorum tot ea cauſa eſt, honoratis cedat ingloria paupertas diuitijs. Etenim ſi vitiorum inuectrix inopia atque indigentia eſt, expultrix ſit oportet opulentia, affluentia, copia, & quæ ab illis mala inſeruntur, hæc penſet neceſſe eſt. PHIL. Nos mi Nicete, inſtituta ſequimur, quæq; apud authores lectione multa cognita nobis ſunt & ſtudio collecta, ea ipſi noſtris germana fide referimus: de noſtro nihil addentes. Sed morem dialogorum noſti. Non ergo committendum eſt, vt ab ea intempeſtiuè ac temere perſona deſciſcamus, quā agere ſumus orſi. Maturare igitur oportet cœpta: quæ & ipſa cuius modi ſint, limatius poſt atque exactius excutiemus. Nunc reliqua attentius audi.

EX MENDICITATIS igitur atque egeſtatis infamia, dignas eſſe honore diuitias palam eſt. Nec enim fieri poteſt, quin id honorificum ſit, & in primis amabile, cuius contrarium diligenter ab omnibus atq; ſtudioſe refugitur. Quod autem ſtudijs omnium votiſq; vitatur impenſe: id eſt profectò in malis ſemper habendum. Hinc diuitiæ tanquam certiſsima quędam ſubſidia vitæ laudantur, & communi hominum voto petuntur, ſiquidem.

Ille grauem duro terram qui vertit aratro,
Perfidus hic Caupo miles, nauteq; per omne
Audaces mare qui currunt: hac mente laborem
Se ſe ferre, ſenes vt in ocia tuta recedant,
... Aiunt.

Ocium hoc diuitijs partis rati ſibi dulce futurum. His vitæ præſidijs læti nimium atq; beati: fœlices illos appellāt, qui vigili & ſolerti cura animi opulenti ac diuites facti, inquirendæ rei laborem, & parandæ pecuniæ curam animo dimiſerūt. Miſer eſt enim iuxta Plauti ſententiam, qui quod edat ęgrè inuenit, ſed ille miſerior, qui cum eſſe cupiat, quod edat non habet. A qua vna miſeria diuitem eſſe procul, obſcurū non eſt. Cuius domus rebus ijs, quibus fames ſedatur ſitiſque extinguitur ſemper referta eſt, maxima vſque copia abundans. Cuius & ipſius promptuaria cella, vulgo ſuccidia dicitur. Tanta eſt rerum omnium affluentia. Huc accedit, quòd eorum quibus lauta ac fœlix Fortuna eſt quique diuitijs atque opibus florent, non benigna tantum eſt copia cibi, ſed & amici præſto ſunt: maior eſt fides, clarior authoritas, vita hilarior, fama iucundior, ſomnus dulcior, liberior ac gratior luſus, ac tandem quæ ſingula mortales magno æſtimant, omnia hæc larga manu profudit beato copiæ cornu. Quæ & ipſa licet experientia, quotidianoque vſu non eſſe appareāt falſa: authoritate tamen, clarorumque virorum ſententijs illuſtrāda ſunt, ne obſcuriora eſſe credātur, cum ſine exemplorum aſsignatione, cūctatius ac ſegnius, lentiuſque differuntur.

QVID AIS PHILEMON, diuitiæ ne amicos parant? maximè. An non Naſonis illud eſt verum?

Donec eris fœlix multos numerabis amicos.
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.

Quid? quod expertum id fuiſſe ſe alibi prodidit inquiens.

En ego non paucis quondam munitus amicis,
Dum tulit antennas aura ſecunda meas:
Nunc quia fallacem mutarunt nubila vultum,
Infœlix medijs deſeror ipſe aquis.

Præclarè igitur quidam cum opimæ atque ſecundæ res noſtræ ſunt maximè: non eſſe temerè inſinuātibus ſe ſe amiculis patefaciendas fores amicitiæ dicebat. Periculum enim eſſe, hoc ſi accidat, ne ipſa amicorum turba obruamur. Solere nāque illuc omnes facile conuolare: vbi ſplendida ac lauta Fortuna eſt. Rectè itaque Plautinus ille antipho Pamphilippo dicebat,

Hoc tu facito cogites:

Vt quoique homini res parta eſt, firmi amici ſunt: ſi labant res laſſę: itidem amici collabaſcūt, amicos res inuenit. Quę ſi vera ſunt: locupletes, diuites, ac pecunioſos amicitijs eſſe plurimorum abundantes, cognoſcere facillimū eſt. Vnde profectò apud Aulularia Plauti ſcitum eſt illud Lyconidæ.

Auro carere ſemper duxi peſſimum,
Et pueris & viris & ſenibus omnibus.

Ægrè nimirum fert, eius ſe rei non eſſe cōpotem: cuius tot tantaque eſſe bona perſpicit. Nam ſi res amicos parat, optimam ac præſtantiſsimam vitæ ſupellectilem: quis per indigentiam bono tanto fraudari non iniquo

quo patiatur animo? Quid dulcius? Quid ſuauius? Quid ad vtranque Fortunã moderate ac placide ferendam verò eſt amico ac prudenti accõmodatius? Quid præſentius? Quid vtilius? Præclarè nimirum à maioribus dictũ eſt, ſolem è mundo tollere videri: qui ex vitá amicitiam tollerent. Cuius tantus eſt ſplendor, excellentia & dignitas tanta: vt ſapientiá vna excepta, nil melius, nil maius, nil præſtantius homini ſit à natura tributum. Atqui rei huius copiam affatim pecunia præbet. Ideoq; hanc Sophoclis ſententiam veriſsimam eſſe multi autumant. Pecuniæ mortalibus comparant amicos, deinde honores: tyrannidiſque etiam ſupremæ ad ſedem euehunt. Quod & ſentire videtur non inſuauis Ouidius dum ait.

In precio precium nunc eſt: dat cenſus honores,
Cenſus amicitias: pauper vbiq; iacet.

Quæ cum ita ſe habeant: hinc opinor factum vt quidam Menandrium illud in Cœlum vſque laudibus efferant: lepidumq; in primis ducant,

Epicharmus quidem Deos eſſe dicit,
Ventos, Solem, Terram, Aquam, Ignem, Stellas:
Ego autem vtiles eſſe Deos arbitror
Argentum noſtrum & aurum.
Nam illos ſi collocaueris in domum,
Pete quicquid voles, aſſequeris omnia:
Agrum, domos, ſeruos, argentea pocula:
Amicos, iudices, teſtes.

Sed & Philemonis illud comici non illepidi laudari ſolet cum ait.

Putas ne Amaltheæ Cornu huius modi eſſe
Quale pictores cornu bouinum depingunt?
Argentum eſt, quod ſi habueris, petas
Ab ipſo quicquid voles omnia tibi addentur,
Amici, auxiliatores, teſtes, domum multitudo.

Quorum hominum in ſcholis haud ſane parum verſatus Horatianus ille Staueriꝰ videri poteſt, quin vel multum etiam profeciſſe, cum ait,

. . . omnis enim res,
Virtus, fama, decus: diuina humanaq; pulchris
Diuitijs parent. Quas qui conſtruxerit, ille
Clarus erit, fortis, iuſtus, ſapiens, etiam & Rex
Et quicquid volet.

Quarum quidem rerum cupiditate illectos, potiendiq; iam etiam inflãmatos ſpe, adeò ad hanc rem certatim homines currere videas, vt Hinnulos, damas, lepores agilitate corporis & pedum pernicitate facile anteuertant ac vincant: magnos atque claros viros mox ſe inde futuros arbitrati, Horatianum illud alternatim ſibi concinentes;

Scilicet vxorem cum dote, fidemq; & amicos
Et genus & formam regina pecunia donat:
Ac bene nummatum decorat Suadela Venuſq;

Et quando præter cætera; quorum abundantem copiam diuitibus eſſe diximus, amicorũ in primis dotauimus florere præſidijs, ac fide multum præſtare: licet hanc ipſam facile ijs habitum iri vel ex modo citato carmine ſit perſpicuum; quorundam tamen id hominũ dictis & exemplis probandum eſt: ne vnius hominis teſtimonium vel contemni poſsit, vel verti forſan id dubium; cum vnius teſtis dicto; quantumlibet authoritate præſtantis, non eſſe ſtandum liqueat. Atqui locupletum ac diuitum hominum fidem vbique præcipuam haberi vel illud eſſe poteſt indicio, q in teſtimonijs ipſis ferendis exactiſsimè ſolet inquiri; locuples ne an egens ſit perſona dicentis! Eſſe namq; periculum, ne egeni atque inopis hominis teſtimoniũ, pecunia vel quauis alia mercede redemptum ſit à potente. Huiuſmodi namq; homines; rei familiaris anguſtia atq; indigentia coactos, hoc aliquoties flagitium commiſiſſe compertum eſt dum parum prudenter parumq; cauto, miſere ah nimium miſerè; vitæ conſuluot! Ex quo fit, eorum vt minor fides, & authoritas ipſa leuior ſæpe ſit. Id quod ex Pandectarum libris facile poteſt perſpici. Porrò quis neſciat, contemptis, exploſiſq; pauperibus, honori tantũ haberi diuites & authoritateq; vel ſolos maximè dignos cenſeri? An eſt mentitus ſapiens poeta Euripides, cum apud eum illa in Tragędia, cui ipſa nomen dedit: ſic Vlyſſem alloquitur Hecuba,

Hæc tu & ſi peruerſè dices: facile Achiuos flexeris:
Nam cum opulenti loquuntur, pariter atq; ignobiles:
Eadem dicta: eademq; oratio æquè, non æquè valet.

Quæ ſi ſecum quiſq; diligentius euoluat, accuratiuſq; perpendat, facile nimirum deprehendet, minimè ea in re Euripidem fuiſſe mẽtitum. Id quod pauperrimi quiq; ; quorum magna in populo multitudo eſt, & experti ſunt, & norunt valde. Ex quo factum eſt; vt Satyrographi illud non voce ſolum; ſed & multorum iam fit ſententijs celebre factum,

Quantum quiſq; ſua nummorum ſeruat in arca,
Tantum habet & fidei.

Neq; enim raro accidit; vt ſalubria quorundam monita propter dicentium tenuitatem & abiectam conditionem vel ſpernantur planè, vel minoris eſtimentur. Adeò apud omnes malè audit egeſtas: adeò nihil habere ſe-

dum.

dum eſt: adeò vbiq; ſordet inopia!

IAM vero diuitum hominum hilariorem eſſe vitam, iucundioremque famam, declarare qui conuenit? Cum hi omnium maximè dulcia carpant, Genioq; ſuo indulgeant: & feſtiuos, quotquot eſt commodum, & agitent & exigant dies hominem lautè & oppiparè accipientes. Quibus rebus multitudinis atque plebis animus mirificè afficitur, & catenis veluti conſtringitur adamantinis. Vnde ſæpe numero laudari & prædicari ab eiſdem, non ſecus ac omnium fortunatiſsimi & beatiſsimi ſolent. Præterea quid de illorum ſomno, quem eſſe dulciſsimum diximus, loquar? Cū gratiſsimis iucundiſsimiſq; ludis defunctis dulcior interim irrepens ſopor, delicatos artus comprimat: molliq; quiete corpus oblectatione deſeſſum ceu irrorando conſopiat. Atq; ita nulli altius dormiāt, nulli ſecurius liberiuſq; ſtertant, minimè inter dormiendum ea cura exciti, qua ſomnum capere nequeunt quibus corpori ſui miniſterijs quotidianus victus parandus eſt: & heſterno labore, hodierna diaria breui, ſunt in olla coquenda. Ac tandem multo expulucre atq; ſudore tenuis cœna paranda. Quapropter laudari non iniuria ſolet Comici illud Menandri, quo ait, opinor ego locupletes homines ô Pheniq; quibus neceſſe non eſt verſuram ſœneratò facere, nec nocte ingemiſcere: nec ſurſum deorſum ſe vertentem, hei mihi dictitare: ſuauioremq; quendam ſomnum, molliorem que dormire. Sed ne ego amens; qui de diuitiarum laude perinde ac de re obſcura & paucis nota, tam multis tandiu diſputem? Quaſi verò quiſpiā ſit vel ruſtico paruoq; in popello, qui ad vitam ipſam placide degendam, momēti ac pōderis multum diuitias atq; opes habere non ſentiat? Seq; ex diuitibus vnum fieri repente non geſtiat? Cum præſertim ſibi ſirà teneris iam perſuaſum; quaſi albæ fœliciſq; gallinæ pullis in procliui atq; adeò in promptu quæ concupierint omnia ſemper eſſe nummatis: tenuioribus contrà, ceu ex infœlicibus ouis prognatis, vix per laborem tandem pauca dextrè cedere. Neq; id ſine iniuria. Agendarum ſiquidem rerum inſtrumentum certiſsimum pecunia eſt. Itaque Bion ſophiſta clariſsimus actionum neruos pecuniam appellabat, quòd ad efficiendas res vſque plurimum valeat: Vnde Peripateticorum princeps Ariſtoteles in ea & ipſe ſententia eſt, vt præclari quidpiam ab eo effici poſſe neges, cui facultates nō ſuppetant. Quibus rebus effectum eſt, vt multis Horatiana illa mercatorum Cantilena ſcitula hæc lepidula nimis videatur, dicentium,

O Ciues Ciues! Quærenda pecunia primum eſt,
Virtus poſt nummos.

Namque videre facillimū eſt bene nūmatos atq; opulentos homines omnium maximè ſuſpici, in precio honoreq; haberi: ac in rebus contrahendis protinus ad cenſum iri: vltimā de moribus quæſtionem fieri. Etenim licet virtus ipſa (Cuius hominibus cunctis ſancta ſemper videri debet dignitas) & ſapientum & indoctorum iuſta hominum voce aſsidue laudetur: tamen quotumquemque reperias, qui in filia collocanda, virtute præditum generum diuiti ac potenti præponat? Ac non potius illud tibi Flacci occinat, (Atqui

Et genus & Virtus niſi cum re vilior alga eſt:

Nam qui honos virtute animi præcellenti ac genere præſtanti viro haberi vulgo ſolet, illū quidem ad eos non temere videas deferri, quorum domi contractior eſt res: Fortunaq; melior lapſa. Ita omnia (vt inquit Solomon) diuitijs parent, pecuniæq; obediunt. NIC. Vſq; eò præclarè mi Philemon ſuſceptam ſemel opulentiæ laudandæ perſonam præſtitiſti, vt quod orationis initio valde timere me dixeram: nūc itidem magis verear. Fieri enim poſſe non puto, vt qui tantus hactenus diuitiarum admirator extiteris, quas ſemel Cœlo locaueris, vlla poſsis oratione nunc contrà extenuando perfringere. Tam enim laudando immodicè extuliſti, vt tibi eas vituperandi copia omnis & facultas videatur erepta, quæ eſſe debet diſputanti omnino libera. Quod ipſum vix liberum aut integrum tibi relictum eſt, dum præclaram illam ingenij aciem; vnde hæc cuncta manarunt, ſummè nobis conaris oſtendere. Quibus illa profectò vel antea ignota non erat, qui te vſq; admirati ſumus loquentem. Quæ proculdubio ſi quando alias, tum maxime in præſentia neceſſaria tibi futura eſt, vt eſſe is in inſectando poſsis, qui modò es in laudando viſus. Sed hęc vna res eiuſmodi eſt, vt quò difficilior ac laborioſior habeatur, eò ſit (ſi tamen id conſequi poſsis) victoria præſtantior, & clarior palma futura. Quocirca excutiēda atq; explicanda vndiq; ingenij tui notio tibi eſt, & labore aperiēda: quę obſtructa nimiū eſſe videt via: vadūq; tā quā rapidiſsimo in flumine animo præſenti tētādū. Nā me quidē certe ita à puero quodā patria diſciplina inſtitutū, ſapiētūq; pręceptis inſtructū, vt vel ſumma omnia paupertate eſſe tribuenda putarem: ſic tua repente turbauit oratio; vt nunc demū (ceu ſcrupo aliquo iniecto) ſubdubitare incipiā, vere ne an falſè

hactenus

hactenus ſim opinioni aſſuef. Hæc tu morbi labē ex ſermone tuo contractā, contrariæ orationis medicina, adimas neceſſe eſt: niſi forſan velis Nicetem amicum perditum ire, cuius paulo ante inſederas animo, paupertatem & indigentiam plurimarum eſſe virtutum magiſtras: diuitias & opes ſcelerum flagitiorumq; omnium non tantum ſatellites, ſed omnino etiam vel duces. Quod à te viro doctiſsimo contrà probari ſentio: dum eas magnifica & præclara oratione immodicè laudas, extollis, ac celebras.

PHILEMON.

IVRE Tu me optimo diuitias reprehendere poſſes prædicantem, æquoq; plus extollentem mi Nicete, ſi non perinde in oratione diſputanti, ac in ſcæna agenti, iniuncto eſſet muneri & perſonæ ſeruiendum. Sed cum par vtriuſq; in deſerendo ſit crimen, idem rebellantium facinus ſuo quenque muneri conſultum velle, rectum eſt: & à ſemel contrà ſuſceptis temere diſſentire improbum, ac nefas ducendum. Ex quo fit, vt cum vtraſque partes haud te quidem repugnante mihi ſumpſerim (ne temeritatis meæ iuſtas videar pœnas exoluere): placido debeam moleſtiam hanc animo capere, & ſuſceptam ſemel placidè obire prouinciam. Alioqui dubium nō eſt, quin nigris multorum ſalibus, mordacibuſque cōuitijs publicitus mordear. Quæ mihi vitanda ſunt, aut nigræ famæ buccina pertimeſcenda. Nam laudem ac vituperationem eiuſdem rei profeſſo committendum non eſt, vt omnino de ſe conceptā ſpem videatur fefelliſſe. Cum præſertim in altero non inutiliter, vt ipſe ais omnibus ſatisfecerit. Quare audendum quidem eſt, ac mihi mecum modo quodam in præſentia certandum. Qua in re accuratè iam ſeduloq; adnitar: ne minus ornatè, verè ac grauiter in diuitias ipſas, & illarum magnificum apparatum, eſſe inuectus videar: ac ſum modo (iudicio tuo) in earum encomijs, patrocinijſque verſatus. Cuius rei nomine vituperādi anſam difficiliorē nunc mihi, tenuioremq; aliquanto arbitraris eſſe relictam. Quæ ſi tua cauſa, opinioq; eſt vera: quādo memet ſciēs prudenſque in hoc conieci diſcriminis; efficiam profectò, ne hac in extrema parte iure reprehendar. Inopiæq; ſanctæ bona non tam artificioſè, & ornatè quam ſyncerè ac fidè perſtringam. Habet nanq; & ſuos paupertas amaſios. At, quales viros? nimirum Sapientia animi claros, & virtutis, gloria inſignes. Quorum & ipſorum non ſtare ſententijs, leuiſsimi hominis argumentum eſt, & extremæ ſignum inſcitiæ: quin eos potius & amare & amplecti oportet: quos ob exactam cognitionem virtutis, ſapientiæque præſtantiam & iudicij veri ſynceritatem, circumſpectius perpendere, videreque ſubtilius quid in re quaq; vitij ſit, exploratum eſt. Etenim fieri profectò nō poteſt, vt cuius ob virtutem animus clarior eſt, à vitijſq; diſiunctior, is turbulentè ac nequiter rei cuiuſq; vim atq; naturam videatur expēdere, & acutè parum inſpicere. Cum id eorum ſit proprium, qui ob deploratos animi mores, & peſsimæ prauitatis ſtudium, aciem mentis contaminarunt: ad tantāq; Idcirco nequeunt bonitatem ſententiæ aſpirare, vel iudicij fœlicitatem pacto vllo peruenire.

SED DOCERE iam opportunum eſt, tantū abeſſe, vt mali quidpiam ſecum paupertas afferat, vt nihil contrà ſit ad virtutem honeſtatemq; expeditius: nihil ad bene beatèq; ac trāquille viuendum accomodatius atq; coniunctius. Quam quidem noſtram ſententiam, omnium veriſsimam eſſe ſapiētum voces loquūtur: nec oratione id tantum à philoſophis agitur, ſed exemplis, re, factis & vita: dum pro certo habent, ad virtutis apicem nulli eſſe fas conſcendere, niſi in paupertatis ſancto ludo, & indigentiæ nobili ſchola verſatus, rerum earum, quas vulgus miratur ſtupens, cupiditatē improbam amolitus animo fuerit: ſeque ad philoſophandum optimè compoſuerit: & ab extrariarum rerum ſtulta atq; improba admiratione emaculatum ad vnguem præſtiterit: nulli vnquam (quoad eius fieri poſsit) neque ſuccumbentem vitio, neque affectioni degeneri ſolutioris animi turpia vela pandentem. Quæ licet vulgo hominum quorū hactenus opinionem non ſane parum videmur adiuuiſſe, videri plurimum admirabilia ſolent (nemo enim illorum eſt, qui non & diuitias amet, & paupertatis onus vel ſedulo ferre recuſet, vniq; ſe ſcelerato comparet habēdi ſtudio, reique amplificandæ qua poſsit cūque tradat ratione: de Fortunis opulentijſq; parandis animo vſque ſolicitus) pugnandum tamen acriter contrà eſt, in ſuamque ipſe animus libertatem aſſerendus: futiliumque rerū ſtultiſsimæ ac vanæ nimium admirationes exterminandæ longiſsimè ac penitus etiā amouendæ ſunt: vt ab inſanarum opinionum & curarum fluctibus ſemel feriato animo, quid vituperatione, quid laudatione rurſus in re quaque dignū ſit, perſpicere poſsint: & quod paſsim, temere ac citra delectum iudicatur ab indoctis, quanta ſit falſitatis nebula obductū apertius multo ſentire & expendere liberius.

QVOD

QVOD SI QVI SVNT, qui ob ea, quę & ruſtice plebi, & indoctæ multitudini hactenus dedimus, dum illorum more diuitias ipſis efferimus, probro nobis duxerit vertendum, quia quaſi præuaricātes tergiuerſemur à cauſa, laudata ſemel, hoſtili nunc contra animo inſectātes hos ego etiā atq; etiam admonitos volo, vt dictam in diſſerendo legem ratam eſſe oporteret intelligant: vimq; nulli magis vel certo rerū præſcripto, vel diſſerendi rationi quam ſibi inferre, ius faſq; eſſe. Sed verò diſputari ac diſcerni rarò quicquā ſic poteſt, quin & indoctis & multorum opinioni prius aliquid demus. Quod ipſum loco rurſum extenuare ſuo, eneruare, confutare atque refellere munus eſt nō inutiliter diſſerētis, ſed potius ſcriptoris acuti. Quam ſi nos partem iure noſtro amplexantes, videbimur dignè executi: nec ſannæ horum curandæ, nec obtrectatorum tetra nobis erit calumnia pertimeſcenda Illud tamen mi Nicete, ſi me mirari non dicā certe mentiar: miror nanque, quòd cum ſancitæ, modò legis immemor eſſe non debeat, ita repente eiuſdem obliuiſcare, vt de paupertate vera omnia candidaq; ſentienti, à me tibi iniectum ſcrupum facile arbitrere: quò ſcilicet, ſolicitius iā inquirere cogare, veræ ne an falſæ hactenus ſis opinioni aſſenſus: addens etiam & illud, corrupti iudicij labem ex verbis re noſtris hauſiſſe: atque ideo, obuerſariæ nunc dictionis inſigni aliqua palinodia, quaſi tempeſtiuè aliquo pharmaco adhibito, ſalutarem tibi a nobis medicinam eſſe faciendam. Quod ego faciam libens, pluris enim apud me amor tuus valebit, quam potentum gratia ac diuitum amicitia. Quas obres paupertatis patrocinijs, quæ ſe ſe à nobis non neglectam aut deſertam modo, ſed maximè etiam queritur offenſam, conſulendum eſt. Vt iam tandē ceu poſtliminio reſtituta, & in libertatem priſtinam aſſerta, honorem accipiat ſuum, & virtutis ſplēdorem. Ne ſordidatam ac ſordidam ſpeciemq; etiam nunc exilij præ ſe ferentem ſtulti homines impunè irrideant.

ITA NE incorrupta morum cuſtos, officij ſedula cultrix, & virorum altrix optima; virtutumque vera magiſtra paupertas, exterminanda eſt, & in exilium temere cum conuicijs eijcienda? atque indicta cauſa damnanda? Bonarum ne artium peribit inuentrix; innocētiæ fidiſsima præſes, pudoris amica, & æquitatis alūna, abiectè profligabitur orbe? Pereāt imò ſuperbæ, ambitioſęque diuitiæ, malorum nutrices ſcelerum: quam vt ignominioſè vrbe cedat, ſine patrono paupertas. Quid enim habet mali paupertas, quid opulētia boni? Amicitijs (inquis) multorum florent, ſplendidæ quibus fortunæ ſunt, & diuitis copia Gazæ: fide valent, authoritate præſtant: iucunda illorum vita eſt, fama bona, ipſeque etiam ſomnus dulcis. An non hæc omnia præclara? Ita ſanè. Sed illuſtria hæc, magnifica & ampla: verbis quæ à te ornantur pulchris, quæq; in Cœlum vſque fers, laudibus multis exaggerans: ecquid vera ſint, an falſa vides? Certè, ſi ſapis, quod obſcura ſint, dubitare te dices: Imò, inquit ille, reſpondere eſt promptum, ſyncera eſſe ac nulla ex parte fallacia. Vide, inquam: ne temere præcipites ſententiam. Atqui, ſic animo ſedet, reſpondet. Accipe cōtra inquio, quàm ab ipſo tramite deuies; opinione fallaris, & via tota ſtultus aberres: quàm aliud in ipſarum receſſu ſit, ac fronte promittunt, mecum pauliſper expende. Verùm hæc, quæ tantopere miraris; quæque præſtantiſsima reris, prius, ſi non eſt graue, non deeſſe pauperibus eaque vel vera illis; ac ſolida eſſe, perdiſce. Ego verò inquit ille, imo te audiam libens: atque efficere mihi rata ô vtinam poſsis, quæ de paupertate promittis. Hîc ego, ſpero equidem Dei optimi maximi benignitate ac diuino fauore futurum breui, vt te in hanc facilè opinionem inducam. Tu autem animum ne deſponde, ſtrenuèque iam confide.

SOLINE AMICIS diuites florent? At hoc Pythagorici pauperes negabunt, quorum nobilitata iure amicitia eſt. An obſcurus eſt, prolixique temporis vetuſtate obliteratus, eximins ille Damonis in Pythiam amor, animuſque ipſiſsimus? Quorum cum alteri à Dionyſio Siciliæ tyranno dies necis foret præſtitutus, commēdandorumque ſuorum haud ita longinqui temporis dari ſibi petiſſet induciās: vas pro amico factus eſt alter, vt ſi ad ſupplicij diem amicus non reuertiſſet, confeſtim ſibi eſſet è vita diſcedendū. O pręclara amicitiæ vis, quæ vel ſumma in paupertate & atrociſsimo vitæ diſcrimine nūquam deſeris amātem! Quid quæris? venit ille. Amicitiæq; tantæ pręſtantia Tyrannus obſtupefactus, ſupplicio addictum pœna eximit: neque hoc contētus, etiam illud poſtulaſſe fertur, vt ſe in amicitiam aſcriberēt tertium. Vides ne veris amicis paupertatem nō ſolere deſtitui! Quid de fide dicam? An & hęc ipſa nulla eſt quibus domi parum eſt auri, & fictilibus vix ędicula vrnis inſtructa? At communis eſt affatim illorū exemplis vita referta, qui maxima in paupertate atque indigentia cōſtituti, fide animi inclyta præſtiterunt. Nam & Romanorum probatiſsimi,

tiſsimi,

uiſsimi, pauperrimi fuiſſe dicũtur: & apud Gręcos conſeruatores patriæ & reipublicæ viri principes, cenſu pauperes, ſed virtutis fama diuites (dum ditare quam diteſcere malunt) vita defuncti ſunt. Adeò, vt illorum multis cũ ad ſepelienda ipſorum corpora numi non eſſent, pecunia publica funus ſit ductum, & iuſta rite peracta. Quorum tamen (vt Ælianus maximuſq; Valerius memoriæ prodiderunt) nec ſequi vnquam domi conſilia puduit, nec auſpicijs bella gerere. Quin ergo teſtimonio pauperum creditur, inquies? An tu paupertatem exiſtimas abrogandæ fidei cauſam eſſe, ac non id potius improbos mores efficere? Atqui nulla ſunt iura, quæ bono pauperi teſtimonij abrogent fidem. Ijs enim duntaxat ciuili iure teſtimonio interdictum eſt, qui morum laborant infamia: non illis quibus eſt incolumis honoris ſtatus, & vitæ dignitas ſalua. Quid enim tam eſſe poſſet iniurium, quàm ſi leges, quæ honeſtatem vitæ ſecutæ, malis pœnam: & bonis largiuntur honorem, inculpabili hominem vita, flagitioque nullo infamẽ, à iuriſiurandi religione eam tantum ob cauſam remouerent, quia pauper eſt? Intelligis (opinor) legis id fieri dignitate ſalua non poſſe. An exiſtimas etiam bene morata in republica Terentiani illius Phormionis neminem vnquam naſciturum eſſe perſimilem: cui tenui licet in re, de fide tamen animi, ſuo quodam iure liceat impunè gloriari.

Quid ad me ibatis? ridiculum: an veremini,
Ne non id facerem, quod recepiſſem ſemel?
Heus, heus, quanta hæc mea paupertas eſt; tamen
Adhuc curaui vnum hoc idem, vt mihi eſſet fides.

Quid præterea de authoritate loquar, qua plurimum alijs antecellere diuites vulgò creduntur? Eſt ne huius fructu ſterilis ſemper inopia? Imò verò, nunquam id patietur poëtarum princeps Homerus, cuius verum illud atque præclarum eſt, & maximo ſemper in pretio habitum. Etenim poſt Iliacum incendiũ, ſæuumque excidium, Cephalenorum is ducem perhibet vagis erroribus actum & inſani maris vndis eiectum, naufragum tandem ad Pheacum populos, atque regnum appuliſſe, tempeſtatis vi ſocijs abſumptis: ibiq; regina & populi primoribus epulis tunc forte vacantibus, ignotum ſubitò Vlyſſem aſtitiſſe, qualem præſens docebat temporis habitus, ſine nummis, ſine comite: & ex diutino vſu paſsim diſſutis, ſemiruptiſque veſtibus. Qui vbi de ſuis rebus dicere iuſſus, theſaurum mentis exprópſit: Sapientia animi oratione graui mirificè patefacta: tanto eſt honori & venerationi à cunctis habitus, vt nemo omnium foret, qui non ſe ignotum & pauperem Vlyſſem repẽte effici mallet, quam rerum apud Pheaces potiri. I nũc, & in honore haberi nega pauperes cum ignoti hominis mendicitatem nobili videas regno præferri. Nam quid ego de M. Menenio Agrippa nunc loquar? Etenim quantæ illum authoritatis exiſtimas fuiſſe, quem ſenatus & plebs pacis interſe faciendæ authorem eligere non erubuit? Quantæ ſcilicet eſſe debuit arbiter publicæ ſalutis. Hic igitur talis ac tantus vir tam tenui fuiſſe cenſu dicitur: vt niſi à populo collatis in capita ſextantibus eſſet funeratus, ſepulturæ honore facilè caruiſſet. Verum idcirco pernicioſa ſeditione diuidua ciuitas (vt Valerius Max. ait) manibus agrippæ in vnum contrahi voluit, quia eas pauperes quidem, ſed ſanctas animaduerterat. Cuius vt ſuperſtitis nullum fuit, quod in cẽſum deferretur: ita extincti, hodie quod ampliſsimum eſt, patrimonium Romana concordia. Quid? quod vitam iucundam, famam bonam dulcemque aiunt eſſe diuitis ſomnum? perinde quaſi ſobria & moderata paupertas, rebus ſit his omnibus orba? Atqui, intelligendum eſt, huiuſcemodi rebus ſobriam circumfluere paupertatem, nulliſq; meis poſſe diuitijs atque opulentijs cedere, quin vel maximè etiam ſæpe præſtare.

SICCINE iucunda diuitum vita? Acerba ergo ſemper erit pauperum. Certè inficias ibũt Anaxagoras, Philoxenus Melopeus, Scythes Anacarſis, Democritus Abderites, Thebanus Crates, Synopenſis Diogenes: qui curas, ſolicitudines atque moleſtias, quæ peculia ampla ſequuntur, auerſati: maximis ſe ſe opulentijs, poſſeſsionibus atq; diuitijs vltrò abdicauerũt & paupertati ſpontaneę tradiderunt: tranquillitatem vitę, ocium ac ſecuritatem ſecuti: alijque item innumeri, qui ob ingentes opes irrequietam ſolicitudinibus vitam, & periculis multis expoſitam terrore non vano fugientes, ſe ſe huic tradiderunt inſtituto, tenuem vitæ cultum nimium amanter amplexi. Non ergo tenuis vita iucũda debet, aut parum grata videri, quę claros ſapientia viros, & virtute magna pręſtantes prę ſui ipſius amore magnas fecit opes contemnere, & omnino parui ducere. Iam verò, quid de fama dicam? quam diuitibus aiunt duntaxat bonam contingere. At hercle hoc in loco pręclarum eſt illud Horatij.

Si bene qui cœnat, bene viuit: lucet, eamus.
Quo ducit gula.

Quid hoc Horati? nempe aliud nihil, quã vt intelligas

telligas Syracuſijs menſis, exquiſitis epulis, externiſque lautitijs bonam famam nūquam ſolere parari: eamq; potius in ſobrietate vitæ, temperantia & virtute animi eſſe repoſitam: quam delicijs vita affluens, in peius ſemper praua animi ſumpta licentia, homini ſæpe adimit: illius pleraque nigra denotans fama. Sed fac quæſo diuitum ſemper bonam exiſtere famam, & nullius vnquam linguæ ſubiectam eſſe flagellis. Nunquid præſidio huius tenuis Fortuna deſeritur? At vanè hoc tibi perſitādētem hallucinari non ſinet philoſophorum ſchola omnis: qui cūm ſummam vbique paupertatem ſequerentur, illuſtri tamen ſunt nominis famā potiti. Fortunatorum iam credo, diuitūq; hominū mihi ſomnū obijcies, quē eſſe ferūt dulciſsimū: cū molli in lecto pluma ſpectabili & oſtro, delicatos artus conueſtiēs mollis irrepit quies. At, vt hîc etiam demus diuites benè dormire, & nullo per quietem cōpilationis metu ſubitò expergefieri (quod admodum numatis vſu venire cōſueuit) quis neget ſuam eſſe ſomnolentiam pauperi, gratāue quietem? florida hic incolēs prata, amœna dormit in ſylua: parui ille cuſtos agelli ſecuros vili ſomnos capit in caſa: nec deeſt, qui pro puluino aratione defeſſus, ſubiecto altum in vomere dormit: dulciterq; blitus (Iouis frigidi metu nullo aut impedimētō retardatus) ſub cœlo dormit aperto: ex quibus ille,

Nec mihi tum molles ſub diuo carpere ſomnos:
neu dorſo nemoris libeat iacuiſſe per herbas.

Primum mali ſibi aliquid imprecans, iam ſe his rebus patitur poſſe priuari: ſub dioq; molles ſomnos appellat dormientis: illud interim addens,

Neu dorſo nemoris libeat iacuiſſe per herbas.

An libet cuiquam, quod ſibi non placet, acerbumque aut graue videtur? Certè negabis: deſineret enim cupere vbi ingratum eſſe ſentiſset. Quid? quod baiuli atque operarij defeſſa laboribus corpora ſomnos carpunt auidius, altius indormiunt, multoque ſtertunt liberius? Non ergo credēdū eſt, pauperem hominem dulci ſomno priuari? Nam quò arctius quiſq; i[illegible]lget ſomno: ſuauius eum dulciuſque eſt dormire putandum. Eſtque proculdubio illud veriſſimè dictum,

Dulciter ille dormit, qui quā male dormit, nō ſentit.

Ita fit, vt earum rerum non ſit paupertas indiga, quas beatis aiūt diuitibus ſuppetere. Nic. O mi Philemon, vix me contineo quin præ gaudio lacrymem, cum orationem hanc tuā contemplor: illucque ſenſim reſtitui me perſentiſco, vnde iam pene excideram: dum populari auræ inſeruiens, diuitias ipſe laudibus efferis impenſis: inuiſoque paupertatem colore depingis. At, Dij boni? qua nunc arte varias ipſe ſententiam, tuamque alio mentē conſers? preſta in incœpto quæſo, meumque animum gaudio iſto diffunde. Phil. Audi igitur reliqua: nam & nos id amamus: contractamque tibi ſiniſtriorem cupimus abſtergere labeculam: eundemque te præſtare prorſus quem nacti à principio ſumus. Ægrè nanque ferimus, præ poſtero te à nobis rei cripi ſenſu cumq; mali tui authores ipſi ſimus: graue tamen atq; moleſtum eſt, exprobrari iam iterū animi corruptelam tui, audireque toties quā delinquendi ſemel anſam præſtitimus. Nic. Quid tu mi Philemon ſiccine credis, eo à me animo de reſtitutione noſtra mentionem fieri, vt iniectam nobis labē tibi exprobrare veliſmus? tace, noſti iam animum credo. Neque tamen tu is es, qui vel ignoranti tenebras geſtias obducere, quò à recto diutius aberret tramite: cuius tanta animi virtus eſt, vt non orationis tantum ſuauitate, grauitate ſermonis, dictorum lepore & ſale (cui illa à natura eſſe videntur inſita) ſed & integritate morum, vitæque honeſtate meliores multo eos, conſuetudine qui tua gaudeant, verè poſsis efficere. Phil. Poſſem, ô vtinam, mi Nicete, quod tibi mirè eſt facile: virtutis tamen habere fatemur amantem animum, & virorum illorum cupientem maximè, quos illa credimus alijs anteceller̄e, à poſſeſsione autem illius abeſſe nobis videmur longè, qui noſtra ipſi vitia nonimus: & deficere multum in illa adhuc ſentimus parte, vbi ſuam ſolet virtus ſedem figere ſed & tu, ſi placet, audi iam inquam reliqua. Nic. Iam dudum equidem parato animo adſum: tu ad dicendum animo item accingere. Phil. Iacta ſunt non malè paupertatis laudādæ, opinor, hactenus fundamenta, dum opponimus ſingula ſingulis: & quæ in diuitijs putantur ampla, tenues apud lares non deeſſe omnia docemus: placidè incepiſſe contenti, ne ſi primo impetu adoriri acrius vellemus hoſtem, de ſumma rerum inconſultè dimicātes, periclitari temerè poſſemus. Nunc cum pares vtrinq; in campum milites adduxerimus: anteaquam aperto Marte pugnandi ſigna demus, eos, qui paupertatem imbelliæ incuſarunt, miſeramq; planè crediderunt, refellamus, à vexilliſq; fugemus; vel ab opinione potius ſtulta dimotos, cognoſcendi veri ſtudioſos & ad amplexanda honeſta animoſos atque alacres efficiamus.

Qvid ais, bone Theognis, vſque cōnè

aſpera

aſpera paupertas eſt, indigētiaq; atrox, vt ex-
trema omnia ſubire: in ſcopulos, mareq; ir-
ruere ducas potius, quam illam perpeti? Cur
ita? en age, ſentētiæ tuæ cauſam nobis ediſſe
re. Neq; enim tantopere mihi conſiderandū
eſt quid quiſq; aiat, aut neget: quam quid ra
tionis afferat: quid eum ſit æquum ſentire.
Placet enim mihi ſummè Ariſtotelis illud ę-
grotantis, qui aſsidenti medico ſubinde di-
ctitāti hoc fuge, illud ſequere: ſatis audacter
reſpōdit. Me ne tu ſtultæ more tractas plebe
culæ? Prohibiti igitur atq; conceſsi mihi ex-
plica cauſas, ſi me tibi velis eſſe parentē? Sic
tu cur miſera paupertas ſit, breui expedi. An
nō, inquit ille, ſat cauſę eſt, miſeriæ illud eui
dens ſignū, libere tibi & loquendi & facien
di quippiā, facultatē ac copiā eripi? Mihi ve-
ro inquā hoc planè videtur miſerū. Hic ille,
Quiſquis erit pauper, inquit, vinctus nil dicere: ſā
Nec præſtare poteſt. Omnia lingua timet. (ctis
Quaſi verò qui paupertate premuntur, cū
diuitijs protinus, & loquēdi & faciēdi liber-
tatē amiſerint? Ac nō vel is potius ſententiæ
huius author, dictis ac factis mendacij ſit cō
uictus? Etenim cum apud Bionē magno in
cōuentu hominū paupertatis hæc mala ver-
bis multis Theognis blateraſſet: quin (in-
quit Bion) pauper ipſe cum ſis, nugari tanta
deſinis: moleſtaq; ad extremū nos garrulita-
te ſeducere? Quo ille dicto mirificè homi-
nis cōpeſcuit amentiā ſolutis interim in ri-
ſum adſtantibus. Sed perpendamus amabò
quàm hæc falſa ſint. An credemus, opinor,
pauperrimo Diogeni, cui pręter perā & bacu
lum rei ſanè amplius nil quicquam fuit, lo-
quendi vnquā defuiſſe libertatē? Hic enim,
cum apud Chæroneā forte eſſet Philippus
caſtrametatus, philoſophicis intentus curis
in hoſtilia imprudens caſtra decidit: vbi cō-
prehenſus, ad regemq; allatus: cum quaſi ex
plorator à rege parum comiter eſſet except*:
philoſophica animi pręſentia fultus Dioge-
nes, prorſus, inquit, explorator: nā & demen
tiā tuā inſpecturus adueni; qui Macedonū
amplo regno parū cōtentus, aliena captans,
indiſcrimē te ipſum conijcis, ne regno & vi-
ta priueris. Cuius libertatē animi admiratus
Rex, abire liberū iuſsit. Quid porrò, nū ei lo
quēdi adēpta libertas eſt, cū ſeru* fact* apud
Corinthū venibat? qui pręconi interroganti
quo ſe vellet exponi venū indicio, prędica,
inquit, an ſit qui velit dn̄m emere ſibi. Qua
pręconij nouitate Xeniades excitat*, qui cō
modū licitator acceſſerat, hominē mercatus
eſt: qui domū perduct* edicebat, quo pacto
eſſe ſibi Xeniadē dicto oporteret audiētem.
Cūq; prępoſterū eſſe Xeniades exclamaſſet,
ſi parēdi leges hero ſeruus pręſcriberet: hic
Diogenes, quid, inquit, faceres, ſi medicum
emeres? nō ne iubēti obtēperares, & ſalutaria
pręcipiēti obſequerere? Ad quę cū Xeniades
ipſe annuiſſet placidè: & mihi te pręſtare de-
bes obſequentē. Quo audito hominē manu
miſit, & traditis ſibi liberis, accipe, inquit, ô
Diogenes filios meos, quibus imperes.
SED quid his diutius immoror? dies me pro
fectò deficeret diſputātem, ſi clarorū paupe
rū exēpla, qui libertate maxima pręſtiterūt,
omnia vellē exequi? illud videamus, nū ille
ipſe, qui paupertatem modò perinde ac ſum
mū malorū exhorret, modò libertati cenſet
officere, malaq; in ſe tot claudere dictitat, in
eadē ſemper ſentētia perſtet, eſſeq; miſerā vſ
q; quaq; cōfirmet. At, videre eſt, quàm alius
factus, dū tranquillitatē vitæ expoſcit dari ſi
bi hāc nimiū expetit: adeo vt vitā ipſam pro-
feſsio priſtina nihil ſapiat. Sic enim ille apud
Magnū Baſiliū loquit. Neq; diuitias cupio,
neq; voto precor: ſed mihi cōtingat ex paruo
vitā agere, omni carentē moleſtia. Atqui, ni-
hil tā erat paupertatē auerſanti cōſentaneū,
quàm Crœſi, Attali, Eryctonij, Midę, Sarda-
napali, Pythij Cęlenęi diuitias (qui mortaliū
omniū ditiſsimi perhibēt) poſtulare atq; in
ceſſanter expoſcere. Cur igit nō cupis bone
Theognis? At, iā video: nimirū ſecurū, quietū
q; vitę ſtatū expetis, benefacis, ſapiēter diui
tū faſtū dſpicis: opportunè diuitiarū comites
ſolicitudines refugis: ac tibi in tēpore caues.
Qui igit paupertas exiſtimari miſera poteſt,
quę nulla ex parte diuitiarū cedat bonis: quę
moleſtias tot adimat, beatęq; ſit vitæ funda-
mētū? Sed rē, ſi placet, ſcrutemur iā alti*, ali-
quādoq; tādē accuratius perpēdam*, quàm
ſint illa cōſtātia, quę gratę diuitię ſuppeditāt
Amicos inquiunt, ſecundæ res parant.
At illorū quàm ſit ver* amor, ſyncerū pe-
ctus, ingeniūq; fidū aduerſæ probāt. Ac pe
rinde atq; lydio quodā lapide veri animi ſyn
ceritatē explorāt. Ac ne amicitiæ quidē cog-
noſci virt* poteſt, ni aduerſi quid obtigit, in
quo veri tanquā amoris decerpi flos poſsit,
& colligi fructus. Quod egregio Ennius car
mine prodidit, ait enim.
Amicus certus in re incerta cernitur.
Id quod exactum regno, ob illatū Lucre
tię ſtuprum ſenſiſſe Tarquinum perhibent,
lamentanterq; dixiſſe, tunc demum quos fi
dos, quoſque infidos amicos haberet, ſe fa-
cilè cognouiſſe cum neutris gratiam referre
poſſet. Ac reuera diuitiarum ea natura eſt, vt
quos affluētia rerū attraxit amicos, accīſa diſſi

pœ res, & inops perdat ſubſtātia. Hinc opulēti homines amicorū grege ſuperbientes: niti da fortuna reſtiterit quàm fuerint amicorum inopes facile intellexerūt. Hoc enim incommodi ſemper habet Fortuna magna, vt explorandis ſit amicis parū apta. Et cùm à fucatis fictitijsq; amicis crebrū ſit, quotidianūq; periculū: huic infortunio ditiſsimi quiq; obnoxij ſunt, & ſubiecti maximè. Teſtis Alexāder, qui ſubiecto geſtis inclytis orbe, pſeudoamicorū eſt inſidijs neci deditus. Alijq; itē multi, qui ſæuas inimicorū manus euaſi, ab amicis parū ſynceris minuſq; fidis trucidati interemptiq; ſunt. Adeo, vt ijs illud eſſe debeat ſemper in promptu ſitum.

Cauendi nulla dimittenda occaſio eſt.

Cui ſententię Plautinum illud eſt proximū

Semper cauere: ſemper duxi optimum.

QVAE igitur iucūda eſſe vita poteſt, aſsiduè à ſuis, timētis, & inſidias vſq; vitātis? Sic igitſe res habet, vt diuitū atq; magnatum eiuſmodi amicitijs referta omnis plurimum vita ſit. Ita fit, vt ſi in rerū ſplēdore imminutum quid eſt: qui amare nimiū videbantur, actutum diffugiant. Vt enim appetente ineunteq; vere hirundines pręſto ſunt, hyemeq; rurſus rigeſcente aliò cōuolant, ſic fictitij illi fucatij; amici proſperis ac ſecundis rebus diuitis ad nutū officioſi adſunt: acciſis dilapſiſq; ſubitò diffugiunt, lautiorē alibi proſpere agētis rem & Fortunā aucupantes. Cuius profectò rei ruſtici cuiuſdā paſtoritijq; hominis fabella claro nobis eſſe poteſt indicio. Is namq; Fortuna cōtentus parua, vrbana exoſus negotia, ab vrbe procul agrū paruū tenuemq; ſerebat. Pręedio haud ita vicinum domiciliū ędicula erat, tugurio honeſtior paulo. Ad hanc ille cùm veſpere vomere ac ſulco laſſus reuerteret, fumantē procul videt, igneaſque flāmas proſpicit: Extincturus accurrit, victorem ignem intus ſentit furere, ędiumq; iam ſumma faſtigia lābere: extinguendi impenſam, operamq; omnē fruſtra cognoſcit inſumi. Vultu triſti conſedit ſpectator miſerabilis: murem interea cōſpicit mirè ſatagentem, de vitaq; maximè periclitantē, indagare cuncta: cōcurſare hinc inde ſedulò, ſalutē fuga quęrentem. Hic ruſticus ſpectaculo indigno cōmotus, iraq; percitus: ô ter ingrate ac peſſima dixit, non te pudet miſero cum educatore triſtē non poſſe ferre Fortunā, quo cum dulcē toties iā ſis expertus? Hiſq; dictis, arreptā beſtiolā in ardētes protinus fauillas cōiecit.

Quid hoc eſt aliud, quam falſi amici ſpeciē moremq; nobis contēplandū prębere? & pſeudoamicorū vitam graphicè depingere?

Verū, ſunt quidā amentia tanta, vt cōbibones, cōpotores, gratotumq; ſibi obſoniorū helluones pares: culinęq, eiuſdē & popinę amatores: ineptiarūm ac vanitatū ſodales: ſtudiorūq; eorumdē amalios, amicos veros & fideles exiſtimēt. Qui etiā palponū & aſſentatorū cœtu amplo, vt ſibi videtur fœlices, nimis gaudent, & illorū ſemper hiantē fame ventrē enutriant. Qui profectò omniū infœlicisſimè ſapiūt: ſiquidē eiuſmodi hominum grex, à pediculorū natura non multū abhorret. Quemadmodū namq; viuentiū illi exugunt ſanguinē: morientiūq; ſtatim corpora linquūt: ſic hi protinus eos deſerunt, quorū aſsiduo atq; immodico ſumptu exhauſta ſubſtantia eſt. In quos Martialis poetę epigramma extat iudicio meo lępidum, ſic enim ait.

Hunc quem cœna tibi, quem menſa parauit amicū
Eſſe putas fidæ pectus amicitiæ:
Aprū amat, & Mulos, & ſumen, & Oſtrea, nō te:
Tam bene ſi cœnem, noſter amicus erit.

Dū igitur palato bene eſt, amare ſe fingūt: cui ſi cœperit eſſe male, vetere irriſo ſodale, denuò alius ambitur. Nec mirū ſanè, vtilitatē quippe ſequuntur, qua primùm fuere parti. Itaq; benignitatis fonte ob inopiā areſacto ſimul amor areſcit. Hi ſunt beatorū diuitum amici: hęc potentū amicitia! Quibus in ipſis quàm ſit pręſidij parū; quàm firmitatis nihil ac roboris, incūctabile eſt. Pręclarè itaq; Namertes, cum legatione fungēs, ab eius gentis ciuibus ad quam miſſus erat, beatus pręedicaretur ꝙ amicorum multorū ſtipatus incederet ſatellitio: interrogauit illos è veſtigio, quo modo qui multos haberet amicos periculū facere poſſet, an ſyncerum & probū haberet amicū. Id cum illi neſcire ſe ingenuè faterentur, ac diſcendi nimiū eſſe cupidi viderētur, per aduerſam Fortunā Namertes ait, hoc poterit facillimè perſpici. Quæ cū ſemper luctetur cum inope, perſpicuū eſt, quē ſit ſortitus amicum, conſtantem hunc, firmūq; haberi, & nunquā mutari poſſe. Nec enim emolumēti ſpe aliqua, ſed amici ipſius animi clara indole impulſus eſt ad amādū. Huic igitur, quē nō res ſed probitatis opinio & facit & parit talē, perpetuò inhęreat neceſſe eſt: amoris mutui cōtentus fulcimētis, & amici pectora redamātis: ratus id, ꝙ res habet, ſtabiliendarū amicitiarum vinculū nō externę ab aliquo rei fructu eſſe petēdum: ſed redamāte in animo potius eſſe repoſitum. Vnde pręclarè Martialis.

Vt præſtem Pyladem, aliquis mihi præſtet Oreſtem
Hoc non fit verbis Marce, vt ameris ama.

Ac re vera non amat, ſed ardet, qui ſcit ſe amari. Hinc illud accidit, vt tenues apud homines

mines amicitiæ veræ certius ſit hoſpitiú: & in iratę Fortunæ procellis fide; multo paratior. Quę cú ita ſe habeãt, cui eſt dubiú, quin amicitiæ pręſtantia diuitijs ſemper anteſtet inopia. Quid porrò de fide authoritateq; locupletú dicã? Quarú rerum cauſa contẽptui deſpectuiq; habitis pauperibus, ab indoctis ſolent prędicari ac fortunati nimiú cenſeri? Cú ne ruſtici quidẽ ignorent, hæc ipſa non diuitijs, ſed virtute animi ſolere parari: inde & fide & authoritate dignos homines iudicari. At, quam exilia, quam inania ſunt: quoties illa fortunis, nó hominibus dantur: excẽſuq; magis, quam ex moribus pretio digni eſſe credútur? Certè leuia minus non ſunt, quam quas poſsident opes mutabiles. Pauperú cõtra vſq; eò bona hęc & firma & rata ſunt, vt mutari vix queãt. Nulla nanq; tenui homini res alia apud omnes & fidẽ & authoritatẽ cõciliat, quam virtutis ac probitatis opinio, & inculpatæ ac ſyncerę vitę perſuaſio. Quarú rerum ea natura eſt, vt quẽ ſemel ſit amplexa, deſerat nunquam: ſatellitio ve dimoueat. Ita illud efficitur, vt diuitibus pauperes & fide clariores, & authoritate auguſtiores, putãdi ſint. Nullú ſiquidẽ domiciliú apertius, nullum expoſitius aut peruiú magis virtus habet hoſpitium quam paupertatẽ. Quæ & principú aulas timet, & amplas diuitú ædes refugit: dú peſſundatur ab illis, & ab his contumelioſè nimis atq; ſuperbe domo exigitur. Quæ omnia ſi aduertere libeat, ita erunt in promptu vt minus longa diſputatione egere videantur. Quorum & ipſorum quæ abundè ſuppeditari poſſunt exẽpla, cõſultò relinquãtur: ne ad alia feſtinãti obſtaculo futura ſint: aut ingrata legẽti. Est tamen cõſiderãdum, mihi id non eſſe propoſitum vt egeſtatẽ illã cõmendẽ, quæ ex ſua cuiuſq; intẽperantia, corruptela morum, deprauatiq; animi naſcitur diſſolutione: quã ego prorſus exiſtimo flagitioſam, & bonorú odio digniſsimã. erepto enim honore hominẽ traducit infamia: vnde merito eſt miſera ac moleſta putanda. Quam quidem in paupertatẽ, qui & ipſi inciderunt, vbi rem patriam obligurierunt perditi, barathroq; vẽtris donarunt, aut turpi meretricum amore ad nihilú deduxerunt: vbi egere tandem vident, contẽniq; ſeſe: conſcientiæ miſero angore premútur: anteactę vitę ſeriẽ animo reputãtes. Sed tñ opinionẽ hanc nó prius aío induerút: quam cõſumpta fœdè, & latè diſſipata ſunt cuncta: etenim, vt ait Satyricus,

Talibus à dominis poſt cuncta nouiſsimus exit
Anulus: & digito mendicat pollex nudo.

Nobilitatis indice digitus priuatur anulo: nẽpe vt intelligamus ſtatioſę vitę infamiam eſſe comitem. Eamq; quaſi iuſtã mercedem laboris, malis atq; improbis viris, omnino debere perſolui. Summa itaq; ope eo nandú eſt, ne turpioris vitæ corrupti licentia in inopiam hanc (quæ à ſapientibus viris meritò eſt luxuriæ filia dicta) animo prolabamur. Neceſſe enim eſt modis omnibus eos miſeros effici, qui in eiuſcemodi paupertatem vitio morum incurrerunt. Quod egregiè Plautus in Trinumo comœdia expreſsit, vbi ad hunc modum cum Inopia filia luxuriam inducit loquentem.

Sequere me mea gnata, vt munus fungaris tuum.
Sequor: ſed finem fore quem dicam, neſcio.
Adeſt: en ille ſunt ædes, I, intro nunc iam.
Nunc nequis erret veſtrum, paucis in viam
Deducam, ſiquidem operam promittitis dare.
Nunc primum igitur, quæ ego ſim, & quæ illa hæc etiam ſiet:
Huc quæ abijt intro, dicam: ſi animum aduortitis.
Primùm mi Plautus nomen luxuriæ indidit,
Tum mihi gnatam hanc is eſſe voluit inopiam.
Sed huc quid introierit impulſu meo
Accipite: & date mihi vacuas aures dum eloquar.
Adoleſcens quidem eſt, in hiſce qui habitat ædibus
Is rem patriam me adiutrice perdidit;
Quoniam, qui me aleret, nihil eſſe video reliqui:
Dedi meam gnatam, qui cum ætatem exigat.

Quid hoc inopiam relinquit, qui cú ętatem exigit. Nimirú vitæ improbiſsimè actæ mercedem perſoluit optimã, miſeriam ſcilicet, vt ſe iam ſui aliquando pœniteat: viuendiq; decurſum morem inops factus cum infamia perpendat. Hanc igitur nos paupertatem diſſolutione morum, turpioriſque vitæ flagitijs & ſcelere partam, tantum abeſt vt laudemus, vt nefariam ac flagitioſam exiſtimemus, & ingenuo homine perindignam: ab eaq; vna nó ſecus atq; à teterrima quauis peſte dehortemur oẽs. Id ꝙ declaratú à me idcirco eſt, ne quis ſtultus, aut hebes temere me exiſtimet laudaſſe, ꝙ ipſe nó ſentiam: criminoſumq; potius eſſe ac vituperãdum duci. Nã ingenij nó ita tardis abundè a me palamque arbitror factum, de qua ipſo diſputem indigentia. Sed de his hactenus. Eſt enim ęquum vt noſtra ſe illuc referat ac recipiat oratio, vnde ſenſim deflexa eſt.

Apparet igitur, omnia quæ diuitibus ipſis & glorioſè & inuidioſè contingunt: maxima eſſe ex parte fucata, ac plerunq; etiã fictitia. Cum ne amicis quidem tutò poſsint fi-

dere: quo vel vno nomine maximè prędicātur, dum magnifica ſemper illorum Fortuna ducitur. Atq; ita, quę in illis ſępe laudantur, quam ſint leuia & firma parum, iam liquet. Interpretatione ergo, quæ apud omnes paſſim malo audire conſueuit, lenita paupertas eſt: cum earū rerum non eſſe expers, ſit mōſtrata: quæ diuitijs aſsignātur. Huc vſq, igitur ad paupertatis reſtitutionem, quæ & verbis anteà noſtris, & multorum opinione miſerabiliſsime plena ſordibus exulabat, gradus vtcunque ſit factus.

NVNC diuitias ipſas excutiamus: ac de illis quid ſapientiſsimi quiq; opinati ſint, altius aliquanto in pręſentia repetamus. Admirationemq; earum ex quorundā animis euellamus, qui nihil illis homini exiſtimant eſſe pretioſius, nihil expetibilius, nihil honorificentius. Vſq; adeo ne laudandę diuitię ſunt, & magno ſemper in pretio ab hominibus habendæ? Quid ni, inquiunt, diuitiarum admiratores? Quærendæ imò vbiq; ſunt, & in primis amādæ. Quaſi vero inquā, opulentia curas adimat: animique graues æſtus leniat & molliat: bonos ve poſsidētes efficiat: aut homini virtutē ſuppeditet? Sed quoniā ita libet audite ô omnium ſtolidiſsimi, quid doctiſſimi quiq; contra ſenſerint. Illud tñ mihi velim prius reſpondeatis: ſint nō homini miſeriæ, moleſtiæ, ſolicitudineſq; captādę? At hercle negabitis. nam quis tam à iudicij ratione adhorret longè, qui id genus res non auerſetur & oderit: modiſq; omnibus exiſtimet eſſe fugiendas? Hîc ego, rectè inquam dicitis. Sed ſi hæc omnia prę̨ſtare oſtenderimus: certè (vel vobis arbitris) vicimus, & fugiendas potius eſſe diuitias, fermè iam eſt obtentum. Prorſus ita res habet, inquiunt. Neque enim eſt dubium, quin malū & aſpernandū ſit, quicquid infortunia eiuſmodi homini importat & inuehit. Hoc igitur teneamus, malas & fugiendas prorſus eſſe diuitias: ſi ſolicitudinum & miſeriarū effectrices eſſe mōſtrentur. Maximè. Hoc ergo vnū nobis probandum eſt, aut cauſa cadendum. Sed heus vos, illud etiam velim reſpondeatis: in examinandis rerum meritis ſtandum ne putetis geruli, baiuli, atque operarij ſententijs: an doctorum potius reſponſis, prudentumq; hominum dictis atq; placitis? quis tā (inquiūt) eſt humanæ naturæ oblitus, & veri ignarus iudicij: qui indoctorum vanis nitatur dictis, prudentum veris iudicijs arbitrijſq; deſpectis? Vt enim medica medicos, fabrilia fabros, ſutores ſutrinæ ac tonſtrinæ tonſores inſtrumenta: ſic gerulos & baiulos tractarē decet ſarcinas & pondera: ac ſuæ quemq; artis opificijque arma. Pulchrum nanq; illud eſt, quo monemur.

Quam quiſq; norit artem: in hac ſe exerceat.

Item & illud,

Ne ſutor vltra crepidam.

Prępoſterum ſiquidem eſt, ſi miles nautica: nauclerus bellica curet: ac quod alienum à vitę inſtituto eſt, agere ignarus affectet. Etenim animi vera cenſura prudentis: ſtultiq; contra hominis vt omnis vita, ſic & iudicia & mouēt & valent parū. Tunc ego, pulchrè vos omnia certè decernitis: quò magis miror, tantam ingenij pręſtantiam vel tenebris tot obduci & opprimi, vel pernicioſo vulgi errore tandiu obrui atq; decipi potuiſſe.

SED attendite quæſo, quæ de diuitijs ipſis ſapientū hominū ſit opinio: & cenſura prudentum. Principiò Iſocrates inter Græcos ſcriptores authoritatis vir maximę: Vitiorū miniſtras diuitias appellat: & velamenta malitiæ. Qua in opinione Socratem, Platonem, Synopenſemq; Diogenem eſſe video: qui & diſcordiarum ſeminarium eas arbitrantur & ſcelerum ſemper opifices: viros omnes eximios & clariſsimos ſapientia: alioſq; item multos eiuſdem rei gloria celebres: quorum omnium nomina exequi longū & ocioſum eſſet. Sed vnus accedat Flaccus, poeta medius fidius optimus: qui & ipſe nunc diuitias miſeras: nunc ſolicitas appellat opes. Neq; his contentus, varijs in locis in illas ſtomachatur, Aurum inutile dictitans, ac ſummi materiam mali, omniumque cauſam ſcelerum.

Vel nos in Capitolium,
Quo clamor vocat, & turba fauentium,
Vel nos in mare proximum
Gemmas & lapides, aurum & inutile,
Summi materiam mali,
Mittamus. Scelerum ſi bene pœnitet,
Eradenda Cupidinis
Praui ſunt elementa.

Quid Plautinum illud?

Odi ego aurum: multa multis ſæpe ſuaſit perperā.

Ouidius pręterea clarus ingenio poëta, luxuriæ inſtrumēta diuitias appellat in Faſtis, ſic enim ait.

Cætera luxuriæ nondum inſtrumenta vigebant:
Aut pecus, aut latam diues habebat humum.

Qui omnes quid aliud quęſo te, ſignificāt quàm pecunias & illarum improbā famem, malorum certiſsimam cauſam ſemper mortalibus fuiſſe. Nam quid aliud Annales veterum, & poetarum tot nobis carmina indicant

dicant Iano quondam atque Saturno rerum ſceptra tenentibus auream terris ętatẽ. fuiſſe affirmantium, quam rerum cunctis communem vſum, ac nulli propriam peculij ſortem: beatamque mortalium vitam in commune degentium: nemini inſidiantium: nulla alienarum rerum inuidia contabeſcentium, ac nullo tandem ex aliorum fœlicitate liuore flagrantium. Qua in ipſa inaratam Tellurem ſponte ſua atque adeo vltro dulciſsimos fructus, mire fertilem, maximeque abundantem rerum omnium copiam produxiſſe perhibent: molliaque ocia ſecuras paſsim peregiſſe gentes: nihil impium, nihil nefariũ agitantes. Arctiſsimo quodã flagrantiſsimoq; amore virtutes amantes, vitia contra non ſolum odio proſequentes (quod ipſum exactę virtutis eſt) ſed ne cognoſcentes quidem: quod ſummæ erat profecto fœlicitatis. Etenim (vt ait Satyricus)

Improbitas illo fuit admirabilis æuo.

Nondum itaque marmoreis, æreis ve tabellis, terrificis votis latæ leges incidebantur.

Ne quis Fur eſſet: neu latro, neu quis adulter.

Nemo de alterius neque iniuria neq; improbitate cõquerebatur: ſed ne ſupplicij quidem refręnabat metus audaciã: aut latè cuncta prędantium impetum, licentiam ve pœna coercebat. Quin naturæ potius innocuæ clauſtris, ſeptiſque degebant: illorumq; omnium pectora virtutum robora cingebant vndique, ac circumuallabant. Iniuriam ne alijs quidem cogitantes inferre, quam nondum cognouerant: virtuti vni à natura inſitæ, pro ſua quiſque virili, certatim ſtudẽtes. De qua pręclarè Ouidius primo Metamorphoſeos inquit.

Aurea primò ſata eſt ætas, quæ vindice nullo
Sponte ſua ſine lege fidem: rectumq; colebat.
Pœna, metuſq; aberant: nec vincla minantia collo
Ære ligabantur nec ſupplex turba timebat
Iudicis ora ſui: ſed erant ſine iudice tuti.

Id vero, re ita habuiſſe, ſi vera ſunt quæ Ethnici produnt authores, facile procul dubio intelliget, quiſquis Fabij Pictoris de Aureo ſęculo & origine vrbis Romæ (qui accuratè ſcripti vulgo circunferuntur) libros legerit. Cuius ego pauca hęc, quæ de lucubratione eius excerpta ſunt prima verba ſubieci. Italiæ imperium penes duos populos principes extitit. Poſterius Romani, principio Thuſci ſub Iano cœperunt in aureo ſęculo. Aurea ętas primo ortu humani generis fuit, ſic dicta, quod poſterioribus ſæculis comparata, æquè atq; aurum intermetalla effulſit. Eam cœpiſſe ſub Ogyge ante Ninum annis circiter ducentis & quinquaginta, Xenophon atq; maiores prodiderũt. Is Ianus ſub initium aurei ſęculi lęuum latus Tyberis Etruria tenuit. Cameſſes verò ac Saturnus circa finem eiuſdem ętatis dextrum incoluerunt.

Ea ętate nulla erat Monarchia, quia mortalibus pectoribus nondum hęſerat vlla regnandi cupiditas. Principes quia iuſti erant, & religionibus dediti, iure habiti dij & dicti. Non enim arbitria illorum ab ęquo, vel populos à iure innato, diſcedebant. Nullo tũc vindice aut metu, ſed ſua ſponte retinebant fidem & rectum. Pudor ipſe regebat populos, & ius principes. Domus illis non extructæ vel ornatæ luxuriaque inſignes erant & ſplẽdidæ, ſed vel Criptæ aut viminum tuguria & caua arborum ligna erant. Victũ ſponte naſcentia prębebant: aut in diẽ victus quærebatur venatu. Vinum & far primus illis docuit Ianus ad ſacrificia & religionem magis quam ad eſum & potum. Primus enim aras & pomeria & ſacra docuit: & ob id illi in omni ſacrificio perpetua pręfatio pręmittitur: farq; illi ac vinum primò pręlibatur. Vxor illi fuit Veſta, quę prima Sacrorum regina ſempiternum ſacrificiorum ignem virginibus credidit. Bella tunc non ignota modò, ſed ne cogitata quidem in mentem venerant. Ad pudorem & ſanctimoniam domorum, ſeras & claues excogitauit, & ab eo dictę Ianuæ. Hęc atq; alia nec auditu iniucunda, nec infructuoſa ſcitu, de aureo ſæculo Fabius ille Pictor poſteritati tradidit, ac faberrimè pinxit. Cuius nimirum ex verbis, quæ priſci illius fuerit conditio temporis, obſcurum eſſe non poterit. Deniq; ea rerum facies, ea tunc natura omnium erat, nihil vt cuiquam deeſſet, ſed ne ſupereſſet quidem quod egentem rumperet: & ad diripiendum atq; prędandũ ſolicitaret. Omnibus ex ęquo ſuas natura opes parabat: almoq; terrę munere vnanimes fruebantur. Necdum auri argentiq; execrabilis & inexhauſta fames ſordidorum animos peruaſerat. Ac tandem omnia tunc, vt Iuuenalis ait, Quibus inuideas: ſi liuidulus ſis.

Huius porrò ętatis auſpicia prima occupaſſe Ianum, extrema Saturnum (quod Pictori placet Fabio) Naſonis Maroniſq; verſus facile indicabũt. Sic enim de Iano Ouidius ſcribit in Faſtis.

Tunc ego regnabam, patiens cum terra Deorum
Eſſet, & humanis numina mixta locis.

Nondum Iuſtitiam facinus mortale fugarat,
Vltima de ſuperis illa reliquit humum.
Proq; metu populum, ſine vi pudor ipſe regebat:
Nullus erat iuſtis reddere iura labor.
Nil mihi cum bello, poſtes, pacemq; tuebar,
Et clauem oſtendens, hæc ait arma gero.

Ex quibus perſpicuo apparet, fœlicem tẽporis habitum ętate florente aurea, ſceptri dum regna viguere ſui, Ianum fuiſſe ſortitum. Ad quem interuallo longo temporis, aurei ſęculi ſub ipſum finem, exterritũ metu Saturnum perhibent diuertiſſe, Iouis filij arma ſęua vitantem: quemadmodum .8. Æneidos graphicè carminibus his id nobis eſt Virgilius ſignificare conatus.

Hæc nemora indigenæ Fauni, Nimphæq; tenebant
Genſq; virum truncis & duro robore nata.
Quis neq; mos neq; cultus erat, nec iũgere tauros
Aut componere opes norant, nec parcere parto.
Sed rami atq; aſper victu venatus alebat.
Primus ab æthereo venit Saturnus Olympo
Arma Iouis fugiens, & regnis exul ademptis.
Is genus indocile & diſperſum montibus altis
Compoſuit, legeſq; dedit, Latiumq; vocari
Maluit, his quoniam tutus latuiſſet in oris.
Aureaq; (vt perhibent) illo ſub rege fuere
Secula, ſic populos tranquilla in pace regebat.

Verum vbi primum, à Ioue, paternis ſceptris inhianto, in vincula Saturnus coniectus eſt: fœlicitas illa aurea diffugit protinus, argenteaq; eſt ętas adnata. Non illa quidem culpabilis valde: ſed ne cum aurea quidem comparanda. Nondum tamẽ genuinus ille, iamq; natiuus penè, virtutum amor omni ex parte exciderat: colebat ſuaquiſq; arua, viciniſq; tarò negotium faceſſebat: ab iniuriaq; rebus ſuis contentus, ſtudioſè tẽperabat. Nulli nocturno paſtu alienus ager ſeruiebat, Stabat intra ſuaquiſq; pręſcripta ab aliorum tutus iniuria. Exorta deinde eſt ahenea proles: tunc primũ humanis in pectoribus violentia gliſcere cœpta eſt. Sed tacitis etiam tunc gentes viuebant odijs, arreptiſq; armis iniuriam propulſabant. At poſtquam humanę fœlicitatis inuida malitia innocẽtię clauſtra diſiecit: omnium ſubitò facinorum erupit vis; inſatiabiliſq; plus habendi cupiditas prophanare cœpit cuncta: ęquumq; exiſtimare quicquid collibitum eſt. Hinc ſcaturige & vitiorũ exitioſa contagio: hinc origo fluxit, ac ſcelerũ fons: triſteq; ac ſęuum caput, aheneę hęres ferrea ętas extulit. Argenteę illa quidem neptis ętatis: ſed quæ nihil pręſeauitæ virtutis referat: tantum abeſt, vt proauiam auream ſapiat. De quibus præclarè etiam idem Ouidius ait.

Tertia poſt illam ſucceſſit ahenea proles,
Sæuior ingenijs, & ad horrida promptior arma
Non ſcelerata tamen: de duro eſt vltima ferro.
Protinus irrupit venæ peioris in æuum
Omne nefas. Fugere pudor, verumq; fideſq;.
In quorum ſubiere locum fraudeſq; doliq;:
Inſidiæq;, & vis, & amor ſceleratus habendi.

Quibus rebus breui effectum eſt, vt alta illa ac ſecura antiquorũ mortaliũ tranquillitas, funditus diſsiparetur: nihilq; intactũ relinqueretur, ꝙ alteri placuiſſet. Factus ita maiora minor pręda eſt: pro iureq; vires eſſe cœperunt. Nec contenti tantum ſunt per ſummum nefas à fœlici inſontẽ domo propria exigi; per ſudoremq; parto ſpoliari rerũ dominio: dum ſibi omnia potentum arrogat impudentia.

Sed itum eſt in viſcera terræ,
Quaſq; recõdiderat, Stygijſq; admouerat vmbris,
Effodiuntur opes: irritamenta malorum.

Sed quorſum tam multa de aureis, argenteis, aheneiſq; ętatibus? Quid cum poëtarũ vanis figmẽtis eſt mihi? Quaſi verò illi ſemper vera canant: habendaq; illorum ſint pro oraculis verba? Sed nimirum excutiẽda hæc exactius nobis iam ſunt: ac quò euadant penitius eruendum. Nam quęſo te, ſi omnia hęc accuratè perpendere libeat: nõ ne clariſſimè intelliges nihil aliũd poetas ipſos innuere, quam auri & lucri inexplebilem cupiditatem, flagitiorum omnium cauſam eſſe? Indeq; ceu ex irriguo quodam fonte, deceptiones omnes, fraudes & dolos latiſsimè profluere: & mala cuncta manare? Cum mira cõcordia, ſumma trãquillitate, profundiſsimo & beatiſsimo ocio victitaſſe homines indicent: argento & auro nondum reperto. At, vbi peſtis hæc peſsimis eſt ingenijs hominum adinuenta: confeſtim adnata ſunt, veneficia, adulteria, venena, ſacrilegia, ſicæ. Vt minora illa interim taceam, rixas, ſeditiones expilationes, direptiones, ſtellionatus ac peculatus crimina: & delictorum aliorum nomina, quæ & ipſa tot tantaq; ſunt, vt humano ſit maius negotio omnia chartis vel ſcriptis velle complecti. Verum ſiquidem Naſonis illud eſt.

Iamq; nocens ferrum: ferroq; nocentius aurum
Prodierat: prodit bellum quod pugnat vtroq;.
Sanguineaq; manu crepitantia concutit arma.
Viuitur ex rapto, non hoſpes ab hoſpite tutus:
Non ſocer à genero. Fratrum quoq; gratia rara eſt.
Imminet exitio vir coniugis, illa mariti.
Lurida terribiles miſcent aconita nouercæ.
Filius ante diem patrios inquirit in annos.
Victa iacet Pietas: & Virgo cæde madentes

Vltima

Vltima Cœleſtum terras Aſtrea reliquit.

Nam quid non deſignat impia lucri cupiditas? Quid illa ſceleris relinquit inauſum? Ac quid non potius auro corrũpitur? & compendij furore ſubuertitur? Quod ingenium? quos mores pecunia nõ corrũpit & vaſtat? Quos illa viros non ſubuertit? Quas iuſtitię fores, & virtutũ Gynęcea nõ labefactat, violat, ac tandẽ adulterat? Hæc nimirũ vna eſt, quæ virtutes primum egit in exilium: & pudoris penetralia diſrupit, atque diſiecit: & fines ſanctos reuulſit: & in ea ſcelera hominẽ pauitantem primum impulit. Quare de ipſa haud temere Iuuenalis ait.

Prima peregrinos obſcena pecunia mores
Intulit, & turpi fregerunt ſecula luxu
Diuitiæ molles.

Harum in aduẽtu, vitiorum ſcaturigines proruptę ſunt, turpitudinũq; omniũ latè vndiq; profuſa ſentina eſt: & maxima ſceleribus feneſtra patefacta. Vnde Timocreontis illud Rhodij laudari ſolet à doctis. Vtinã ó cęce Plute nec terra, nec mari, nec continenti apparuiſſes: ſed Tartarũ incoluiſſes, & Acherõtem: nanq; te propter cuncta mortales circunſtãt mala! Sapienter ille. Quis enim illorũm omnium referre poſsit exempla; qui pecunia, muneribuſq; corrupti à ꝓbitatis atq; virtutis officio deſciuerunt? Qui famã, fidem, iura, faſq; reliquerunt, turpiſsima prædæ illecti: & inſano auri amore capti? Pleni ſunt annales temporũ, pleni ſcriptorũ libri: plena veterũ recentiũq; rerũ monumenta. Quotidianis abũdamus exemplis graues & ſapientes viri nihil aliud in ſuggeſtis ſępe decantant: Auaros, ſordidos & malignos à congerendis nũmis, & pecuniæ admiratione dehortantes. Repetitis interim diuini oraculi reſponſis vitium hoc deteſtantis, cœliq; Ianua interdicentis, Mamõnę id eſt diuitijs, Gazęq; ſeruientibus.

C V M ergo hęc ita ſe habeant, quæ malum ſtultitia eſt admirari diuitias: quæ nihil in ſe virtutis obtinent: poſsidẽtemq; ſępe corrũpunt: & à cœleſti regno, cui pietate vitæ aſpirandum eſt, hominem auocant: & in flagitia ac ſcelera ductitant? At, videre eſt quantum ab illorum, qui pecunias ſuſcipiunt, abeſſet inſania inclytus ille Chriſti ſeruatoris optimi alumnus Hieronymus, cum illud ſcribebat. Nudus & leuis ad Cœlũ vola: ne alas virtutum tuarum auri deprimant pondera. Credebat nimirum vir ſanctitate eximia animi, doctrinaq; excellens, Auri argentiq; ponderibus, quibus beatam alij atq; fœlicem mortalium vitam effici falſò exiſtimant, ad verã beatitudinem gradũ tolli, atq; incidi: expeditamq; alioqui & patefactã viam, obſcurã ac cęcã fieri: ſalebroſã, priſus obſtructãq; reddi. S E D ne ſanctorum virorum patrocinijs fultos, quos diuitijs omnibus pro nihilo habitis, vni tantum pietati vitę ſtuduiſſe cõpertum eſt, noſtrã nos cauſam meliorẽ feciſſe arbitrentur indocti: teſtis accedat Democrates: qui haud aliter immenſas opes animas cenſet impedire; quam veſtes talares corpora: quin etiã quę mortaliũ generi mala inuehant ſępe repetens, mentis illas grauem ſarcinam appellare ſolebat. qui licet tã doctè & pręclarè locutus ad obtinendã cauſam pro multis vnus nobis ſufficere poſſet: Citandi tñ ex ethnicorũ vetuſtate alij iam ſunt, qui nihil in ſepulchri habere diuitias, rẽq; opulentiam eſſe vilem, facile exiſtimarunt. Qua in re Theophraſto grauiſsimo authori, philoſophoq; clariſsimo haberi fides poterit: cuius tantã non doctrinã ſolum ſed & facũdiã eſſe Fabi⁹ perhibet, vt ex eo nomẽ hoc arbitretur adeptũ, ꝙ phraſim diuinam habeat. Hic ergo, ſi vera ſunt, quę optimus ſcriptor Plutarchus in cõmentario de diuitiarum cupiditate tradit, rem leuem nec ſuſpiciẽdam admodum, opulentiam arbitratur. Cuius eò magis iudicium animi amplectẽdum eſt, ꝙ cõſentaneum nõ ſit, in opulentię natura ſignificanda, opinione eũ falli, qui de diuitijs ipſis pręclarum opus ediderit. Demoſthenes vero, in pręclara illa ꝓ Cteſiphõte aduerſus Æſchinẽ oratione, ob diuitias ſibi quemquã videri negat extollendũ: aut ob paupertatẽ vituperãdum. Cicero pręterea author clariſſimus, ac philoſophus nõ incelebris: in ea & ipſe officiorum ſecundo ſententia eſt, vt pecuniæ cupiditatem fugiendã, minimamque etiã ſuſpicionẽ cauendã eſſe pręcipiat. Nihil tã parui, tamq; anguſti animi eſſe deliberãs, quã diuitiarũ amore tangi. Nihil honeſtius, nihil magnificentius ſtatuens, quã pecuniã ſi nõ habeas contemnere: ad liberalitatẽ beneficentiamque, ſi habeas, conferre. Magnitudo ſiquidem altitudoq; animi in pecunię deſpicentia cernitur. Quæ tũc illa quidẽ valet plurimũ, cum digne cõtẽpta eſt: opulentięq; omnis eſt dignitas vilis habita. Nã cui⁹ in animo cupiditas illius, admiratioq; ſuccreuit virtuti loci parũ relinquitur: de libertateque cuiuſq; maximum quiddam adimitur. Quod egregiè illius teſtatur vox, dolenter qui illud extulit, ô me infœlicem & miſerũ! *Aurum accepi: libertatem vendidi.*

Quas ob res iure illa quidem à ſapientiſsimis viris deſpicitur, dignitateq; hominum, qui ad maximarũ rerũ laudẽ ſe ipſos cõtulerũt, indigna ducitur. Nihil enim magnopere laudãdũ eſt, ꝙ fructus ſpe, futureq; vtilitatis premio, non virtutis ipſius gratia vel amore ſuſcipitur. Vbiq; enim virtus quærenda eſt non merces laboris, cauponantium more, ſectanda. Quæ ſuam tunc gratiam amittit, cum externa aliqua tanquam fœnoris vtilitate impellitur: non laudis atque honeſtatis ſplendore ducitur.

CVM IGITVR nihil dubitationis hic locus habeat: quin opulentia homini ſemper ſit vilis, & abiecta cenſenda: atque ideo neglectiùs ſegniuſque curanda: tamẽ exiſtunt neſcio qui deliciarum luxus, voluptatumq; amatores, qui acerrimè hoſtiliterque nimis orationi huic noſtræ ceu amentes intercedant, ſeque his decretis refraganter opponãt veriti fortaſſe, ne grato ſibi orbentur vitę genere: aut ſpolientur lautitijs: ſi veritati ipſi cedant, & ab errore eripi animo æquo patiãtur. Calcitrantes itaque repugnant: nulliſq; rationis ſtimulis, aut intellectus aculeis vacuum exhibent animum. Vt enim infrænes & ſeſſori malè parentes equi moderatricis habenæ cura nulla habita, exitiali quadam ſpiritus ferocia in præcipitia feruntur. Sic eiuſcemodi homines, quà lucelli aliquid obiectum eſt, decoris atque honeſtatis obliti tartarea quadam ingluuie; hiãti ore, pectore auido, inſatiabili ventre, in exitij ſui barathrum (pernicioſa diſſoluti animi cupiditate) labuntur. Nec tamen miſeri, noxio ſemel animi affectu excæcati, referre pedem valẽt quin potius inſania feruentes ſuæ: iacturæ famæ, inſortunijque immemores, retia tendunt aucupij, ad compendia rerum praua indeſeſſè vſque nitentes: tanta illos tamq; inexhauſta veſani lucri tenet auiditas! Hinc fit, vt apud hoc hominum genus nihil prius nihil antiquius pecunia ipſa ducatur: patrocinium veritatis, honeſtatiſque præſidium, ſtudio ſit lucri poſterius. Delicatius enim, indulgentius atque mollius amant viuere: id niſi lautiori ſplendidioriq; in re fieri non poſſe arbitrantur: venalia igitur habẽt cuncta dummodò potiantur optatis. Hinc diuitiarum cupiditas admiratioque adnata, & veteri & recenti memoria plures tranſuerſos egit: qui affluentia rerum corrupti delicijſque euirati, ſuauioris (vt perhibent) vitæ dulcedine capti: nimis iam auctiori peculio, gutturi ventriq; ſeruiũt: voluptati ſomno, inertiæ, genioq; ipſi ſuo ſine fine lõco omni turpiter indulgentes. Quæ omnia pecudum ſunt, non hominum. His enim corporis cura tãtum à natura tributa eſt: cultui verò animi homines ipſi naſcuntur: cuius maxima ſemper ratio habenda eſt. Diuina enim noſtri animi ac cœleſtis origo, per difficilia & aſpera indefeſſè ſtrenueq; monet, ad virtutem nobis ſemper eſſe attendum: non terreni huius corporis, brutorum inſtar voluptatibus ſeruiendum.

SED ne humani corporis cultum temerè videamur culpaſſe. Natura enim ſui quemque corporis & cultorem & cuſtodem vult eſſe ſolertem: & earum rerum amantem quibus corpus ipſum alitur, validius ac robuſtius efficitur: ignauamq; modo quodam ſe ipſum negligentis deſidiam culpat, ac ſegnitiam reprehendit. Eatenus corporis curam habendam eſſe pręcipimus; quatenus muneribus ipſius integrè ac liberè fungi liceat: Voluptuoſam autem portẽtoſamq; ſolertiam, aut nihil, aut parum certe à contumacia & corpore pecudum differentem, atq; diſtantem, & reprehendimus, & omnino culpandã ducimus: Maximè ſi illius cauſa (quod honeſtum parum ſit) aliquando committendum eſt. Preſtat nanq; imbecille, eneruè, atq; inualidum corpus effici: quam vel tantillum ab honeſtate deflectere. Cui vigilanter atque induſtriè, prudenti viro nunquam non ſtudendum eſt: ſi modò ſui memor eſſe velit officij. Sed nũc quidem ad eos hactenus, qui vt diffluere luxu poſsint, ac turpiſsimis voluptatibus frui, diuitias admirantur: & illarum vſq; quaque aſſertores eſſe nituntur.

SVNT & alij pręterea, quos idcirco videas diuitiarum cupidos, quod exiſtiment, ac ſibi falſo perſuadeãt: eos potiſsimum coli & honoribus affici, qui opulentijs & copijs pręceteris abundant: quorum flagitioſiſsimũ atq; teterrimum genus eſt. Dum enim quęſtu, lucro, compendioq; potiantur, non aliter atq; hi qui abdominis cauſa pecuniæ ſeruiunt, nihil habent penſi. exiſtimationem, famam, fidem, omnia deniq;, quæ in homine laudãtur, & venalia habent; & minoris ęſtimant. Hinc Plutacademica illa Plutonis in ęde inter oracula cõſecrata: de quibus preclarè Budeus quinto de Aſſe, & eius partibus libro: Qui rem facere velint, diuinis pręceptis aliquantiſper obaudiendum eſſe. Tanti eſſe vnumquemq;, quãtum poſsidere videatur. Qui pauperiem fugere, per fas nefaſque neſciant: ijs ſuperos non dubiè iratos aduerſoſque

que eſſe. Malè de ſe hęredibuſq; mereri, qui religioſè rem ampliat. Strenuiſsimi cuiuſq; atque ingenioſiſsimi eſſe, penates ſuæ gentis architectari, vel promouere potius. Qui profectò quàm longè opinione fallantur, ſi hanc ditefcendi rationem Academiæ Plutonis contentione probatam: quaſi bono viro dignam probare, vel admittere velint clarius eſt, quam vt ſit à nobis confutandi gratia verbis multis diſſerēdū. Neq; enim obſcurū eſt turpes eſſe diuitias, quę ſcelere & infamia parentur: neq; honore indignum eum haberi dubitandum: qui huiuſmodi vitā ingreſſus eſt. Parandę ſiquidem diuitię virtute nobis ſunt: non turpitudinibus, flagitijs ve quęrendæ. Alioqui quid facilius, quam deceptione, dolis, rapinis, & furto diteſcere? Quod ſi quem Plautinum illud iuuat.

Lucri bonus eſt odor ex re qualibet.

Ex fraudeque etiam iuxta Sophoclis ſententiam parta compendia delectant, hunc quis non videat ſurſum ac deorſum mixturum cuncta & diuina atque humana prophanaturum: dum modò potiatur optatis? Malum eſt enim ac prorſus miſerum, cum quis ita dicit Hoc quidem honeſtum & bonum eſt: ſed nihil illud expedit. Quaſi vero expedire poſsit cuipiam quod eſt cum ignominia, cum dedecore atque infamia vitæ coniunctum? Longè profectò aliter egregius ille Panętij diſcipulus cenſebat Hecaton, omnino enim compendij ſui cauſa facturum ſe eſſe negat, quod parum deceat. Vnde pręclarè etiam apud Plautum ille loquitur Ægio.

Non ego omnino lucrum omne eſſe vtile homini exiſtimo.
Scio ego, multos iam lucrum lutulentos homines reddidit.
Eſt etiam vbi plus damnum præſtet facere, quam lucrum.

Quo circa non ſine cauſa Publianum illud laudari ſolet à doctis.

Damnum appellandum eſt, cum mala fama lucrum.

Sed tam quibuſdam altè tenaciterq; inhęret, rei quo iure quaq; iniuria parandę cupiditas: & alienarum rerum fames, vt citius elephanti pariant, quam ab hac eos improba libidine tantillum ipſe dimoueas: tantum abeſt, vt in viam faciles cupidoſque deducas. Ægrè ha nimium ęgrè, ſuiſquiſq; cōmodis (etiam ſi improbè affectet) patitur obſiſti! Ab eoq; quod fructuoſum, opimumq; ſibi fore putat, ę quo vix animo diuertitur! Quos ſi honori vt ſuo parcant, & labanti famę ſeruiant: exiſtimationi ve periclitanti conſulant, amicè moneas: ſeq; reſpiciant aliquando, & à detrahentium linguis ſubtrahant: nil ſanè promoueas. Audire malè malunt potius, quam improbe ſuſcepti ſtudij interſtitium vel breue fieri. Tanta miſeros pecuniæ cupiditas tenet! & quaſi deſultoriè cum illis qui ſibi rationem optimam vitæ hortantur agunt dicentes.

. . . . *Populus me ſibilat: at mihi plaudo,*
Ipſe domi, ſimul ac nummos contemplor in arca.

Quod ſi admonere pergas, ſtudioſiuſque docere, ſobriam & honeſtā paupertatem, improbe nequiterq; partis diuitijs multo eſſe potiorem: actum nimirum egeris. Meditatum quippe Satyricum illud habent.

Quid nocet, hoc inquit: tunicam mihi malo lupini
Quā ſi me toto laudet vicinia pago,
Exigui ruris pauciſſima farra ſecantem.

Atq; hæc quidem ſunt, quibus ſaluberrima vitæ conſilia aſpernari ſolent: quos peſsima peculij tantum, & parandi & augendi cura torquet. Quæ ſi mihi ad plenum omnia in pręſentia excutienda forent: dubium nō eſt, quin rei huius magnitudo ingens ſibi opus expoſceret: lectoremq; vacantem. Quocirca breuitatis ſtudio rerum dūtaxat capita ſumma perſtringam: in nonnullis tantum admonuiſſe contentus: & per nutum quaſi ſignificaſſe. Ne ſi in male lecturientem lectorem forte incidam, deterruiſſe magis videar: quā inuitaſſe. Noui enim ego delicatulos quoſdā omnia faſtidientes: quibus ipſa (quod dicitur) putere ſolent narthecia. Sed noſtra uos penſa nihilominus conficiamus.

EX HOC ergo hominum genere diuitias amantium, & alij etiam quidam ſunt, qui à diuitijs congerendis ceſſant nunquam: tātum vt diuites, locupletes ac pecunioſi vulgo habeantur: & inter egregiè nummatos paſsim connumerentur: ambitione quadam miſerè contabeſcentes. Qui morbus non paucos habet, quot omnes ſua cuncta oſtētandi, quædam vexat Erymnis. Quos quidem Valeri' Marcialis ſub Zoili perſona hoc notat epigrammate.

Zoilus ægrotat. Faciunt hanc ſtragula febrem,
Si fuerit ſanus: Coccina quid facient?
Quid torus à Nilo? quid ſindone tinctus olenti?
Oſtendit ſtultas quid niſi morbus opes?
Quid tibi cum medicis? dimitte Machaonas omnes?
Vis fieri ſanus? ſtragula ſume mea.

His nimirum ſua omnis res maximo eſt odio, ni etiam à viliſsimis habeantur ditiores: & ferrata arca nota ſit viciniæ. Aureæ ar-

genteaq; paropſides & peluæs cęlaturis exi-mijs operoſius elaboratæ; cunctis cognitæ tapetes: ac periſtromata Campanica textili-bus variegata figuris, tractimq; intexta: co-loribus & adumbrata viuidis viſentium ocu-los remorentur, ſtupidoſq; aliquantiſper de-tineant, dum tam variam ſuppellectilé, tam-q; magnificum domus apparatum ſubinde extollentes mirantur, beatumq; ter & am-plius ipſum vocât poſsidentem. Aut in ſup-patalitantem quempiam incidant, vel impe-ritum aliquem Telemachum: qui ceu Me-nelai rebus domeſticis conſideratis: Auro ar-gento, ebore, electroq; perſpectis, ſtupefa-ctus dicat.

Talis adeſt aula hæc, qualis Iouis altitonantis,
Plurima dictu mira, ſtupor me habet aſpicientem!

Quales igitur horum diuitiæ exiſtiman-dæ ſunt: quibus non modó fœlices eſſe: ſed ne rebus quidem ipſis liceat frui quin de a-dulantis; aut ruſticius admirantis plebecu-læ inſcisia animo prius ſolicitè atque anxiè pendeant; vulgi ſermones de fortunis ſuis miſerè aucupantes? ad illorum voces præ animi impotentia magnificè exultantes. Cú illis interim accidat, vt congerendis coacer-uandiſque opibus defatigati: fructui alijs, prædæ, atque vſui ſint. Æſopici corui haud abſimiles; qui ſuarum rerum æſtimator ſtul-tus, dum corporis ſui honorem & nitidam venuſtatem iure credit extolli: ſeque verè à vulpe prædicari, lętitia inſana geſtiens, in ſuaui acerbaq; voce crocitans, caſeum ami-ſit: captatrici vulpeculæ verum relinquens gaudium. Itaque quos ſuarum rerum admi-ratores quærunt, eoſdem ſæpe vel captato-res habent induſtrios; vel parum cómodos aſſentatores: vel flagitatores inuerecundos: vel callidos ad extremum fures.

Sed qvid egode horum ambitioſa de-mentia: diuitiarumque admiratoribus plu-ra? Ad auaros, ſi mihi conceditur, peſsimam gentem iam veniam: quos turpitudinú om-nium ſeruos meritò quiſpiam dixerit: vitæ-que propriæ hoſtes. Nam quis à lachrymis temperet: aut eorum nó miſereatur: quorú nihil eſt vita infelicius, nihil ſorte miſerius, nihil copijs fortuniſq; anguſtius & arctius, nihil códitione abiectius? Atque, video her-cle qui mihi pandantur ſinus: quàm ingens pateat pelagus, ſi eorum hic naturam exa-muſſim complectar: qui magnas inter opes ſæua mordente fame, miſeri macreſcunt: inediaque perire malunt, quam vt aliquid de ſumma decreſcat rebus vſque inhiantes. Qui formicarum inſtar aſsiduo irrequieto-que labore aliquid ſemper congerunt: auſi nihil attingere. Quibus profectò haud ſecus atque illis accidit, vt in uehendarum rerum fortè ſub onere cócidant: præ laſſeſcentia vi-rium ſubito deficientes: miſeriam ſibi repor-tantes, malè ſuæ alijs induſtriæ meſſem am-plam & opimum fructum relinquentes, qui-bus improborum gurgites atque voragines & ingluuies rabidæ tantiſper ſedentur, dú recens ſanguis exugitur, atque oſſa corrodú-tur. Nam hi vbi primum expetitam iam diu hæreditatem ſunt nacti, priſtinæ parentum vitæ parum memores, dilapidare pergunt, celeritate mira malè partas opes exorbentes viſcerationibus, choreis, ſpectaculis, & gla-diatorum paribus publicè exhibendis; lepti interim morionibus, paraſitis, & vaniloquis nebulonibus. Quibus rebus quod per vitæ anxietates mille auarè eſt ac miſerè partum, perit ſubitò prodigaliter. Quę à ſummo Deo cuncta ex alto proſpicienti, ſordidis paréti-bus plurimum plaga incutitur. Atque hoc illud eſt, quod Plautus prudenter ait,

male partum, male diſperijt.

Itaque non rarò venire vſu videas, vt cuius parentes congerendarum opum, & pe-culij amplificandi ſolicitabat auiditas: huius filium hæreditatem prodigendi excruciet inſana cupiditas: & munificentia non parcè ſumpta delectet.

Sed qvae per Deum quæſo, maior eſſe poteſt amentia, quam ita diuitias habere, vt eis parere cogare: collumque tuum perinde atque grauiſsimo cuidam iugo ſupponere: & rebus captiuum paſsim animum circum-ducere? Aurique improbi gratia bono te pri-uare illo: quod nullæ tibi poſſunt opes para-re? Ná cuius diuitiæ & Fortunæ ſunt tanti, quæ præſtare poſsint quod ereptum eſt? ti-bique ipſi reſtituere quod ex animi liberta-te deductum eſt? de prudentia ademptum & iudicãdi ſenſu diminutum? Etenim quis ſibi eum ſanę mentis eſſe perſuadeat; qui e-geſta, effoſſaq; humo auri occulit pondera clanculum eò loci diuitias aſportans: vbi nó magis ſibi vſui eſſe poſsit, quam ſi omnino non habeat? Nam ſi, hi diuites ſunt putandi, quorum opes terra conditæ, ſepultæq; ſunt non herclè video cur metallicis in cauis ob-ductæ talpæ: venuliſque aureis delitеſcetes mures, non vel ditiſsimi ſint appellandi? qui-bus aureis argenteiſque arcuulis (vt rectè Plutarchus ait) viſitare liberum eſt: quod ne licet quidem ſordidis, qui xenotocoli in

ſtar Argi, & aſsiduè vigilantis draconis in Heſperidum hortulis mala vſq́ue cuſtodientis, inſomnes vigilant: ſuarumq́ue rerum cuſtodes miſeri eſſe coguntur: nefas eſſe vel attrectare ducentes. Compulſi interim (vt ait Flaccus, vel Sacris tanquam parcere: vel pictis tanquam gaudere tabellis,

Sed quà diuitias tot per tormenta coactas?
Cũ furor haud dubius, cũ ſit manifeſta phreneſis.
Vt locuples moriare: egenti viuere Fato.

Qui nimirum tanta ſunt ignauia atq; vecordia, vt ſi de rerum ſumma vel teruntius decreſcat, de ſe prorſus actum exiſtiment. Quorum hominum mores non deguſtarat ſolum; ſed exactè profectò perſenſerat fugitiuus quidam ſordidi domini ſeruus, qui per tractus aliquando: coramque eo quid ita fugam adornaſſet interrogatus, Quoniá ſub amaris (inquit) raphanidibus herus plurimum vtitur, ac nil niſi putres in Cœnam oleas comeſt: cumq; boni copia ſit ſemper tamen aſciſcit malum. Ac cum vinaria cellá veteri & pretioſo vino (cuius flagráti ſimus flos, vel abſtemij hominis nares ſuauitate quadam titillare poſſet, domi referta ſit: niſi fugiens aut vappam prorſus nihil attingit, diarium præterea meum cum à parua poſsit vnguibus aue ferri: ad laborandú tamé, me pluſquam hominem eſſe credit: planèq; Briareum eſſe exiſtimat alterum (niſi fallor) vel Geryoné. Ita ſæuas imperitat operas! Quas equidem ſuſcepiſſem, obijſſemq́ue libens: ſi cum illo habere manus centum: vel cum hoc tricorpori mihi naſci à natura contigiſſet. Hic igitur oculatus Argos centoculus non minus ad præſcribenda vera munia, quàm ad neceſſaria ſuis eroganda miſerè vſque quaq́ue cæcutit. Quin etiam ſuam ipſe cotidie Fortunam accuſat, deq́ue ea ſæpe cóqueritur immeritò. Id ego conſpicans, veritus ne à ſomno excita, aut irata aliquando: quæ illi affluenter dedit, ab ingrato Fortuna repoſcat: tempeſtiuè mihi conſulere ſtatui. Peccatum ſi hic vllum eſt: me peccaſſe non abnuo. Euge ô bone ſerue! mihi verò tantú abeſt, vt peccaſſe videaris: vt vel præmio te contra maximo afficiendum exiſtimem: qui tam ſignificanter & graphicè malignitatem & ſordes improbi heri depinxeris. Nam quis non videat animi prudentiam tantam meliori Fortuna, aut fœliciori dño longè digniſsimá eſſe? Sed tñ quia viciſsitudo eſt omniú, & humanarú rerú obuerſariæ ſunt ſortes: ita eſt natura cóparatú, vt ſtultiſsimi atq; improbiſsimi hominis interdú ſeruitute conſtricti teneantur: qui verſa rerum vice imperare deberent: & rem cum vita gubernandi ſalutares domino leges præſcribere. Seruitus enim duplex eſt, infœlicis ſortis vna: abiectæ degeneriſq́ue naturæ altera. Illa igitur eſt conſtitutio Iuriſgentium; qua quis contra naturam alterius dominio ſubijcitur: hæc verò eſt, miſera quædam obedientia fracti animi & abiecti, & arbitrio carentis ſuo. Quis ergò illum regendi alium facultate dignum exiſtimet, qui opibus fœdiſsimè ſeruiens, ſe illis obnoxium vſq́nequaq; addictum, vinctum compeditumq́ue adeo turpiter degeneris abiectione animi ignauiſsimè præbeat? quiq; ab inſatiabili illorum nihil penitus abhorreat auaritia, de quibus Strophilus ſeruus in Aulularia Plauti ad hunc modum conqueritur,

Tenaces nimium dominos noſtra ætas tulit:
Quos ego Harpagonas, Harpias, & tantalos
Vocare ſoleo, in opibus magnis pauperes:
Et ſitibundos in medio oceani gurgite:
Nullæ illis ſatis diuitiæ ſunt: non Midæ
Non Craſſi, non omnis Perſarum copia
Explere illorum Tartaream ingluuiem poteſt.

Nec enim tam erit quiſq́ne amens quin huiuſmodi hominum vitam quauis ſeruitute duriorem: moleſtioremq́ue eſſe intelligat. Quid enim is habet liberi, qui rebus modum nequit imponere: & è ſeruitutis turpiſſimæ iugo liberam mentem ſubducere? Pro rerum ſuarum cuſtodia, quarum fructu potiri ac frui non poteſt, dies & noctes attonitus atq́ue ſolicitus animi miſerè pendens: rapaces veritus fures, compilariq; metuens! Nullam ne breuiſsimi quidé temporis quietem, ſecuro potens animo capere: experrectus vſq́ue pone diuitiarum aceruis: longo veluti fuſte abigens latrones. Cui; ſi per eam (qua aſsiduè torquetur) curam; dormire liceat vel punctum temporis: continuò compilatoris callidi ſpecies obuerſatur animo: ſeq́ue auro, ſubito expergiſcens, credit emungi: & ſubreptis numulis pauperem effici. Ne ille haud ſcit, extremam eſſe paupertatis lineam, diuitijs nullis ſaturem poſſe fieri: & cæce vſq́ue gliſcenti animi cupiditati, modum nullum imponere. Huiuſmodi enim opes, vel immenſæ congeſtæ pauperem magis efficiunt, atq́ue pluribus indigentem: & ad eú (cui ſe ſe teterrimè mancipauit amorem) auidius anhelantem. Semper enim ita animatis augendi amor increſcit: videturq́ue anguſta Fortuna, quæ animo ſatis non eſt. Nec tamé eſſe poteſt ſatis animo vlla, occupato iam affectio-

ſectione improba, ac planè ſubiecto. Ita ſit, vt ii argenti pondera non pauca parta ſunt: defoſſo vt fortè in agro dextro Hercule reperta fuere talenta, nihilo magis à congerendi pecunias abducas cura, quam ſi omnino nullas habeant. Quos Valerius Martialis, lepidè vt cætera, hoc perſtrinxit epigrammate,

Si dederint ſuperi decies mihi millia centum
Dicebas nondum Scæuola factus Eques:
Qualiter ò viuam! Quàm largè! quamq; beatè!
Riſerunt faciles, & tribuere Dei.
Sordidior multo poſt hoc toga, penula peior.
Calceus eſt ſarta terque quaterq; cute.
Deque decem plures ſemper ſeruantur Oliuæ,
Explicat & cœnas vnica menſa duas.
Et Veientani bibitur fæx craſſa Rubelli.
Aſſe cicer tepidum conſtat, & aſſe Venus.
In ius ò fallax, atq; inficiator, eamus.
Aut viue, aut decies, Scæuola redde Deis.

Quo in epigrammate tam eſt Diuorum in auaros expreſſa benignitas: quã ſordidorũ graphicè malignitas ipſa depicta, qui, ne operæ pretium quidem ducant, ea; qua apud immortalis Dei numen obſtricti ſunt, fide: ſe ipſos liberare; tenorem eum vitæ ſequentes: quem ſunt ſectari polliciti.

QVIS ERGO dari ſibi horum opes exoptet, quæ nihilo ditiorem efficiunt poſsidentem: ſed viliſsimè quæritantem, & quæſitis miſerrimè parcentem? Quæ enim inſania eſt quaſi ex flamma, quod aiunt, cibum: ex manifeſto periculo lucri ſemper improbam occaſionem vel expectare, vel petere? Cum interim ſibi moleſtiam ingeminent, miſeriamque adaugeant, diuitiarum verum terminũ atque vſum neſcientes. Pecunia enim poſſeſſori, vt à doctiſsimis viris accepimus, aut ſeruit aut imperat ſuo: tertium nihil eſt. Ingenium hoc illius, hæc morum certa deſcriptio eſt. Erit igitur, ſi quis res ſibi, non ſe rebus ſubmittere velit apud ſapientem in ſeruitio pecunia non in imperio, ſtultorũ atq; inſipientium more: qui haberi à pecunia ſe: non habere poſsidereq; illam meritò putantur; vnde & diuitiarũ viri optimo iure ſunt dicti: qui magnas inter opes inopes (vt vates regius perhibet) nihil inuenerunt in manibus ſuis. Quem autem apud ſapientis viri animum pecunia locum obtinere debeat, & qua ſit arte & conſilio gubernanda, prudenter Flaccus duobus his verſibus expreſsit.

Imperat, aut ſeruit collecta pecunia cuiq;
Tortum digna ſequi, quam rectum ducere funem.

Non igitur conſilij noſtri ductare reſtim debet, ſed ſequi: & poſſeſſoris ſui ad nutum conformare, componereque ſe placidè: non domi noſtræ temerè, imperioſæ inſtar dominæ, inuerecundè aliquid atque inſolenter edicere. Sed redeo, vnde diſceſsi.

QVOD SI ægrè parta aſſeruantur ægrius; quæſitiſque (quod dicitur) frui non licet in horrea congerenti, ſed fames acrius incenditur: conſultius eſt inde aufugere, quam vltroneo te malo circumuoluere. Stultũ quippe fuerit, quamuis aureos amare compedes. Sericeo enim an ſpartaceo fune ſtranguleris prorſus nihil intereſt. Vita enim libertate ve priuari, quoquo modo malum eſt: atq; adeò acerbum & luctuoſum. præclare igitur Horatius morbo animi agitari cenſet auaros.

Danda eſt (inquit) elebori multo pars maxima auaris:
neſcio an & Antyciram ratio illis deſtinet omnem.

Non ne manifeſtæ hoc eſt ſignum Inſaniæ, pecuniæ amore captum, mortis inſtar vitam ducere? & libertatis dulciſsimæ arbitrio te ipſum ſpoliare? Ac tandem tua & opera & impenſa domum tibi imperioſam dominam moleſtamque aduehere: ex cuius nunquam liceat conſpectu digredi, quin domi opes relictæ negotium diſcedenti faceſſant: & varia mentem mole curarum diſtrahant? Nunc domum properare propero (apud Plautum dicit Senex auarus Euclio) Nam ego met hìc ſum: animus domi eſt: Quid hoc? quadrilibris nimirum auri aulæ Laris indicio adinuenta abeuntem interpellat, ne vel tantillum domo abſit. Compilari abſens timet: itaque actutum domũ reuortitur: nec dicere interim dubitat. Hei miſero mihi! Aurum mihi intus harpagatum eſt, interuiſam, domi an quid perierit. Saluoq; theſauro lætus iam illud dicit.

Nimis male timui. priuſquam intrò redij, exanimatus fui.

Sed nec ſibi ſatis credit: ita diuitijs timet, domeſticis parietibus & arculis parum tutò pecuniam autumat aſſeruari: Syluestres vbi abſtruat, latebras perquirit. Fauni tandem in luco crebro ſalicto oppleto clanculum obdit: furtimque recondit. Quo ſubrepto, quàm verè atque ex animo doleat, quæſo paulisper attendite.

Perij! interij! occidi! Quo curram? quò non curram? tene: tene!
Quem? quis? neſcio, nihil video, cæcus eo: atq;
Equidem quo eam, aut vbi ſim, aut qui ſim.
Nequeo cum animo meo certum inueſtigare: obſecro vos, ego mihi auxilio,
Oro, obteſtor ſitis: & hominem demonſtretis, qui

eam

eam abſtulerit.
Qui veſtitu & creta occultant ſe ſe, atque ſedent quaſi ſint frugi.
Quid ais tu? tibi credere certū eſt. Nam eſſe bonū te, voltu cognoſco.
Quid eſt? quid ridetis? noui omnes; ſcio fures eſſe hic complures.
Hem nemo habet horum? occidiſti: dic igitur quis habet? neſcit?
Heu me miſerum! miſerum: perij male perditus, peßimè ornatus eo.
Tantum gemiti, & male mœſtitiæ, hic dies mihi obtulit famem, & pauperiem.
Perditiſsimus ego ſum omnium in terra.
Nam quid mihi opus vita eſt, qui tantum auri
Perdidi, quod cuſtodiui ſedulo? ego met me fraudaui,
Animumque meum geniumque meum: nunc eo alij lætificantur.
Meo malo & damno: pati nequeo.

Quis igitur infœliſciſsimum illum eſſe non videat, qui ob diuitiarum curam, ſi diſcedēdum domo ſit: animo peregrinetur abſente? Miſerrimum verò qui parum grandi amiſſa pecunia tam ſe maceret, oppidoque afflictet, vt ſibi vita neget eſſe opus: perditiſſimumque ſe omnium qui in terra ſunt vocet: quis non intelligat? An poteſt quicquā huius eſſe oratione dementius, qui tam ſtultè ob perditam aulam, vitam abrumpere geſtiat? quique tam furibundè atque impotenter præ ęgritudine ſit affectus; vt quaſi laruis intemperijsque agitatus, ſe vix ipſe cognoſcat? & quam inſiſtat viam cæcus non inueniat? Sed queſtu, fremitu, eiulatu, lamentis & mœrore omnia compleat. & quaſi capitale aliquid impendeat, periculo defungi cupiens, opem, auxilium, fidem, præſidiumq; omnium vociferanter imploret. Sed aduertamus (rogo) auro poſt paulo reperto, an ſanior ſit aliquanto: ac in perdito nuper eſt cognitus. Audite ergo, quā præ gaudio exiliat, vbi certior eſt factus penes Lyconidem aulam ſaluam eſſe. Audite inquam, cum primum attigit, quibus illam verbis excipiat.

O Magne Iupiter! O Lar familiaris! &
Regina Iuno, & noſter theſaurarie
Alcide, tandem miſerati miſerum ſenem.
Oh oh quam lætis aula tibi amicus ſenex
Complector vlnis: & te dulci capio oſculo:
Expleri nequeo mille vel complexibus,
O ſpes, O cor, luctum depulerans meum!

Ecquis obſecro de eius ad dubitet inſania: qui tam ridiculè de auri ſorte pendeat, vt ſubito mœrore vel gaudio, animo efferueſcat, ac mentis impos exiliat? Atqui, huiuſmodi voces diuitiarum admiratione corrupta mens, plurimùm ſolet effundere.

Sed profecto ſtultiſsimus quiſquè ſolos fœlices credit auaros, qui mirantur opes. Quorum quanta ſit dementia, facile res ipſa indicat. At mihi nulla maior videtur fœlicitas, quam quæ vaniſsimè ac corruptiſſimè mirantur, alij infracto & erecto animo ac libero poſſe contemnere: & in communi multorum vitio rectum animi ſeruare: ac ſibi verè proſpicere, innocentiæ ſcopulos, & vitæ naufragia vitātem; quæ (iudicio meo) in opulentiæ amore ſunt poſita.

Sed nimirum Iuuenalis illud veriſsimum eſt

Omnibus in terris quæ ſunt à Gadibus vſq;
Auroram & Gangem, pauci dignoſcere poſſunt
Vera bona.

Itaque præcipites in ea homines ferri videas, quæ ſibi maximè ſunt exitioſa: è ſedeque ſua mentem deturbant. Itaque fit non rarò, vt multi induſtria nequiter inſumpta, dum opes hinc inde auidi venantur: quaſi pretio dato infœlicitatem mercentur: domi namque imperioſam & moroſam vſquequaque: quæ dumtaxat moleſtas excubias, & ingratas cogat vigilias agere: acrius irritans ſemel excitam famem. Vt enim rectè Iuuenalis ait,

Interea pleno cum ſurgit ſacculus ore
Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit:
Et minus hanc optat, qui non habet.

Ita fit, vt dum maiores opes parant: egere magis ſe ſentiant: & coaceruādi congerendique plura ſolicitiori cura contabeſcant: alienarum rerum ſplendore acrius inſtimulati. Præclarè hoc certe Horatius, vt ſunt fermè authoris huius cuncta,

creſcentem ſequitur cura pecuniam:
Maiorumq; fames.

Quid? quod iam parta amittendi metū ſubinde vellicantur: ob illorumque cuſtodiā formidine miſera opplentur? Ac nūc metu, nūc cupidine ſæua vexātur: animoq; eſſe quieto ac ſecuro nequeūt, obuerſaria ægritudine vſq; fluctuantes. Ac ſic demum accidit vt quælibet Fortuna ingrata illis acerbaque ſit. Vt enim rectè ait idem; qui à me eſt modo citatus,

Qui cupit, aut metuit, iuuat illū ſic domus aut res:
Vt lippum pictæ tabulæ: fomenta podragam:
Auriculas Citharæ collectā ſorde dolentes.

Qui ergo tā ægrè animo afficitur, ſi quicquid auri argētique in orbe eſt ſolus habeat: diues habendus non eſt. Suus enim quemq;

animus

animus locupletem licebit iudicet: non hominum ſermo atque opinio popularis. Quã diu igitur tam noxijs occupationibus tua ſuccumbit mens: interea vſque inanem te, egentemque putabo. Quis enim ſanus opulentum dixerit hunc, quem rerum affluentia ſuarum, & fortunarum ſplendor, graui tanquam mentis oeſtro percitum, noua ſemper animi cura macerat, & calamitate fatigat ſed hoc cuiuſmodi ſit, mox videro: nunc quod inſtat agamus. Auaritiæ quippe morbo cognito, quid verè hominem locupletet & ditet, faciatque beatum? Sic enim vulgo aſſiduum & pecunioſum appellant, enodatius edocebimus, & facilius enarrabimus.

SED CVM ex his quæ ſuperius dicta ſunt, auarorum non ſint obſcuræ miſeriæ: quin potius vitæ ipſorum infœlicitas pateat: non ideo minus huic quidam ſectæ incumbunt ſummis in malis verſari cupientes potius, quàm à diuitiarum cupiditate atque ſtudio dimoueri: ſua modo quodam fruentes inſania, Illud ſibi crebro dicentes. Hem, vndiq; compendia ſectare: remque quoad poſsis auge: quia tanti quantum habeas, ſis. Quibus illi verbis accenſi, per nefas omne ruunt in quos celebre illud Salaminij Solonis carmen extat,

Haud eſt finis opum fixus mortalibus vllus.

Exitioſum ſanè hominum genus: & à naturæ humanæ conditione alienum ac peregrinum. Nam quis ſe ſe ei tuto auſit credere, qui lucro cuncta poſthabeat? turpeque nihil exiſtimet ex quo quæſtus aliquid corradi poſsit atque decerpi? quique ferina quadam rabie in fructuoſa ſcelera ſemper agatur præceps: diuina & humana iura aut nihil aut parum moratus? Cuius iure ſanctum eſt, neminem cum alterius locupletari iactura: inhumanumque apprimè ducitur, ex alterius aliquid inſcitia prædari. Nam ſi ita quiſque ſit affectus, vt commodi ſui cauſa ſpoliet, aut violet alterum labefactari, diſrumpi, penituſque euerti neceſſe eſt humanæ fœdus naturę. Hic quippe tam vaſtus terrarum orbis, mundique huius ornatus: qui Cœli ſtelligeri ambitu vndique cingitur, lætiſq; vlnis ſpatioſa amplectitur maria, ſpecioſam (ſi cernis) quaſi corporis cuiuſdã nobis exhibet fabricam: elementis ipſis perinde ac membris quibuſdam communicãs omnia, viciſsimque receptans. At, ſi aut hic, aut illa præpoſterum ſibi ſenſum induant: valereque per ſe ſine mutuo auxilio, & reciproco miniſterio autumẽt: vt humani artus quondam, quos ipſos in ventrem, quaſi ignauum & ſegnitia torpentem perhibent cõiuraſſe, inopino caſu licebit concidant, ac diſſoluta fatiſcant, planeq; intereãt. Facile profecto citra corporis obſequium ad ſuarum partium functionem, vires, roburq; illis officioſè ſuggerentis, membra labaſcunt: deſpectiſque rurſum temerè mẽbris, pallore ſenſim corpus macieque exareſcit, breuique tandem ad extremũ conficitur exediturq;. Alterius ſic altera poſcit opem res, & coniurat amicè! Hinc præclarum illud Ius communis ſocietatis hominum inter ipſos à natura inſitum & in optimi cuiuſque moribus nimis amanter infixum: hinc nobilis illa vis & cognatio naturæ: quæ hominem homini ſubſidio egenti, aut calamitate oppreſſo, incognito licet (eam tantum ob cauſam quia homo eſt) benefacere iubet.

EX QVO FIT, vt (quaſi læſa & offenſa natura) parricidij rei deberent peragi auari: & pari cum illis ſupplicio perimi, qui parentes occiderunt. Atquì, parentis qui colla ſtrinxit: vimque mortis intulit, in Culeum viuus inſuitur: & infœlicis vitæ infauſtis comitibus additis gallo, cane, vipera, & ſimia pro regionis more in flumen, proximum ve mare viuus deijcitur: vt ſuperſtes adhuc ceu ex rerum ſublatus natura: Cœli ac Solis aſpectu, aquæ vſu, & terræ munere adimatur. Æquiſsimum enim viſum eſt, vt qui mortiferas & impias manus illi eſſet admolitus, vndè natus ipſe foret rebus ijs careret omnibus, ex quibus omnia nata eſſe dicuntur, & vitæ noſtræ principia manant. Quod ſi tam ſingulari ſupplicio in hoc hominum genus ratione legis eſt plexum: cur non in illos item graui aliqua pœna animaduertitur, qui communem omnium parentem naturam, quod in ſe eſt, peruellunt, corrumpunt, labefactant, & morte ſæuiſsima mulctant: non ſolum, quæ impartiri alijs facile poſſunt ſubſidia vitæ ſæuiſsimè denegantes verum etiam ſummam per iniuriam alijs eripientes, quod iure naturę prohibitum eſt & de non concupiſcenda re aliena interdicto Dei cautum? Equidem ſic exiſtimo, ſi iuſta illi nece perimuntur: nihil eſſe cauſæ quin hi quoque homines, qui ea ſunt morum immanitate præditi, vt lucro cuncta poſthabeant: emolumentique ſui cauſa omnes velint oppreſſos atque deceptos: quiq; non ſolum iacentem non erigere, ſed conculcare proiectum gaudent maximè: à communi lege hominum, vique ipſa naturæ, ſe-

ritate diſcedentes, legitima vindicta mulctētur, & ſupplicij pari pœna plectantur? Quis enim recenſere pergat, quę ab hoc animantium genere notho atq; ſpurio naturę, dū occaſione vel fœda lucri cūcta minoris ęſtimant, deſignata flagitia ſunt: & tetra facinora edita? Vxoris fratrem Polydôrum à Priamo ſocero ſibi commiſsū execrabilis auri illectus ſiti Polymneſtor interimit; naturæ oblitus, & fidei. Hac actus ſame pecunioſos ciues Sylla proſcribit: ſectatur factū Antonius: amat hoc Verres aucupium. Hac exagitatus furia auunculā Oppianicus mactat; & ob Saſsię neſcio cuius locupletis fœminę nuptias, cuius aurum deperibat, affectus & amoris paterni immemor, duos, quos habebat, adhuc infantes filios ne auerſaretur illa coniugium, intra decem dies crudeliſsimè obtruncat. Itaque quod cęteri propter liberos (vt ait Cicero) pecunię cupidiores ſolent eſſe: ille propter pecuniam, liberos amittere iucundum eſſe duxit.

SED PROH DOLOR quo ſenſim dęlabor! leuia ſunt hęc, leuia inquā: horret animus meminiſſe quę reſtant. Inuenta eſt mulier, quę inaudito auaritię genere, muneribus atque auro corrupta, ſuis ipſa viſceribus vim mortis intulerit: ac portentoſum parricidij genus ediderit: immaturos partus proprij vētris cuſtodia circumſeptos, ſęuiſsimè ac nefandè nimium interimens: viuendi antè munere fraudans, quam communi lege naturę vitę lucem haurire poſsent. Nam quis credat tantam eſſe fœminæ immanitatem, vt quod ne fera & immanis bellua tentarit vnquam, imperfectam corporis partem, hominem mox futuram, latebris alui deliteſcentem exfodiat, mortiſque ictu truculento perimat? ni Ciceronem habeat teſtem locupletem dicentem: Memoria teneo Mileſiam quandam mulierem quum eſſem in Aſia, quòd ab hæredibus ſecundis, accepta pecunia, partum ſibi ipſa medicamentis abegiſſet, rei capitalis fuiſſe damnatam. O Secula! O mores! O naturæ iura perempta, ac nefario ſcelere polluta! Tantum ne humana in ſpecie feritatis ineſt, vt deteſtabiliſsimi amore compendij, ſpem parentis, memoriam nominis, ſubſidium generis, heredem familię, deſignatum reipublicæ ciuem, mulier occidat imbellis: & ab imperio, viq́ue magna naturæ repente deſciſcat, pecuniæ duntaxat ſtimulis ſubacta; & infamis auri cupidine illecta? Sed,

Quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames!

Cum Chriſtianę fidei perſuaſione ſancta imbutum neminem fallat (ſi ſacra prophanis admiſcere fas eſt) Iſcarium quemdam hominem Iudam fuiſſe, omnium qui ſunt, qui fuerūt, quiq́ue futuri ſunt ſceleratiſsimum, qui proprium dominum atq́ue magiſtrum, Summi veram parentis progeniem, cui cœlum, cui terra, mariaq́ue parent, cuius è manu terrifica librantur fulmina, cuiuſq́ue imperio ſubterraneis tenebricoſiſq́ue carceribus ſontium animæ pœna iugi torquentur, inimicæ gentis principib' tradiderit, tāti ſceleris, tam nefarij, tamq́ue inopinati & inauditi pretio prius accepto. Veniant igitur diuitiarum admiratores, pecuniarumq́ue patroni: iamq́ue vel ipſi cenſeant, an ſit cupiditati opum animus tradendus, quæ in tantam maleficiorum ſentinam hominem protrudunt, præcipitemq́ue rapiunt, & tanquam amentem efficiunt. Aurea igitur Actij Sinceri Sanazari in diuitias illa ſunt carmina,

Sed rude diuitias extollit vulgus inanes:
Nec meminit quantis ſit caput inde malis.
Diuitiæ fera bella viris lethumq; tulerunt,
Nam prius æterna pace vigebat humus.
Diuitijs natoq; pater, natusq; parente
Cæditur, & charo fratre verenda ſoror.
Nec tantum ſeuæ tractant aconita nouercæ,
Sed iugulat partus mater auara ſuos.

Nulli iam obſcurum eſſe arbitror, quàm ſint abominandæ diuitiæ: quam contēnendæ: quam viles, ſordidæ, ac turpes: idq́ue meritò ab omnibus vſq́uequaq; putandæ. Sed id nobis clarorum virorum exemplis: & pręſtātiſsimarum vrbium inſtitutis, etiam adhuc planum faciendum eſt.

PRAESTANTISSIMA Spartanorum ciuitas, dum ea rerum potita eſt, fuiſſe traditur. In hac porrò virum tunc ſapientia præſtantē Lycurgum extitiſſe perhibent, qui vrbis ſtatum componeret, & vitæ normam ſaluberrimis legibus latis ſanciret. Hic, cū ciues ſuos omnis & honeſtatis & fortitudinis amantes efficere cupiuiſſet: & maximam delicijs, voluptatibus atque flagitijs, ex diuitiarum effręni cupiditate ſuppeditari anſam perſpiceret vbi ob ipſarum nimiam appetitionem ſuorum animos ſenſit euileſcere: & virtutis traditam, publicè hebeſcere diſciplinam: Aurei argenteiq́ue nummi vſum fertur abrogaſſe: æreo quodam, eoq; viliſsimo, relicto. Quo facto, aſtutum Lacedæmone iniuſtitiam omnem exulaſſe dicunt: & peſtiletem illam ſcelerum cupiditatem ſubito exaruiſſe. Nā

neque

neque furari: nec largitionibus corrumpere: neque auferre aut rapere cuiquam erat in animo. Cum neque id habere clam poſſet: nec poſsidere iucundè: nec tutò etiam vti liceret. Cumque vir ille reipublicæ formam (diuitijs vilibus effectis) iucundam tranquillamque factã animaduertiſſet: quippe quas nemo vel in vſu habere, alijs ve oſtentare cuperet: ad amicos & familiares ſæpe conuerſus, Operæprecium eſt (inquit) ó Lacedæmonij, re ipſa demonſtrare, quales ſint omnino diuitiæ: ſunt enim cæcæ. Qui etiam hanc ipſam ob cauſam illud quoq; lege cauiſſe dicitur, vt indotatæ virgines: puellæque omnes nuberent. Ne ſcilicet vel propter egeſtatem (vt ipſe dicebat) aliæ relinquerentur innuptæ: aut propter opulentiam cónubia colerentur. Sed vnuſquiſq; puellæ mores, vitãque ſpectans, ex virtute electionem faceret: & ſibi vxorem aſſumeret. Atq; hac eadem de cauſa fucatorium omnem ornatum: ſandîcem atque ceruſam exegit vrbe. Aurifices præterea, voluptariarumque artium opifices cupediarios, cocos, dulciarios, bellariorum & iurium mellitorum conditores: idque hominum genus vel palatô ſeruientium, vel delicijs: exegit item & licentiorem omnem corporis cultum. Sumptuoſam porrò coercuit ædificandi rationem; laqueata tecta, parietes picturatos, aſſarota pauimenta: vermiculata opera, & ex cedro varia affixa locis emblemata. Ex qua vitæ conſuetudine factum perhibet, vt cum Leothichidas, qui primus gẽtis huius rex fuiſſe dicitur, caſu apud quendam exterum cœnaret: operoſam contignationẽ, & quadratis lignis tecta laqueata intuitus, è veſtigio rogarit hoſpitem, an apud ipſos eiuſmodi quadraturis ligna naſcerentur. His ergo vitæ inſtitutis Spartana gens enutrita atq; alita: cùm cęterarum abũdantia virtutum, tum verò pudore ac pudicitia quam maximè floruit. Vnde & ſermo Geradatę cuiuſdam Spartiatæ antiquiſsimi extat, qui ab hoſpite interrogat', quid Spartæ ſupplicij in adulteros eſſet decretum: nã ſe videre nullam ſuper hoc à Lycurgo fuiſſe legem latam, Nullus (inquit) apud nos ó Hoſpes adulter eſt. Sed illo ſubijciente: ſi igitur exiſtat? Dabit, ait, bouem qui expanſo porrectoq; vltra Taigetum montem collo, Eurotam poſſit ebibere. Hic, hoſpes, cum ingenti ora chachinno ſoluens, magnitudine colli tanta: aut tam egregiè bibacem bouem reperiri poſſe negaret: tunc Geradatas, quo ergo pacto adulter erit Spartę, vbi & diuitiæ, & deliciæ, & corporis ornamenta nullo ſunt in honore: pudicitia autem atque modeſtia & magiſtratuum obſeruantia, magno æſtimantur? Intellexit nimirum vir prudens, & Lycurgi verus alumnus, nó ibi temere huiuſmodi poſſe flagitia pullulare, vbi illorũ cauſa deliciarum, voluptatumq; parens diuitiæ ſorderent, ac minoris haberentur. Quæ ſi vera ſunt, relinquitur: vt execrabili cum auaritia, ipſa quoq; ad mala frequenter impellẽs, opulentia vſquequaq; abijcienda, & fugienda ſit. Sed tamen reſtat illud, quòd à Plutarcho viro grauiſsimo dictum, omittendum non eſt. Illos ſcilicet, qui ad Lacedęmonios primùm pecunias inuexerunt rei capitalis fuiſſe damnatos. Ex quò apertè patet, quantopere apud illos & odio habita & exoſa pecunia ſit. Sed ne ſeueritatis nimis rigidæ, crudelitatiſq; adeò culpetur exemplum, ſciendum eſt Theopompo & Alcameni regibus oraculum datum fuiſſe. Futurum vt auaritia Sparta periret. Cuius oraculi quæ vis, quæ ve ſententia ſit, pulchrè profectò ſecũdo officiorum declarat M. Cicero, inquiens. Itaq; quod Apollo Pythius oraculo edidit, Spartam nulla alia re, niſi auaritia eſſe perituram. Id videtur non Lacedęmonijs, ſed & omnibus etiam opulẽtis populis prędixiſſe: Quæ omnia eò ſpectant, tendunt, pertinent, euadunt, ac redeunt, vt intelligamus: auaritiam, diuitiarumq; cupiditatem, ſummam eſſe vitæ corruptelam, & malorum omnium ſeminarium certiſsimum, parumque diu diſciplinam morum incolumem futuram, apud quos pecunia in pretio eſt. Eoſque idcirco populos diuturnos eſſe non poſſe: vbi illarũ admiratio, honorataque opinio coaluerit. Quod & Caius Pontius Samnis (vt opinor) dux, ſenſit cum ait. Vtinam ad illa tempora me Fortuna reſeruaſſet: aut tũc natus eſſem, quando Romani dona accipere cœpiſſent: non eſſem paſſus diutius eos imperare. Fuere nanq; Romani quodam tẽpore maximè frugales: auaritiæ ac pecuniarum abſtinentiſsimi. Vnde & illud à Maximo Valerio ſcriptum extat: Epyrotarum regem Pyrrhũ (cum ex indicto à ſe Romanis bello) ſuorũ militum animos, & exercitus vires in dies magis exhauriri labefierique ſenſim cerneret, illorum ſtatuiſſe mercari beneuolẽtiam: cum virtutem minuere min' potuerit: eiuſque rei gratia totum fermè regiarum opum apparatum in vrbem tranſtuliſſe. Cæterum, cùm & magni pretij, & varij generis à legatis eius, tam virorum quam fœminarũ apta

vſui

vſui munera circa domos ferrētur:nullam ta
men dono cuiquam patuiſſe Ianuā. Tarenti
neq; petulentiæ animoſum magis quam effi
cacē deſeſſorem: dubium, maiori ne cū glo-
ria huius vrbis, armis quam moribus fuiſſe
repulſum. Iam verò quid aliud ſignificauit
Lacedæmonius ille rex, Alexandridæ filius
Cleomenes? qui, cum Samiorū tyrānus Meā
der Perſarū inuaſionem fugitans, apud ſe ali
quando Spartę diuerteret: argentea aureaq;
vaſa quotquot attuliſſet, oſtentaret: ac eorū,
quæ placuiſſent, omniū copiam, faceret: ipſe
quidem nihil ſumpſit, veritus tñ, ne alijs ci-
uium quibuſdā diſpertiret, ad Ephoros pro
fectus (hi enim quinq; erant iudices) quorū
authoritati parere, ipſi etiam reges cogeban-
tur, melius fore Spartæ dixit, ſi Samius hoſ-
pes ſu⁹ ex Peloponeſſo diſcederet, anteaquā
ſuis pollicitationibus malum quempiam ef-
ficeret. Ac illi quidem obtemperantes, eo ip-
ſo die Meandrum edicto exegerunt. Sed re
deo nunc ad ipſum Lycurgum.

CVM adeum igitur quem iam diximus mo
dum, Spartani populi ſtatum, vir ille compo
ſuiſſet: ocij abundātiam, maximarumq; pro-
uentum virtutum ſuis ipſe ciuibus viſus eſt
comparaſſe: & ſummū turpium rerum odiū
peperiſſe. Ex quo illius meritò laudatur
vox, qui rogatus aliquando, quid Lycurgi
leges Spartiatis attuliſſent: voluptatum reſ-
pondit contemptum, & rerum earum vili-
pendiū: quas vulgus miratur ſtupens. Huiuſ-
modi ergo à Lycurgo republica conſtituta,
quingētos per annos Gręciæ principatu ſpar
tam conſtat fuiſſe potitam. Vbi verò illius
leges tranſgreſſa eſt, diuitiarumq; ſtudiū &
plus habēdi cupiditas animos ciuiū inuaſit:
tum vires diminutæ, labefactatęq; ſunt: tum
propter illa ſocij, facti illis inimici ſunt: om-
niaq; in peius lapſa. Ita ſenſim ſine ſenſu cō-
cidentes: poſtquā generoſę illæ ſcintillæ ſan
ctis ex legibus emicantes extinctæ: virtutū
exoleſacta deletaq; veſtigia: & reliquiæ etiā
fœdè abditæ, ſepultęq; ſunt: imperij gloriā,
& fœlicē illā beatarū rerū proſperitatē ſubi-
tò amiſerūt: dūq; auaritiæ artibus indulgen
tes miſerè eſſe diuites ſtudent (ab illis) quos
aperto ſæpe Marte deuicerant, libertate illa,
qua aſſueti paruo, vti conſueuerant ſpoliati,
affluentia rerum, delicijſq; corrupti, viribus
ad extremum armiſq; deuicti, ne liberi qui-
dem eſſe potuerunt. NICETES.

VIM eſſe eloquentię magnam audieram ſæ
pe mi Philemon: meq; vel illorum exempla
fateor perlegiſſe, qui eximia quadam facun-
dia præcellentes, diſtrictos in ſe hoſtiū gla-
dios, nullis alijs armis, quam linguæ potentis
eloquio facile repulerūt: truculentiuſq; in ſe
excitatum impetum maleuolorum, ac mul-
torū cæde bacchantium placidè leniuerunt:
meliorē eos affectum induere compellentes
Quod oratori nobili Antonio vſu veniſſe ali
quando author eſt. M. C. ad cuius occiſionē
à ſæuiſsimis ducibus milites miſsi, crudele
imperiū miniſterio truculento minime ſunt
exequi auſi, qui modò grauitatem orationis
eius ad aures admittere ſuſtinuerunt. Id
quod factum ita fuiſſe Valerius quoq; teſta-
tur. Quin etiam, vt eſt à Tanquillo proditū,
Rhemnius ille Palemon celebritate magna
nominis atq; munere facundiæ; à latronibus
in quos imprudens inciderat, incolumem ſe
fuiſſe dimiſſum ſępiſsimè gloriabatur. Hæc
inquam omnia ſciebam, eſſe tamen videba-
tur difficile, tanta quempiam facundiæ poſſe
pręditum inueniri pręſtantia: qui inuetera-
tam animis hominum diuitiarū admiratio-
nem: & opulentiæ cupiditatem, vel ad nihi-
lum redigeret, vel radicitus extirparet. Nam
cum huius amor humanis ita ſit mentibus
affixus, vt ab ea ſint flāma omnino pauci li-
beri: eam rē, ad quam auiditate naturæ plæ-
riq; raperentur, ſtudio alio vtiliter traiecto,
oratione velle tollere, atq; animo eradicare:
ardui ſanè, ſummiq; laboris mun⁹ mihi eſſe
videbatur. Cui tñ benignitate diuûm video,
te non imparem fuiſſe. Tam enim in diuitias
acriter es inuectus: tam ſordidorum homi-
num, auaritiæque ipſius miſerias verè con-
queſtus, & naturā execratus: vt ex ſeſe quē-
piam velle dedere, non leue ſit iam animi fu-
rentis indicium. Quis enim ſanus tot velit
moleſtias capere, quibus (familiaris cui am-
plior res contingit) ſemper afficitur? quis
ſolicitudines illas haurire: quibus auarorum
ais infeſtari mores turbidè, & vitam miſerè
exagitari ſolere? quis languores illos deguſta
re, quibus cupidorum mentes vſq; quaque
torquentur, ac ſine fine premuntur? Quis in-
ſtabiles tandem ſectari diuitias: quæ dum
parantur anxifica hominem cura ſolicitant:
dum recedunt, immortali animum dolore
conuulnerant? Cum pręſertim improbum
poſſeſſorem nihilò meliorem vnquam poſ-
ſint efficere quam acceperint. Quæ omnia
ad perſuadendum tantam habent vim: tan-
tum ponderis atq; momenti, vt eis facilem
nō prębere aurem ſit profectò hominis ſibi
perperam conſulentis, vel procaciter inuerę
cundi. Iam igitur nequaquam miror Leon-
tinum illum Gorgiam Iſocratis magiſtrum,
ac veteres ſophiſtas nobiles, quos fuiſſe fe-

runt oris facundia tanta, vt alieno ſemper arbitratu dicerent : diſſerendarum rerum diſcipulis electione data : vt ex illorum optione, Orationis caperetur auſpicium. Iam etiam rhetoris nobiliſsimi Cteſiphontis dicto minus moueor, qui aſſerebat aliquoties de quacunque re propoſitum eſſet, per diem totum egregiè ſe, rectéque dicturum. Ac, quod de Carneade ſcribit Cicero, eo ſcilicet diſputante, cuncta fuiſſe habita dubia, potuiſſe fieri ſuſpicor. Qui dexteritate ea ingenij fuiſſe dicitur, vt quam rem dictis exaggerans in cœlum vſque euexiſſet: ita rurſus eleuans extenuaret, vt nihil ea modo quodam exiſtimari poſſet abiectius. Quem eundem orarotiarũ inſtitutionum duodecimo ſcribit Fabius Romæ non minoribus viribus Cenſorio Catone adſtante contra Iuſtitiam dixiſſe, quam pro Iuſtitia ipſa pridie perorauerat. Iamq; portenroſum illud Logo dedali Protagoræ genus orationis nõ miror: quem ſcribit Plato ingenti à diſcipulis accepta mercede, polliceri ſolitum, docturum ſe: qua nam verborũ induſtria cauſa infirmior, fortior effici poſsit. Quod perinde eſt, ac ſi quis rei ſe eius ſcientiam tenere profiteatur, qua malas cauſas vertere poſsit in bonas. Quis igitur acutiſsimi Sophiſtarum, præſertim ad mala propenſum, admodũ ſuſpiciat acumen? aut aliqua ex parte miretur, ingenium Romanis oſtentare volẽtem, egregiè facũdum philoſophum illaudabilem ſumpſiſſe materiam: Cum tu ipſe tam iuuenlli in ætate rem multorum opinione clarã, ac ſummè expetendam: ita depreſſeris ad humumq; deduxeris, vt verba tua intuenti pecuniarum opinione, qua beati atq; fœlices multi vulgo cenſentur, nihil vilius: admiratione & cupiditate nihil peius, iure ſit vſq; fatẽdum. Taceo diuinã illam ingenij dexteritatẽ: qua ne putandas quidẽ opes eſſe dicebas, quæ inhoneſtè parantur, & parũ rectè quærũtur. Iã verò præclarã illã orationis partem quid exequar? qua diuitias ipſas ſcelerũ ſeminaria vocabas: illorum interim ſtylo perſequẽs facta, qui pecuniæ dulcedine capti, inſignibus ſeſe probris cõtumelijſq; infamarũt, & flagitijs ad obruerunt? quæ abs te omnia ſunt tẽpeſtiuè prolata: adducta ſeuerè: ornata copioſè: ac tãdẽ nimis verè, atq; grauiter deplorata. Nam quis non videat, quaſi peccati ipſius ſomitẽ eſſe parũ ſobriam rerũ cupiditatem? Etenim ſi iuxta Ciceronis ſententiam, tunc demum facilè homines adducuntur, vt eos Iuſtitiæ capiat obliuio, quò adipiſcantur ea, quæ concupiuerunt: quo pacto is ſeruare Iuſtitiã poſſit non intelligo, qui ſummi decoris atque honeſtatis oblitus, nihil magis, quam pecunias exquirat, diuitias atq; opes affectet? At, dignitate Iuſtitiæ læſa, virtutũq; pudore diſrupto, de eius vita benè ſperandum non eſt, qui per tot ac tantà ſcelera audacter vſq; graſſetur, in cupiditateſq; improbas aſsiduè præceps agatur. Ex quo fit, vt opulentiæ nimiũ amorem ponere: diuitiaſq; contemnere, atque etiam reprehendere in loco, maximè ſit laudabile: & auaritiam auerſari, vnicuiq; fructuoſum. Auaritiã ſiquidẽ, vt hiſtoricus Salluſtius veriſsimè exiſtimauit, pecuniæ ſtudiũ habet, quam nemo ſapiẽs cõcupiuit. Ea quaſi venenis malis imbuta, corpus animũq; virilẽ effœminat. Sẽper infinita & inſatiabilis eſt: neq; copia neq; inopia minuitur. Quod ſi quis ſecũ exactius velit inſpicere: is nimirũ facile intelliget, Vetus illud ſapientũ elogium haud iniuria veriſsimum haberi. Optimum eſſe homini opulentiæ theſaurum: cupiditatis mediam. Diues enim (vt Democritus aiebat) non qui plura poſsidet, ſed qui pauca cupit ſemper eſt iudicandus. Diuitiæ enim magnæ ſunt, vt in libro de paupertate præclarè docet Seneca, ad legem naturæ compoſita paupertas. Pane & aqua tantum natura hominum eſt contenta: Si quis itaq; deſiderium ſuum clauſit, cum ipſo licet Ioue de fœlicitate contendat. Abſtrahunt profectò à recto diuitiæ, honores, potentiæ, & cætera quæ opinione hominum cara ſunt, pretio ſuo vilia. Neſcimus æſtimare res: de quibus non cum fama, ſed cum rerum natura deliberandum eſt. Nihil habent iſta magnificũ, quod mentes noſtras in ſe trahat, præter hoc quòd mirari illa conſueuimus. Non enim quia concupiſcenda illa laudantur: ſed quia laudanda ſunt, concupiſcuntur. Hanc præcedentem cauſam habent diuitiæ: inflammant animos: ſuperbiam & arrogantiam pariunt: inuidiam trahunt: eo vſq; mentẽ alienant, vt fama pecuniæ nos etiam, nocitura delectet. Bona omnia culpa carere decet, pura ſunt hæc non corrumpunt animos, non ſolicitãt. Extollunt quidem animos & delectant, ſed ſine timore. Quæ bona ſunt fiduciam faciũt diuitiæ audaciam. Quæ bona ſunt magnitudinem animi dant: diuitiæ inſolentiam.

PHILEMON.

RECTE me hercules vulgo illud eſt dictũ, Quaſi iuuat: qui laudat. Tam enim iſta, qua in me es amice vſus, ad dicendum ſum oratione incenſus: vt nihil mihi difficile poſsit videri, quod tibi ſit gratum iucundumq; futurum. Atque vtinam tantũ ingenio vel

f[illegible] præſtarem: quantum me ipſe ar[illegible]trans ex[illegible]. Nam [illegible] mihi tam ing[illegible] cō[illegible] ex[illegible] dignitas: quæ exiliter di[illegible]ta ſunt,& parum ornata copioſe: eſſent illa qui d[illegible]m minus paulo tractata fœliciter, quam abs te ſunt peroratione graui prudentiq; adiuta,& magnificè laudata. Sed neque humanitatis eſt tuæ, ad recta & honeſta aſpiranti auarè laudes tribuere: neque maximè concupitis facere ſatis pro votis, tenuitatis eſt noſtræ. Quorum in altero doleo facultatem mihi eiuſmodi eſſe ereptam, lætor vero altero, quo meã tibi diligentiã (qualiſcunque ea ſit) video ſummè probari. Quare tuo iſto tam exacti amoris confirmatus iudicio, & perorationis grauitate fultus: ad ea, quę mihi nūc reſtant omnino iam accingar alacrius.

DIXIMVS hactenus mi Nicete, de auaritia atque diuitijs: & quam ob cauſam contemnenda ſint, mediocriter, niſi fallor, aperuimus. Nunc de paupertate ipſa nonnulla altius repetenda ſunt: & quos illa viros ſtudio ſos ſui, amanteſq; habuerit accuratè docendum. Quod quamquam non multo ante ſignificatum à nobis eſt, apertius id tamē in pręſentia eſt,& lucidius declarandum: illorumq; factis de diuitiarum cōtēptu mens ipſa confirmando:& opinionibus huiuſmodi firmiter imbuenda. Quo cognito atq; (vt ſpero) adamato: tum ipſas cum ſordib' opes iterum exterminabimus: quādo diuitiarum malum maius eſt, quam vt ſemel poſsit radicitus ſtirpari: atq; ſtirpitus euelli.

IAM primum omnium quis neſciat paupertatem ipſam abijs ſemper amatam fuiſſe, qui ob celebritatem ſcientiæ: ingenij fœlicitatem ſapientiæ pręſtantiam, magno quondam in pretio ſunt habiti? & digni viſi, quorum alij dicta ſuſpicerent, & facta animi ſtudioſè ſequerētur? Quod ſi ab illis certatim eſt factū, qui acie mentis cęteris creduntur excellere: aliqua cauſa ſubſit oportet, quæ tam pręſtabiles viros ad ſui ſtudium pellexerit? Non enim credendum eſt, pręſtantes ingenio viros, ad rem pręſertim opinione multorum abiectam, tanta fuiſſe cupiditate animi incenſos, ni aliquid huiuſmodi paupertate in ipſa poſitum eſſe perſpicerent, quod animi ipſius (cuius ipſi pręcipue cultui & puritati ſeruiebant) habitum componeret, & ad honeſtatis ac virtutis ſcholam erigeret atque firmaret. Nam rem ſi propius aduertere libeat,& propenſius intueri: diuitiarum plurimarum copia excęcari atque obrui mē tis aciem, arbitratos eſſe reperies: ad paupertatemque idcirco animum applicauiſſe. Quum ipſam contemnendis, inſpiciendiſque rebus expeditam magis eſſe videbant: quippe multi ſuarum rerum cuſtodia & cura districti ſtudia omiſere ſapientiæ, mente nihil aliud quam diuitias agitantes: quæ illis res nimis ceſsit infauſte. Proſpectum igitur animo eſſe oportuit: ne pręſcriptas tāquam à natura recti lineas feruidus exiret, & ab intellectu atque ratione pernicioſè declinaret. Hinc tenuioris vitę cupiditas illa ſancta, paruiſque in rebus lętitia animi inſignis atque mirifica. Hinc paupertatis amor: hinc diuitiarum ſummus contemptus emanauit.

Vnde Thebanus ille Crates philoſophus in clytus iure laudatur: qui quamuis alieno ęre nullo eſſet obſtrictus, & à nemine moleſtijs affectus (vt Plutarchus Cheroneus ait) domeſticas tamen auerſatus curas, & familiares ſolicitudines, talentorum octo ſubſtantiam dicitur reliquiſſe: ſumptoque baculo ac pera in philoſophiã, & paupertatem conuolaſſe. Cuius elationem Philoxenus Melopeus imitatus, vitam lautam & ſplendidam: opulentam abundātemque domum Sicula in colonia hęreditate nactus, delicias, voluptates, indigenamq́ue inelegantiam cōſiderans: per Deos, inquit, bona hęc haud me perdent, ſed ego illa: hęreditateq; adalios de lata nauem conſcendit. Quid Anaxagoras? non ne hanc ob cauſam fertiliſsimo ſe abdicauit pręDio, dum ſapientiæ cupit ſacris initiari? Qui, cum poſt diutinam peregrinationem (vt apud Maximum Valerium extat) patriam reuertiſſet, poſſeſsioneſque eſſet deſertas intuitus, Non eſſem (ait) ſaluus ego: niſi iſtę periſſent. Quid etiam Democritus? qui, cum eius pater (vt ſcribit idem) tot ac tantis diuitijs redundaret: vt Xerxem illum cum numeroſiſsimo exercitu epulo poſſet excipere, maluit tamen ampliſsimo patrię patrimonio cedere: exigua ſibi ſumma retenta: quam opum tantarum ſolicitudinibus ab amatæ diſciplinæ ſtudijs auocari. Quid philoſophos alios commemorem, qui mendicum vitæ ſectantes habitum, magnotum principum liberalitatem elato nimium animo contempſerunt? & miſſa ſibi pretioſiſsima dona intrepide recuſauerunt? Nam quis Xenocratis in contemnenda pecunia virtutem animi non admiretur, qui triginta ſibi ab Alexandro viro miſſa talenta conſtātiſsimè repudiauit: nil ſe eiuſmodi rebus omnino dicens egere? Quamquam Tuſculanarum quinto. M. Cicero, ob repudiatum munus triſtitia affectos legatos, ſolari volentem Xenocratem, minas aliquot narrat accepiſ-

[illegible] Xenocrati [illegible] ab Alexandro, [illegible] [illegible] ſunt: [illegible] pecuniæ temporibus illis, Athenis [illegible] maxima, adduxiſſe [illegible] ad Cœnam in Academiam: [illegible] appoſuit tantum, quod ſatis eſſet, nullo apparatu. Cum poſtridie [illegible] cui numerare iuberet. Quid [illegible] heſterna, inquit, Cœnula non intellexiſti, [illegible] pecunia nō egere? Quos cum [illegible] xxx. minas accepit: ne aſpernari [illegible] alitatem videretur. Hæc Tullius. Nec deſunt tamen authores grauiſſimi, qui ab eius opinione diſſentiant: tres, non triginta minas Xenocratem accepiſſe, [illegible]. Quid de Synopenſi Diogene dicam, qui cognomento dictus eſt Cynicus? cuius ab omni cupiditate opum animus videtur liberrimus ac ſeparatiſsimus fuiſſe. Etenim cum eum aliquando Alexander Macedo dolio aſsidentem Corinthi vidiſſet, ad ſolem ſeſe appricantem, vt venit coram, primùm quidem ſtetit, & an re aliqua egeret, interrogauit. Hîc Diogenes, non aliud ſe velle reſpondit, quam vt Solem ſibi obûbrare desineret. Cuius elationem animi miratus rex, ad amicos conuerſus, dixit, Si Alexander nō eſſem: eſſe Diogenes cuperem. At hercle præter dolium Cynicus aliud poſsidebat nihil, & tamen ſedata animi cupiditas ita hominē faciebat diuitē: vt hic diſputare ſoleret, quanto ipſe Perſarum rege, qui ob diuitias, aliarumq; rerum affluentiam putabatur fœlicior, fœlicior, beatiorque foret. Nā ſibi deeſſe dicebat nihil: illi ſatis nihil vnquam fore. Se eius deliciosam vitam, & voluptates minus appetere, quibus ſatiari ille nūquam poſſet: ad ſuas eum modo vllo aſpirare non poſſe. Rectè nimirum Diogenes. Satis enim ſuperq; eſt diues, cui conditio ſua placet: habetq; verè omnia, qui nihil concupiſcit. Sed quid ego inter Philoſophorum aurum atq; diuitias nihil morantium turbam, Oratorem præſtantem, ducemque egregium Phocionem ſilentio preteream? Qui animo & ipſe liberrimo [illegible] dona deſpexerit? Nam cum ſibi ab Alexandro talenta centum [illegible] [illegible], qui id [illegible] fertur, vnde eſſet factum, [illegible] Athenis forent, ad vnum ſe [illegible] Alexander [illegible] perferendas [illegible]. [illegible] reſponderent, [illegible] bonis ac probis [illegible]. Tum Phocion, me igitur [illegible] & [illegible]. [illegible] verum eſſe Publ[illegible] ap. verſiculum, quo ait.

Beneficium accip. re libertatem vendere eſt.

Sic [illegible] pariter a [illegible] [illegible] mos: R[illegible] [illegible] [illegible] à te [illegible] [illegible] glōria [illegible] pene mortali cedere [illegible] vt [illegible] euerſis [illegible] præter [illegible] ſtatis laude, & virtutis [illegible], in ſuas quiſq; ędes [illegible] [illegible] tis diuitijs, honori & famę ſeruit [illegible] opinor) pecuniæ [illegible] in cauſa [illegible] dū eſſe: vt probi mores, & [illegible] [illegible] rumpātur quoties [illegible] æquo [illegible] homine illa expetitur: & in honore atq; æſtimatione ducitur. Itaq; ex bello [illegible] fœliciſsime cōfectis, atq; optime geſtis: tam pecunijs [illegible] nes quam gloria onuſti in patriam redibant: [illegible] taſſe alios magis gauiſi, quam ſe eſſe diuites factos. Quo in numero, taciturnitate nō eſt obliterādus pręclarus adoleſcens Cneius Martius familia ortus patritia, is, qui Volſcis Coriolis deuictis, Coriolanus cognomento eſt dictus. Cum enim ob virtutis præſtantiam, qua cęteros exercitus milites facilè anteiuerat, à Poſthumio Comminio Conſule pro Commilitonum concione accurata oratione ſtrenuè celebraretur (hic enim antiquis alendę cauſa virtutis mos erat, vt fortiſsimi quiq; milites laudarentur à duce) nec celebratus tantum oratione decis eſſet, ſed militaribus omnibus donis affectus: agri inſuper iugeribus centū, ac centenario b[illegible] grege, & argento quantum ſuſtinere valuiſſet donaretur, rep[illegible] omnia animo magno dicitur. Ac pręter equum, quo in acie vtebat aliud nihil accipe[illegible]. Veteris [illegible] dam hoſpitis [illegible] peperceerat [illegible]. Quid dicam de M. Curio, qui Epyrotarum Rege Pyrrho ex I[illegible] [illegible] fugam verſo, cum regia prȩda atque man[illegible] js, vrbem & exercitum quam maxime ditaſſet, nihil quicquam ipſe attigit. At ne aſsignationem quidem [illegible] ſibi à Senatu decretam accipere voluit. Septenis enim agri Iugeribus [illegible] populo adiudicatis, ac ſibi vni pr[illegible] virtutem quinquaginta: popularem m[illegible] non ex[illegible]. P[illegible] vt [illegible] reipublicæ eſſe [illegible] quicon tentus [illegible] foret, quod [illegible] tribueretur. Quid [illegible] minus ne lauda[illegible] [illegible] ad Samnites in rep[illegible] [illegible], an p[illegible] & comm[illegible] [illegible] ria dignum? C[illegible] [illegible] ſti in ſcamno ad focum ſeden[illegible] cœ[illegible] fictilibus ac ſen[illegible] paratum auri argentique po[illegible]

obtuliſſent, ſtomachâter ſubridens Curius. Superuacaneæ (inquit) ne dicam ſtultæ & ineptæ legationis miniſtri, ſarcinulas veſtras capite: ac renunciate Samnitibus. M. Curiũ malle locupletibus imperare: quam ipſum fieri locupletem. Atque iſtud, vt pretioſum: ita malo hominum excogitatum munus refertote. Mementoteque etiam: me neque acie vinci: neque pecunia corrumpi poſſe. Quid etiam de Fabricio Licinio loquar? qui pari animi magnitudine ab illa gente, æs argentum: ac ſibi miſſos ſeruos remiſit in Samum? Atque ille quidem dignitate & honore ciuitatis per id tempus Romanæ erat princeps: cenſu tamen vſque eo pauper, vt cum pauperrimis quibuſque comparari poſſet. Quid de Paulo quoque Æmilio dicam? In cuius triumphantis curru ditiſsimus ille rex Perſes vinctus, eſt ductus. Qui cum Romanam paupertatem vſque eo ſatiaſſet, vt tunc primum Romanus populus tributi præſtandi relinqueretur immunis: nihilo magis tamen domum ſuam locupletiorem effecit. Præclarè ſecum actum exiſtimâs, quòd ex illa victoria alij pecuniam, ipſe verò gloriam reportaſſet. Quid alios tandem eiuſdẽ gentis principes viros iam referam? Qui, cum Romanam rempublicam egregijs victorijs locupletaſſent: & Romani nominis imperium illuſtri' ac clarius feciſſent, nihilo ipſi locupletiores ſunt facti: ſed tanta ſemper in inopia vixerunt, vt ne ad Iuſta quidem defunctis perſoluenda, vlla ſibi pecunia ſuppeteret. Regio enim nomine ob temerariam Tarquinij licentiam abrogato, cum Romani imperij gubernacula, creatis tunc primum Conſulibus, adminiſtranda illis à populo committerentur, Valerium Publicolam cum Iunio Bruto Conſulatus initiũ ferunt auſpicatum. Cumque tres alios deinceps Romanæ plebi acceptiſsimos gratiſſimoſque geſsiſſet; præclariſsimiſque facinoribus editis nõ minus Romanæ vrbis gloriam auxiſſet, quam ſuas ipſe imagines condecoraſſet: tam tenui tamen patrimonio vita eſt functus: vt ni illius eſſent ære publico ductæ exequię: vnde funeris impenſa ſolueretur, non haberet. Par huic Menenij Agrippæ virtus extitit: cuius cum apud ciues ſuos tantus eſſet honos, authoritas & dignitas tanta (quemadmodum à nobis commemoratum eſt antea) vt diſcordante à patribus plebe, omnium fuerit conſilio, ſalutis publicæ author decretus, dignuſque viſus, qui plebem Senatui reconciliaret, tumultuſque componeret. Ille quidem munus prudenter ſuſcepit: firmiterque pacem ſanxit: ac ſuo velut corpori luxata membra reduxit. Sed paupertate idem tanta deceſsit: vt ſepulturæ honore facile caruiſſet, ni collatis à populo in capita ſextantibus, pietatis fuiſſet officium publicè ſuſceptum. Ergo, & hi quoque, opinor, intelligebant, certiſsimam eſſe virtutũ alumnam paupertatem: diuitias contrà magnis plurimum ſceleribus eſſe expoſitas. Atque ideo egregijs viris, non opulentiæ ſed gloriæ id eſt honeſtati ac laudi ſemper eſſe ſeruiendum. Sentiebant etiam & illud, non temerè eum ad res præclaras accingi, cuius diuitiarum amor animum occupaſſet. Illius & mercenariam & conductitiam operam eſſe dicentes, qui ſpe fructus aliqua, non ſplendore virtutis, ſuſceptu rem dignam obijſſet. Illud quin etiam poterunt perſpexiſſe videri. Opulentiam veram non tam rerum valore ac copia, vel abundantia peculij, quam ſedati & frugalis animi poſſeſsione definiendam eſſe: qua illi abundè erant diuites, licet cenſu pauperes putarentur.

SED AD PAVPERTATIS ipſius præceptores philoſophos iterum reuertamur, quorum vitæ exemplis ac factis facile datur intelligi: falſam eſſe illorum de paupertate opinionem, qui penúria atque egeſtate, tenuique rerum Fortuna, mortalium vitam miſeram ſunt effici rati. Namque hos ſumma in inopia ac mendicitate, præſentarijs rebus, ſorteque ſua contentos, hilares vixiſſe palam eſt. Quippe illos iam pridem diuites effecerat ab inexplebilitate opum (qua vna peſte mortalium plerique vexantur) alienus ac liber animus, circunſcriptaque mentis cũpiditas, peregrinum nihil & extrarium appetens: ſed natiuum ac genuinum & ad vitæ vſum homini neceſſarium. Quibus rebus vt viuenti ſemper eſt opus, ita earum poſſeſsio expedita ac facilis eſt, & ſine moleſtia parabilis. Non enim labore magno naturæ opes parantur: quin grata eadem, benignaque manu potius, ſuas volenti diuitias porrigit: auiditatemque ſobriam facile explet, a ſeque inſitam famem ſatiat: pernicioſam inexhauſtæ cupiditatis ſitim extinguens, à ſeque propellẽs ac moliens lõgè. Nam quid mortalibus opus eſt præter duo illa, Cereris munus, & dulcis aquę poculũ: quorũ eſt affatim Tellus alma referta? Ita fit, vt nemo vnquã pauper ſit exiſtimatus, qui cupiditatum ſuarum moderatricem naturam ipſam adhibuerit. Hinc ſecutum illud eſt, vt eorum omnium qui ſe ſe ad philoſophandi ſciẽtiam contulerunt, nemo vnquam extiterit, qui vel ad

 extre-

extremam redact⁹ inopiam, paupertatis malo oppreſſum ſe eſſe crediderit. Non enim illorum animus, naturæ ſobriæ pręceptis imbutus, vel in media rerum egeſtate poſitus, rebus illis egebat: cui quidem animo aduerſus paupertatis & egeſtatis moleſtias omnes, viatici affatim ſuppeditabat vita frugalis & ſobria: nihil vltra quam ſatis eſſet vnquam appetens: inanes alias cupiditates, quibus intẽperantes ac luxurioſi homines infeſtari ſolẽt reprimens atq; coercens. Qua vna qui ſunt affectione animi prędìti, ſine dubio ſunt diuites appellandi. Diuitem nanque congeſtę non faciũt opes: ſed animus parum cupidus, & ſuarum rerum vel modica cõditione gaudens. Qui profectò ſuperuacaneis neſcit rebus egere: multoq; minus poteſt opimis aliorum rebus inſpectis macreſcere: inuidia rumpi, vel animo contabeſcere. Sed liber & erectus, futilibus appetentijs deſpectis: ſapiẽter ſe ipſe coercẽs atq; coarctãs, ad ea ſeſe componit & applicat: quæ naturę ſunt neceſsitati cõgruentia, atq; vſibus apta. Quod cũ philoſophi omnes ſtudioſè factitarint, & vita ſępe pręſtiterint: eos maximè omnium diuites fuiſſe (nullas licet poſſederint opes) rectè eſt profectò putandum. Nam, ſi quò quiſq; minus eget, magis eſt diues habendus: de eorũ quĩ conuenit ambigere opulẽtia: quos reb⁹ ſuis contentos abſq; vllo deſiderio cupiditatis iniquę, placidam ſemper conſtat, & tranquillã vitã egiſſe? ecquod enim aliud hominis eſt ſplendide opulenti indiciũ, quam cupiditate rerũ parũ moueri: & illarũ amiſsione atq; iactura animo nil concuti poſſe? Qua vna virtute mortalibus cunctis longè pręſtitiſſe philoſophos, in cõfeſſo eſt. Quo ex numero, Zenonẽ Citicũ pręſtantia tanta animi perhibent fuiſſe: vt, cum nauticis antea mercimonijs victitaſſet, vnde nõ leues opes aggeſſerat (ſed male fidis in bonis) vt fit, Fortunæ expertus aleã, vbi nauẽ vnam, quæ ſibi ex multis facta reliqua eſſet, inſtructã mercib⁹, cum vectoribus, puluiſculoq; (vt dicitur) in ſani maris vndis reſciuit eſſe ſubmerſam, Pręclarè (inquit) mecũ agis ó Fortuna: quæ me ad palliũ illud obſoletũ, philoſophicãq; porticu impellis. Gratulatus eſt ſibi in aduerſitate vir ſapiens, cui ſublato externarũ rerũ ſtudio, liberius iã liceret philoſophicis animũ formare pręceptis, & rude pectus ſapiẽtum dictis excolere. His nimirũ Bias ille Prięneus inſtructus, tam forti & ipſe ad diuitias contemnendas animo dicitur fuiſſe: vt cum hoſtilibus armis eius patria caperetur, & infeſtis militibus vrbs paſsim diriperetur, à ciuibus quibuſdam qui captiuitatis imminentis ita iniuriam effugerant, vt de ſuis interim rebus ſecum aſportarent plęraq;, vt idem ipſe faceret admonitus. Ego (inquit) verò facio: Nam omnia mea mecũ porto. Vſq; eò Fortunæ hęc ludibria, quæ falſa quadam imagine decepti, non ſemel alij bona appellant, nihil moratus: vt, ne ſuum quidem eſſe duxerit, quod Fortunæ aliquo ſubitò caſu perire; amitti atq; eripi poſsit. Eiuſmodi etiam exẽplis Megarẽſis Stylpon edoctus, cùm ab Antigoni filio Demetrio vi eſſet Megara capta: & latè cuncta prędantium ac diripientiũ libidini militum Megarenſium iura eſſent expoſita: interrogatus comiter ab ipſo Demetrio, cui de ſapientia hominis fuerat renunciatũ: an ſuum aliquid ſibi fuiſſet ademptũ, negaſſe fertur amiſiſſe ſe quidquam. Nã mihi (ait) virtus animi, & ſcientia ſalua ſunt. Cætera non mea ſunt, ſed Fortunæ, cuius caſib⁹ ſubiecta, ab ipſis eripiuntur. Quis igitur virorum, tot, tam inſigniter vel nobilium, vel prudentum animum diuitias ſtrenuè cõtemnentem & pro nihilo putantem: & ad paupertatem animoſè vſque tendentem, prędicandũ eſſe non videat? & cunctis longè opibus pręferendum? Etenim ſi opulentię amore nõ commoueri magni eſſe animi ducitur: quales (quęſo) erunt illi putandi, qui ab hac morbi contagione peſtifera tam diſcordant & diſsident, vt nihil minus appetãt, ſeq; potius opib⁹ abdicẽt, ſpontaneę animũ paupertati ſubmittentes? Porrò ſi magnitudo animi in pecuniæ deſpicẽtia cernitur, vt ſapienter eſt a M. C. iam dictum, quis iam ſtultã plebeculam iure non arguat inſcitiæ: quæ diuitiarum inceſſanter amore contabeſcens, laudibus euehit illos, quorũ dom⁹ virtute omni deſerta: leuium atq; inconſtantiũ rerũ affatim eſt copijs inſtructa & vbertate noxia referta? Quod ſi Parijs lapidibus ędiũ ſola conſtructa, & aſſarota pauimẽta operoſè, plurimaq; ex arte facta cõtignatio: aut parietes barbaricis hinc inde cęlaturis, atq; auro ſpecioſe renidẽtes, quibus rebus ambitioſè potentiũ ędes exornari plurimũ ſolẽt, admiratione animũ mouent: haud equidẽ video cur eius magis admirari mentẽ nõ liceat, qui vulgaria iſta bona totus teres atq; rotũdus animoſè faſtidit, ſuſq; deq; habet, ac ſẽper minoris ęſtimat? Iure ſiquidẽ optimo mẽs illa extolli, prędicari, ac ſuſpici debet: quę delicijs ijs, quib⁹ imbellium hominũ emollitę mẽtes corrũpunt, vel irretiri neſcit, vel expugnari non poteſt. SED QVORSVM PER DEVM immortalem admirari opes pertinet, quarum

ad

ad ſcientiam optimo quoq; mirè torpente: paratior & inſtructior (vt apparet) ſemper eſt malus? Quibus in ipſis auxilium ſceleris, & aucupium fraudis profectò magis eſt poſitū quàm probitatis ſplendor aliquis, atque premium conſtitutum: quarumque facile vim magnam poſsidet malus: nihilo cum meliores ex ipſarum acquiſitione multiplici poſsidentes efficiantur? Quęque artibus ſępe improbis atque turpibus parantur? Illyricum latronem Bargulū (ſi authori credimus Theopompo) latrocinijs magnas aggeſsiſſe opes dubitandum non eſt. Par vitę genus Viriatū Luſitanorum ducem ſecutum, maiores ipſum poſſediſſe diuitias, ſuis cum Imperatoribus Romanæ ab eo aquilæ deuictæ, proculdubio teſtantur. Ægyptia Rhodope (vt eſt à Plinio traditum) meretricio quęſtu tantas opes accumulauit: vt ſuperbam totoque orbe viſendam Pyramydem inde conſtruxerit. Meretrix erat Phryne, ſed quantis ipſa diuitijs polluerit eſſe illud poteſt iudicio, quod dixiſſe ipſam conſtat. Nam cum celeberrima illa Thebanorum vrbs (vt poetę fabulantur) labor canentis Amphionis: ab Alexandro fuiſſet aliquādo diruta; Phryne ipſa pollicita eſt, proprijs impendijs vrbem ſeſe eſſe erecturam, muris cincturam & mœnibus, ſi elogium hoc ciues paterentur inſculpi. Alexander ſubuertit: ſed vrbem Phryne reſtituit. Quod tamen illius eſt ambitioni denegatum: ne, quam plagam vis Martis horrida vrbi inclytę intulerat, meretricis ſumptu impudenti, ſartam eſſe, homines obieciſſent. Ne ve infamis, & proſtitutæ vulgò pudicitiæ mulier, quæ cupiditate famæ exarſerat: voti ſi compos fuiſſet Græcorum magis incontinentiæ trophęum erexiſſe, quam inſigne aliquod ſuæ laudis monumentum reliquiſſe, poſteris videretur. Sed quid de his plura? quaſi vero dubium ſit, ipſam diteſcendi rationem vitijs multis ac flagitijs eſſe ſubiectam? latrocinijs illi, hę obſequio turpiſsimo diteſcunt corporis. Breui alius benè peculiatus, ac nummatus efficitur, dū pulchris ſedulus defert mandata puellis. Id enim facilè ſolere fieri inſinuauit Iuuenalis cum ait.

Vis fieri diues Bitinice? Conſcius eſto.

Quidam aſſentando, peierando multi atq; mentiendo loculos argento confarciunt. Nec ſūt interim pauci qui quinas capiti mercedes exigendo, irreligioſè hác viam ire pergunt. Multis enim occulto creſcit res fœnore. Nam diues qui fieri vult, & citò vult fieri, ſed quinam finis eſt, aut pudor vnquam properantis auari?

NON IGITVR temere Plato rempublicā illam execrari ſolet, vbi ſublato virtutis ſtudio auaritiæ coluntur artes; & non aliqua ex virtute ſed ex cenſu dumtaxat habetur ciuiū delectus atq; diſcrimen. Quod ab eo profecti Academici latè diſſerunt. Qui & ipſi ſententia in illa ſunt, vt exiſtiment: malas eſſe diuitias, & poſſeſſoribus pernicioſas. Propterea quòd inſolentia, arrogantia & faſtu vſq; quaque tumeant: contemnant cęteros ac deſpicentur: impudenter ſibi arrogent cuncta, vereantur neminem, inq; id quod collibitū eſt, nouas peculiareſque ſibi ſemper leges ſanciant. Vnius auri fulgore capti, operam, ſtudium, ſolertiam, induſtriam, diligentiam vigilantiamq; animi perinde quaſi ad veram fœlicitatis regulam, eò ſemper dirigentes, vnde opulentiæ quidpiam effulget, vel lucri aliquid corradi poteſt. Quod & Criſpus Saluſtius ſenſit, cum ſic ad Cæſarem de moderanda republica verba facit. IVVENTVS probitati & induſtriæ, non ſumptibus neq; diuitijs ſtudeat. Id ita eueniet, ſi pecuniæ (quę MAXIMA OMNIVM PERNICIES eſt) vſum ac decus dempſeris. Nam ſępe ego cum admoneo reputans quibus quiſque rebus clariſsimi viri, magnitudinem inueniſſent: quæ res populos, nationes vè, magnis authoribus auxiſſent, ac deinde quibus cauſis ampliſsima regna & Imperia corruiſſent: eadē ſemper bona atq; mala reperiebam. Omneſque victores diuitias contempliſſe: & victos cupiuiſſe. Neque alter quiſquam extollere ſeſe, & diuina mortalis poteſt attingere; niſi omiſsis pecuniæ & corporis gaudijs, animo indulgens, non aſſentando, neque concupita prębendo; peruerſam gratiam gratificans, ſed in labore, patientia, boniſque pręceptis & factis fortibus exercitando. Nam domum aut villam extruere, eamq; ſignis, aulęis, alijſque operibus exornare: & omnia potius quam ſemet viſendum efficere, id eſt non diuitias decori habere: ſed ipſum illis flagitio eſſe, & paulo poſt. Sed multo maximum bonum patriæ: ciuibus, tibi, liberis: poſtremo humanę genti peperis, ſi ſtudium pecuniæ aut ſuſtuleris: aut, quoad res feret, minueris. Aliter neq; priuata res, neq; publica, neq; domi, neq; militiæ regi poteſt. Nā vbi cupido diuitiarum inuaſit, neq; diſciplina, neq; artes bonę, neque ingenium vllum ſatis pollet: quin animus magis, aut minus maturè, poſtremò tamen ſuccumbat. Sæpe iam audiui qui reges, quæ ciuitates, & nationes per opulentiam magna imperia amiſerint:

ideo haud mirandum eſt. Nam vbi bonus deteriorem, diuitijs magis clarum, magiſq; acceptum videt, primò æſtuat, multaq; in pectore voluit. Sed vbi gloria honorem magis in dies, virtutem opulentia vincit: animus ad voluptatem à vero deficit. quippe gloriæ induſtria alitur. Vbi eam dempſeris: ipſa per ſe virtus amara atq; aſpera eſt. Poſtremò vbi diuitiæ claræ habentur, ibi omnia bona vilia ſunt: fides, probitas, pudor, pudicitia. Nam ad virtutem vna & ardua via eſt: Ad pecuniam quâ quique lubet, nititur: & malis & bonis rebus ea creatur. Ergo in primis authoritatem pecuniæ demitto. neq; de capite, neque de honore, ex copijs quiſquam magis aut minus iudicauerit: ſi neque prætor, neque Conſul ex opulentia, verùm ex dignitate creetur. Quid deinde? dicenda nanq; ſunt, quæ de diuitiarũ contemptu: auaritiæq; improbæ ſordibus, ab illo omnia dicuntur, neque ego magna (inquit) remedia contra diuitias ſtatuo. Nam perinde omnes res laudantur atq; appetuntur: vt earum rerum vſus eſt. Malitia premijs exercetur, vbi ea dempſeris; nemo omnium gratuitò malus eſt. Cæterum auaritia bellua fera, immanis, intoleranda eſt. Quò intendit, oppida, agros, fana, atque domos vaſtat: diuina cum humanis permiſcet. Neque exercitus, neq; mœnia obſtant quominus vi ſua penetrat. Fama, pudicitia, liberis, patria atque parentibus cunctos mortales ſpoliat. Verùm ſi pecuniæ decus ademeris, magna illa vis auaritiæ, facilè bonis moribus vincetur. Hacten' Salluſtius, ſiue alius quis fuit, qui ad Cæſarem de republica has inclyta, compoſuit, habuitq; orationes, vnde nos hæc fragmenta decerpſim'. Quibus ex ipſis, quid iit de diuitijs iudicandum, perſpicuum ſatis, planumque factum eſt. Nam paupertatem homini ſanus quis auſit improbam dicere, cum ei cõtrariam opulentiam pernicioſam eſſe iam videat: & ſcelerum multarum parentem?

QVA propter diligenter nobis danda opera eſt: vt populari auræ omnino nihil tribuens, de rebus ipſis ſemper mens noſtra incorruptè iudicare diſcat. Multi enim varia vulgi temere ſectantes iudicia, in turpitudinẽ ſunt, & vitæ infamiam prolapſi: dumque pauperes pudet videri, deſpectui habentur nummati. Turpibus ſiquidem rationibus pecuniæ comparatæ, probro omni traducunt vitam, miſereque poſſeſſorem infamant. adeo, vt caruiſſe illis lõgè ſit melius ac potius, quã tam nequiter atque turpiter comparaſſe. Libertate nanque mentem ſpoliant, eamq; deferunt ſæpe flagitijs multis expoſitam. At paupertas virtutis fidiſſima comes, & cuſtos pudoris inclyta ſtudioſè vbiq; turpia fugit, ac vetitum nihil appetit. Quod Lycurgus intelligens (quemadmodum iam ante prodidimus) Spartæ rempublicam: quam virtutũ multarum prouentu: optimarum ſanctione legum fertilem volebat relinquere, atq; omni laude florentem: primùm quidem operã dedit, opulentiæ inimicam efficere. Ratus beatæ fœlicisq; reipublicæ præclarè eſſe fundamenta iacta: ſi fabricam tanti operis à pecuniæ deſpicentia auſpicaretur. Quod (auri opinione improba de medio ſublata) tam illi ceſſit fœliciter, nulla vt vnquam ciuitas tempeſtate illa cum Lacedæmone auſa ſit geſtarum rerum magnitudine, vel nominis gloria contendere. Fortiſsimorũ enim virorum atque ſapientum adeo copia viguit, vt totius Græciæ quingentos per annos principatum amplexa inimicis gentibus, infeſtiſque ſibi nationibus formidinem multam: magnamque vim timoris animo ſemper incuſſerit.

Quæ cum ita ſint, non iam ſtultorum more hominũ paupertatis mala timendã ſunt: ſed ei potius hilari vultu vacandum. Non enim vilitate tanta ſordet, quanta ipſi imaginantur: materiam imo potius in ſe habet incluſam: qua ſplendidè poſsit nobilem, ſui amantem efficere. Nam ſi virtus ſola eſt, quæ verè honorabilem facit: tanta cum ipſa paupertati intercedit cognatio, vt non poſsit non honoris particeps effici, qui ſeſe eidem tradidit, mancipauit, addixit. Quòd ſi opinionibus vulgi præſens eſt cauſa metienda: Nil tã adeo vbique eſt vile, quin clarum poſsit atq; illuſtre cenſeri, ſi in tenebris atque ignoratione iacenti, ſubitò honor aliquis haberi illi cœptus ſit. Ad ea enim alacris hominum exurgit induſtria, quæ haberi in pretio conſpicit. Ad efficiendam è contrario rem protinus elanguet cupiditas, quoties dignitas illius parũ celebris eſt: ſuſcipientiſque ſedulitas nullo gloriæ premio rependitur. Ita fit, vt ſummo ad terram contemptu, hominũ tacitis odijs depreſſa culpetur mendicitas: & populi encomijs laudata opulentia creſcat in maius: idque exẽplo corrupti ſuffragij potius quam vitio aliquo aut crimine ſuo.

NEC vero etiam apud quoſlibet ſui deeſſent ſobriæ paupertati amatores: ſi ex diuitijs impenſo honore, ad paupertatis amaſios vel leuis ſaltem particula demigraſſet; quæ ſanctam cupiditatem erigeret: & robuſtius amorem firmaret. Sed hæc vna affectio, vt alia quoque præclara iampridem exoleuit,

eua-

euanuitq; ab oculis noſtris, vbi primùm ambitio furens, ſumptus largior, apparatuſque ſplendidior, amari cœpta ſunt: priſcis glandibus cum holeribus ac pultibus faſtiditis atq; abrogatis. Nam quam diu victus illa frugalitas, ac parſimonia viguit apud antiquos, de qua ſic Iuuenalis loquitur.

Hæc olim noſtri iam luxurioſa Senatus
Cœna fuit. Curius paruo quæ legerat horto
Ipſe focis breuibus ponebat holuſcula, quæ nunc
Squalidus in magna faſtidit compede foſſor.

Ac promiſcuè apud Spartanos in propatulo omnibus cœnare moris fuit: vt ne Regi quidem ſeorſum à cæteris victum liceret capere, interea vſque haud temere reperias qui opulentiæ vllius amore ab honorata paupertate deſciuerit. Nemo enim ſuum illuc animum propendere peſsimè, vel inclinare ſinebat: quo populi probra videbat eſſe cõiecta: & infeſtos omnium pariliter animos. Itaque Syſsitijs à Lycurgo decretis, tam eſt pecuniæ admiratio & opinio diminuta, vt nullius rei tam apud illos ſtudium, quam parandarum opum ratio frigeret. Ea autem publica erant conuiuia, vbi vnum in locum ciues coacti, pranſuri conueniebant. Eratque citra diſcrimen, potus & cibi cunctis æqua partitio. Eſculenta ipſa & poculenta vilia erant atq; cõmunia: ac nullis gulæ corrupta delicijs, nullis irritamentis adulterata. Hæc qui recuſabat edulia, perinde atq; infamis ignominia notabatur: quaſi cupedijs lautitijſque domeſticis delinitus, diſtentus iam multo epulo, publicum cibum faſtidiret. Domeſticæ autem cœnæ coquiſto mulcta irrogabatur: quæ proculdubio res à conuiuij præpoſitis ſagaci cura explorabatur: ne ſalutari à quoquam fraus fieret diſciplinæ. Tantaque erat conuiuij huius obſeruatio, vt pari cum cæteris vinculo ad Syſsitia regem iura conſtringerent. Vnde à doctiſsimo Plutarcho literis est ac memoriæ hominum traditum: inclytũ Spartæ principem Agidem, qui multo poſt Lycurgum Laconicum tenuit Sceptrum, deuictis quamuis Athenienſibus domum reuerteret, fuiſſe tamen ab Ephoris mulcta affectum, quòd à Syſsitijs præfectis, vt quaſi de via feſſo ſibi cum vxore diem vnum cœnare liceret, petere auſus fuiſſet. At, tempeſtate noſtra, mens hominum delicijs infecta, vitijſq; corrupta, pro Syſsitijs dubiam apponit cœnam ex qua ſub galli cantum iam tandem aſſurgenti, quaſi vertigine correptis, verſari omnia videntur in gyrum. Ac tandem, vt Terentianus ait Chremes, nec pes, nec mens ſatis ſuum officium facit.

Ex quo factum eſt, vt harum rerum dulcedine captis, diteſcendi amor habitus ſit honorificentior, & pecunia ipſa viſa nobilior. Qua iam opinione corrupti, opulentes omnes magnos viros facilè arbitrantur: Horatianumque illud ſecuti,

Exilis domus eſt, vbi non & multa ſuperſunt.

Eam in primis beatam eſſe domũ autumãt, non quæ ſuccidiæ tantũ inſtar haberi poſsit ſed inſani tanquam, illam domum ſuſpiciũt ac venerantur: in qua non tam naturæ vſibus neceſſaria, quam delicatioris gulæ, & deliciarum peſsimæ apta auiditati inſtrumenta multa paſsim vident eſſe repoſita. Itaque nõ pauci iã ſunt, qui Scopæ illud Theſſali dictũ maximè exoſculentur ac celebrent. Is enim cum ſuperuacanearum rerum varia atque multiplici ſupellectile (quia diuitijs multis redundabat, domum ambitioſè oppleſſet: rogatus aliquando, quid rerum tot, tamque inuſitatarum copia tanta luxuriaſſet, Imò verò Superuacaneis his fœlices ſumus ac beati non illis neceſſarijs, quibus vel ignobile etiã vulgus abundat. Qua voce vt nihil eſt ſtultius: ita nihil eſſe exitioſius illi poterit: qui ſibi verũ hoc eſſe falsò perſuaſerit. Non enim diuitiarum redundans affluentia beatum hominem facit: ſi famelica intus cupido furit, & inexplebilis fames ore hiat aperto. Cum præſertim ab eiuſmodi rerum indagine naturam noſtram abhorrere longè, perſpicuum eſſe manifeſtumq; appareat. Sedata igitur, paruiſq; rebus contenta mens & beatum facit, & verè fœlicem. Præclare nimirum Comicus hoc ſenſit Turpilius, cum ait.

Profectò vt quiſq; omnino contentus fuit,
Ita fortunatam vitam duxit maximè:
Vt philoſophi aiunt, Iſti quiduis ſat eſt.

Nulla enim res perinde hominem locupletat & ditat, quam iucunda illa tranquillitas animi ſua ſorte cõtenti. Huic enim animo, præter fas, nihil appetenti: facile perſuadebitur, opinione quam re paupertatem multò eſſe aſperiorem.

Pauper enim non eſt, cui rerum ſuppetit vſus.
Si ventri bene, ſi lateri eſt, pedibuſq; tuis, nil
Diuitiæ poterunt regales addere maius.

Egregiè certè his Horatius carminib⁹ nõ eſſe pauperem cenſet, cui ſano & incolumi neceſſarius ille victus non deſit: quem à natura cunctis præſto eſſe, parabilemque iam diximus. Quod ſi rabida fames inanes ſinus explicat famelicamq; expandit voraginem: hunc ſtimulans ſemper atq; excrucians auiditas nullis iam ſinit diuitijs ſatiari. Moleſtaq; illa animi paupertas pacto vllo nequit ex-

pleri: maioraq; vſq; inſatiabilitas furens appetit: noxiumq. per artus auri amorem diffundit. Hinc Bellerophontis Euripidei, prędiuitis auari & mores perditos, & ingenium miſerum adamuſsim nobis referentis inſana illa exurgit vox.

Sine me vocari peſsimum: vt diues vocer.
Nemo an bonus, an diues omnes quærimus.
Non quære, & vnde? quid habeas: tantùm rogant.
Vbiq; tantus quiſq; quantum habuit, fuit.
Quod eſſe nobis turpe ſit quæris? nihil.
Aut diues opto viuere: aut pauper mori.
Bene moritur, quiſquis moritur, dum lucrum facit.
Pecunia ingens generis humani bonum.
Cui non voluptas matris, aut blandæ poteſt
Par eſſe prolis: non ſacer meritis parens:
Tam dulce, ſi quid veneris in vultu micat.
Meritò illa amores cœlitum atq; hominum mouet.

En vt miſera animi paupertas, inſania hominem corripit, & ad pecuniæ exitialẽ amorem perſuaſione animi praua corruptũ, quò ſit planè progredi neſas traducit inſipienter? Nõ eſſe hic ergo vnquam diues poterit, qui à pręſcripto rationis, naturęq; ipſius abhorrens (noxijs indulgens affectibus) illicitis immergi optat diuitijs: & quo plura poſsidet, habendi maiore ſiti, atq; fame inſatiabili miſerè contabeſcit. Quæ morbi contagio facilè diuitibus cunctis pręſto eſt: acrioriq; velut ſufflamine diuitiarum caminum incendit, emorientemq; flammam exuſcitat. Non ergo temere dictum eſt ad eum qui diues haberi cuperet: de diuitijs aliquid oportere deduci, vt maturius id ac facilius cõſequi poſſet. Re enim ipſa compertum eſt, qui careat, minus opes appetere. Verè itaq; poeta Iuuenalis.

Creſcit amor nummi quantum ipſa pecunia creſcit:
Et minus hanc optat, qui non habet.

A QVIBVS igitur malis diuitiæ liberant, ſi ne hoc quidem adimunt malum: ſui cupiditatem? Qui ergo videri poteſt Scopam Theſſalum rectè dixiſſe, qui inuſitatarũ ac ſuperuacanearum rerum abundantia, vbertate & copia beatum & fœlicem effici hominẽ ſenſerit? Cum rerum huiuſmodi admiratione & cupiditate affectus animus, ſuperuacanea deſiderare, hoc eſt immodica concupiſcere non amplius deſinat? At, cuius in animo tam dira & truculenta feruet egeſtas: quis hunc opib⁹ vllis locupletem fieri poſſe exiſtimet? Quanto melius Telecri filius Alcamenes, qui parcum ac ſobrium vitæ cultum obijcienti, cum opes haberet ingentes, decet (inquit) eum qui plura poſsidet, pro ratione: non pro libidine viuere. Peſtilentes itaq; opes eſſe declarans, ni pręſtantior diuitijs mens adſit, diuitias non ex copia ſed ex neceſsitate dimetiens. Sed quæ hęc tam grauis ſpecies eſt morbi? Sęuientis ſi magnitudine hyemis prę algore dentes crepitant, manus rigeſcunt frigore: membraq; ſtupent cætera, foco aſsides ſplendido: vbi latè emicans flamma ſopitos artus, officijs ſenſim molliter ſuis adaptat: & triſtitiam contractam diſcutit. Æſtuantis ſi ſolis rapida & ignita vis viatorem preſsit, ſiti & calore labantem: nemora opportunè quęrentem frondoſæ excipiunt arbores, & dulci fontes aqua manantes: quę laſsi vires inſtaurant atq; reficiunt: vim caloris temperant, & moleſtã adimunt ſitim. Fames ſi ventrem exercet, ciborum vel vilium copia prementem lenit auiditatem: & famis expellit ingluuiem. Ac, ſi pulchrè calefacto propius admoueas ignem, expetitus illi caloris amor non ingratus modò, ſed & noxius iam incipit haberi. Flagrãs ſi ęſtus vis nemoroſi eſt amnis ripæ vmbra diſcuſſa (quod ſtudioſè paulo ante petiſſes) frigidas volutari ſi cogare per niues, inamœnum moleſtumque planè ſit. At tandem omni in re ſimulac naturæ eſt neceſsitati ſatisfactum: ad id iterum pertrahi acerbũ eſt; graueq; etiam videtur. Pecunia ſola eſt; quæ abundantia magis increſcit, copięq; vbertate maiorem ſui ardorem concipit: ſuis veluti fomentis exardeſcens. Ecquando enim eſt tu hominem vidiſti: cui auri famem, partum aurum leniuerit? Expetiti ve ſitim argenti, acquiſitum argentum extinxerit?

Creſcit indulgens ſibi dirus Hydrops
Nec ſitim pellit, niſi cauſa morbi
Fugerit venis: & aquoſus albo
Corpore languor.

Pręclarè itaq; Plutarchus, opulentiæ auiditatem omnium eſſe moleſtiſsimam cenſet: intranquillam maximè atque funeſtam. Nam cùm cæterę illuc cupiditates omnino tendant, vt earum amor ſatiari poſsit atque appetentia: hui⁹ tam prępoſtera & à cęteris aliena natura eſt, vt ſibi ipſa repugnet: auiditatemq; propriam nunquam ſinat expleri. An eſt quiſquam tanta hactenus amentia inuentus, qui eſſe propterea ab eſculentis putet temperandum, quod ciborum ſit appetens? Aut à vino continendum, quod ſit vini cupidior? At, diuitiarum amore à pecunię vſu homines videas paſsim procul arceri, & ab ipſarum attactu religioſiſsimè deterreri. Qui mihi profectò perinde facere videntur amenter, ac ſi quis quod vehementer algeat diductis veſtibus, nudato ve corpore, me-

dias

dias inter niues vltro citroq; ſpatietur, rigeſ-
centia gelu membra ill nens. Cum ratio
ibi veſtes poſcat, & ſplendidi copiam ignis,
quibus rebus inuiſa illa rigiditas frigoris pro
pulſari expelliq; ſolet.

RECTE igitur atque prudenter factum ab
illis eſt, qui inter inſaniæ genera auaritiam cõ
numerarunt: auaroſque omnes ac ſordidos
morboſos eſſe crediderunt: quando nomi-
nis huius ſignificatio; vt placere video do-
ctis ad dementes atque inſanos meritò de-
flexa eſt. Quum ipſa nullus ſit peſtilentior
morbus inſania: & nulla maior quã demẽtia
ægritudo. Meritò igitur Flaccus elebori por
tionem maximam, Antyciramq́ue omnem
auaris relinqui præcipit. Quo circa philoſo-
phus nobilis Ariſtippus, quoties huiuſmo-
di hominũ peruerſam naturam intueretur,
mirari ſolitus dicitur, quî fieret, vt cum ali-
quis nullo nec cibo nec potu vnquam ex-
pleretur: medicum actutùm iuberet accerſi,
vitioſi corporis habitũ exploraturum, mor-
bo cupiens liberari, ac appetitus noxij leuari
moleſtia: nemo illum egere medico crederet
qui cum decies centena habeat, vicies cente
na expetat. Ac ſeruos habens quinque man-
cipia requirat decem. Centumq́ue poſsidens
agri iugera, ducentorum iugerum fundum
ac prædium appetat. Cum nulla ſit vel mor-
bi, vel inſaniæ certior ſpecies, quam mentis
tam implacabilis inſatiabilitas: nullis vnquã
rebus acquieſcens: & ad aliud atque aliud in
hianter inuigilans. At hercle, ſi quis ſeruum
poſsidens nullum, dari ſibi vnum aliquem
cupiat: agrum ve non habens, Dominus eſſe
geſtiat fundi: futurum putes, vt partis his, fa-
cilè deſiſtat cupere. Qui verò harum rerum
copia ardentior inſurgit atq; ſitientior, huius
profectò morbida affectio eſt: purgationeq;
eget ac potione exoneraria. Nihil enim hi
mihi ab illis differre videntur, qui cum con-
tinenter iugiterq́ue bibant, nolunt tamen
bibendi aliquem finem facere: ex poculo ve-
luti ſiti ipſa acrius increſcente. Quibus non
tam expletione, quam Clyſtere ac vomitu
opus eſſe, quis dubitet? quippe quos perſpi-
cuum ſit, tepore quodam accido naturæ ob
uerſario magis infeſtari, quam inopia atq́ue
penuria. Atque eò magis huius ſemper mor
bi fugienda cupiditas eſt: quod non ſecus at
q́ue acerba quædã, grauis & imperioſa Do-
mina, quemcunq́ue nacta eſt, parare opes co
git, paratis neç vnquam hominem ſinit frui.
Ac auiditatem cum exacuat, fruitionis ta-
men voluptatem ipſam ſubducit. Quæ vna
conditio multo eſt omnium miſerrima, à cu
piditatumq́ue aliarum ingenio haud dubiè
diſiunctiſsima. Quæ maximè idcirco viden-
tur angere, vt frui poſsis: exoptatumq́ue iam
diu fructum decerpere.

QVAE cùm ita ſint, fugienda ſemper auari-
tia eſt, põderibuſque naturæ ac modulis ani
mus ita ſepiendus, vt præſidio illorum mu-
nitus: ſuperuacaneum & immodicum nihil
appetat: idq́ue ſibi rurſus modis omnibus fu
giendum eſſe ducat, quo ad vitam tranſigen
dam opus nihil eſt: ſynceritatiq́ue mentis
officit. Quæ vbi animum occuparit affectio,
egere nunquam hominẽ ſinet: ac ſorte qua-
libet contentum maximè efficiet, nihil am-
plius queritantem. Quæ vna res ſummæ in-
dicio eſt in homine opulentiæ. Mendicus
ſiquidem, inanis, ac verè pauper illius eſt ani
mus iudicandus (ingentes licet diuitias ha-
beat) qui ſibi quæſito opus eſſe autumat; ſor
teq́ue ſua contentus parũ: minimè proprio
animo conquieſcit. Diuitem nanq; eum de-
mum eſſe diffinimus: qui id quod adeſt, ſat
eſſe putat: vltra nihil appetit: & ab omni pro-
cul abhorret cupiditate. Quibus rebus deſti-
tutam mentem; pauperem & egentem, ac
prorſus mendicam eſſe, arbitramur. Haud
facile quippe diuitum in numero ponẽdus
eſt, qui ipſum ſe tenuem atq; pauperẽ ſpon-
te fatetur: medijs in diuitijs irrequieto ſem-
per animo maioribus lucris inuigilans. Quæ
omnia quid aliud indicant, quam hominis
acerbam atq́ue miſerã egeſtatem: quam nul-
læ vnquam rerum affluentiæ & copiæ: nullæ
opes atq́ue diuitiæ expleant? Atqui, diui-
tiarum modum ex vitæ cultu ac victu, men-
tiſq́ue placabilitate æſtimare oportet: non ex
rerum copia vel abundantia metiri. Quæ fru
ſtra paratur, quoties pungit foditq́ue cupidi
tas, viſcera auiditas comeſt: cor, animumq́ue
exedit furens auaritia. Cum præſertim diui-
tiarum atq́ue opulentiæ nomen: ad id ſem-
per, quod cuiq́ue ſatis ſit, accommodari de-
beat: & ex eo opum regula certa ſumi atq́ue
conſtitui: quæ rei huius ignaros facilè diui-
tiarum præſcriptum, modumq; verum edo-
ceant. Sunt enim multi, qui exiſtiment, diui
tias multas habere proprium eſſe diuitis. Cũ
non tam illud ſit proprium, quam parũ mo-
rari, ac nihil cupere. Quo in ipſo maximæ
profectò ſunt, certiſsimæq́ue diuitiæ.

CAETERVM cum veros diuitiarum termi-
nos ac limites ita præſcripſerimus, vt præcep
ta noſtra ſeruantem nulla vnquam egẽs pre-
mere poſsit auiditas. Illud quoque, quod
ſæpe iam ſignificauimus, accuratè in præſen-
tia prouidendum eſſe edicimus. Vt nulla

vnquam diuitiarum admiratione capiamur: nullis voluptatis blanditijs, lenocinijs, atque illecebris delectemur. Quam iure optimo malorum eſcam dixit Plato: quod ea non ſecus capiantur homines, atque hamo piſces. Neceſſe enim eſt, vt opulentiæ admirationē cupiditas inuadat: cupiditati, pecuniæ præſto ſit affluentia, facile nanque malis artibus diteſcere eſſe iam diximus, affluentiam ſequatur voluptas: voluptatis deinde comes iam ſit exitium, lues, tabes, calamitas atq; corruptio: ac vitæ & officij ſumma perturbatio. Quibus rebus infecto animo, eſſe nunquam licebit diuitem. Aliena ſiquidem hęc omnia ſunt à Germano illo diuitiarum pręſcripto, cuius paulo ante, regulā ſanximus. Etenim, qui ita erunt affecti, his rebus maximè ſemper egebunt: quibus maximè circumfluent. Quæ nimirum res cum conſtituto à nobis legitimo opum modo, ex diametro pugnat: vehementer diſsidet, atq; omni ex parte abhorret. Vt enim qui ad rei cuiuſq; pręſentariam occaſionem ſubito terrore pallent, metu ve exalbeſcunt, ignauo eſſe animo credūtur: ſic, qui paupertatis formidine repente incuſſa, animo frangitur; nō modò diues eſſe nō poterit, ſed ne bonus quidem vir haberi. Nam, qui egeſtatis timore, amplificandæ rei ſeſe addixit ſtudio, iniquo ſert iacturam animo: & patitur vſque damna moleſtè, neque id verò temerè. Infligitur enim appetitui vulnus quoties id quod amat, ereptum eſt. Eſtq; ſemper (vt dici ſolet) expetitæ rei moleſta ipſi priuatio. Quo circa, huiuſmodi affectio, ſi quando reſilire videbit: rationis è veſtigio pharmacis animo ipſi ſtudioſè erit opitulandū: vt in ſe ipſe tempeſtiuè reuocat⁹, vitioſè erumpentem affectum mitiget, reducens ad ſobrietatem. Alioqui, periculum eſt, nedum laxiori fræno ac tanquam ſolutioribus habenis euagantem ſequimur diuitiarum cupiditatem: in miſerrimam incidamus paupertatem, mentis ſcilicet penuriam: quam immodicè expetitæ opes ſolent parere. Cuius difficilis nimis ſedatio atque lenitio eſt: medicina verò, ipſaque ſanatio vehementer laborioſa. Pollutus enim ac vitioſus animus medicinę opem, vel amenter reſpuit: vel tardè, vix, ęgrèq; admittit.

SED hæc ad diuitiarum formulam, & auaritiæ morbum ſint hactenus dicta ſatis. Iamque aliud conſideremus: quod ſit tamen eodem ex ſonte deductum. Ne, quaſi euulſis aggeribus, cancelliſq; diſruptis, ſuo nōdum functa munere aberrare temere noſtra videatur oratio. Meminiſſe enim debemus, ſi modò nobis cōſtare volumus, orationis noſtræ ſummam ad id eſſe accommodandam, vt ſobriam paupertatem ſtultis inſaniſque diuitijs, longè eſſe pręferendam, declaremus. Cuius rei non infœliciter fundamenta iecimus, & gradum conſtabiliuimus: quāta ſemper tranquillitate atq; quiete moderata animum paupertas oppleat ſupra declarantes. Patefacto obiter vulgarium diuitiarum malo: quarum proprium diximus illud, nō tam partis rebus animum delectare: quam ſperatis angere, & non adeptis affligere. Quibus haud ſecus ac tempeſtatis cuiuſdam procellis agitata mens, conficitur miſera, aſsiduo vſque dolore tabeſcens. Cupiditatis enim ſtimulo animū fodicāte, ſacra illa auri fames increſcit: quæ legitimos appetentiæ ſemel egreſſa limites, vix philoſophicis monitis cohiberi, aut fręnari poteſt ſubſidijs vllis rationis. Proinde breuiſsimo quodam circulo opulentiæ veræ à nobis circumſcriptę ratione, & explicata natura tanquam ſpeculum exhibuimus, in quo ſe quiſq; contemplans, rerum ſuarum copiam vel indigentiam intueri poſſet. Nam, qui animi ſui imagine in eo rectè perpenſa, anxiè tumultuantem viderit, & noua aliqua parandarum opum cura ſatagentem: ſe ipſe iam, opinor, pauperem iudicabit. Quando, ni circunſcripta prius intra naturę terminos ſua cuiuſque animi cupiditas ſit: eſſe nemo verè locuples poſsit, vt à nobis quidem dictum eſt antea. Intranquilla ſiquidem, irrequieta & aſpera res, opulentia eſt omnis meritò putanda, quæ ab his hominem procul limitibus arcet: ac ne opulentiæ quidem nomine cenſenda eſt, quæ moroſa animum anxietudine preſſum, rebus nullis contentum efficit, ſed auiditate miſera detinet vſque ſuſpenſum. Quæ profectò res extremę in homine eſt inopię ac paupertatis indicium. At, qui rebus ſuis quantumlibet arctis vel caſu aliquo ſubitò accіſis contentus viuit: naturęque terminos neſas ducit excedere: hic proculdubio vere eſt opulentiæ viatico aduerſus moleſtos cupiditatū ictus armatus, & munitus abundè. Quarum nimirum rerum fretus pręſidio Scythes ille Anacharſis, Gentilitiū & ipſe philoſophorū morem ſectatus: non pecuniam ſolum, ſed & Hannonis ingentia munera liberrimo cōtempſit animo. Cuius rei certiſsimam facit fidem viri illius epiſtola, quę Tuſculanarum quinto apud M.C. ita extat ſcripta.

Anacharſis Hannoni ſalutem.

Mihi amictui eſt Scythicum tegmen: calciamentum, ſolorum callum, cubile terra,

pul-

[illegible] Lecto, cal[illegible], carne veſcor, [illegible] m [illegible] .Mo[illegible] ra [illegible] ſe delec[illegible], vel [illegible] t[illegible] us dona. Noue at ni [illegible] diuitias, qui ne digitum quidem [illegible] latum, quod aiūt, vnquam à circumſcriptis naturæ terminis e[illegible]ebat. [illegible] alitate enim & parſimonia vitæ oſtenſa: nil ſibi deeſſe interpretabatur. I[illegible], vt Lu[illegible]us ait.

Quod Sol atq; imbres dederant: quod terra creaſ-rat.

Sponte ſua: ſatis id placarat pectora donum.

Sum[illegible]s tanq[illegible]am affectionis peſſulis Socrati[illegible] animus occluſus, ad vitioſam affluentium re[illegible]m cupiditatem inſilire non poterat. Etenim memoriæ proditum extat, cum ſol[illegible] quadam pompa[illegible] & argenti & auri vis magna circum ferretur, ſtupeſcentibus al[illegible], Socratem inclamaſſe, quàm multa non deſidero! Quibus rebus ingenio viri magno atq; admirabili prediti facile illud preſtabant: vt, qui ab ſtultis pauperes eſſe putabātur, à cordatis contra ditiſſimi omnium merito iudicarentur. Cum ſuos ipſorū animos à cupiditatum fluctibus, quibus opulentorum hominū vulgus infeſtari ſolet) vacuos e[illegible] immuneſq; perſpicerent. Nulla enim ad ſolidas, veraſq; diuitias conſequēdas vel breuior eſt via, vel certior ratio (etiam ſi eximia illa, vt ia ante prodidim[illegible], aſſequi nequeas, q[illegible]am inanium cupiditatum expulſio, & rerum appetitio paucarum. Neceſſaria quippe atq; modica appetenti, ſatis eſt quidlibet. Raròq; pernitiem, optimis aliorum fortunis inſpectis, rumpitur: qui à teneris conſue[illegible] paruo vitam agere. Eſt igitur Horatianum illud preclarum, & ad vitæ tranquillitatem [illegible]ſeruanti ſummè vtile.

Quod ſatis eſt, cui contingit: nil amplius optet.

Nam [illegible] in eo ipſo, quod ſatis ſit, amare: & nihil amplius expetere, finitionis noſtræ virtus ſumma per[illegible] Ex eoque perinde atq; irriguo quodam fonte, vera [illegible]a ac certa diui[illegible]m profluit origo. Quæ iuxta philoſophorum omnium ſcita atque decreta: & be[illegible]tum & [illegible]licem, quem [illegible] complexa eſt, efficit: rebuſq; ſuis apprime gaudentem, ac nihil appetentem vlterius. Conſtat nanq; tanti huius boni fœlicitatem, nō ex re[illegible]um hautienda[illegible]m [illegible] co[illegible] ſed ab ani[illegible] ſed[illegible] conſtantia potius e[illegible] petendam. Qua [illegible] diuitiarum a[illegible] obtinet in[illegible], vt ni[illegible] incorruptæ menti [illegible] ubernel[illegible] i[illegible]pe[illegible] ſui acrius ſam[illegible] ſit [illegible] tura, & ad flagitia ſemper viam munitura. Quo circa aurea illa Iuuenalis [illegible]mina ſunt, quibus opulentiæ diſſuadet amorem: ac ſ[illegible] quemq; rebus iubet contentum viuere. Sic enim ait.

Viuite contenti caſulis, & collibus iſtis
O pueri. Marſus dicebat, & Hernicus olim:
Veſtinuſq; Senex, panem quæramus aratro
Qui ſatis eſt menſis. Laudant hoc numina ruris,
Quorum ope & auxilio, gratæ poſt munus ariſtæ,
Contingunt homines veteris faſtidia quercus.
Nil vetitum feciſſe volet, quem non pudet alto,
Per glaciem perone tegi: qui ſubmouet Euros
Pellibus inuerſis. Peregrina ignotaq; nobis
Ad ſcelus atq; nefas, quæcumq; eſt, purpura ducit.

Sic igitur habendum eſt, priſcis ſemper ſapientibus viſum fuiſſe, paupertatē ſobriam amore eſſe ſummo dignam, & in pretio maximo habendam: quod animum ad virtutem illiceat, diuitias è diuerſo, quaſi ſcelerum miniſtras fugiendas eſſe: quia mentis conturbent & labefactent ſtatum, actiones malas animo ſuggerentes. Id quod perpenſum eſt in multis, quorum animi clara indoles diuitiarum ſplendore perſtricta, offuſcata ſubito eſt, priſtino ingenio miſerabiliter deprauato. Salomoni enim (quem mortalium perhibent ſapientiſſimum) non tam profuiſſe ſapientiam legimus: quam diuitias nocuiſſe. Alexandrum vero Macedonem, quem egregia virtus animi ad imperium orbis euexit, Fortuna illa ampla, & Perſica Gaza corrupit. Et, ne plura perſequar: hęc vna peſtis eſt, quę Lacedæmoniorum opes euertit: veteris reipublicæ Romanorum ſtatum mutauit, gloriamque imminuit: & ad pluſquam ciuilia bella, cognataque arma impulit. Quod eſſe argumento poteſt, quantam homini ad nequiter agendum feneſtram pecunia patefaciat. Erit igitur prudenti viro tenuitati vitæ ſtudio ſummo vacandum: quæ vera animū alacritate conuestit, & tranquillitate diffundit. Cum diuitum hominum pectora n[illegible]is ſemper curarum fluctibus, tempeſtatibuſq; iactentur: & ceu proſperitatis ipſius furijs exagitata, acerbis Fortunæ caſibus voluntur. quod in Agamemnone tragœdia, doctè, vt alia Seneca ſic expreſsit.

Ceſpes Tyrio mollior Oſtro
Solet impauidos ducere ſomnos:
Aurea rumpunt tecta quietem,
Vigileſq; trahit purpura noctes.
O ſi pateant pectora ditum
Quantos intus ſublimis agit
Fortuna metus! Brutia Coro
Pulſante fretum mitior vnda eſt!
Pectora pauper ſecura gerit.
Tenet è patula Fago

Sed

Sed non trepida tenet ipſa manu:
Carpit faciles, vileſq; cibos,
Sed non ſtrictos reſpicit enſes.
Aurea miſcet pocula ſanguis.

Non ergo temerè ſtultorum hominum turbam opes ſibi voto precantium Iuuenalis poeta carpit; ad illorum ſolicitudinē animi declarandam, argumento ſumpto ab illis qui bene peculiati, varia videlicet ſupellectile, ac multiplici ſarcina onerati, aliquò iter arripiunt, quos panico veluti terrore perculſos, miſerè dicit ad omnia animo expaueſcere. Sic enim ait,

Pauca licet portes argenti vaſcula puri
Nocte iter ingreſſus gladium contumq; timebis,
Et motæ ad lunam trepidabis arundinis vmbram.
Cantabit vacuus coram latrone viator.
Prima ferè vota, & cunctis notiſsima templis
Diuitiæ: creſcant vt opes, vt maxima toto
Noſtra ſit arca foro. Sed nulla aconita bibuntur
Fictilibus: tunc illa time, cum pocula ſumes
Gemmata: & lato Setinum ardebit in auro.

Hanc igitur ob cauſam ſapienter idem, qui à nobis eſt modo citatus Seneca, ad ſecuritatem vitæ, paupertatis latebras plurimum eſſe vtiles cenſet. Sic nanque ait,

. . . *Bene paupertas*
Humili tecto contenta latet.
Quatiunt altas ſæpe procellæ,
Aut euertit Fortuna domos.

Quid Claudianus vates & ipſe nō incelebris, non ne diuitijs contemptis: ad beatè viuendum tenuem laudat vitæ cultum, docto ſic carmine inquiens?

Viuitur exiguo melius. Natura beatis
Omnibus eſſe dedit: ſi quis cognouerit vti.
Hæc ſi nota forent fruerem ur ſimplice cultu,
Claſsica non fremerent; non ſtridula fraxinus iret:
non ventus quateret puppes, non machina muros.

Sed quid multis eſt opus? miſeram, irrequietam, anxiam, ac ſcelerum tandem omnium artificem opulentiam eſſe: qui ſapiūt autumant. Tenuem rurſus vitæ ſortem, non alumnam modo, ſed magiſtram omniū virtutum merito arbitrantur. Ad hanc nos monitis atque præceptis conantur allicere: & frugalis vitæ exemplis ſanctiſsimis (quod lōge omnium efficaciſsimum eſt) inuitant etiam.

QVARE ſi turpiter plærumque pecuniæ parantur: ſi maiorem ſui ardorem cum copia [illegible] opulentia: ſi tranquillitate animum affluentia rerum ſpoliat, atq; ſtatione ſua mentem abducit: ſi ſolicitudinibus no[illegible] opplet. Si indulgentia molli, iudicio animi fraudulenter erepto, ſcelere tandem flagitijſque no[illegible]at: [illegible]enter ſeduloque eſt vſquequaque fugienda; atque eo loci ablegandа vbi contactu ſuo boris nocere nō poſsit. Eſt e diuerſo innocua paupertas amanda: quæ paruis rebus aſſueta, ſorteque ſua gaudēs, Fortuna in ampla perniciosè ferocientem ſcelerum non ſentit ardorem: non inuidioſæ artis aliqua techna fallaci alterius illudere rebus geſtit, prædæ inhians non animo cuiquam facere meditatur iniuriam: non in medio poſita tranſuolans, ad ea animi libidine praua nititur, quæ ambitioſi hominis cupiditas præceps ſuadere ſolet: ad ſuperiorum laborioſa certamina ſuperba temere cum ſtimulat corda. Quin ſapienter in ſe ipſa reſpectans perpetim: turbulentos animo curarum æſtus excutit, inaneſque procul cupiditates expellit & abijcit: quibus auarorum mentes dies ac noctes ſine fine premuntur: & acerbiſsimè exagitantur. Hæc mea de paupertate ſententia: hæc contra diuitias noſtra eſt peroratio. Quas idcirco improbas eſſe decernimus, quòd corruptis illorum animis à quibus poſsidentur libidini pabula ſuppeditant: ad iniuſtitiam, iniuriamque impellunt: pronos procliueſq; ad mala homines, & in ſcelera audaces efficiunt: ad ſalutarium verò actionum functiones, cunctabundos & tardos: ad virtutem animi inhabiles prorſus, planeque inertes.

QVOD ſi quis pernicioſe morbi ambitione mala corruptus præfractè nimis ac mordicus diuitiarum patrocinio ſuſcepto, vel amore turpiter hauſto; acerbè admodū contra opulentiæ cauſam me dixerit peroraſſe: vel ſtomachanter in ipſius odium, non certo iudicio animi aliquid temere protuliſſe, is Samoſatenſis Luciani ſcriptoris, vt opinio mea fert, acutiſsimi duos legat dialogos, quorum alter Cynici titulo: alter Timonis inſcriptus opulentiæ damna innumera: paupertatis verò ſobriæ commoditates multas atq; mirificas eſſe doctiſsimè teſtantur. Itaq; nō iniuria miratur, quid ſit cauſæ, quā obrē præſes diuitiarū Pluto tā multos ſui habeat amantes cum præſertim inhoneſta ac fœda claudicatione ſit debilis: horrido pallore deformis: atq; inſuper oculis captus: nulla vt penitus ratione internoſcere queat, apud quem diuertere debeat, & manſionis quærere hoſpitium? Non igitur deinceps fœlicem mentis ſtatum, diſciplinamque virtutis adipiſci cupienti, opulentiæ ſtudio opera danda eſt: non ad vitam ſiti, quæ incolumitati animi vehementer officiunt, bonæ eſſe diuitiæ putandæ. Nihil enim bonum debet videri

deri, quod non meliorem efficiat poſsidentem, & honeſta quadam nominis gloria triũphantem. Nam id demum bonum eſſe definiendum eſt, quod rectè fit, quod honeſtè & cum virtute, & quod trium harum rerũ laude aliqua dignè ſuſcipitur: id benè fieri, ac rectè dicitur. Quod ſi eiuſmodi careat comitatu: haud eſt quidem bonis in rebus habendum. Quod cum ita ſe habeat, perſpicuò patet, apparetque profectò dilucidè, cùm opulentiam ipſam: tum verò parandarũ diuitiarũ rationẽ omnẽ ab eiuſcemodi natura quã maximè disiunctam eſſe. Quę inhoneſtè, improbe, nequiter, flagitioſè ac turpiter, fraudulenter etiam plęrumque periurioſeq; parantur. Periurijs enim rapinis atque flagitijs antiſtitis diuitiarum Pluti, plurimùm eſt aula referta. Quarum & ipſarum eiuſmodi natura eſt, vt malis facile contingant, bonis obſint, vehementerq; officiant: ingenium naturamque illorum interdum peſsimè deprauantes. Rectè igitur Euripides; Ne Plutum mihi nominaueris: haud magnifacio illum Deum; quem vel peſsimus quiſq; facilè ſibi aſciſcit. Cui concinens Menander, prudẽter ſanè ait. Ne dixeris, miror pręclarum opum Deum: quarum facilè vim magnam poſsidet malus.

Verum enim verò, ſi horrido quemquam paupertas nomine deterreat, is nimirum (ſi ſapiet) non ad alias animum conferet, opes: quã ad eas, quę finitionis noſtrę breui clauduntur gyro. Quarum ſi pręſidio fultus illi animus fuerit: diues erit ac fœlix, ſuiſque rebus contentus abundè, abhorrebit ſemper ab alienæ ſortis admiratione, appetitioneq; omni tabifica. Cęterum ſi vulgaris ille, leuis & incõſtans diuitiarum ſplendor, quem eſſe ob adiunctam turpitudinem diximus fugiẽdum, cuiquam fuerit cordi: is leuitatem rei animo permenſus, affectus eſſe ita debet: vt ſi caſus tulerit, rebus ijs, ęquo ſibi putet animo carendum. Illud vſquequaq; conſiderans, ſapienti viro Fortunæ munera non tam voto eſſe expetenda: quam oblata cum erũt, conſilio gubernanda: dexteritatem tandem & induſtriam, vt rectè vti poſsit, exoptandã magis eſſe: & in amittendo cõſtantiam: quã illorum affluentiam. Quod pręclarè in oratione quadam pro domo ſua ſenſit M. Cicero, contra eiectorem ſuum Clodium ita diſputans. Non me bonorum direptio: non tectorum excidio: non depopulatio prędiorũ: non pręda Conſulum ex meis Fortunis crudeliſsimè capta permouet. Caduca ſemper, & mobilia hæc eſſe duxi, non virtutis atque ingenij, ſed Fortunæ & temporum munera. Quorum ego non tam facultatem vnquam & copiam expetendam putaui, quàm & in vtendo rationem, & in carendo patientiam. Rectè ille quidem. Hęc enim ſunt in quibus elati atque excelſi animi virtus ſumma perſpicitur: & infractę mẽtis robur illud (quod ſtudio magno perquiritur, facile cernitur) & quæ nulli inopiæ, paupertati atque indigentiæ hominem ſinunt ſuccumbere.

NICETES.

Ea tibi dicendi à natura inſita vis eſt, mi Philemon: is orationis ornatus & copia, vt longiſsima quaque oratione tua admodum ipſe delecter. Ex quo fit, vt Aſiaticum te mihi oratorem dari magis exoptem: quam Spartanum aut Rhodium. Continẽtis enim & exuberantis orationis tuæ ita leniter ducor filo: facere vt improbè videar, ſi te interpellem dicentem. Proinde, ſi meis tantùm auribus eſſet ſeruiendum, non etiam legentium iudicio, tunc te demum vt dicendi finem faceres hortari poſſem, cũ tibi liberet ipſi. Cùm verò horum ratio haberi minor non debeat, quam examen eorum quæ dicas: etiam atq; etiam conſiderandum tibi eſt, ne in re aliqua enarranda videare longior fuiſſe. Moderatè enim texenda oratio eſt, & rebus accommodanda. Ad aliaq; feſtinanti pretermittenda ſunt multa: illaque etiam interdũ (quæ lectu digna putes) neceſſario relinquenda. Neque enim tam eſt inſpiciendum, quid tibi ipſi expediat, quam quid rectè diſputanti vel liceat, vel conueniat. Tractanda ſiquidem eo omnia ſunt pacto, vt quàm minimum à decoro videaris abſuiſſe. Quod licet intelligam ex quo ipſe fonte hauriam (id enim ipſe prior niſi fallor admonueras) non certè abſurdè videbor feciſſe, ſi tuis te pręceptis ac monitis officij debiti admonuero. Nam quod ad diuitiarum perorationem attinet, dicenda multa non ſunt. Fuit enim res ingenio planè digna tuo: culta omnis, ſeuera & grauis oratio. Sed ea rurſus cenſeri poteſt eiuſmodi (vt ſi iniquus adſit interpres, quaſi longior reprehendatur, vt pote quæ multa ſibi explanãda ſuſceperit, quæ partim non attingenda, aut certè ſtrictim leuiterq; delibanda: & modicè declaranda fuerunt. Etenim quis nõ videat vt vacuas prorſus, ocioſaſq; aures poſcat indagatio rei cuiuſq; ſubtilior, penſiculatior, penitiorq; diſcuſsio. Quare, cauendum erit in poſterum, ne curioſitate, aut nimia diligentia quidpiam peccaſſe dicare. Haud enim operæ pretium pulchrum fuerit, diſpendioſo labore inuidiam tibi potius cõflare, quam do-

do-

doctorum hominum beneuolentiam, gratiãque inire. Quando autem, vt ſuo quodque ordine ac loco à te antea locatum eſt, bona omnia Fortunę exequi placet. Ita, quę reſtãt exequere, vt & loci, & verborum, & legentium rationẽ quam maximè habendã putes. Sed ſi amorem noſtrum ſpectes, dubium non eſt quin cupiditati noſtræ pluſculum quiddam largiare: quam alijs eſſe dãdum exiſtimes. Sit licet maleuolentium hominum & vellicatio parata, & calumnia forſan è veſtigio ſubeunda.

PHILEMON.

Difficilius eſſe nihil, quam cupiditati multorum ſatisfacere, atque omnium ſeruire palato, mi Nicete, multo iam ante patefecimus cum ſuos quondam principibus viris, & ad ſummam ingenij laudem atq; gloriam natis æmulos ac reprehẽſores, improbosque Zoilos, non defuiſſe docuimus. Quocirca id ipſum quod de nobis quibuſdam viſum iri non ſine cauſa reris: me certè parum mouet cum exploratum habeam, placere vt omnibus poſſet, nulli hactenus fuiſſe tributum: eamque eſſe humani ingenij conditionem vt omni ex parte conſummatũ aliquid atq; perfectum mortalium nemo vnquam poſsit efficere. Vel naturæ fac humanæ ceſſet infirmitas, habet tamen quod feriat ſemper inuidia. Qua propter, ſi curioſa nimium obijciatur diligentia; præterque æquum aliquantulum nobis oratio prolixa, hæc certè eluſmodi ſunt, vt non tam mihi vitio ſint inſcitiæ adſcribenda: quam officioſæ mei animi ſedulitati imputanda. Quæ proculdubio quodam veluti obſequio pleniori non tam lectorum animos ſolet auertere, vel deterrere, quam illorum beneuolentiam conciliare, gratiamque inire. Nam fructuoſam quis vnquam ſanus carpat orationẽ, dum exactius ſingula exquirit, quę ad paupertatis dignitatem, diuitiarumque notionem videntur pertinere? Cum præſertim ab illarum rerum pręſcripto (quarum erat neceſſario campo currendum) diſiuncta parum, aliena ve ſint? Quibus in ipſis ſiqua à me culpa commiſſa eſt, facile patior in hanc me potius partem dumtaxat peccaſſe, quam neceſſaria prætermittẽtem: inſcitiæ vel negligentiæ notari. Paratior enim à bonis venia eſſe debet ſedulitati, quã laborem fugienti deſidiæ. Deinceps tamen vel hortatu tuo, orationis ita habenas comprimam meæ: vt & loci, & verborum, legentiumque etiam (quod mones) rationem mihi in primis eſſe habendã exiſtimem. Quod tamen moderabor ita, vt amoris tui immemor eſſe non videar: quãdo longiſsima quãque oratione noſtra, te delectari maximè ſignificas. Sed hoc rurſus intra modum, vel potius modicè faciam: ne qui orationis noſtræ longitudine offenduntur, ex induſtria ſibi à me arbitrentur negotiũ faceſsitũ. Verumtamen adduci nõ poſſum, vt credam: longam & inſuauem, eam cuiquam orationem viſum iri, quæ rem ſuſceptam edoceat: ac longa quamuis ſerie complectatur tamẽ quod intendit: & quod cupit efficiat. Sed hoc reprehenſores viderint: nos tibi obſequemur: & illis, quoad pares erimus, libẽter geremus morem, qui verboſa præter æquum oratione offendũtur. Carneadeam autem illam in vtranque partem diſſerendi ſubtilitatem fugiemus, quo id facilius conſequi poſsimus. Nam ſi huiuſmodi erimus dicendi genus ſecuti: in longos orationis anfractus, verborumque moleſtos circuitus impingamus iterum neceſſe eſt. NIC. Tu quidẽ, vt libebit, facito. Verumtamen hæc, quam dicis, expeditior videtur ratio, & propoſito congruentior. Studendum ſiquidem breuiloquentię eſt: ſi Fortunæ munera tempeſtiuè cupis oſtendere. Nam, quæ illi omnia aſsignantur, ad plenum velle tractare: non minus eſt ſuſcipere laborioſum, quam præſtare difficile. Sed tu mi Philemon audacter rẽ ſuſceptam perage, & laborem inſtitutum exequere. Secundam enim hanc partem, vel in primis cupio audire, quæ abs te eſt honoribus attributa.

PHILEMON.

Præclarum nihil eſſe, quod non idem arduum difficileque ſit: non iniuria vetus philoſophiæ porticus cenſuit. Cuius ſententiæ ferunt Socratem, principem fuiſſe: qui amicorum in cœtu difficultatem quarundam rerum ſæpe quęrẽtium: difficilia eſſe, quæ pulchra, non ſemel aſſerebat. Cuius rei documento nobis eſſe naturam aiebat: quæ pretioſiſsimas quaſque res diu elaborato partu plerumque in lucem emitteret. Quod variè non ſolum in omni animantium genere, quibus aliquis ſenſus ineſt: ſed in ipſa etiam dicebat perſpici arborum poſſe natura. Pigrè enim admodum præſtantiſsimæ arbores creſcunt: quæq; ſunt ex eis ætatem diutius laturæ, tardius perficiuntur, fructuſque fundunt lentiſsimè. Belluarum porrò quæ ſunt generoſæ futuræ, puerperij materni maiora ſpatia ſortiuntur, incrementiæque ſuæ tardiores habent exortus. At, degeneres illæ, quibus vitæ eſt ſpiritus futurus inglorius, vteros maternos implent citius, expediuntque

q; celerius. Quæ autem pręſtantiori ex genere tempeſtiuius aliquanto vſuram vitæ atq; lucis acceperunt: ob partum matris pręproperum cęcæ atq; imperfectę naſcuntur: quas matres lambēdo figurant, atq; ipſa dies perpolit tempus. Sed in hac cunctatione naturæ ſumma inſtituta ratione, princeps mortalium homo primas ſibi iure vendicat partes. Hic enim omnium quę in orbe viſuntur dominus, & à cęterorum animātium tā longè diiunctus natura, vt vni tātùm Deo cedat opifici: tam lento & ipſe gradu, tardoque exortu vitę capit initium: & ſentire naturę vim incipit ſuę: vt longo vix poteſt tēpore vſuram lucis accipiens, cuius fuerit rei gratia genitus, quidq; ſit, haud facile poſsit ſolertia mētis aſſequi. Quod intellectus acumen, quæ virtutis indoles: quæ mentis atq; ingenij pręſtantia ſibi data ſint niſi poſt interualla longa temporis vix poſsit indagando percipere. Quibus ex rebus facile apparēt, celeberrima atque optima futura quæ ſint, niſi tardè ac laborioſè, pacto nullo poſſe perfici. Id enim arguit rebus in magnis artificioſæ ſolertiſq; naturæ operoſa & tarda dilatio. Idq; haud iniuria. Nihil enim rerum, ipſa natura, voluit magnum effici citò: propoſuitq; pulcherrimo cuiq; operi difficultatem. Quæ naſcendi hanc quoq; fecerit legē, quemadmodum inſtitutionum Oratoriarum libro decimo ſcripſit Fabius, noſq; paulo ante prodidimus, vt maiora animalia diutius viſceribus parentum continerentur. Ex quo illud efficitur, vt quò difficiliora tractatu, à me ſemel ſuſcepta, quibus tantū eſt tēporis datum, tibi videntur Fortunæ munera: eò ſtudioſius & ardentius, ſuis veluti omnibus illa numeris doctè cupiam explanare, & nota cunctis efficere. Qua propter dabo equidem operā, vt quam de honoribus partem, audire te dicis expetere: eam iam nunc complectar (Deo auſpice) paucis. Sed quo facilius, quid honor ſit conſtare poſsit haud me eſſe abſurdè opinor facturum, ſi, quid verè honeſtum dicendum ſit, aliquantò altius expendere. Quod licet à me ſupra animaduerſum eſt: ſuo tamen in loco copioſi' id repetere, non arbitror poſſe indignum videri, vel aſpernabile doctis.

NAM cum inter honeſtum & vtile orta ſit ſæpe contentio: in vtilitatis honeſtatiſque formulis pręſcribendis anceps eſt, dubiumque certamen: inter ſeque pugnantium philoſophorum varia ac ſumma diſſenſio. Quorum multi quod vtile videretur, eſſe id pariter arbitrātur honeſtum: quidam quicquid vehementer eſſet vtile: id, eo ipſo quod nimium vtile foret, neceſſariò eſſe honeſtum futurum: etiam ſi minus antea videretur. Alij eſſe poſſe quicquam negabant vtile, quod parum eſſet honeſtum: ita metſi ad tēpus, vel maximè id expedire putaretur. Nihil enim honeſtum eſſe, quod turpitudinis vitio coniunctum eſt: ac pudoris ſynceritati contrarium. Quo vno ex fonte (vt & mea quidem fert opinio) vera profluit honeſtatis origo. Etenim illud demum honeſtum eſt, quod propter ſe ipſum natura expetitur: vique ſua eſt atq; ſponte laudabile. Cuius dignitas omnis, decuſque intercat neceſſe eſt, turpis ſi ſit, vtilitatis Lancibus appenſum: aggregatumque conſortio. Reſpuit ſiquidem auerſatur ac refugit honeſtatis ipſius pręſtantia tam turpem & illiberalem familiaritatis nexum: diſtrahique amat potius, quam tam indignè atque improbè permiſceri. Nulla nanq; cum turpitudine honeſtati coniūctio eſt, ſed poti' ſumma diſtractio ac genuina ſecretio. Hanc tam ſpecioſam honeſtati ipſi à natura præſcriptam legem, qui violat: fateatur oportet neſcire ſe: quid vere ſit honeſtum: vimque eius ignorare prorſus. Cuius rei illud eſt proprium, nihil arbitrari expedire, quod parum deceat: dignitatique ſit honeſtatis infeſtum. Dedecet autem, cum omnes: tum verò ſapientem virum vtile quicquam putare, quod ſceleratum, quod impium, quod flagitioſum, quod iniuſtum eſt: etiam ſi ſuę cuiuſque vitæ rationi maximè videatur acommodatum. Intelligendum quippe eſt, ibi eſſe vtilitatem non poſſe, vnde omnis honeſtas abeſt. Vt enim auerſante repugnanteque natura: à decoro vtile ſecerni non poteſt: ſic etiam credendum eſt, vtilitatis prętextu, quæ honeſtate vacent, palliari non poſſe, quò vtilia magis & honeſta putentur: ac bonis viris videantur eſſe ſumenda. Quæ ſi ob oculos honeſtatis regula ponatur, vix dici poteſt: quantum momenti, opis, atque pręſidij aduerſus improborum iniurias attuleris. Quæ ve perditorū ciuium temerariæ licentiæ fręna inieceris, dic non eſt facilè. Cùm hac veluti vtilitatis eſca allecti mortales ad inferendam paſsim iniuriam temere rapiantur: haud expendētes interim, ſit ne ęqua, turpis vtilitatis allectio, & inuitatio probroſa: quæ in alterius Fortunas & iura impudēter debacchatur. Nam ſi firmiter illud vſquequaque tenendum eſt, & pro viribus defenſandum, Vtile nihil eſſe, quod ab honeſtatis natura remotū eſt,

virtuteq; alienum: & illud pariter relinquetur: vtilitatem ipſam inter famæ probra, ac vitæ ſumma ſcelera verſari non poſſe. Pręclarè itaque Panætius eis in libris, qui ab eo ſunt accuratè de officijs ſcripti: fieri poſſe negat, vt honeſtis vtilia repugnent: vtilibus aduerſeatur honeſta. Sed vtilitatis ſpeciem poſſe dicit honeſtati repugnare? Cum in ea ſemper ſententia ſit, vt honeſtatis vtilitatiſq; regulam vnam atq; eamdem eſſe deliberet. Maioremq; vllam in vita hominum peſtem negat inualuiſſe, quam eorum opinionem qui iſta diſtraxerint. Nunquam igitur cum honeſtate vtilitas ipſa contendet. quin illud eſt protinus ſtatuendum: vbi turpitudo aliqua ſit, loci ibi vtilitati nihil eſſe poſſe. Vnde Socratem ipſum ferunt, eos ſępe execrari ſolitũ, qui primùm duo hęc natura cohęrentia opinione diſtraxiſſent. Cui (vt Cicero ait) ita ſunt Stoici aſſenſi: vt honeſtum quod eſſet, id vtile eſſe cenſerent: nec vtile quicquam, quod non honeſtum. Exterminanda igitur eorum procul opinio eſt, qui ob vtilitatis magnitudinem, haberi honeſtum poſtulant: quod ab honeſtatis eſt natura diſiunctũ. Nulla enim vtilitas exiſtimanda eſt, quæ comitem ſecum affert infamiã: & virtutis ſplendorem (ad quem omnis eſt vtilitas dirigenda, turpitudinis obducit tenebris atraq; nequitiæ caligine offuſcat. Non ergo fucatis, captatorijſq; blanditijs fructuoſa hæreditas parta: & à teſtatore credulo parum liberalibus officijs extorta, honeſta putanda eſt, etiã ſi vtilitas maxima appareat. Nihil enim ſub dolè actum, hamatiſq; muneribus emptum: honeſtum debet videri. Ex quo illud efficitur, vt viſcerationibus, largitionibus, idq; genus corruptelis parti magiſtratus nõ modò honeſti non ſint: ſed ne vtiles quidẽ putandi, multoq; minus honeſta imperia, quæ libertę oppreſſione patriæ bonarumq; legum interitu, diſtrictis tyrannorum gladijs, & ſęuò ferro quęruntur: ac per iniuriam tandem ſummam vſurpantur. Sed de his alias.

Nvnc illud tenendum eſt, vtilitatis prętextu, opimiq; fructus obtentu, flagitioſe aliquid, hoc eſt contra verecundię noſtræ honeſtatiſq; naturam, committendum nõ eſſe ac ne attentandum quidem. Segreganda igitur, proculq; eijcienda eſt improba Curionis oratio, qui cum cauſam Tranſpadanorũ ęquam eſſe probaret: ſemper tamẽ addebat, vincat vtilitas. qui enim ſic erit affectus, hoc quidem honeſtum eſt: ſed mihi illud expedit, ab hoc nulla fraus, nulla iniuſtitia, nulla iniquitas aberit. Sic enim cogitans (vt pręclare Cicero ait) eſt illud quidem honeſtum, verùm hoc expedit res à natura copulatas audebit errore diuellere: qui fons eſt fraudum, ſcelerumq; omnium. Quapropter, qui commodis atque emolumentis cuncta metiũtur, de ipſius vtilitatis, honeſtiq; natura, nihil vnquam veri atq; ſani poterunt in vita pręcipere. Fallacibus enim iudicijs emolumenta rerum vident. Cuius rei teſtis eſt locuples ipſe Curio. Curio inquam (vt cum Lucano loquar) Cęſarei pars magna Senatus, qui contra omne fas boni viri abnegata ac prodita fide: & charitate patrię, lucri impij cupiditati poſthabita, ea quæ probitatis amanti, & honeſtatis amico eſſe dulciſſima ac iucundiſſima debẽt (quo ſe obſtinxiſſet ſcelere nihil moratus) exitio perfidus dare non timuit.

Gallorum captus ſpolijs: & Cæſaris auro.

Hic igitur, & quicunque ſunt morum ſimili veſania pręditi, ab hoc ſunt procul iudicio & cenſura remouendi. Res enim vera ſcelerum artifex, iniurięq; ſuaſor. Plutus: pallidus, Claudus, & cæcus (vt paulo ante prodidimus) infidus homini conſiliarius eſt & rerum ęſtimator iniquus. Quo ſæpe ductore, quæ turpitudinis ac dedecoris plena ſunt maximè, amiſſo temere mentis lumine prędæ nidore capti, recuſatis faſtiditisque melioribus, fœde ſibi multi, pernicioſeque aſciſcunt. His igitur ſpe aliqua lucri vel eminus promicante, ad decori dignitatem amplexandam, honeſti ve exactius regulam inſpiciendam nullus vnquam patebit (opinor) aditus: fulgore enim auri præſtricti, iudicia vera rerum non magis intueri poſſunt, quam diſcrimina colorum, qui oculis ſunt orbati. Qui verò mentis incolumi ſunt acie, & ab auaritiæ ſordibus liberi, contaminari ſe tam fœda morbi labe minime ſinunt nullaque idcirco alia videri illis vtilitatis quam quæ honeſtatis eſt, regula ſolet.

Contempta igitur auari ac perfidi perſona Curionis, & illorum qui nefariæ atque impiæ ipſius ſententiæ nituntur eſſe fautores: Panætij nobis potius diſcipulus inclytus Poſsidonius in conſilium erit diligenter adhibendus, qui omnino ſe negat cõpendij ſui cauſa facturum: quod parũ deceat: & ab honeſtatis ſit natura diſiunctum. Cuius rei tanta eſt vis, vt in hoſte etiam hęc regula ſit vſq; quaque ſeruanda. Quod pręclarè his & verbis & exemplis officiorum tertio declarauit. M. Cicero: Themiſtocles (inquit) poſt

vi-

victoriam eius belli, quod cum Perſis fuit, dixit in Concione ſe habere Conſilium reipublicæ ſalutare, ſed id ſciri opus non eſſe. Poſtulauitq; vt aliquem populus daret, qui cum communicaret: datus eſt Ariſtides, huic ille, claſſem Lacedæmoniorum, quæ ſubducta eſſet ad Gytheum, clam incendi poſſe: quo facto, frangi Lacedæmoniorum opes neceſſe eſſe. Quod Ariſtides cum audiuiſſet, in concionem magna expectatione venit: dixit perutile eſſe conſilium, quod Themiſtocles afferret: ſed minimè honeſtum. Itaq; Athenienſes, quod honeſtum non eſſet, id ne vtile quidem putarunt. Totamq; eam rem, quam ne audiuerant quidem authore Ariſtide repudiauerunt. Quid? hęc tanta honeſtatis vis, quę parum decorè cum hoſte agere dignata nõ eſt, minus ne fuit Romanis quàm Gręcis & Athenienſibus cognita? At Romanum accipe exemplum, Fabricij conſulis animi virtute digniſsimũ. Cum enim Epyrotarum rex Pyrrhus Romano populo bellum vltrò intuliſſet: cumque (vti Cicero ſcribit) cum rege pontente & generoſo, de imperio eſſet certamen: perfuga ab eo venit in Caſtra Fabricij, eique eſt pollicitus, ſi premium ei propoſuiſſet, ſe, vt clã veniſſet, Sic clam in Pyrrhi Caſtra rediturum: & eum veneno necaturum. Hunc Fabricius reducendum curauit ad Pyrrhum. Idq; eius factum à Senatu laudatum eſt. At qui, ſi ſpeciem vtilitatis, opinionẽque quęrimus: magnũ illud bellum perfuga vnus, & grauem aduerſariũ imperij ſuſtuliſſet. Sed magnum dedecus & flagitium, quicum laudis certamen fuiſſet, eum non virtute, ſed ſcelere ſuperatum. Sic igitur habendum eſt, propoſita etiam rerum omnium impunitate ſumma atq; ignoratione, nihilo magis quod non liceat, faciendũ eſſe. Licet autem ſemper quod decet: quodque honeſtum eſt, ac turpitudini contrariũ. Vnde iure optimo regium paſtorem Gygẽ Cicero reprehendit, qui ſecundo de republica apud Platonem libro inuenti anuli beneficio, reginæ inferre ſtuprum fingitur, ac per ſummũ nefas rege domino occiſo, Lydiæ, imperio potiri. Qui, tot licet in facinoribus (ſi credere dignum eſt) à nemine videretur: ipſa tamen mater honeſtatis ratio videbat, honeſti germanam vtilitatem ſummo in ſcelere verſari non poſſe. Aurea profecto Ciceronis illa pręceptio eſt, & ad honeſtatis laudem valet plurimũ: qua monet, ſatis nobis (ſi modò in philoſophia aliquid profecimus) perſuaſum eſſe debere. Si omnes Deos homineſq; celare poſsimus: nihil tamen auarè, nihil iniuſtè, nihil libidinoſè, nihil incontinenter eſſe faciendum. Non igitur bonum apud virum contra honeſtatem vtilitas ipſa inſurget: ſed ducem ſuam atq; germanam vbiq; ſequetur.

NICETES.

O vtinam tam ſancta honeſtatis & vtilitatis ſanctio gubernãtibus rempublicam viris, ſummiſq; principibus ſemper eſſet in próptu! Hoc enim ita ab illis factum ſi foret, quã imperij ipſorum ditione vaſta penè vndiq; cingitur, haud eſſet quidem tan negligenter & languidè terrarum orbi conſultum. Humanęq; res, quæ improborum paſsim iniuria temere labefactantur, & ſtabilirentur cõſtantius, & à prouinciarum pręfectis, nocendi occaſione omni vigilanter de medio ſublata, integrius multo cuſtodirentur. Sed tu mi Philemon, quando harum rerum vim & naturam tam exactè atque verè pręfiniſti vt pręcepta tua ſeruantibus expedire nihil poſſit quod à decori dignitate, & natura honeſtatis abhorreat: quid honor ſit, fac vt intelligam, quod te eſſe facturũ recepiſti, ſimul ac honeſtum ipſum declaraſſes. Quod, quò auidius noſſe cupiam: pręclara illa profectò (quæ ſingulari hoc de honore elogio aſsignata eſt) Platonis facit illecebra. [illegible], [illegible]. Nam ſi Plato vir tantus diuinum quiddam eſſe arbitratur honorem: ſumma ope animi ad illius adeptionẽ nos oportere gradi, quis non videat? Neque enim fas eſt, quę pręclara atque optima ſunt, à bono viro cõtemni. PHILEMON. Audi ergo quæ reſtãt: hactenus enim ipſius veluti cum vtilitate pugnantis honeſtitatis habes effigiem nũc, eius tibi imaginem multo exprimam euidentius. NICE. Dic amabò, mi Philemon: id quippe gratum mihi omnino futurum eſt.

PHILEMON.

PRINCIPIO igitur ſcies, tantam quondam honeſtatis dignitatem veteribus viſam fuiſſe: vt ea nihil auguſtius, nihil ſanctius putaretur. Credebant enim, hanc vnam vitę hominum optimum eſſe theſaurum, ac virtutum omnium certiſsimum domicilium: propterea quòd haud temere ad flagitia animari is ſoleat, cuius hac tanta virtutis probitatiſque tinctura animus eſſet aſperſus. Itaque eum, in quo ſumma hæc virtus perſpiceretur: non ſecus ac diuinum aliquod in terras delapſum numen reuerebantur. Quò factum eſt, vt Publij Rutilij factum maiorum noſtrorum memoria iuſtis

ſit laudum encomijs ſępiſsimè celebratum. Cum enim ab eo aliquando amicus quidam rem inhoneſtam enixius contéderet: ac diu multumque luctatus nihil tandem proficeret: repulſæ indignatione amicus perculſus, Quid igitur (inquit) tua mihi amicitia opus eſt, ſi quod rogo facturus non es? Imò quid mihi tua (Rutilius ait) ſi propter te inhoneſtum aliquid facturus ſum? Laudatur & tyrãnus Hyeron, qui Syculo poetæ Epicarmo multam dixerit, quod præſente ipſius vxore inhoneſtum & inuerecundum quidpiam effutiuerit. Licet patriæ vitio aſcribi poſſet, cuius incolæ laſciui ſunt nimium atque dicaces. Rectè igitur Thraces, vxores cõuiuijs nunquã adhibebant, veriti, ne crapula ingluuieque diſtenti, inuerecundè, parum ve honeſte aliquid agerent: quod ad peccandum illis incitamento eſſe facile poſſet. Prudenter mediusfidius: Sanctum enim, dignitatiſque plenũ vxoris nomen eſt: minimèque decet nuptialis thalami reuerentiam parum ſobrijs laſciuiſque rebus pacto aliquo permiſceri, atque adeo prophanari. Hinc viri ſapientia præſtantes, ſtabiliendi pudoris, honeſtatiſq; ipſius gratia conſeruandæ, nobili edicto cauerunt: vt qui ad abluendas corporis ſordes cum pubere filio balnea pater intraſſet, ignominia notaretur.

Sic enim diſciplinæ veteris vtiliſsima lex; habet.

Quatuordecim annorum metas excedentes liberi,
Cum patribus ſimul ne Lauanto.
Qui ſecus faxit, pater infamis eſto.

Rectè nimirum atq; ſapienter, nam ſi (vt prudenter Ennius ait).

Flagitij principium eſt, nudare inter ciues corpora

Corã id ætatis filio inuerecunde patrem nudato in balneis corpore conſpici: haud eſt impunè ferendum. Sanctorum regula morum, honeſtatiſque magiſter: non turpitudinis author, pater filijs eſſe debet. Nam vitæ conſilia praua ex inuerecundiæ atq; intemperantiæ fonte naſcuntur. Impudẽtia enim, ſeminarium eſt nequitiæ: diſſolutionis pabulum, & peruerſitatis origo.

Qvo circa honeſtatis dignitati ſumma omnia atque ampla deferentes, prudentiæ iuris antiſtites heroico velut diuinitatis cuiuſdã afflati ſpiritu: latis legibus cauendum eſſe curarant, vt id dumtaxat poſſe quiſque exiſtimaretur: quod facere poſſet honeſtè. Vnde, eum qui millia centum, cum commodũ eſſet, dotis nomine filiæ promiſiſſet, nõ antea putarunt eſſe cogendum: quam dignitate ſalua promiſſam ſummam preſtare poſſet. Eandem etiam ob cauſam, vulgo cõceptos, ſpurioſque liberos, Græco nomine ἀπάτορας appellarunt: non quia reuera nullũ patrem habeant, quis enim hominem naſci credat ſine parente? ſed ꝙ eum habeant, quẽ habere non liceat: aut demõſtrare nequeant honeſte. multò ſatius patre eos orbos innuere, quam turpiter oſtenſis parentibus illegitimis: parentum conditionem prauam, pœnitendamq; ſortem elicere: & nihil commeritos filios, generis ignominia confodere: aut infecti ſanguinis labe pungere. Hac eadem ratione moti, cum teſtatoris legitimæ voluntati, perinde quaſi firmiſſimæ ſit legi parendum: teſtamentarias diſpoſitiones bonis moribus aduerſantes: inſertaſque contra honeſtatem priuatam vel publicam conditiones, inanes eſſe atque futiles voluerũt. Nihilque obeſſe quominus ita relictum legati aut hæreditatis commodum (libere qui libet) ſi modò cum eo teſtamenti factio ſit, capere poſsit. Quis enim ita legantem ferat? Titio centum, ſi ab hoſtibus patrem non redemerit: vel ſi parentibus aut patronis alimenta negauerit. Ac non potius, turpi eueſtigiò conditione reiecta, pietatis officia preſtantem relicto condecoret lucro? Cum preſertim honeſtatis illa ſanctio verſari animo debeat, qua monemur, impoſsibilitatis munere fungi: quę inhoneſta ſunt, Quæ profectò hanc habet vim appoſitiſsima quadam iuris fictione, vt indecorum ac turpe pro impoſsibili ſemper ducatur. Vt enim acutiſsimi ingenij vir, & merito ante alios excellens Papinianus ſcribit, quæ facta lędunt pietatem: exiſtimationem, verecundiam noſtram (& vt generaliter dixerim) quæ contra bonos mores fiunt: nec facere nòs poſſe credendum eſt. O mirabilem legis ſapientiam! quæ tantam eſſe voluit honeſtatis vim, vt quod ab eius erat natura disiunctum: impoſsibile homini eſſe decerneret! Eodem preterea ęquitatis iure conſtricti (dum honeſtati ipſi conſulitur vndique) illud quoque ſanctiſsimis iuris regulis ſtabiliendum eſſe curarunt: vt in ſponſalijs celebrandis, nuptijſque contrahendis, illius potiſsimè ratio haberetur: dum aiunt: Semper in coniunctionibus, non ſolùm ꝙ liceat conſiderandum eſt, ſed ꝙ honeſtũ ſit in primis attendendum. Id quod ſubiecto patebit exemplo. Liberũ olim erat, certis quibuſdã ex cauſis tã vxori quã viro inter ſe repudiũ facere, matrimonioque dirępto ad nouas cuiuis, cuius eſſet arriſum, nuptias aſpirare licebat. Forte accidit; vt mihi nupta quondam

dam alio ex viro formoſam filiam ſuſciperet; quam tamen mihi non eſſe priuignã cõſtat: cum diſſoluto à me matrimonio, ex recenti mariti nata ſit ipſa coniugio. An ducere hanc poſsim quęritur. Et certè Iuliani doctiſsimi viri ſententia merito obtinuit, duci non poſſe conſulentis. In promptu ſiquidem regulam haberi oportere ait, inhoneſtas vſq; nuptias prohibentem. Quid autem tam boni viri exiſtimationi aduerſum, pudori atq; honeſtati contrarium: ad nominis deniq; famam peruerſum magis atque ſiniſtrum, quam eius fœminę vulgò maritũ vel ſe appellari, cuius matrem paulo ante vxorẽ ſis expertus? Sic nec filij ſponſam parẽti: nec parentis contra filio: incognitam licet, ducere fas eſt. Pręſcripta ſiquidem hæc naturę imperio ſunt, quæ honeſtati atque pudori ſemper mirificè fauet: nec improbanda idcirco, quod ciuili aliqua lege culpantur, taceat igitur licet, neminéq; latæ legis ſpeciali aliqua pœna prohibeat: ſatis tamen vim ipſa ſuam natura teſtatur: dedecoris quæ notã omnem officioſa ſibi vbiq; reſpuit, & pudoris labem auerſatur. quid? quod cum per maris ac fœminæ inſeparabilem vitæ coniunctionem (quam eamdem nuptias matrimoniumque vocamus) mortale genus reparetur: ac modò quodam ęternum, immortaleque fiat: pari hoc quoq; dexteritate ac ſapientia prouiderunt: ne callido alicuius conſilio in vita hominum inducta viduitas eſſe videretur. Viduitatis nomine conditiones quaſdam, nuptias prohibentes, non illępidè ſignificantes. Quas, vt incommodas, ac ſuæ cuiuſq; reipublicæ damnoſas, non iniuria abrogãdas eſſe, putauerunt. Itaq; cuius in teſtamento ſcriptum illud eſt, Pamphilæ, primariæ puellæ, ſpectatęq; virtutis virgini, ſeſtertia bis mille ſi non nupſerit, lego: legati conditione pro nihilo habita: nupturam (ſi velit) legatumq; capturam eſſe Phamphilam indubitati prorſus iuris eſt. Verum, quia parum honeſtis anfractibus, doloſiſq; circuitibus abrogatæ ſemel legi callidè à quibuſdam interdũ fraus poterat, fucuſque fieri, honeſtati eſt publicę proſpectum: teſtãtiumq́ue fallacijs aditus omnis obſtructus. Ne aſtuta ingenij vafricies, & hominum ſagax malitia calliditatis ſuæ fructum, premiumque referret, conſilium nocendi par, contraria via, ſecuta. Itaque, ſi legatum ita ſit. Si Seio nupſerit, parituram ne conditioni omnino Pamphila ſit, diſpiciendum nobis eſt. Ac primum quidem, ſi ea Seij conditio eſt, vt ei illa non ſit inhoneſtè mox nuptura: obſcurum certè non eſt, quin aut conditioni prorſus paritura ſit: aut legato tali è veſtigio caritura.

Quod ſi eius nuptijs Seius reperiatur indignus: beneficio legis Pamphila, cui velit, nubet impunè: legati fructu potita. Quæ enim Seij addicitur matrimonio, ea quidem à cęterorum omnium coniugio tenetur aſtricta. Itaque, ſi Seius ſit indignꝰ, tale quiddam efficitur: quale ſi a principio ſcriptum foret, ſi nullo nupſerit. Imo, ſi verum amamus, vt conſultus Caius ſcribit, durior hæc conditio eſt, quam illa, ſi non nupſerit. Nam & cęteris omnibus nubere prohibetur: & Seio cui inhoneſtè nuptura ſit, iubetur nubere.

Interpretandum igitur meritò eſt, iure ipſo reſcindi: quod legis gratia fraudandæ adſcriptum perperam eſt. Quis enim vtiliſsimam reipublicæ legem, ſobolis procreandæ cauſa latam, interpretatione fauorabili iuuandam eſſe non videat? Cũm publicæ vtilitatis interſit, locupletes eſſe puellas, ne ob rei familiaris anguſtiam, patrimonijq; ius exile, vix pro cõditione natalium elocari poſsint dignè nuptięque tenues à multis facile detrectentur: cœlibemq́ue vitam idcirco agere illi cogantur, qui honeſtam vxoris famam lucro poſthabentes: hianti (quod aiunt ore) connubia expectant opulenta. Nam bonum apud virum, quæ rectè morata eſt, dotata ſatis eſt vxor. Sordidi enim abiecti ac deplorati prorſus res eſt animi: pręclari vbi mores adſunt, opulentias valde inquirere. Quæ enim fœminæ pręſtantior eſſe poterit dos, quam incolumis animi pudicitia, ſplendor virtutis integer, & turpitudinis probro omni fama nominis inacceſſa? Sed tamen quia non omnes ita bellè ac rectè ſunt animati, vtilitati vt honeſtum pręferant: beneficio legis fœminis, ne nuptijs fraudarentur, ſapienter rectèq; fuit contra auarorum improbas ſordes conſultum. Hinc igitur haud iniuria ciuilium legum ſanctione, ipſa quidem dotis cauſa in multis pręcipua eſt: vt commodius propter dotem, traditæ viris fœminæ, nuptiarum fœdera ineant: ingenuiſq; editis liberis locupletare poſsint ciuibus imperiũ: & familiæ ſtirpem ſuę ab interitu vindicare. Ex quibus omnibus quanta honeſtatis ratio apud veteres quondam habita ſit, cognoſcere promptum eſt.

CAETERVM quando ſenſim huc decidimus, vt de nuptijs aliquid diceremus: adnotabimus breuiter quanto olim fuerit probro apud nationes quaſdam in cœlibatu perſiſtere. Quàm contra glorioſum atq; honorificium, vxore rite ducta liberis operã dare,

Quod vt conſtare lucidius poſsit, pauca mihi de priſcis Lacedæmoniorum inſtitutis in præſentia dicenda ſunt. Quæ & ipſa apud virum ſingulari facundia & ſapientia Plutarchum vberius ſcripta extant.

SCIENDVM igitur eſt, eum apud Spartanos Lycurgo imperante communi obſeruatione morem maximè viguiſſe: vt ingrauescenti, ſenilique ętati honoris plurimum deferretur. Adeo, vt ne domo quidem iuueni liceret egredi, quin ab obuio quocumque ſeniori, quò, & ad quid iret interrogaretur. Quæ interrogatio eò potiſsimum ſpectabat, vt parum honeſtę, temerarięq; egreſsionis leuitas (ni idoneę ac iuſtę cauſę forent allatę) ſenili baculo plecteretur: aut aſperis ſaltem verbis incuſaretur. Non obtemperanti, impatientius ve ferenti, pœna erat infamia. Quibus rebus breui apud eos effectum eſt, vt iuuenes, non ſolum ſuoſquiſq; parentes, reuererentur: iiſq; dicto audientes forent: verum etiam ſeniores omnes itidem vererentur: tũ aſſurgentes è ſedibus: tum cedentes de via, taciturnitate inſuper ac quiete prętereuntibus officioſi. Cum igitur tantum canis eſſet ętatis indultum: vt non ſine cauſa in pręclaro illo de ſenectute opuſculo Cicero ſcripſerit, Lyſandrum Lacedęmonium ſolitum ita dicere, Lacedęmone eſſe honeſtiſsimum domicilium ſenectutis: propterea quod nuſquam tantum tribueretur ętati: nuſquam eſſet ſenectus honoratior. Tamen hoc honoris (redeundum eſt enim ad propoſitum, nã hęc vt dicerem longius aberrauit oratio) illis erat ademptum, qui in Cœlibatu perſiſterent, & abſque vxoris contubernio ſenectutis limen intraſſent. Vnde nemo vnquam apud Lacedæmones eſt inuentus, qui illud in Dercylidam dictum reprehenderit, quamuis pręclarus dux fuerit, ac bellica nimium laude inſignis. Etenim, cum aduenienti Iuuenis quidam quaſi ex induſtria deſpectim non aſſurgeret: atq; ille diceret, mihi non aſſurgens ceſsiſti, Nec tu (inquit) mihi ceſſurum genuiſti, illi obiter exprobrans, quod ętate iam grandior contra morem patrium, inſtitutaque maiorum cœlebs perſeueraſſet. Certè tam procax iuuenis factum in virum principem, ducemque egregium ac ſenem, Spartana ciuitas non tuliſſet inultum: niſi tẽpeſtate illa magni criminis loco cenſeretur, connubia detrectare, ac ſua quemque ſponte ſterileſcere. Nam quantulum, quæſo te, intereſt patriæ quis ciuem interimat: an dare quem poſsit, negligat? Quid? quod ab ſpectandis ludis, in quibus nudatis corporibus pueri inducebantur, eiuſmodi homines ſapiens Lycurgus remouit, contumelias inſuper addens alias: ne à coniugio abhorrerent. Hac veluti arte ſignificare volens, quantum reipublicæ commodis quiſq; debeat aduigilare. Quid decantatiſsimus ille Moſes, qui (vt nõ incurioſus author Crinitus ſcripſit) diuinas leges, quaſiq; oracula quędam Hebręis tradidit: nonne huic ſemper id genus hominum infame viſum eſt, & reipublicæ parum frugiferum? Vnde apud Hebræos ipſos etiam ſterilibus cunctis tẽpli vſu interdictum fuiſſe, memorię eſt proditum. Sic inclytum illum Ioachimum à ſacrorum antiſtite templo accepimus fuiſſe exturbatum, ac thura dare prohibitum, ꝙ parum fœcundę vir eſſet vxoris. Quid ob ſapientiam diuinus dictus Plato? qui ſuis illud legib⁹ ſanxit. Vxorem quiſq; à. xxx. anno vſq; ad. xxxvj. ducat: quod ſi non faxit, pecunia & probro mulctetur. Ita enim fit, vt humanum genus ſuapte natura immortale exiſtat. Neq; vllus puto reperitur, qui non maximè cupiat ęternum ſibi nomen apud poſteros. Itaque hac vna ratione, perpetua ducantur hominum ſęcula, quod & filij filiorum continuo generandi ordine coaleſcant. neq; fas eſt ſe ipſum hac immortalitate eximere: quod ab illis efficitur, qui filios & vxores contemnunt. Quicumq; huic legi obſecundauerit, indemnis eſto, qui ſecus faxit, & pecunia & probro mulctatus eſto. Iam verò, quid de Romanis dicam: quibus maximo ſemper ſtudio fuit, vti cenſores ipſi (qui morũ magiſtri erant) ac populi rectores, equites ac pedites cœlibes eſſe non finerent. Ita enim duodecim eſt Tabulis cautum.

Cenſores, equitum, peditum prolem deſcribunto.
Cœlibes eſſe prohibento.
Mores populi regunto.
Probrum in Senatu ne relinquunto.

Ac, ne illud quidẽ prętermittendũ eſt, ꝙ à Maximo eſt Valerio ſcriptum. Camillum ſcilicet & Poſthumium Cenſores cõſtituiſſe eos inter ærarios, veſtigaleſq; feciſſe, qui ad Senectutem cœlibes perueniſſent. Illoſq; etiam, qui legis eſſent ſeueritatem conqueſti, punitos, ac reprehenſos grauiter fuiſſe: & tali oratione à Cenſoribus ita dimiſſos. Natura nobis quemadmodum naſcendi, ita gignendi legem pręſcribit: parenteſque vos alendo, nepotum nutriendorum debito (ſi quis eſt pudor) alligauerunt. Ite igitur, & nodoſam exoluite ſtipem, vtilem poſteritati munerofę. Proinde, rectè, apud Perſas ampliſsima quotãnis premia illis, ꝓpoſita fuere:

fuere: qui nouæ ſobole ciuium numerum auxiſſent: rempublicamq; ipſam ex parte locupletaſſent. Sic & propagandi imperij, ac ciuitatis replendæ gratia (vt cõmentarijs eſt veterum proditum) apud Athenienſes erat lege cautum, vt plures quiſq; vxores duceret. Vnde Socrati nobiliſsimo philoſopho, Xanthippe & Myrtho, vno eodemq; tempore vxores ſimul fuerunt. Ex quibus manifeſtum eſt, non exteris tantum gentibus, peregriniſq; nationibus, verumetiam Senatui populoq; Romano ſobolis ergò, placuiſſe connubia: inuiſum ſemper Cœlibatum viſum fuiſſe. NIC. Pręclara iſta ſunt omnia: & ad illegitimam, vagamq; Veneream coercendam non inutiliter lata. Verum, quę ad continentiam hominum mentes erudiunt, caſtitatiſq; veræ nos in officio continent, & pulchriora pręcepta & diſciplinæ morum vehementer amica; & animæ noſtræ fructuoſa ſunt magis. Sed tu mi Philemon, quando harum rerum vim, naturamq; pręfiniſti: quod etiã rogaui antea, ne flagitare impudẽter à te nobis ſemel promiſſa videar; Quid honor ſit, fac vt intelligã: tuis enim tibi pollicitis ſtandum eſt; honeſti natura iam cognita: per teq; mihi optimè declarata.

PHILEMON.

Non equidem mi Nicete, minus hęc cupio pręſtare, quã tute dicis expetere. Sed vtilitatis cũ honeſtate, quæ videtur eſſe cõcertatio: declaratioq; honeſti ſtudia eſt noſtra hactenus remorata: quæ cum à nobis diſcuſſa ſit quæſtio: de honore quid ſentiam, meam paulliſper expende. Negat nanq; vir ſapiens Ariſtoteles è bonis externis quicquam eſſe honore pręſtantius. Neq; id puto arbitratum iniuſtè, multis enim in reb' facile perſpicitur, quanti honor ipſe in commune æſtimetur: maximè à cordatis viris. Eſt autem honor, ſi Ethicorum. 4. finitori Ariſtoteli credimus, reuerentiæ exhibitio in virtutis teſtimonium. Sic enim natura iubet, vt cuius de virtute magna eſt apud populum perſuaſio: laude hunc atq; honore dignum exiſtimemus. Hinc fit, vt pro ſua quiſq; exiſtimatione, honore ac fama non minus ſæpe periclitetur, quam pro ſua ſolet vita atq; capite dimicare. Multiq; adeo inuenti: qui vitam ipſam honori poſthabuerint. Vetus eſt enim, Vbi non ſis qui fueris: non eſſe cur viuere velis. Sic & Lucretia à Tarquinij ſuperbi filio (qui ſeptimus à Romulo regnaſſe fertur) ſtuprũ paſſa: coram viro, cognatiſq; ſuis pudicitiam teſtata, mortem ſibi ipſa conſciuit: honoris iacturam, qua potuit ſola, morte reparans. Hoc etiam effugere volens diſpendium Centurio ille Virginius, abiudicatam per ſummum nefas ad libidinem iudicis filiam, arrepto è Lanionis taberna cultro ſubitò interemit, vitare volens in filia ſui prĩ imminentis infamiam. Sic & capta Lacęna, cum ad ſeruitutẽ raperetur: primùm quidem herum admonuit, ne ſibi indignum quicquam pręciperet: atq; ad ea quidem quę honeſta videbantur, induſtria erat, fidelis, obſequens, atque morigera. Cęterum vbi ſeruile quiddã, parumq; ingenuæ atq; libera dignum miniſterium iniunctum eſt: Plorabis (ait) qui talem tibi poſſeſsionem inuideris, conſcenſaq; turri pręcipitem dedit ſeſe. Quid Saguntini? non ne ſuos quiſq; parentes, ne dura libero homine ſeruitute premerentur, ad vnum occiderunt? Quid? qui libertatis cauſa ter à ſe ipſis conſumpti eſſe dicũtur in Ora Lycię Xanthij? nonne à Bruto vehementius oppugnati, diutiuſque obſeſsi, vxoribus ac liberis ſimul interemptis, pyræq; impoſitis, ſeſe protinus in ardentes coniecere flammas, ne turpiter hoſti ſeruirent? cũ hanc eamdem ob cauſam bis id antea ab illis eſſet factitatum: ſemel ab Arpalo & Medo Cypri pręfecto deuicti, mox ab Alexandro oppugnati, quum ne illi quidem ſeruire putarent honeſtum: cui totus ſeſe Oriens ipſe ſubiecerat. Quid Athenienſes? non ne cum Xerxis Perſarum Regis impetum ſuſtinere non poſſent, ſtatuerentque vt vrbe relicta coniugibus & liberis Trezene depoſitis naues conſcenderent: Cyrſilum quemdam ſuadentem vt in vrbe manerent, Xerxemq; reciperent, lapidibus obruerunt? Quid? qui in Orthiæ Dianæ ara apud Lacedæmonios pueri vltronea flagellatione torquentur: ad necemq; vſq; flagris ſæuis cęduntur, ob victoriam interim lętitia magna geſtientes, quia clarior ille & illuſtrior habetur, qui ſcuticis perferendis diutius perſtiterit. Quid? qui cõmiſſam ſibi vulpem (cum libera furta forent) tam forti animo pertulit, ne in furto deprehenderetur (quod patrio more habebatur infame) vt inteſtinis ſæuo morſu corroſis mori coactus ſit? Non ne hi omnes exiſtimationem ſaluam volebant: & honorem vieq; ſemper iri ante latum? Quid? qui honori ſeruientes: immortalitati famæ vitam conſecrarunt, Decij, Cocles, & Steno [illegible] illud, Vitam pro laude paciſci, ſibi quiſque hilariter concinentes. Rectè igitur, vulgò illud eſt creditũ: graui, bonoq; viro nullius rei tam eſſe poſſe vulnus acerbum, quam erepti honoris recordationem: & illati dedecoris atq;

ignominię notam inuſtam: nihil contra ęquè dulce atq; ſuaue, quàm gloria & honore affici. Quod exemplis quàm verbis ſignificantiùs declarabitur. Achillis Gręcorum fortiſsimi animoſus Aiax honoris ergo dari ſibi arma volebat, pariterq; ſibi hæc petebat Vlyſſes. Suggeſtum conſcendunt ambo merita ſua quiſque dicturi. Vlyſsis facundia concio Gręcorum victa; Achillis ei arma adiudicauit. Hanc tantam ob ignominiam doloris impatientia Aiax inſtimulatus, furore ſubitò correptus pro dominis pecoribus ſtratis, ſuper ſuum ipſe gladium miſerabiliter ad extremum incubuit. Tantum igitur apud virum fortem valuit ignominia, vt erepto noluerit honori eſſe ſuperſtes. At, quibus gloria imminet, quàm illi leuiter dolores perferunt; placidèq; moriuntur! Cadit aduerſus Lacedęmonios dimicans ſtrenuus Epaminundas, ęquo vitam deſerens animo: tum demum ſpiculum (quo erat traiectus) euelli è corpore iubens, vbi & Clypeum eſſe ſaluum & penes Thebanos victoriam comperit extitiſſe. Quo ille nuncio gaudens impensè: ſic è veſtigio ſuos alloquitur. Non finis commilitones vitæ meæ, ſed melius & altius initium aduenit. Nunc enim veſter Epaminundas naſcitur, quia ſic moritur. Declarauit profectò animi vir maximi, ſatis eum vixiſſe diu qui per ſummam gloriam vita decedens, inuictus moreretur. Vt enim prǽclarè docet Cicero; mors terribilis eſt ijs quorum cum vita omnia extinguuntur: non ijs; quorum laus emori non poteſt. Quod & Laconis cuiuſdam vox nobilis declarauit, qui iâ iam moribundus exclamauit: non tam ſibi moleſtum eſſe, quod in ipſo iuuentutis flore diſcedere è vita cogeretur, quàm quod ab ignauo & mulierculę viro perſimili, iniecto è muro eminus lapide vita priuaretur; nullo adhuc à ſe egregio facinore edito.

Ex qvo illud efficitur, vt cùm ad honorẽ ac laudem natura quiſq; nitatur: aſpernetur q; contraria: non minus interdum ad virtutẽ homines ignominię metu excitentur: quàm honoris ipſius premijs alliciuntur. Etenim, vt Pomponius ſingulari enchiridij libro memoriæ prodidit, Seruius ille Sulpitius cum in cauſis orandis primum locum, aut certe poſt M. Tullium obtineret: traditur ad conſulendum Q. Mutium de re amici ſui perueniſſe. Cumq; eum de iure reſpondentem parum intellexiſſet: & iterum Q. Mutium interrogaſſet, & à Q. Mutio reſponſum eſſet, nec tamen percepiſſet, ita obiurgatum à Q. Mutio, nanq; eum dixiſſe: Turpe eſſe patritio & nobili viro cauſas oranti, ius, in quo verſaretur ignorare. Qua velut contumelia Sulpitius ipſe traductus, tam ſedulò iuri ciuili addiſcendo operam nauauit, vt omnes penè ſui id tẽporis iure conſultos longo poſt ſe interuallo reliquerit; ad centum & octoginta ea in ſcientia voluminibus editis: ac libro etiam de notis in Q. Scęuolam à quo antea fuerat reprehenſus. Qui in tantam ad extremum ſui peruenit nominis celebritatem; vt ob eximiam eius artis peritiam: quum in legatione mortem obijſſet, pro roſtris ſibi ſtatua erecta ſit. Iam verò quid de Polemone dicam, licentia morum atq; animi luxuria improba, adoleſcente corruptiſsimo? Qui Bacchi furore percitus, Xenocratis ſcholam aliquando ingreſſus, è req; nata philoſophũ tantum de modeſtia ac temperantia, virtutumq; omni genere prǽclarè diſſerentem cõſpicatus: mutatus ſubitò, è iuuene omnium teterrimo ac deprauatiſsimo, factus eſt philoſophus prǽſtantiſsimus: & nobiliſsimi hominis in ſchola nõ indignus ſucceſſor. Quod ſi ex his omnibus (ab ijs quę exiſtimationi & honori contraria ſunt) ignominię atq; infamiæ metu coerceri homines perſpicuũ non eſt, & ad meliora animari, Mileſium accedat exemplum: quod ſententiam noſtram (luce clarius) veram eſſe probabit. Quum enim huius ciuitatis virgines mirabilis quondam morbus inuaderet, ac fanaticus quidã error, ad ſuſpendium eas adigens; eoq; infortunij genere plerǽq; iam periſſent: neq; aut amicorum monitis, aut pijs parentum lachrymis ab incepto retrahi poſſent, maiuſq; eſſe malum videretur, quàm vt ope vlla corrigi poſſet, aut arte ſanari: ni deſuper eſſet auxilium; ac fauor pręſens omnipotentis Olympi: excogitatum remedium eſt ab ſpectatę ſapientiæ viro: qui ad populum tulit, oportere edicto caueri: vt illarum corpora, quę ſuſpẽdij furore interiſſent, per medium forum coram omnibus nuda efferrentur. Quæ res immedicabile malum extinxit: furoremq; deleuit. Magnum profectò (vt Plutarchus ait) virtutis atq; ingenuitatis argumentum; tantum apud illarum animos ignominiæ metum valuiſſe: vt quas illa, quæ grauiſsima humanorum malorum exiſtimantur, mors & dolor ab inſtituto non auerterant: oblata turpitudinis ſpecies ita commouerit, vt ignominiã perpeti nullo modo poſſent: ſaltem quã poſt mortem etiam ſe ſubituras eſſe videbant. Vt igitur ſola ignominiæ atq; infamię formido, nobiles puellas peſtilentiſsimo exemit morbo: ſic perditam Themiſtoclis adoleſcentiam,

nam, rerum à Miltiade preclariſsimè geſtarũ magnitudo, gloriæ atq; honoris amore, famęq; dulcedine (quibus illius erat id temporis ore omnium nomen decantatiſsimum) ita ab omni ſcelere iritauit ad virtutem, vt nihil Themiſtocle clarius Græcia ipſa vnquam ſit habitura. Etenim cum adoleſcentior quondam in compotationibus, infamibus, atque amoribus plurimum verſaretur; propter quod exhęredatus à patre: tantum mœſtitiæ, veriq; doloris clariſsimæ fœminæ matri incuſſit, vt vitæ in filio turpitudine perpenſa, ac morum tanta diſſolutione, in deſperationem conuerſa laqueo vitam finiuerit. Vbi tamen apud Marathonem Melciades deuicit barbaros: non erat qui indecorè quidpiam agentem Themiſtoclem inuenire poſſet. Tantam ergo, tamq; ſubitam vitæ in homine mutationem, cunctis demirantibus, reſpondiſſe Themiſtoclem ferunt, Miltiadis trophæum non pati, me dormire: nec turpiter (vt ante) aliquid meditari. Apparet igitur quanta ſit honeſtatis vis: cùm obleta turpitudo affectionem ſit improbam demolita: ac quantus honoris ac laudis à natura cuiq; ſit inſitus amor, ſummè perſpicitur; cùm alienę famę celebritas, oſcitantię ac deſidiæ ſomnos turpes ademerit; inertemq́ue ad virtutem ac laudem ſpe honoris potiũdi repente excitarit.

Sapivnt ergo, qui teneros adhuc puerorum animos vituperatione & obiurgatione deterrent à turpibus: ac laudibus rurſum ac premijs ad virtutis atq; honeſtatis amorem placidè exhortantur ſenſimq; ita condocefaciunt, vt non illis minus pudorem pœnitentiamq; ad turpia inurãt; quam his, ad ea quæ optima ſunt, generoſam audaciã concilient. Quod optimè, vt cætera, eo in libro qui de puerorũ educatione inſcribitur, Plutarchus expreſsit. Sic igitur, inquit, habendum eſt ad honeſtas exercitationes, non plagis aut verberibus, ſed rationibus ac monitis adducendos eſſe pueros: omitto enim ea magis ſeruos decere, quam liberos: qui durati rigeſcunt: & ad labores ſuſtinendos, nunc ob plagarum dolores, nunc ob contumelias horrent. Ingenuis autem pueris majorem laudes ac vituperationes commoditatem afferunt: illæ enim ad honeſtatem inuitant: hæ à turpitudine auocant. Vnde Spartani cuiuſdam Pædagogi iure laudatur vox, qui tradito ſibi puero, quid eſſet facturus, interrogatus, effecturum ſe eſſe reſpõdit: vt honeſtis gauderet puer, ac turpibus angeretur. Compendio docens veræ inſtitutionis formulam.

Cuius & ipſius haud ignarus Flaccus, inter alias parentis ſui laudes, hanc illi precipuam aſcribit: dum ab eo ſibi exemplis propoſitis, quid honeſtum, quid turpe: quid vtile, quid non; teſtatur dixiſſe. Ait nanque:

Inſueuit pater optimus hoc me,
Vt fugerem, exemplis vitiorum quæq; notando.
Cum me hortaretur parcè, frugaliter, atq;
Viuerem uti contentus eo, quod ſibi ipſe paraſſet;
Non ne vides Albi ut male viuat filius? vtq;
Barus inops? magnum documentũ, ne patriam rem
Perdere quis velit. A turpi meretricis amore
Cum deterreret, Sectani diſsimilis ſis.
Ne ſequerer mœchas, conceſſa cum Venere vti
Poſſem. Deprenſi non bella eſt fama Treboni
Aiebat.

Ac poſt paulo ita ſubiungit.

Sic me
Formabat puerum dictis: & ſiue iubebat,
Vt facerem quid: habes autorem quo facias hoc,
Vnum ex iudicibus ſelectis obijciebat.
Siue vetabat: An hoc inhoneſtum, & inutile factu
Nec ne ſit, addubites? flagret rumore malo cum
Hic atq; ille? Auidos vicinum funus vt ægros
Exanimat, mortiſq; metu ſibi parcere cogit:
Sic teneros animos aliena opprobria ſæpe
Abſterrent vitijs.

Preclara profectò preceptio hec eſt, quę honeſti ac contra, ob oculos propoſita ſpecie: quid omnino faciendum ſit, preſcribit homini, à rerumq; turpium cupiditate, quã longiſsimè illum abducit, repetitiſq; exemplis, ex aliorũ factis atq; euentis: quid ſibi facto opꝰ ſit, vtiliter admonet: ac veram viã virtutis oſtẽdit, dũ ex turpioris, honeſtioris ve facti laude vel infamia: rerũ inter ſeſe maximè contrariarũ momenta meritaque examinat. Illac haud dubiè iter arrepturus, qua honor maior enitet: maiorq; honeſtas ſplendet. Nã & cognita turpitudo infamię metu coercet à vitijs: virtutiſque notus ſplẽdor, ad honeſtatem allectat. Itabit, vt indignum facinꝰ deſignaturos, perſpecta aliorum ſæpe frangat ignominia: Præclaramq́ue rem aggreſſuros eorum recordatio (qui ob honeſtatis laudem ſimili in diſcrimine aliquando verſati ſunt) ad peragendum id quod generoſè mẽte conceperat, incitamento ſit acri. Hoc nimirum eſt, quod ſæpe audiuiſſe ſe Criſpus ſcribit Saluſtius, Q. Maximum, Publium Scipionẽ, ac ciuitatis preterea Romanæ præclaros viros ſolitos ita dicere: Cum maiorum imagines intuerentur, vehementiſsimè animum ſibi ad virtutem accendi: ſcilicet non ceram illam, neque figuram tantam vim in ſeſe habere, ſed memoria rerum geſtarum,

eam flāmam egregijs viris in pectore creſceſce. Neque prius ſedari, quam virtus eorum famam atque gloriam adæquauerit.

NICETES.

QVAM vellem, vt hæc affectio noſtri temporis homines ad verum decus laudemque alliceret: haret enim vt futiles quædam vani honoris vmbras longè ipſi poſt terga relinquerent, aut langvidius certè, ſegniuſque multò quanto conſectarentur? Sed neſcio quo pacto paſsim vetus illiberalis cuiuſdam honoris ambitioſæ, & arrogantiæ ſimulachra mortales fatigant: ſtimuliſque ſæuis exercet. Nam paucos admodum reperias, qui aliorum rectè factis inſpectis: ſuppeditatas veluti ſibi ad honorem anſulas ſubditaſq; faces capeſſant alacres: ſeque ad veram animi laudem effingant. Quod eò magis mirandum eſt, quia nullis vnquam maior ambitio fuit: nulli honoris cupiditas ardetior. Quotus enim quiſque eſt (vel à gerulis baiuliſque viliſsimis liceat incipias) qui non magni, atque adeo plurimi honorem æſtimet: ſeque eo exiſtimet eſſe digniſsimum? Vidi ego cum inter ædificij præfectum, conductumque operarum orta contentio eſſet ob leuia quædam verba quæ rixæ fuere caput, inflatis buccis ira concitum operarium architecto incanduiſſe: non decuiſſe dictitantem, tam impudenter bonis viris obiectam eſſe deſidiam; & in comportandis lapidibus tarditatem. Præcipiente que magiſtro, vt ab ineptijs temperaret; dictam ſibi ab illo iniuriarum diem fuiſſe: quaſi hominis eſſet honor ſuggillatum. Quod ſi libeat perpendere, quanta ſit mortalium mens & ignorantiæ & ſuperbiæ obducta caligine, in promptu erit conijcere. Non enim tam abiecta res eſt honor, vt ignobili viliq; operario facile poſsit contingere: niſi ei, cuius inſigni aliqua virtute pectus vallatū eſt. Sed tamen ſi fatemur ingenuè in quocunque viro excellens aliqua virtutis indoles ſit reperta: ſibi hominis conditionem ſpectandam non eſſe, vt ex ea ipſa dignus nec ne honore quis ſit, prius admodum ponderemus. Vt enim nobilem, ſic & honoratū, non tam conditio natalium, quam virtus animi ſolet efficere.

CAPPELVS. Et populari multi aura corrupti, honoris cauſas ſiniſtrè venantur: reliqui huius omnino affecti vanis inſignibus: quo ſure quaque iniuria honores vbique ſectantur: haud expendentes interim promeruiſſe honorem, quam obtinuiſſe multo eſſe præſtantius: atque non tam ſæpe virtuti ſeruiunt, quam populo: cuius publicè ſuffragijs n[illegible] dari, nunc adimi vident honores. Quæ vna ratio in primis mihi eſſe videtur abſurda, & ingenuo homine perindigna. Si quidem ſplendidius longè, multoque honorificentius eſt honeſtatis amore vni ſeruire virtuti (premia licet nulla induſtriæ propoſita appareant, quam de ſtultæ plebeculæ nutu pendere: ſollicitus tandiu, dum nanciſci poſsis, quod ambis. Vera ſi quidem animi virtus gratuita eſſe cupit: non mercenaria videri? Cum, ne ambiendi quidem honores ſint: ſed ad inuitos potius deferendi. Nec honorificis laudum facis honeſtandi ſunt, qui rectè amant videri feciſſe: illis interim deſpectis, qui rectè factorum conſcientia contenti: non tam appetūt gloriam: quam ſua ipſi virtute gaudēt: nihil de premio ſoliciti. Sed in his & candidatorum miſeram vitæ ſortem, & viliſsimi obſequij (emerendi cauſa ſuffragij) operam pluſquam ſeruilem: quodque deterius eſt, perfidiam animi interdum: & populi morem credo nouiſti. Cuius applauſus inconſtans, & leuis, honor anceps ac lubricus temerariumque tandem cæcumque iudicium meritò à doctiſsimo quoque culpatur: dū illorum nullam rationem ducit, qui bene meriti ſunt: indignoſq; contrà attollit. Quapropter, ſcire velim quid ipſe de populo ſentias: & vnde fiat, vt parare quiſque honorem queat: quando non iniuria tantam cuique noſtrū rei huius cupiditatem inſitam eſſe natura cenſes? PHIL. Quaſi verò tibi ſint ignota, quæ rogas. NIC. Non hercle minus quam vulgi aura fallax, infida & incerta eſt: tam mihi populi ac vulgi omnia & ſunt, & videntur obſcura. PHIL. Sunt illa quidem tenebricoſa & obſcura valdè: atqui perſpicua tibi vſu, ætate, doctrina, & ipſa rerum experiētia. NIC. Cum requiras reuera cætera: ætatē tamen non vereor, ne deſideres: ac vna ſupero, vincor cæteris. Quæ longa nobis afferre potuit dies induſtria, labore & doctrina iuuenilis tibi ætas peperit. Mihi penè decurſa virilitas ad ſenectutē vergit imbellem. Qua in ipſa temporis tractu ne mentiar, aliquid mihi videor collegiſſe. Quod ceu ex Cadmea aliqua victoria partum, experientia ipſa rerum, quam dicis ſuppeditauit tibi: florentes anni impenſaque ab infantia optimis vita ſtudijs ſapientiam compararunt. Cuius ipſe adminiculis fultus, ſupra omnia rectè poſsis & rerum probè inſtitui diſcrimina: & tam infirmando, in quas depri[illegible] quā digna rurſus laudando, extollere. Quare nihil eſt, cur quæ rogamus, ipſe detrectes.

PHILEMON.

A. L. ſi quemquam. Cod. de Epiſcop. & cleri. & in c. qui epiſcopus 8. q. 1.

N. De honoribus, magiſtratibusq; gerendis.

QVANTI TVA apud me ſemper authori
tas ſit, facilè vel ex eo intelliges mi Nicete:
quòd tibi nihil audeo negare petenti, tuo
igitur rogatu aggrediar neceſſe eſt, quæ cu-
pis omnia, tametſi neſcius non ſim, quan-
to hæc tu & ſentias melius: & affluentius
atq; copioſius pręſtare poſsis. Quod autem
ad populi morem attinet, ſi minus ſentire, ſal
tem ſuſpicari quid poſsim vel debeam; tua
iam oratione eſt effectum: dum à doctiſsimo
quoque illius temeritatem reprehenſum iri
ſignificas.

Sed licet inſanum vulgus: temerarius po-
1. pulus: plebſque ſit plerumque turbulẽta &
2. incerta, ad deferendos tamen honores: qua-
3. tuor ex his, vnam aliquam vbique ſtudioſè
4. perſpicit cauſam. Nam vel hominis diuitias
amplexa: vel ſecuta genus: vel mirata doctri-
nam: vel virtutem reuerita, dignum cenſet
honore: harumque rerum pręſidio deſtitu-
tos inter inglorios & ignobiles locat. Ex
quo fit, vt honoratorum albo aſcribi cupien
ti, his in rebus neceſſario ſit elaborandum.

SED cum varij inter ſe: diſpareſque omnino
ſint, ipſi honorum fontes: illorum diſpar ra-
tio variaque in primis natura eſt. Duo ſiqui
dem illa priora, ex Fortunæ profecta mune-
re, illius imperio nutuque reguntur, ac teme
ritate quadam caſus incerti, ſubitò hinc in-
de turbinis inſtar iactantur. Extrema quæ
reſtant, ex vera orta virtute, nullo infeſtan-
tur turbine: nulla exagitantur tempeſtatis
procella: nullo acerbi caſus fulmine labeſa-
ctata, corruũt, vel improuiſo mutantur: ſed
eadem ſemper, & immutabilia permanent,
animi imitata virtutem: qui vnquam neſcit
emori. Quibus in ipſis ſumma ope animi
enitendum eſt, vero ſi cupis honore potiri,
optatiſque dulcibus perfrui. Quamuis enim
cum locupletibus generoſi, honoris ſibi nõ
leuem partem vendicent, illique ob diuitias
non minus quam hi ob parentem virtutum
popularem cultum ſuo quodam iure poſtu
lent: acciſis tamen rebus, amiſsiſque opibus
faſtidiuntur (Scis namq; aliam ſummorum
virorum) aliam populi de diuitijs eſſe ſenten
tiam. Ita quem aſsiduum & copioſum paulo
ante ſuſpiciebant, contemnunt pauperem,
ac vilem quaſi deſpiciunt. Cui ob generis
celebritatem (diuitiæ enim ac genus morta-
lium poſſeſsiones ſunt fragiles) tribuebant
modò multa: acerbi ſunt, infeſti ac faſtidioſi
claris vbi viris orbata familia eſt: ipſiq; cum
attenuato & afflicto genere honores facile
corruunt. At virtuti ac ſcientiæ incolumis
vbique eſt dignitas. Quibus & ipſis ſi malo-
rum hominum inuidia ad tempus non eſt
honos debitus perſolutus: dubijs tamẽ reb9,
difficillimiſque temporibus ceu ad ſacrã an
choram ad illorum opem fidemque accur-
ritur vulgo. Ac quanta illorum dignitas eſſe
debeat, Fortunæ declarat iniquitas. Caſtra-
metãtibus ſiquidem ob Capitolium Gallis,
Arcemq; obſidentibus (vt de Fortuna Roma
norum diſſerens memoriæ prodidit Chæro-
neus Plutarchus) Furium Camillum: quem
proſperis olim rebus elatus, peculatus dam-
natum turpiter vrbe eiecerat: aduerſis percul
ſus, afflictuſq; caſibus, ſuppliciter ab exilio
populus reuocabat, vltrò imperiũ deferens,
iudicio non obnoxium. Cuius ille, ne trepi
datione rerum ſumma, ciuibus patrięq; ſuæ
defuiſſe videretur, priſtinæ parum memor
iniuriæ, delationem eſt amplexus imperij:
modò obſeſsi Senatus authoritate delata ſi-
bi dignitas firmaretur: ne tanquam planè cõ
plorata republica, palantis conuenęq; exer-
citus armis ad imperium raptus videretur: il-
lorum interim honori dignitatique parcẽs,
qui proprię ipſius ſalutis atque famæ curam
omnem turpiter abieciſſent. Magnificus ni-
mirum hic Camilli Veientanus triumphus
fuit, & immortali laude Romanis celebrãd9,
quibus ab Ardeatino exilio periclitantis Ro
mę vindice reuocato Camillo, victos in
Capitolio Gallos videre cõtigit, quos paulo
ánte ad Capitolini ſaxi radices victrici dexté
ra elatos, obſeſsis conſpexerat inſultantes.

Rectè itaque Themiſtocles Athenienſibus
ipſum quadoque vituperantibus, Quid, in-
quit, aduerſus eum tumultuamini: cuius be
neficio toties eſtis affecti? Ac ſe quidem pla-
tanis ſimilem eſſe dicebat, ad quas tempeſta-
te deprehenſi confugiunt: ſed adueniente ſe
renitate illas pręte reuntes vellicant atque
diſcerpũt, maledictiſq; proſcindũt. NIC. eſt
prorſus vt dicis: idq; & ab alijs accepi, & ſępe
expertus ſum ipſe. Quapropter quę via cõmo
dior, quę ad honores ianua ſit certior: dubita
ri nõ poteſt. Sed video quoſdã, qui ſeſe teme
re populo inſinuantes, honoris inſignibus ni
tuntur inclareſcere. Hiq; vel magiſtratus am-
biunt, vel pręfecturas petunt: publiciſq; fun
ctionibus obeundis, claros ſe & illuſtres effe
ctum iri, opinantur. Qua cupiditate ducti
non tam ſibi interdum honorem comparãt,
quam ignominiam atque infamiam irrogãt:
peſsimè gerentes, quæ turpiter ambierunt,
de quibus quid ſentias, erit mihi ſummè gra
tum cognoſcere.

PHILEMON.

Quid ego ſentiam aliud, quam dignam
eos

ęos mercedem ferre: qui pro expetito hono
re probrum atque infamiam reportent, &
bonorum odium: quibus ambitioſa temeri
tas ſemper eſt inuiſa maximè? Nam ſi rectè à
ſapientibus dictum eſt, tunc demum veriſsi
mè iudicari, meruerit quis honorem nec ne
cum adeptus eſt: tunc eſt præcipue animo
vigilandum, cum publicum agas præfectũ:
reipublicæque ſolus perſonã ipſe ſuſtineas.
Quid enim tam eſt turpe, quam populi pa-
ſtorem ſtertere? virumque eum ſomno pro
fundo immerſum, multorum cum malo
ocioſè dormire: cui negotia publica, ciuium
ſalus, concordia & pax publicè credita ſunt:
fidei tradita atque commiſſa? Cum præſer-
tim latè omnia oporteat circunſpicere: & ad
plebis commoda excubare ſolertem. Mag-
ni ſiquidem animi opus eſt, in primiſq; diſ-
ficile: omnium commodis proſpicere: ac
necui, iniuriæ quid fiat: cauere in tempore:
conſilio iuuare cunctos: ciuium lites tem-
peſtiuè cõponere: partium èliminare factio
nes: à tacitis odijs ad amorem beneuolentiã-
que allicere. Malis purgare hominibus pro-
uinciam: punire ſontes: inſontes protegere:
proiectos ſubleuare: laudare bonitatem: ac
tandem premijs ſupplicijſque propoſitis bo
norum atque malorum conſtitutum publi-
cè aliquod habere diſcrimen. Quando his
duobus reipublicæ ſalus maximè contine-
tur. Id quod Sapientiſsimo viro Soloni pla-
cuiſſe video, fœlicem populi ſtatum premio
& pœna ſancienti.

Cvrabit igitvr, ſuam cuiuſq; ſe-
dulitatem atque induſtriam promeritis repẽ
dere: neglectum nihil ſinere, quod ad publi
cam faciat vtilitatem: & ad vſum atque ho-
neſtatem vrbis conferat. Ciuitatem itaque
luſtrare ſæpe conueniet: muros mœniaque
reficere: priuatarum ædium ventroſos parie-
tes, ac ipſa modo quodam vetuſtate laban-
tes, anteaquam damni quid inferãt, ipſorũ
domino recuſante reparationem, demoliri
iubere. Fõtium, aquarumque ductuũ ocio-
ſè perſtillantes Euripos intrita vel bitumine
oblitos reſarcire: vitiatorum tempore vbiq;
curam agere, prouidere inſuper, vt rerum ſit
neceſſariarum inuectio: non neceſſariarum
ac ſuperuacanearum aſportatio. Ac tandem
ijs in rebus, quæ legis pœna aliqua minime
prohibentur, iura omnia libera volenti. Vt
honeſti neceſſarijque cõmercij negociatio-
ne mutua ſingulorum commodis, & ciuiũ
facultatibus auctis, quod fiſci, ærarijque re-
gij protinus cedit vſibus, publicum creſcat
vectigal. Vnique præ cæteris puerorum edu

cationi, diſciplinæque incumbet: ne patriæ
ſuæ (cui eſſe vſui debent) pernicioſi ciues
alantur. Quippe nulla perinde re ſalus & cõ
ſeruatio reipublicæ nititur, atque recta inſti
tutione puerorum. Vnde diuinitus Plato.
vij. de legibus libro, rudimenta ipſa: quibus
educandi ſunt pueri, reipublicæ vincula ap-
pellat: quibus fore (ait) vt columellis tan-
quam ſubtractis: reipublicæ ſit omnis contig
natio collapſura. Quod cũ intelligeret Athe
nienſis Draco, qui ante mitiora Solonis placi
ta ſeueris legum vinculis pernicioſè fluen-
tes, patriæ mores obſtrinxerat, negligentiũ
diſſolutorumque hominum odio, quos de
filiorum educatione recta. parum animo vi-
debat eſſe ſolicitos: eiuſcemodi à liberis pa-
rentes, ali vetuit. Ratus non de ſobole tantũ,
ſed de patria etiam illos peſsimè mereri: qui
bonarum artium cognitione nulla, vnde ad
diſciplinam morum puerorum ætas tenera
piè ac ſanctè ſolet inſtitui, filios ſuos curaſſet
imbuendos. Quo nomine Spartiatæ iure
laudantur. Etenim poſt regem illorũ Agim
bello deuictum: cum Antipater pro obſidi
bus pueros quinquaginta poſtularet: Etheo
cles Ephorus, pueros ſe daturum eſſe nega-
uit: ne ſi licenter vixiſſent, diſciplinæ fierent
patriæ indociles: verum mulieres aut ſenes
bis illi centum placidè traditurum. Ad quæ
dicta cum ſęuè ferociens Antipater, dira cũ-
cta atque horrida minaretur, ni imperatis in
cunctanter paruiſſent: vniuerſus populus
concordi voce reſpondit: Si pergis grauio-
ra morte imperare: multo libentius morie-
mur, quam vt turpi vlli conditioni, Spartani
vnquam videamur aſſenſi. Adeo, prudentiſ-
ſimæ genti viſum eſt: ſatius eſſe crudeliter
ab hoſte mactari: quam laudabiliter à maiori
bus acceptæ diſplinæ incîdi neruos, vel he-
betari: aut in ætatem teneram, exitioſam mo-
rum cladem inuehi: fierique publicæ iactu-
ram heneſtatis! Næ illi, & rectè. præſtat nan-
que orbari liberis, ſoboleque omni deſtitui:
quam aut turpiter illã alere, aut moratam ma
lè relinquere. Quo in loco haud iniuria for-
ſam laudari poſſet, inclytum illud Epami-
nundę Thebanorum ducis conſilium, & acu
tum ac ſapiens reſponſum. Is enim cum æta
tem Cœlebs agere decreuiſſet: ab amico ſuo
& in præfectura bellica Collega Pelopida rè
prehenſus dicitur, quod virtutis ſuæ ſeminã
rium filios nullos relinqueret: maleque pro-
inde de patria mereretur: cui ab eiuſmodi vi
ris, ſemper deberet quam maximè eſſe con-
ſultum. Hîc Epaminundas leniter arridens.
Vide (inquit) ô Pelopida, ne tu peius patriæ
conſu-

N. De puerorũ educatione.

conſulas, qui filium talem relinquas: Cuius
vtinam eſſet & fama melior & vita proba-
tior. Quo dicto ſignificauit vir cordatus, ni-
hil magis patribus eſſe verendum : quam ne
vitioſam progeniem, degeneremque relin-
quant. Neq; enim tam eſt honorificum vel
ſplendidum ciuium numero patriam am-
plificaſſe : quam pudendum & graue inuti-
lem illi, vel exitioſum fortè ciuem proſemi
naſſe. Id quod doctis carminibus ſignifican
ter expreſsit poeta Iuuenalis, cum ait.

Gratum eſt, quòd patriæ ciuem populoq; dediſti:
Si facis, vt patriæ ſit idoneus: vtilis agris:
Vtilis & bellorum, & rebus pacis agendis.

Curare igitur prętor debet, vt qui libero-
rum gratia vxoriæ rei ſeruiunt: filiorum cu-
ram habeant : & ad virtutem erudiant. Ne,
parentum, vt fit, molli indulgentia corrup-
ti, deteriores fiant licentia. Aut ſi iam ab illis
N. neglectui habiti ſint : inemendabiles ad ex-
tremum exiſtant. Quorum vtrum libet, &
rempublicam peſſundare: & publicum ſolet
ſtatum euertere: quemadmodum monimę-
tis veterum memoriæ proditum eſt : noſq;
in vita non ſemel ſumus experti. Summa
itaq; ope atq; alacri ſtudio reipublicę perſo-
nam ſuſtinēti curandum eſt, vt eos qui ſeſe
connubio manciparunt, ad liberorum rectā
educationē inſtimulet. Aſsiduè illos exhor
tans, vt Tobię ſancti more, filios quiſq; ſuos
timere Deum doceat: & ab omni flagitio ab
ſtinere. Quorum in altero vis tanta eſt, vt
extremi ſit primum efficiens. Haud temere
ſiquidem fieri ſolet, vt is Deū offendat, aut
turpe aliquid induat animo, qui ſanctum
illius timorem reuerenter mente tota, atque
pectore concepit. Ex quo illud efficitur, vt
ſub eiuſcemodi tutela hominum, vrbs ipſa
ſit florida, reſpublicaq; beata. Non enim ci-
uium numero vel operoſè conſtructorum
magnificentia mœnium, aut multitudine
turrium : ſed incolentium virtute animi &
innocentia vitæ publicarum rerum ſolet
ſtatus conſeruari : atque vrbes communiri.
Huius itaq; rei magiſtratum ipſum, quem
populi medicum rectè vocauit Hypocrates,
ſumma conuenit cura diſtringi : exiſtiman-
tem, ciuitatem illam diutius ſaluam eſſe nō
poſſe: quæ pueritiæ diſciplina neglecta, ma-
le moratos ciues habeat. Incompoſiti nanq;
diſſolutique animi publicis rebus admoti,
quam feræ beſtiæ irritatæ, moxque emiſſæ,
truculentior impetus eſt : ſęuitiaque imma-
nior. Quo circa ne id aliquando poſsit acci-
dere, teneris ab annis licentiæ fręno iniecto:
impudentiæ ſunt pernicioſæ fibrulæ reſecā-
dę, & cupidinis praui elementa penitus era-
denda. Hęc prętorum: hęc prouinciarum
pręſidum : hęc optimorum magiſtratuum
germana officia ſunt: digna munera : veræq;
partes. Hęc tot, tamq; magnifica munia vi-
tæ negligenti, commiſſa quælibet dignitas
plus eſt dedecoris, quam honoris allatura.
Nam dignitatibus ipſis vis ea certè non eſt,
vt verè faciant honorabiles. Cum neq; vitia
depellere: neq; vtentium mentibus virtutes
queant inſerere: ſed gerentium tantùm natu
ram illuſtrent: illorumq; mores cognoſcibi-
liores efficiant. Etenim, vt ille ait.

Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet, quanto maior qui peccat habetur.

Hinc eorum, qui reipublicę gubernaculis
admouentur, crimina etiam leuiſsima quę-
q; pro magnis habentur. Sic temulentia Ci-
moni: Scipioni eſt obiecta ſomnolentia : &
ob ſumptuoſas cœnas Lucullus quondam
audiuit male. Nec defuere etiam, qui, quod
vno digitulo caput ſcalperet, Magnum illū
Pompeium reprehenderent. Neq; id ſanè in
iuria accidit. Vt enim indecentes nęuos, de
formes cicatrices, inſignes notas, quæ in ore
ſunt ferimus ęgrius: quam quę corpore ipſo
occultantur, veſtiumq; amictu teguntur: ita
procerum atq; magnatum : ad rempublicā-
que accedentium virorum errata, & cernū-
tur acutius : & apud ſingulorum animos in
hęrent altius, durantq; diutius. Ac, ſicubi de
liquit princeps, etiam abiectiſsimus quiſq;
lynceis oculis perpendit in populo. Obnu-
biles licet : velis obducas & obdas, odorabi-
tur vulgus; inueſtigabit, explorabit tandē;
introſpiciet omnia, atq; rimabitur. Vitam,
mores, actiones, ipſaque conſilia intuebi-
tur. Quod verſiculo illo inſinuauit Iuuena-
lis, dum ait.

O Coridon coridon! Secretum diuitis vllum
Eſſe putas?

Negat poeta cordatus, nobilium facta la-
tere poſſe diutius. Quod cum Iulio Druſo
Publicolæ viro clariſsimo non eſſet incog-
nitum: intelligeretq; in poteſtate aliqua con
ſtituti viri vel priuatam atque domeſticam
vitæ rationem, ad diſciplinam morum vale-
re in commune plurimum: domum, quam
omni ex parte vicinis habebat conſpicuam
Fabro committere noluit; quin talenta ob
quinq; & demolituro, & commodius ędifi-
caturo pollicenti, decem eſt pollicitus ſi nō
viciniæ tantùm ſed vniuerſæ etiam reipu-
blicę ita exponeret : vt quotquot eſſent in
populo ciues addiſcere poſſent, qua domi
ſuæ ratione viueretur. Atqui, hunc certe
vir-

virtutis fiducia: morumque integritas in tantam induxit animi conſtantiam: vt egregiè oculatum ad aliena populum, vi tęluç ſpectatorem, iudicemq́ue dari non vereretur. Dabat enim quotidie foris vt Plutarchus ait, egregiæ virtutis ſpecimen: documentaque lectiſsima.

HAEC IGITVR eſſe debet cura rempublicam capeſſentibus viris: vt morum culturæ, honeſtatiq́ue vacent: & virtuti per omnia ſeruiant. Neque cómittant vnquam, vt qui ſui quemq́ue officij admonere debeant: ipſi ſui muneris, cui vigilanter & ſanctè vbiq; ſeruire debent, ab alijs ſint admonendi. Ac, quando eorum præſertim qui publica gubernacula tractant: non verba ſolum, reſque publicitus geſtę notantur, virtus ve perſpicitur: ſed & ioci ſimul ac ſeria quæq; animaduertuntur: domus, ſamilia, vxor, ipſumq́ue (vt Plutarchus ait) cubile curioſius inueſtigantur. Danda in primis opera eſt, ne quid tibi ſit in vita tenebricoſum. Fugienda etiã vituperationis nota leuiſsima. Te ipſum ita excolere, ita mores exornare tuos: ſic vitam tuam omnem inrueri oportet vt qui in aperto, medioq́ue ſpectaculo ante omnium oculos vitam acturus ſit: neminem celaturus. Et quoniam Sapientum illud vetus elogium vbiq́ue gentium veriſsimũ exiſtimari ſolet,

Magiſtratus virum arguit.

Incorruptè ac ſanctè munera publica obeũda ſunt: ac labis ſugienda contagio. Quæ profecto cum in priuato quocunque, tum in publico præfecto ignominioſa eſt, & reipublicæ ipſi admodum exitioſa. Quæ eorum mores, quibus ipſius eſt clauus traditus, nõ ſecus atq́ue exemplar aliquod intuetur: veſtigia vſque conſectatur. Qui ſi vitioſi ipſi ſunt, flagitijsq́ue infames: quanta ſit ſceleribus patefacta feneſtra: cognoſcere peruiũ eſt. Cum non tam humanas actiones æmulentur ſimiæ, quam principum facta populus: & illorum exempla, quibus regendus eſt traditus. Id quod doctis carminibus poeta Claudianus veriſsimũ eſſe teſtatur ſic enim ait,

Mobile mutatur ſemper cum principe Vulgus.

Et alibi

Scilicet in Vulgus manant exempla regentum:
Vtq; ducũ Lituos, ſic mores Caſtra ſequũtur.

Quapropter Socraticum illud, quo ſeipſum quemq́ue iubemur cognoſcere: ob oculos ſemper habendum eſt. Ac quanto delatis honoribus ſibi quiſque videtur illuſtrior: tãto ſe ipſum magis oportet inſpicere: exactèque perpendere, ſit ne reipublicæ habenis tractandis idoneus: commiſſoq́ue oneri par. Nec ſe ante vir prudens Magiſtratui admiſcere vel populo debet addicere, quam ſtudia ac mores populi percalluerit: ac ſuas ſit ipſe probè vires expertus, vitamque intuitus. Difficulter enim reguntur incognita: ſuſceptumq; ue temere munus, quaſi diſpar humeris onus cũ impoſitũ eſt, ſua opprimit mole inſum ſuſcipientem: ac ruina proſternit inſanu. At verò rectè vt Martialis ait,

Qui ſua metitur pondera: ferre poteſt.

Qua in re Socrates ille, quem tanquam diuinum aliquod in terras delapſum numen gẽtilitas eſt quondam mirata, conſiliarius eſt adhibendus: qui vehementer abſurdum eſſe dicebat: cum ſedentarias artes nemo profiteatur abſque dedecore, qui non didicerit: neq́ue ei quiſquam ſcrinium locet faciendum, qui eius ſit ignarus opificij: ad publicos magiſtratus admitti, qui nunquam dederunt operam diſciplinis, citra quas adminiſtratio reipublicæ, magiſtratuſque nullus rectè geri poſsit. Cumque nemo non execraturus ſit eum, qui nauticæ artis rudis clauo aſsideret: multo magis deteſtandos eos, qui politicæ expertes philoſophiæ, reipublicæ habenas capeſſerent. Quorum hominum ambitionem & indiligentiam, & in creandis magiſtratibus negligentis amentiam populi notare volens Antiſthenes, Athenienſes aliquando admonuit, vt ad agrorũ culturam, glebarumq́ue reſupinationes iuxta aſinos atq́ue equos deligerent: cumq́ue illi ſimplicitatem dicti ridentes: animal hoc arationi aptum negarent, Quid refert (inquit) cum multi ſint in veſtra republica duces, qui adminiſtrandi rationem non norint: ſed vel hoc videtur ſatis, quod à vobis creati, delectiq́ue ſunt. Inſinuans obiter multo eſſe abſurdius & periculoſius ei commendare rempublicã, qui artem neſcit regendi: quàm ſi pro equo aſinum aratro adhibeas.

ACCVRATE igitur, ſui quemque & ingenij & naturæ ratione ſubducta, ſuarumq́ue adeo virium examine rectè perpenſo, quæ appoſitiſsima ſunt, cõſectari decet: minimeque quod pręſtare nequeat, ambire. Siquidem conſultius multo, longeque præſtantius eſt, ab alieno munere non aliter atque ex alieno fundo (vero adueniente domino) tempeſtiuè opportuneque diſcedere: quam ſi contumax moras trahas, ignominioſè depelli: populiq; diſpicere intereſt, vt in accipiendis rectoribus nõ tã ſit, qui crebro factitat ſtudio animi ac voluntate feruidus: quam conſilio cautus, ſtrenuuſque iudicio. Neq; enim

enim, in eiuſmodi viris ſumendis, tam erunt
genus ac diuitiæ ſpectandæ: quam ętas, ſciē-
tia, & virtus attendenda: Videmus nanque
tumiditate ac faſtu generoſos ac diuites effi
ci parū comes, & adeuntibus aſperos. Quod
N. reipublicæ perſonam ſuſtinenti viro, graue
debet crimen videri. Non enim eſt magiſtra
tui affectanda ſeueritas, quę calamitoſis ſit
terrori. Graue etenim luctificumque fuerit:
Afflictis rebus opem & prſidia quęrentem,
minaci vultu iudicis, quaſi interdicto ali-
quo, De non aſſequenda Iuſtitia, tribunalis
aditu, atq; iudicij ipſo limine prohiberi. Iu-
uenilis ætatis incogitantia, pręcipitantia &
temeritas communia ſunt: ſenectutis con-
tra, tempeſtiua maturitas: ac ſana in primis
conſilij deliberatio eſt: rebuſq; publicis tra-
ctandis natura peridonea. Scientiæ virtu-
tiſq; animi ornamenta cætera, neceſſaria val
de reipublicæ vincula ſunt. Quæ & ipſa à
ſenibus ſunt quærenda. Hi enim & iudicio
pręſtare egregiè norunt: & rerum pulchrè
momenta diſcernere. Quod mihi loco quo
dam, quaſi pythagoreum aliquod Symbo-
lum tractans, philoſophorum princeps Pla-
to ſignificare latenter eſt viſus. Ait enim,
„ tunc demum mentis aciem quid in re qua-
„ q; & veri & ſolidì ſit, accuratiꝰ cernere, acu-
„ tiuſq; inſpicere: cum corporeus in homine
viſus incipit hebeſcere. Inſinuans obiter, pe
culiare propriumq; ſenectutis munus: ani-
mi ſapientiam eſſe. Vnde pręclarè Cicero,
mēs, inquit, & conſiliū in ſenibus eſt: qui ſi
nulli eſſent: nullę omnino ciuitates fuiſſent.
Quibus rebus niſi circumuallata egregiè ſe-
nectus eſſet, nunquam profectò veteres illi
Romani, ſummum conſilium Senatum ap-
pellaſſent: non Senatores ipſos patres voca-
uiſſent. Ac, ne Spartanorum quidem proui-
dentia ſummi magiſtratus dignitatem ſene-
ctutis vocabulo condecoraſſet: apud quos
qui ampliſſimum magiſtratum gerunt (vt
ſcribit. M. Tullius) vt ſunt ſic etiam ſenes ap
pellantur. Ita nimirum ſe res habet: guberna
culis rerū tractandis (vt Horatij verbis vtar)
non venientes ſed recedentes annos ſtudio
ſè nobis ſemper eſſe quęrendos: conſilijſq;
publicis eos demū diligenter pręficiendos:
quorum inclyti verendique oris magna ex
parte cana ſunt tempora. Sic hi, qui politicas
ſcripſerunt conſtitutiones. Iuuentutem de
teſtantes: prouectam requirunt, ingraueſcē-
tem q; ętatem. Hæc boni multùm ciuitatibꝰ
attulit: illa celebribus populis magnæ ſæpe
cladi, exitioq; fuit. Hinc maximas quōdam
reſpublicas à iuuenculis labefactatas: per ſe-
nes ſuſtentatas reſtitutaſque accepimus.
Sic enim percontanti, vt eſt in Neuij poetę
ludo.

Cedo, qui veſtram rempublicam tantam amiſiſtis „
tam cito?

Reſpondentur & alia, & hæc in primis.

Proueniebant Oratores noui, ſtulti adoleſcentuli. „

Ex quibus palam fit, non ſine graui peri-
culo atque diſpendio, adoleſcentibus rem-
publicam ſolere committi. Sed hæc de ęta-
te hactenus.

Illud fortaſſe expendere neceſſarium eſt
vt pręſtantius nihil eſt, & ad honorem cele
brius quam reipublicæ pręeſſe: ita difficilius
eſſe nihil; quam benè pręſidere: ac ciuium
commodis rectè proſpicere: populiq; iura
defendere. Vix enim tam incorruptum in-
uenias magiſtratum, quin publicis rebus
poſthabitis: vtilitati priuatæ ſeruiat. Nam
vel amicitiæ paucorum indulgens, vel odio
flagrans quorundam: Iuſtitiæ veros limites
raro ſeruat illęſos, à quibus profectò vitijs
cùm priuati cenſuram: tùm verò multo ma-
gis ob officij religionem: debitamq; fidem;
magiſtratus naturam eſſe oportet quam ma
ximè diſiunctam: Syncerum omne rectum-
q; iudicium. Quas ob res neq; arcæ ſuæ, aut
proprijs vtilitatibus incumbendum eſt: ne-
q; gerendæ ſimultates ſunt aut comparanda
amicitia: niſi illorum forſan, qui in admini-
ſtrāda republica adiumento eſſe atque vſui
poſſint, ijq; in primis aſciſcendi, qui ea in vir
tute valeant, qua non magnopere nos ipſi
pręſtamus. Vt illorum opera vſi, quaſi qui-
buſdam fulturis innixi: traditæ efficiamur
prouinciæ accommodatiores: muneriq; ſuſ
cepto vtiliores: ſuppoſitis veluti gradibus ad
ea aſcendētes, quæ maximè nobis optamus
contingere. Quando non tam ſua cuiuſque
circumſpecta atq; oculata natura eſt, vt vno
quaſi faſce complecti quiſq; poſſit omnia:
& quæ proſpectu ac factu neceſſaria ſunt,
vniuerſa tueri. Nō enim ſolers cura Diuûm
pręſtantiſſimarum rerum affluentia morta-
lium genus omni ex parte condecorat,

Namq; alij Deus vt curæ ſint Martia facta,
Aſt alij dedit vt ſapiat, ſit prouidus atq; „
Cum ſibi, tumq; alijs, ac oppida ſeruet ab hoſte. „

Vt ait Homerus. Commodius igitur
haud dubiè cuncta geruntur, cùm pluribus
ceu manibus atq; oculis prędito reipublicę
principi, ſapientum fideliumq; amicorum N.
iudicio cōſilioq; ſuggeritur: quid illū ſequi
conueniat, quid contrà oporteat fugere. Ne
q; enim tam eſt pudendum neſcire: quam
turpe nolle ſapere: admoneri ve fœdum: ip

ſumq;

ſuamque adeò negligere, miſerum atq; luctiſicum. Nam rectè conſulenti non parere, perniciosum id quidem eſt, extremaque morũ nota dignissimum: maximè ſi in eo negligẽdo, reipublicæ (cui ſeruire plurimum debes) verſari magnum periculum videas.

SED QVONIAM priuatæ arcæ non eſſe ſeruiendum diximus: moderatorum, frugaliumque hominum exemplis, quanta ſint cõmiſsi magiſtratus integritate gerendi, videndum eſt. Etenim, vt à Maximo Valerio proditum memoriæ eſt, literarumque monimẽtis traditum. Quintus Fabius Gurges, Caius Numerius, Fabi⁹ Pictor cum Vgolino Quinto ad Ptolæmeum Regem Oratores miſsi: non ante ad Senatum, Conſcriptoſque Patres legationem retulerũt, quam quæ ab eo munera & dona priuatim acceperãt, in Ærarium referrent: verba hæc dictitantes præclara. De publico miniſterio, nihil cuiquã præter laudem benè adminiſtrati officij, accedere debere. Rectè nimirum. Vt enim tutela, ſic procuratio reipublicæ ad vtilitatem eorũ qui commiſsi ſunt: non ad eorum quibus eſt commiſſa, gerenda eſt. Vituperandi igitur ter & amplius illi ſunt qui magiſtratu adepto, ſeruiunt quæſtui: fœdiſque lucris authoritatem contaminant: ac eorum (quæ ſemper debent ſacroſancta videri) dignitatẽ flagitioſiſsimè proſtituunt. Quales Stratoclẽ quẽdam atque Dromoclidem accepimus ad reipublicæ gubernacula perinde quaſi ad lucella ac nundinas itantes. Quos Plutarchus

N. ſcribit ad meſſem auream ſe ſe mutuò inuitare ſolitos. Vulgari ioco Curiam atque tribunal ita nuncupantes. Cumque (vt ſupra docuimus) vel minima vitia gubernantibus rempublicam viris vehementer ſint criminoſa, ac maximè conſpicua: fugiẽda eſt Oratoris Demadis improba vox: qui prandenti commodum adſtans Phocioni, parcam illius menſam, frugalemque victum intuitus: demiror, inquit, te ò Phocion, qui rempublicam capeſſas: cum ad iſtum poſsis prandere modum! Improba verò vox, atque illo planè digna, qui ſuo ſeruiens abdomini: honeſtatis, religioniſque omnis prorſus immemor: magiſtratus omnes ventri ipſe gerebat: eſca illectus non gloria: Quæ veræ eſſe debet adminiſtrationis ſc opus: honeſtorumq; laborum iucundus, gratus, amœnus, ſuauis, dulciſque fructus. Ea enim certiſsima eſt virtutis merces: & bonis non indigna viris. Sed homo auarus dicta hæc præclara ſuſque deq ue habebat, magiſtratu in ipſo, turpi, dum lu cro inhiat. Non igitur iniuria Antigonus rex queri ſolebat, duos ſe habere amicos Demadem atque Phocionem, quorum alterũ nunquã ſe dando ſatiare: alteri vt aliquid acciperet, perſuadere nõ potuiſſe. Exitioſa nimirum res eſt gubernationem ſuſcipienti, omnis lucri cupiditas. Quid enim non ſperabit ſibi licere opulentus reus auarum apud iudicem? Qua de re aureus ille Canon extat. Pauper dum non habet quid offerat in iudicio, non ſolũ audiri contemnitur, ſed etiam contra veritatem opprimitur. Citò violatur auro Iuſtitia: nullamque reus pertimeſcit culpam: quam redimere numis cogitat. Sed de his hactenus. N. C. pauper. q. 4.

SIMVLTATVM præterea eſſe oportet nõ amantem, ſed fugietem protinus: ac ſi quas ipſe antea geſſerit: condonabit reipublicæ. Ne, cuius tranquillitati & otio ſeruire ac cõſulere debet: turbulentum aliquid ſua culpa excitaſſe videatur. Quo in ipſo, iure profectò Ariſtides Themiſtocleſque laudantur: qui, ſiue legati ſiue imperatores publicè mitterentur: priuatas inimicitias ac ſimultatem ſub ipſas Athenienſis agri fines placidè ponebant: publico miniſterio finito, ſi placeret, reſumpturi. Nefas interim arbitrantes mutuis teneri odijs dum patrijs vſibus præfecti forent. Sic & illuſtri laudum præconio in ore omnium Magneſius eſt Cretinas, qui cum ab Hermia honorum ac gloriæ cupido viro, promptique animi, ſed exiguis viribus prædito diſsideret: eamque ob cauſam in republica & contentiones crebræ, & inimicitiæ exardeſcerent: exorto Mithridatico bello, ex periculoſa Martis ſequientis alea imminẽtem reipublicæ calamitatem, ruinamque proſpectans: ne ciuium ſalus ſummum in diſcrimen adducerẽtur, præcepit Hermiæ vti gubernandam ipſe ciuitatem ſuſciperet: ac quæ illius ſaluti vſui forent, curaret ſedulo: ſe illi nihil obſtiturum: conſtituiſſe nanq; alio inde diſcedere. Quod ſi oblata ei conditio, patriæ opem ferendi periclitanti, dura videretur ac grauis: gubernacula ſibi reipublicæ, imperiumque relinqueret: & quas mallet ipſe partes amplexaretur. Quæ vbi ſenſit Hermias propoſitæ optionis conditione accepta ingenuè profeſſus eſt, bellicis rebus gerẽdis aptum magis eſſe Cretinam: ac digniorem multo, cui tanto in periculo ciuium ſalus committeretur. Liberiſque cum vxore ſum ptis protinus vrbe ceſsit. Quem diſcedentẽ Cretinas, diuitijs multis, honorificentiſsimoque eſt viatico proſecutus. Ita vrbi ipſi extrema omnia grauiaque timenti, præter omnium ſpem ſaluti & gaudio repente fuit. Ex quibus

quibus perſpicuum eſt, à ſimultatum cupiditate alienum eſſe oportere magiſtratum: eiuſque rei non ſeminaria tantùm ſed leues etiam fibras ac veluti anſas adimere ac reſecare penitus, vſq; debere. Atq; ea omnia labefactare ac exoleſacere: vnde diſſentio aut factio ſuboriri poſsit. Qui locus me eſt admonere modò viſus, vt quæ de Athenienſium lege quadam Plutarchus ſcribit: in pręſentia referrem. Ait enim apud Athenienſes ex veteri decreto Solonis iure infamem habitum, qui ſciſſa in partes per ſeditionem ciuitate, neutri ſe parti addixerit.

QVO in loco legis latoris, ſapientiſsimi viri pace, maximè requiro prudētiam: qui id homini vitio verterit, quod ſummę glorioſum eſt & in ciue pręcipuè laudandum. Acutius, prudentiuſque multo, & vitæ hominum vtilius ſenſiſſe arbitror Teognidem Megarenſem: cuius in cauſa tali ad hūc modum ſcripta diuinitus, carmina celebrantur.

Argento fuerit fuluo æquiparandus & auro
Fidus in inſana ſeditione manens.

Nō igitur iniuria, ingenij & doctrinæ princeps Plato, primo de legibus dialogo, verſiculis, quos modò retuli, laudatis impenſè: Solonis legem iniquitatis arguit. Hunc itaque (ait) in grauiſsimo bello, tanto illo eſſe meliorem dicimus: quanto ſola fortitudine melior eſt Iuſtitia, Temperantia, Sapientia, fortitudine coniuncta. Nemo enim integer & fidelis ſine omnium virtutum numero in ſeditionibus reperiri poterit. Quod cum ita ſe habeat, miror quid in mentem venerit Aulo Gellio, viro alioqui doctiſsimo, qui Atticarum noctium commentario ſecundo (quos ille libros, authorum veterum ſagaciſſimè monumentis indigatis ingenij, exquiſita & varia doctrina referſit) Solonis, quam Plato damnat, legem explicare conatus: laudis genere quodam parum probabili doctis, quaſi à calumnia immeritam, defendere auſus eſt. Sed priuſquam cur mihi Gellij ſententia diſpliceat, aggredior: qualis Soloninæ legis norma formaque extiterit, ipſius faciem referente Ariſtotele, paucis docendum eſt. „ SI OB DISCORDIAM diſſenſionemque ſeditio atque diſceſsio populi in duas partes fieret, & ob eam cauſam iritatis animis vtrinque arma caperentur, pugnareturque: tum qui in eo tempore, in eoque caſu ciuilis diſcordiæ, non alterutra parte ſeſe adiunxerit, ſed ſolitarius ſeparatuſque à cōmuni malo ciuitatis ſeceſſerit: Is domo, patria, fortuniſque omnibus careto: exul, extorriſque eſto. Habes legis characterem, ex Ariſtotelis (niſi fallor) Græco ſenſu non oſcitanter latinè depictum. Reſtat, vt accuſationi Platonicæ aduerſantia Gellij verba ſubtexam. Nam ſi boni homines, qui in principio coercēdæ ſeditionis impares fuerint, ait, populumque percitum & amentem non deterruerint, ad alterutram partem diuiſi ſeſe adiunxerint: tum eueniet, vt cum Socij partis ſeorſum vtriuſque fuerint, eoque partes ab ijs, vt maioris authoritatis viris, temperari ac regi cœperint, concordia per eos potiſsimum reſtitui conciliarique poſsit: dum & ſuos apud quos ſunt, regunt atque mitificāt: & aduerſarios ſeruatos magis capiunt quā perditos.

QVASI verò, qui iræ ęſtu conciti, & factioſo pectora exagitante tumultu, furibunda mente graſſantur, quāſi quiſque ſit dignitate animi, authoritateque dignus, obſeruent anxiè? vel regi ſe facile patiantur ab ijs, qui meliora ſuadent: & pręſtantiori animi conſilio eſſe videntur affecti? Cum pręſertim mali huius cæci ac rabidi tam ſit efferus atque inſanus effectus: vt dignum ab indigno, exitioſum ab vtili & ſalutari nequeat internoſcere. Non igitur in iudicando, quaſi iam ab omnibus ſit conceſſum, pro rato & firmo aſſumi debet: quod reuera dubiū ancepſque exiſtit, explicatuſque habet difficiles, & ad deliberandum periculoſos. Quid? quod parum cognitum perceptumque eſt, qualis futurus ſit, qui ſuarum partium ſemel addictus arbitrio: iudicij mentiſque ſuæ verè ſit impos effectus? Verùm enim vero, ne pręfractè nimis in alicuius videar verba iuraſſe: conſilium Gellij, ſententiamque probarem vbi primum mihi exploratum eſſe cœpiſſet, ingenij indolem minime eum eſſe mutaturum qui in alterius factionis arbitria diſcedens (quod in ſe eſt) factioſus iam turbulentuſq; effectus, quæ diſsidij cauſam prębuit, ęquitate cauſa perſpecta, Iuſtitiæ eſſet lances planè ſeruatur' illęſas. Quod tenuitati Iudicij mei laborioſum videtur eſſe, difficultatiſq; plenum maximę. Altius enim momenta cauſæ rimanti dubium non eſt, quin iudicium ipſum impeditura ſit, ſuſceptæ partis electio: ſi modò Flacci verum eſt illud.

Male verum examinat, omnis corruptus Iudex.

Quod non iniuria probari ſolet à doctis. Sine affectu autē in factionis partē alterā non dico aliquem tranſiuiſſe, ſed omnino fuiſſe propenſum: nemo, arbitror, ibit inficias. Quę ſi vera ſunt; quàm ſit Gellij opinio inanis ac flaccida: diſputare qui cōuenit? Cū diſceptationis

tionis contétioniſq; tendiculas omnes, facilè ſe ipſa tuens veritatis vis: & quæ acres animis infigit ſtimulos, rationis ſpernat oratio?

„ Iam verò, ſi fundamenta reipublicæ rectè iacienti: ocium, pacem, tranquillitatemque ciuium ſalutari legum conſtitutione ſanciēti: ſalus populi, lex eſſe ſuprema debet, vt in 12. tabulis prudenter extat ſcriptum. Quis non videat, huic tali ac tanto viro, cui ſalutis publicæ tutela commiſſa eſt, accuratè ſemper eſſe nitendum: vt rei malę interceſſorem honoret: ſeditionis contrà, & turbulentiæ, ac nouarum rerum molitorem, quæ concordiam ciuium, diſciplinam morum, & ſtatum populi penitus labefactant: ſupplicio graui perimat atque peſſundet? Cum præſertim ex ploratum planumq; ſit viro ſapienti, eiuſcemodi ciuem nō minusquam ſeditioſum militem extremo capitis ſupplicio coerceri: & meritæ pœna mortis affici è veſtigio debere. Idq; vel eò maximè, quod prudens ſciensq; indiſcrimina ruat: & in communi patriæ periclitantis malo (cui firmitate clara animi obſiſtere potuit) vitioſa ad extremum affectione emolitus: à ſanitate mentis, quam tutari ſtrenuè cœperat: mutatus ſubitò rebellet atque N. deſciſcat. Sed quis non iure miretur diuinam illam conſtantiam animi, quæ dubijs, difficillimiſq; reipublicę temporibus, & afflictis patriæ rebus laudari in ciue ſolet: non ſolùm fructu verę laudis orbatam, ſed infami etiam ſæuientis probro fuiſſe legis affectam? & quę in calamitatis caſu ſimili in ſe vno perſpecta diuinitus honori ipſi ſummo data eſt, ac gloriosiſsimè ceſsit: eam in aliquo elatione animi pari prędito culpandam eſſe decernere, & ſupplicij aliqua ſeueritate plectendam? Non enim ferendum eſt, vt quæ reipublicæ capeſſendæ, & ſummæ homini apud Athenienſes fuit laudis auſpicium: ea è diuerſo res, alijs cauſa ſit fraudis. Quæ enim eſt inuidia poſſeſsionem laudis, idque exemplo tuo, pulcherrimi facti veſtigia clara ſectanti in medio poſitam, cedere velle nulli: latæq; pœnæ metu adeundi ius denegare auida illam manu iam penè prenſanti: & generoſi in cauſa nobili pectoris orſus, edicto infamiæ truci comprimere ac prohibere? vt nemo illuc aſpirare iam poſsit, vnde tu es nobilis & clarus effectus? Preclarè ergò in politia Plutarchus, vehementer ſe mirari ſcribit Solonis hanc de non factioſo ciue conſtitutionem. Sic enim ait, Quo magis miror quid in mentem venerit Soloni, viro alioqui eximio qui inter alias à ſe ſcriptas leges illud ſanxit, vt qui in duas partes per ſeditionem ſciſſa ciuitate, neutri ſeſe parti applicuiſſet: inter ærarios referretur. Cum præſertim publico de conſilio Athenienſis ipſe fuerit populi princeps creatus, ac legum lator decretus: quód populo ipſo in Paralios, Diacros ac Pandieos factioſo æſtu diuiſo (hæ enim ciuitatis erant partes) nihil ſit ipſe factioſè molitus, ſed æquum ſeſe atque eundem præbuerit cunctis: induſtriè ſeduloque procurans, quæ ad pacem & concordiam, amoremq; omnium ſpectare maximè viderentur. Vnde diſcordiarum tranſactor, & pacis author effectus, ciuitatem erexit labantem: immortalemque facti huius apud poſteros in omne æuū memoriam ſibi conſtabiliuit. Hunc igitur talem ciuem ſpecioſa ipſius ſequi facta conantem, vt iam cęteri legum latores deterrere metu, atq. auertere conarentur: ad facinora obeunda eiuſcemodi, inſigni aliquo premio legis, inuitare Solon atque allicere debuit. Sed reuertar eò, vnde diſceſsi.

Vt igitvr reipublicæ, vrbiſque præfecto inuiſæ eſſe ſimultates debent: grataque, cui pręſit, amicitia & quies populi: ſic illi vſquequaq; excubandum animo eſt, vt diſsidij longè ſemina cūcta eliminet: & diſcordiæ vndiq; ſtudioſè anſas abſcindat: illorū, qui tutelæ ipſius atque fidei commiſsi ſunt, tranquillitati & ocio (quoad eius fieri poſsit) accuratiſsimè ſeruiens. Atq; ita pro communi cōcordia & pace totis viribus dimicabit: prouehens illos atq; honorans, qui ita erūt affecti: puniens contrà, coercenſq; eos, qui aliter eſſe animati videbuntur. In adminiſtratione porrò ſuſcepti muneris, non minus quam in ipſo ciuium fœdere ſanciendo: Pulcherrimi illius elogij.

Salus populi, ſuprema lex eſto.

Cuius memioi paulo ante, memor eſſe de „ bebit. Et quoniam ſeminaria cuncta diſcor- N dię, ex diſſolutione morum, & vitæ intemperantia naſcuntur, in eo potiſsimum elaborauit vt ditioni ſuæ atq; imperio ſubiectos, ad temperantiā animi virtutemq; erudiat. Id verò facilè aſſequetur, ſi ſermonis actioniſque memor ſuæ modeſtiæ operam dabit. Lectiſſima foris harū rerū populo documenta prębens. Neq; enim tēperatioris vitæ diſciplinā pacto vllo ſancire poterit: niſi priuatis publiciſq; rebus frugalis ſit ipſe prius, atq; ſobrius valde cognitus. Quod cum naturæ quadam lege latè ſerpat in omnes: haud dubiè in viro principe multo latiſsimè patet: ſemper enim talem virum ęmulatione multorum exempla ſequuntur, quæ factitat.

In amicis autem comparandis meminerit

nerit ſemper, quod paulo ante dictum à nobis eſt: non niſi honeſtis, patriæque vtilibus aſpirandum eſſe. Nihilque illis contra fas, religionisque fidem ſub amoris obtentu, amicitiæque prætextu concedendum eſſe. Quo in vitio præſtantes alioqui viri haud iniuria notant. Nam & Themiſtocles ipſe vulgò reprehenditur: qui offirmanti cuidam rectè & honeſtè geſturum rem communem: vt qui æquum ſe ſe, paremque eſſet omnibus præbiturus. Dij meliora, inquit, ſiniſtro velut offenſus omine, nolim equidem ſic magiſtratus ſungi officio: huiuſque muneris ita aſcẽdere ſolium: vt nihil amplius quam inimici, à me ſint amici conſecuturi. Peccauit profectò vir maximus: quamquam, vt dicã mox, idem alibi multo ſenſit commodius. Ageſilaus etiam rex gloria ſapientiæ clarus, ſtudioſus præter æquum amicorũ ſæpe fuit. Adeo, vt eius ad tyrãnum quemdam Hidrieum Carem pro amico Nicia ita circunferatur epiſtola. Niciam ſi inſons eſt, dimitte: ſin ſons, mihi dimitte: omnino vero dimitte. Reumque actum Phœbidẽ quod Senatus iniuſſu Cadmæam diruiſſet, ſupplicio liberarit: ac ſalutis author extiterit. Pro tempore, ac raptim huiuſcemodi res aliquando patrari, neceſſariũ eſſe dictitans. Sphodriã verò Athenienſium agros, qui per id temporis Lacedæmonijs erant ſocij, & amicitię iure deuincti, inuadentem, diripientem atque vaſtantem, filiorum precibus, blanditijſque illectus, defendit: capitalique iudicio ſubmouit. Quo circa Cleonis ego ſententiam (quæ quaſi inhumana nimiſque rigida notari ſolet à multis) non magnopere duco reprehendendam. Is enim vt primum ad rempublicam appulit animum: amicis omnibus vnum in locum adductis: velle ſe dixit theſſeram amicitiæ diſſoluere. Rationemque addidit, quo minus cauſæ merita ęqua librentur lance: amicos ſæpe in cauſa eſſe. Veraque propterea iudicia corrumpi: dum molli hoc affectu adminiſtratores reipublicæ temerè illigantur.

VERVM enim vero quoniam amicorum præſidium, cum mortalium vnicuique, tũ etiam rempublicam gerenti vel in primis neceſſarium eſt: amicitiæ Iura, populi rem tractanti, diſſoluenda non ſunt: ſed opera danda eſt, adhibendaque ſedula cautio: vt tales adciſcamus, qui pudori nobis non ſint: quique iniqua vel turpia poſtulare non auſint. Quod ſi caſu in amicos inciderimus eiuſmodi, turpium rerum petaces, & efflagitatores inuerecundos: tali amicitiæ longũm vale dicere multo eſt præſtabilius, quã illorũ cauſã infamiam, dedecus, probrumque ſubire: cõtra religionẽ, fidem exiſtimationemq; noſtrã impiũ aliquid ſceleratumq; molientes. Maximè, cũ verum ſit: non eſſe pro amicis habẽdos, qui contra honeſtatẽ, dignitatẽq; noſtrã aliquid à nobis contendunt. Non enim verè amicus, qui reluctãtem amicum in certã trudit infamiã: paratamq; ignominiã. Ac ne illa quidẽ amicitia cẽſenda eſt, quę à natura abhorret honeſtatis. Amicitiæ veræ opus, virtus eſt. Cuius honeſtę omnes ac ſanctę regulæ ſunt. Pręclarè itaq; Cicero. Hęc, inquit, in amicitia, regula prima ſanciatur, vt ab amicis honeſta petamus: amicorum cauſa honeſta faciamus. Quã eandẽ regulã contrarijs paulo ante verbis ita idẽ expreſſerat. Sit ergo amicitię hęc lex prima vt neq; rogemus res turpes neq; faciam' rogati. Turpis enĩ excuſatio eſt, cum in cæteris peccatis atq; delictis tum ſi quis cõtra rẽpublicã amici cauſa feciſſe ſe fateatur. Quare ij eſſe ſemper in prõptu debẽt: qui turpi in re nõ amicis ſolũ atq; cognatis ſed ne parẽti quidẽ obſecũdandũ eſſe putarunt. Quo in loco primũ ſe ſe offert, Spartanorũ rex vltimus Agis: qui, vt ſcriptũ extat apud Plutarchũ, rogatus à parẽtibus vt ad cauſam quandã iniuſtã ſibi foret adiutor, cõtradixit aliquandiu: cumq; inſtarent ipſi: moleſtèq; vrgerent renitentem. Subiratus Agis, quãdiu inquit, apud vos fui. Iuſtitiæ cognitionem: ne vnã quidẽ habui: poſteaquã autem me patriæ tradidiſtis, Iuſtitia etiam probitateq; erudiſtis, vt potuiſtis: hęc potius quã vos ſequi tẽtabo. Et quoniam vultis me optima facere: optima verò ſunt cum homini priuato: tum multo magis principi, quę Iuſta ſunt, faciam quidẽ quę vultis: ſed quę dicitis recuſabo. Sic & Phociõ genero ſuo Charilo repetũdarũ cauſam dicturo adeſſe noluit, illud dictitãs: equidẽ te mihi generũ, vt probũ hominẽ, Iuſtũq; optaui. Quæ vbi dixit deſerto genero, ſe inde è veſtigio ſubduxit. Ne minus idem ſtrenue regi Antipatro petenti vt in gratiam ſuã quiddã cum honeſtate pugnãs faceret: Non potes, inquit, ô Antipater, pariter & amico & adulatore vti Phocione: circa honeſta & iuſta verſari tantum amici officium exiſtimans: adulatoris ad quidvis patere obſequium peruium. Ac ne ſtulto quidẽ pudore percuti ſic oportet, vt parum honeſta petenti non auſis contradicere. Turpis enim exitioſaque illa erubeſcentia eſt, quę aduerſus improba negarẽ nõ ſinit obſequium. Bene profecto Stoicorum princeps Zeno quum in adoleſcentem quempiam ſibi notum prope vrbis pomeria Clanculum

inambulantem incidiſſet: ſciſcitatus ab eo eſt quem ad finem eo loci verſaretur: Hic, adoleſcens fugitare ſeſe amicum dixit, à quo Ius iurandum falſum rogabatur. Quo audito, ô ignaue, Zeno, inquit, ille auſus eſt, malo te iniuriaque afficere, neque erubeſcit: & tu illi pro Iuſtitia non audebis obſiſtere? Proinde qui dixit.

Improbos aduerſus homines armat improbitas probè.

Male docet ſic vlciſci malitiam, vt illam imitemur. Cæterum quiſquis improbitatem illorum, qui impudenter ac fronte perfricta obſtrepunt, pari impudētia retundit: nec turpia concedit, veritus facere inuerecunda, rectè iureq; facit. Id quod faciunt, quicumque ſapiunt. Etenim, non pudendo: ſed non faciendo id quod facere non decet, impudentię nomen effugere debemus, rectè dictum eſt illud à noſtris maioribus, hanc amici pollicitationem eſſe.

Si preſtare queam: & fuerit preſtabile nobis.

Stultitiæ ſanè, neq; id quidem genus leue eſt: dignitatis noſtræ rationem nullam habere, fidemque ipſam negligere. Ea enim, vt ſapientibus placet, dumtaxat pręſtanda ſunt: quę dignitate ſalua facere poſſumus. Quocirca Rutilius ille iurè laudatur, qui ingenuo liberoq; reſponſo amico carere ſatius duxit, quam illius ad gratiam, contra fas Iuſtitiamque ei commodans, ſiniſtro famæ rumore tangi. Nouerat enim vir ſapiens, parum ſobria illorum poſtulata, qui amare videntur: tanti non eſſe ęſtimanda, vt ipſorum cauſa honeſtatis nomen ſit vel nomen Iuſtitiæ deferendum. Iuſtitia ſiquidem amicitiæ officio omni, pręſertim inuerecūdo longè profectò potior ſemper habenda eſt. Non enim amat verè, amici quamuis frontem ſimulet, ad obſequium turpe cogere qui cupit amantem.

N. Nec ſiletur egregi⁹ princeps Artaxerxes, qui à longiori manu cognomento eſt Longimanus dictus. Cum enim à Cubiculi pręfectò Satibarzane iniuſtum quiddam & iniquum rogaretur: vbi ab eo daricorum triginta millibus id ęſtimari comperit: accito ad ſe quęſtore, numerari illi ſummam iuſſit: qua tradita: Accipe, inquit, ô Satibarzane. Hęc enim cum tibi dedero, egentior futurus non ſum; neq; pauperior: ſi petita concederem, fuiſſem Iniuſtior. Themiſtocles preterea Simonidi, poetæ iniuſtum inhoneſtumque petenti: quemadmodum, inquit, malus tu poeta putabere, ſi fidium carminumque leges prętereuns inconcinnum abſonumque cecineris: itidem & ego princeps cenſebor improbus: ſi pręter ius legeſq; ipſas quidpiam iudicem. Sic Cato & iuuenis & quęſtor, Catullū, cui ſumma tunc apud Romanos authoritas erat, pro amici mulcta improbius deprecantem non tulit: precibuſque illius offenſus: Turpe (inquit) fuerit ô Catulle, cenſorem te: quū hinc nolis diſcedere, à miniſtris meis abſtrahi. Profectò nemo inficias ibit, preclarè ab his omnibus factum eſſe: qui futuram dedecori amicitiam: prę honeſtate iuſtitiaque cōtempſerint. Quare, quò expeditius atque liberius tam ſiniſtras turpeſque amicitias nihil moratis honeſtati, & ęquitati vacare poſsimus: in promptu ſemper Creontis hæc ad Medeam carmina habenda ſunt.

Mulier ſatius eſt hoſtis vt fiam tibi:
Quam ſi obſequar nunc: gemere dira in poſterum.

Quamquam ille quidem re vera alijs quid eſſet faciendum edixit: ſuis ipſe conſilijs præceptiſque non paruit. Dum enim precibus victus, petenti concedit diem: clade miſeranda obrutus, familia cum tota cecidit. Regiamque vidit Medeæ magicis ignibus aulam conflagrantem. Nunquam igitur illiberali ſtultaq; erubeſcentia ducti, cuiquam commodabimus, quod pręſtitiſſe pigeat. Pudere enim, quam pigere pręſtat, vt rectè cenſet Plautinus ille ſenex Philto.

CAETERVM, VT QVO SE quemque pacto aduerſus amicos gerere oporteat, magiſtratui atque priuato patere poſsit: ex Cicerone ipſo (qui optimè atque doctiſsime de amicitia diſputauit) hauriendæ formulæ ſunt: qui ea de re officiorum libro tertio ita loquitur. Maximè autem perturbantur officia in amicitijs: quibus & non tribuere, quod rectè poſsis: & tribuere, quod non ſit ęquum contra officium eſt. Sed huius generis totius, breue & non difficile pręceptum eſt. Quæ enim videntur vtilia, honores, diuitiæ, voluptates: & cætera generis eiuſdem: hæc amicitiæ nunquam anteponenda ſunt. Sed neque contra rempublicam: neque contra Ius iurandum ac fidem amici cauſa vir bonus faciet. Ne, ſi iudex quidem erit de ipſo amico, ponit enim perſonam amici, cum induit iudicis. Tantum dabit amicitiæ, vt veram amici cauſam eſſe malit: & vt perorādæ liti tempus, quoad per leges liceat, accommodet. Cum verò iurato dicenda ſententia ſit, meminerit Deum ſe adhibere teſtem: id eſt (vt arbitror) mentem ſuam: qua nihil homini dedit Deus ipſe diuinius. Itaque

prę-

præclarum à maioribus accepimus morem rogandi iudicis (ſi eũ teneremus) quæ ſalua fide facere poſsit. Hæc rogatio ad ea petinet quę paulo ante dixi, honeſta amico, à iudice poſſe concedi. Nam ſi omnia facienda ſint, quæ amici velint, non amicitiæ tales: ſed cõiurationes potius putandę ſunt. Loquor autem de communibus amicitijs: nam in ſapientibus viris atque perfectis nihil poteſt eſſe tale. Hæc Cicero, ac poſt paulo ita ſubdit. Cum autẽ in amicitia, quæ honeſta non ſunt poſtulabuntur, religio & fides anteponantur amicitiæ: ſic habebitur is, quem exquirimus, delectus officij. Quo circa non ſine cauſa ſeniorem illum Catonem dicere ſolitũ legimus: Magiſtratũ aut Iudicem, nec pro Iuſtis orandũ: nec pro Iniuſtis exorandũ eſſe. Turpe quippe fuerit, ad id velle precibus allici: quod præcipiente lege facturus ſis: vel in eo contra rogationibus victum acquieſcere: quod fieri vetat lex: cuius Magiſtratus omnis, fidelis debet eſſe adminiſter. Compertum igitur atque exploratum iam eſt, quatenus ſit amicitiæ dandum.

N. CVM AVTEM ſumma & integritate, & innocentia animi magiſtratum vel iudicem præditum eſſe oporteat: ſumma ope nitetur, vt in cognoſcendis cauſis: ſententijſque ferendis, Suum cuique Ius reddat non inultus: & à legum ipſarum voluntate præſcriptoque non abhorreat, ratus, id quod res habet, diiudicandis hominum cauſis: controuerſijſque cenſendis Deum ſemper adſtare præſentem.

Quippe, vt rectè Ouidius ait,

" *Aſpiciunt oculis ſuperi mortalia iuſtis.*

Ex alto cuncta proſpicit Olympo Deus: cauſarumque non rectè à mortali Iudice Iudicia vel examina facta, peſſundatam innocentiam, illatamque inſonti iniuriam vindictæ memor aſpicit: Sceleriſque nihil relinquit inultum. Quod mihi Charoneus Plutarchus prudenter ſentire eſt viſus. Is enim eo in libro, cui titulum fecit de his, qui tardè à numine corripiuntur, Cleonicem refert Byzantij liberam virginem à Pauſania conſtupratam ad extremumque occiſam: conſtupratori ipſi per quietem ſæpe viſam, ſententiam hanc carmine concinetem,

" *Adſis Iudicio: mala res iniuria valde eſt.*

Sic igitur habendum eſt, Summi ac præpotentis Dei obſtrictum atque obnoxium ſemper illum manere Iudicio, qui præter Iura & fas, præſcriptamque æqui regulam: quidpiam fecerit: aut in amici fauorem iniuſtè aliquid turpiterque indulſerit. Cuius quidẽ ſententiæ haud ignarus videri Cicero poteſt, qui in præclara illa pro Aulo Cluentio habita oratione, ſiue opinione illos Iuſtitiæ tacitè cohortans: ſiue quia reuera tales eos eſſe ſentiret, Ita Iudices ipſos alloquitur. Non enim debeo dubitare Iudices, quin ſi qua ad vos cauſa huiuſmodi delata ſit, eius, qui lege non teneatur. Etiam ſi is inuidioſus, aut multis offenſus eſſe videatur etiam ſi eum oderitis, etiam ſi inuiti abſoluturi ſitis, tamen abſoluatis, & religioni potius veſtræ, quam odio pareatis. Eſt enim Sapientis Iudicis meminiſſe ſe hominem: cogitare tantum ſibi à populo Romano eſſe permiſſum, quantum commiſſum, & creditum ſit: & non ſolum ſibi poteſtatem datam verũ etiam fidem habitam eſſe meminiſſe: Poſſe, quem oderit abſoluere: quem non oderit condemnare, & ſemper non quid ipſe velit: ſed quid lex, & religio cogat, cogitare. Animaduertere qua lege reus citetur, de quo reo cognoſcat: quæ res in quæſtione verſetur. Quum hæc ſunt videnda, tum vero illud eſt hominis magni Iudices atque ſapientis: quum illam iudicandi cauſa tabellam ſumpſerit, non ſe putare eſſe ſolum: neque ſibi quodcumque concupiuerit, licere: ſed habere in conſilio legem: religionem, æquitatem, fidem: libidinem autem, odium, inuidiam, metum, cupiditateſque omnes amouere: maximeque exiſtimare, conſcientiam mentis ſuæ: quam a Dijs immortalibus accepimus. Quæ à nobis diuelli non poteſt. Quæ ſi optimorum conſiliorum atque factorum teſtis in omni vita nobis erit, ſine vllo metu & ſumma cum honeſtate viuomus. Quid his præclarius? Quid iuridiciali hac cõſilij formula, & iudicij regula ſanctius. Etenim magnum quiddam, maiuſque quam vt dicendo explicari poſsit (vt præclarè à Seneca loco quodam eſt dictum) Nimę eſt hoc. cui naſcendo operam damus. Huic nos approbemus: nam parum prodeſt occluſam habere conſcientiam: patemus Deo.

HÆC, hæc profectò ſumma virtus eſt, pro uinciarumque omnium rectè gerendarum certus ac verus ſcopus! Cui quò ſe magis quiſque adaptauerit ac velut conſtrinxerit: quicquid erit ſuſceptum, honeſtius, laudabilius, honorificentius, actandem ſine inuidia geret, & quando, vt præclarè idem pro Publio Quintio ait, Omnes, quorum in alterius manu vita poſita eſt, ſæpius illud cogitant: quid poſsit is, cuius in ditione ac poteſtate ſunt: quam quid debeat facere. Etiam atque etiam conſiderare debet, ne

Poteſtate ſua abuſus eſſe videatur: dũ licere ſibi quæ poſsit, exiſtimat. Ac non tam exacto iudicio quam ſubita affectione: animi ad id quod libitũ eſt, amẽs ac pręceps fertur. Quod quidẽ vitium effugiet facile, ſi legem in conſilium adhibens, ac ſui memor officij, ciuitatis perſonam ſe gerere intelligat: illius & decus & dignitatem ſuſtinere. Oportereq; idcirco, ſeruare leges, iura deſcribere: & ea fidei ſuæ commiſſa eſſe meminiſſe: ab hoc pręſcripto cuncta demum debere agere, proprio nihil arbitrio relinquentem. Quæ vbi fecerit, non minus magiſtratu dignus, quam vir probus & integer vulgo putabitur: criminibuſq; cenſendis peridoneus. Volens igitur, ac non inuitus legis ſeſe miniſterio mancipabit: nõ vltra cõmodaturus cuiquam quam lex & ęquitas feret: ac ſua cuiq; Iuſtitia ſuffragabitur. Illudq; pluries expendet: vt ab ijs etiam peccatis abhorreat: quę in alijs non magnopere culpantur. Quaſi enim ſpeculum Synceriſsimũ limpidiſsimumq; eſſe debet, in eo ſeſe cõtẽplãtium, germanam figuram natiuamq; formam exhibens. Cumq; moribus ciuium pręeſſe, corripere ac carpere alios debeat, interdũ etiam punire, vigilandũ ſibi aſsiduè eſt, ne ad aliorum errata expergefactus: ſuis ipſe vitijs indormire videatur. Impudenter enim aliena flagitia vindicat: qui ſuis ipſe modum nequit imponere. Verũ igitur Plautinũ illud eſt. Qui alterũ incuſat probri: ipſum ſe intueri oportet. Vnde nõ immeritò Cicero, animo velut permenſus, quàm ſit difficile aliorũ rectè & vitã & mores reprehendere: nulli tantam prerogatiuam cõcedi fas eſſe cenſet, niſi vitam ipſe ſuã prius compoſuerit, ſordeſq; ac labes animi oẽs abſterſerit. Legẽ enim (inquit) ſibi ipſi indicunt innocentię, cõtinẽtiæ, virtutumque omnium, qui ab altero vitæ rationẽ repoſcunt. Atque eò magis, ſi id vt ante dixi, faciunt nulla re commoti alia quam vtilitate communi. Nam, qui ſibi hoc ſumpſit, vt corrigat mores aliorum, ac peccata reprehendat: quis huic ignoſcat, ſi qua in re ipſe à religione officij declinarit. Qua propter, hoc etiam magis ab omnibus eiuſmodi ciuis laudandus, ac diligendus eſt, qui non ſolùm reipublicæ ciuem improbum remouet: verùm etiam ſe ipſum eiuſmodi fore profitetur ac pręſtat, vt ſibi non modò communi voluntate virtutis atque officij: ſed etiam vt quadam magis neceſſaria ratione rectè ſit, honeſtèque viuendum. Hactenus. M. Cicero. Ex quibus, Magiſtratus, Iudex, morumque pręfectus, alienæ ve reprehenſor vitæ, quam in omni vitæ actione circumſpectè verſari debeant: haud eſt obſcurum cognoſcere.

Hinc eum qui publicis rebus pręficitur, longè alium à priuato & viuere & eſſe debere, veterũ Sapientum: celebriũq; virorum ſatis conſtat exemplis, dum, quę priuatum deceant: ea interdum Imperatori, duci, ac magiſtratui non conuenire, factis ipſis demonſtrant. Sic & Pericles collegã in pretura Sophoclẽ egregio forma puero, opere nimio intentum: ſpeciemque illius ſubinde commendantẽ, grauiter increpans, dixit. ô Sophocles! pretorẽ decet non manus tantùm: ſed & cum oculis linguam habere continẽtem. Sic Aphricanus ille Scipio, qui Carthaginem atq; Numantiã, infeſtiſsimas Romano Imperio vrbes deleuit: cum annorũ vix eſſet quatuor & viginti, ex oppreſſę Carthaginis pręda à militibus ſibi adductã puellam oris pulchritudine mirabilẽ, imperatorię virtutis gnarus, tangere noluit: ac libenter, inquit, acciperẽ ſi priuatus eſſem: non imperator. Sic & Athenienſium dux Themiſtocles, vbi aduerſus Barbaros Marte eſt fœlici pugnatũ: mortuũ hoſtem monili ac torque, ornatuq; cętero pretioſo valde conſpicatus: ad amicum, qui ponè ſequebatur, conuerſus: Cape, ait, hęc tibi: tu enim Themiſtocles non es. Quocirca non abre factũ ab illis eſt, qui turpes magiſtratuũ delicias, probroſamque vitę licentiam, communi diſciplinę incommodam atque damnoſam, impunè paſsi non ſunt. Etenim Flauius Veſpaſianus adoleſcenti cuipiam ob impetratã pręfecturam gratias agenti, quia vnguentis, quibus erat delibutus fragrabat, grauiter ſuccenſus, nutuque contempſit aſtantem: acriterque increpuit: & quàm mallem (inquit) allium oboluiſſes! Honoriſque tam perperam collocati pœnitens, conceſſas protinus literas reuocauit. Sic etiam nobilis ille Alexandri pater rex Macedonum Philippus, cùm ex Antipatri amicis Iudicum numero aſcripſiſſet quendam: vbi capillos ac barbã tinctura nouit inficere: magiſtratu abdicauit, illud ſubinde dictitans: qui in capillis fidus non eſſet: in rebus eum publicis gerendis haud quaquam dignum videri, cui fides haberetur. Declarans interim quanta cura ac ſollicitudine principes viri eniti ac contendere debeant, vt cognoſcendis cauſis viros ſemper pręficiant incorruptos. Nihil enim peſtilentius eſt, quam improbis commiſſum regimen. Cuius rei ſi neque obſcura neq; incerta eſt fides: quin multorũ potius dãno ac malo ſępe perſpecta: nihil profecto apud Deum erit punitius, quem ſupina & craſſa

his

his in rebus principum negligentia. Nos autẽ
munera non obiti commiſsi, quod à patria
nobis erit indictum, eo debemus animo ſuſ
cipere: vt in corruptè & ſanctè geramus. Ne
ſitque arbitremur exiguum tanquam, mi
nutumque deſpicere: quod illius eſt vſibus
neceſſarium. Id ſiquidem boni viri iudiciũ
eſt, patriamque ſuam amantis officium. Qua
in re preſto eſſe debet fortiſsimus ille dux
Epaminũdas, qui per inuidiam deſpectimq;
Thebis decretus Thelearchus, cui magiſtra
tui rudera & ſtercora ex angiportis eijciendi
tantum cura erat, vile & abiectum munus
non faſtidiuit: dictitans illud crebrò. Non ſo
lum magiſtratu virum oſtendi: ſed magiſtra
tum etiam viro. Quam pręfecturam tam geſ
ſit ſplendide atque honorificè, vt viris ſum
mis dignam & exoptabilẽ prorſus effecerit.
Quo & ipſo munere adeo non eſt offenſus.
Plutarchus vir non tantùm ſapiẽtia magnus:
verum etiam Traiani Imperatoris laudatiſsi-
mi pręceptor nobilis, vt id ſe geſsiſſe nõ pu-
duerit: ſed in Politicis potiꝰ ingenuè ſit pro
feſſus. Sic & Damonidas à chori magiſtro lo
co ſibi inter extremos atque infimos conſti-
tuto: euge ô Chorage, ait, excogitaſti planè,
quo pacto & hic ſit poſt hac in honore locꝰ,
qui vilis antea atque humilis putabatur. A
geſilaus preterea feſtiuitate quadã celebri,
qua Spartani pueri exercebantur: quum ſibi
jam tum regi deſignato, parum honeſtus lo
„ cus eſſet decretus: offenſus non eſt, ſed ne-
„ gotij prefecto accito: re ipſa indicabo, ait
„ non locum viris: ſed viros loco conciliare
dignitatem. Longè mehercules ab illorum
diſſentiens opinione, qui probro ſibi ac deſ-
pectui videntur habiti, niſi pręcipuis atque
honorificis locis à clariſsimis viris ſeſſum re
cipiantur: Iniuriaque ſe eſſe arbitrãtur affe-
ctos, ſi honeſtiſsima queque ciuitatis mu-
nera eis commiſſa non ſunt. Perinde quaſi
Pretura & conſulatus atque omnia alia hu-
iuſcemodi (vt rectè Salluſtius ait) per ſe ipſa
clara & magnifica ſint: ac non perinde habe
antur: vt eorum, qui ea ſuſtinent, virtus eſt.
Quod cũ intelligeret M. Cicero, magiſtra-
tumque commiſſum (ni optimè geras) non
tam dignitati quam dedecori eſſe perſpice-
ret, O Dij immortales (inquit) quid intereſt
inter mentes hominum & cogitationes! Ita
mihi meam voluntatem, ſpemque reliquę vi
tę veſtra populique Romani exiſtimatio cõ
probet, vt ego quos adhuc magiſtratus po
pulus Romanus mãdauit, ſic eos accepi, vt
me omnium officiorũ obſtringi religione
arbitrarer. Ita queſtor ſum factus, vt mihi ho
norẽ illum tum non ſolùm datũ, ſed etiam
creditum, ac cõmiſſum putarẽ. Sic obtinui
queſturam in prouincia Sicilia, vt omnium
oculos in me vnũ cõiectos arbitrarer: vt me
queſturamq; meã quaſi in aliquo orbis ter-
ræ theatro verſari exiſtimarẽ: vt omnia ſem
per, quæ iucunda videntur eſſe, non modò
his extraordinarijs cupiditatibus, ſed etiam
ipſi naturæ, ac neceſsitati denegarem. Hacte
nus non ſolum quales eſſe magiſtratus opor
teat, ſed & quæ huiuſmodi omnium mune-
rum natura ſit oſtendi etiam.

NVNC extrema velut in pagina illud quoq;
admonendum eſſe viſum eſt: vt in cõmittẽ-
dis magiſtratibus, honoribuſq; mãdandis: à
Carthaginenſibus multũ & diu moris obſer-
uati maximè meminerimus: qui non ſolùm
optimos ſed & ditiſsimos magiſtratibus ad-
mouebant: fieri nõ poſſe exiſtimantes, vt re-
ctè atq; incorruptè magiſtratum gereret, qui
paupertate premeret. Vnde nõ iniuria Æmi-
lianus ille Scipio, cùm Seruius Sulpitius Gal
ba, & Aurelius viri cõſulares in Senatu cõtẽ-
derent, vter eorũ in Hiſpaniã contra Viriatũ
mitteretur, vt neuter mitteretur obtinuit, di
cens, Alter nihil habet: alteri eſt nihil ſatis.
Æquè malã, vt Valerius ait, licentis imperij
magiſtram iudicans inopiã: atq; auaritiã. Sed
de hoc paupertatis genere toto, quid hîc opĩ
nandũ ſit: ex his, quę de paupertate ſupradi-
cta ſũt, cõſtare poteſt. Nihil enim vetat, quin
pauperes multi morati rectè ſint, & honeſta-
tis atq; virtutis in primis amantes, quibꝰ vir-
tutibus in magiſtratibus decernendis: votis
fauendũ eſt. Reliquum illud eſt, vt admini-
ſtrationem populi capeſſcẽti, reſq; publicas
obeũti, Ciceronis hęc verba ſemper in prõp
tu ſint: qui officiorum primo ita loquitur.
Omnino qui reipublicę pręfecturi ſunt, duo
Platonis pręcepta teneant. Vnũ, vt vtilitatem
ciuium ſic tueantur: vt, quicquid agunt, ad
eam referant, obliti cõmodorum ſuorũ. Al-
terũ, totum corpus reipublicę curent: ne, dũ
partem aliquam tuentur reliquas deſerant.

PORRO quãdo ita natura, neq; id ſanè im-
meritò, cõparatũ eſt, vt quæ nſa culpa errata
accidũt, nobis imputẽtur: quibus rerũ publi
carũ pręfecti miniſtris vti debeant: breuiter
dicẽdũ eſt: ne hãc quoq; partem videamur
omiſiſſe, multæ nãq; breuitatis ſtudio, ex in
duſtria & cõſultò relinquũt, quã in re ad vn
guẽ eſt Cicero ſeruãdus: qui hoc ipſum con
tra Verrẽ apud Iudices excutiẽs, ſic ait, Qua
de re Iudices vobis magnopere prouidendũ
eſt. Pertinet hoc ad ſummã reipublicę, & ad
exiſtimationem ordinis: ſalutemq; Sociorũ

[illegible] existimabimus non solum nos abstinentes, sed et alios co[illegible] opera tanta danda est; vt eos nobiscum ducamus, qui [illegible] consulant: deinde si in hominibus eligendis nos species [illegible] fefellerit: vt vindicemus, [illegible] faciamus.

N. [illegible] arbitremur, [illegible] quidem, vt [illegible] quoq; multa [illegible] politicis rebus muneribusq; districto, vt [illegible] nihil est, ita neq; esse pr[illegible] credendum est. Etenim [illegible] habendus est; qui quod pro[illegible] impunè permittit fieri: bonus [illegible] non est, qui in publicis officijs ob [illegible] & opera malorum hominum fungitur.

NICETES.

[illegible] quidem vera Philomon, mihiq; prorsus grata videre namq; videor, quam sint bonis vtilia & fructuosa futura: quorũ mens omnis rerum huiusmodi indagandarum cupiditate summa ducitur. Atque ideo id muneris affectantibus viris diligenter vsq; considerandũ est; ne ijs antea implicentur, quã perspecta & cognita habeãt: sed exoluendis pollicitis suppresse adhuc vides multa. Quare ad ea quæ restant, properantius ito: cœptamq; Fortunæ bonorum seriem, præscripto exequitor ordine. Neq; enim minus terminata de opibus audire cupio partem, quam paulo ante amabam secundam. Quamquã de illis quid ipse dicturus sis nõ video. Ac ne possum quidem conijcere, quæ te causa mouerit, vt opes ipsas à diuitijs seiungeres cum [illegible] eadem re vsurpentur passim. Quod si ita est: vereor, ne Peripateticos cum [illegible] veteri illa Academia, nõ tã rerum quam verborum (vt professus idẽ) bellum videaris inisse. Nam, [illegible] quibus opes sunt, diuites eosdemq; etiam opulentos dicimus ab opibus nomine tracto, inque eo sępe ipse confunderis; haud decuit diuitiorũ [illegible] quod vi erat sua ac natura coniunctum [illegible]

PHILEMON.

Non [illegible] Nicete. Antisthenis illud laudari vulgo solet [illegible] [illegible] amicos inimicos [illegible] aeribus inimicis. Propterea quod alij [illegible] peccantes admonent, hi [illegible] maledicunt, à vitijs reuocarent. Vnde [illegible] perspectum est, non minus vtilitatis ac commodi, [illegible] inimicos [illegible] quam [illegible]

[illegible] Dum enim qui pessimo [illegible] animo affecti sunt, dictò velut [illegible], siquid est flagitijs infectum, [illegible] risui subsannationi [illegible] imminentes. Nos ipsi contra vitæ nostræ actiones late videq; exquirimus: moresq; componimus, admurmurationes [illegible] timentes: [illegible] etiamq; subtrahentes [illegible]. Vnde enim prorsus multi, atque [illegible] carere, quidam arbitrati sunt miserum. Quæ enim (offendere veritus) vitiose [illegible] amicus perbelleque dissimulat, hæc sæpe inimicus graphicè depingit, significanter exprimit, fructuoseque profert in lucem, modò exordes supinique ne simus. Id quod in opere, quod de vtilitate ab inimicis capienda inscriptum ab illo est, declarauit egregiè Plutarchus. Sic [illegible] acerbitatis suæ effundere virus cupientes, [illegible] nostræ vulnere patefacto, nocere nobis inimici arbitrantur, prosũt maximè. Quemadmodum, dum a syncèris minimeque subdolis amicis corripimur, veros ac solidos fructus amicitiæ carpimus. Fugiendum namque quod est, addiscimus [illegible] diligens opera, debet amanti. Non enim [illegible] ex animo, qui in vitia labantem, peccantemque amicũ admonitione sola emendare cum possit, sinit irreprehensum. Nunquam igitur vulgare illud inducem

Cur ego amicum
Offendam in nugis? hæ nugæ seria ducent
In mala derisum semel, exceptumq; sinistrè.

Quo circa, tua mihi admonitio vel iucundã maximè vim esse declarat [illegible], quantã sit ab animi integritate profecta. Atq; ego quidem in ea semper sententia fui, vt nõ minus & admoneri, & reprehendi, quàm in loco laudari amici hominis esse decernerem. Sed vt hæc placidè accipere amicũ par est: ita in eo, quod notere (si modo possit) deprecari culpam, illiberale non debet vel indignum videri. Nam, quod ais, non debuisse me diuisione secernere: quod sociũ erat vi & natura coniunctum: in eo fortasse reprehendi non debeo: qui vel hactenus peccarim nihil. Vel si [illegible] quidquam commissum est; cum magnis cætero qui viris vitium habeam commune. Qui, si, qui in omni disciplinarum genere peritia ac dignitate præditi sunt: nostræ [illegible] ad te accesserint culpæ defensores, nõ vereor, quin [illegible] pro noxa impetrem gratiam. Aut, si durum te inexorabilemque præbeas: peccatum à nobis nihil esse, [illegible] facile sit. Etenim Cicero ipse, cuius multiiuga eruditio [illegible] v-

rum ſuo dominio oppleuit, tenerrimaq; ip-
ſum orbem peſtrauerit, latiſſime peru-
garet: quinto de bonorum malorumq; fi-
nibus libro, inter Fortunæ bona, diuitias ho
nores, opes, commemorat: planè non di-
ſtinctas, ſeparaturus vt à diuitijs, ſi ambo
bus viſeret, in hominibus ſignarentur. Non
enim [illegible] rei vaſto homine repe
[illegible] philoſophoq; præſtanti, tan-
quam ſi eſſet [illegible] membra ſigillatim circū
ſcripta, niſi aliud quiddam virtutes eſſe per
ſpiceret, [illegible] atq; ſeiungi à diui
tijs [illegible] recte poſſet. Quod item fe-
cit libro officiorum primo cum ait, Nā reg-
na, imperia, nobilitates, honores, diuitiæ,
opes, eaq; quæ ſunt his contraria, in caſu
ſita, temporibus gubernantur. Idem præ-
terea eo in libro, qui ab ipſo eſt Lælius in-
ſcriptus, de amicitiæ præſtantia diſputans:
cum reliquarum omnium collatione, quā-
tum cæteris rebus amicitia excellat, cupit o-
ſtendere: deinde, inquit, cæteræ res, quæ ex-
petuntur, opportunæ ſunt ſingulæ, rebus fe-
re ſingulis: diuitiæ, vt vtare; opes, vt colare:
honores, vt laudere: voluptates, vt gaudeas:
valetudo, vt dolore careas & muneribus fun-
gare corporis. Amicitia plurimas res conti-
net: quoquo te verteris, præſto eſt. & cætera
quæ ſequuntur. Eſt namq; locus in promp-
tu. Quæ autem idcirco breuiter perſtrinxi-
mus, quum hæc noſtra ſcripta inciderint: diui
tiarum itaq; opum ſeparationem: vel à Cice-
rone [illegible]: vel à [illegible] arbitren
tur in [illegible] Cæſarem Fabiumq; prætereo,
& enim Ouidium Maronemq; quorum id ſæpe
clare teſtantur ſcripta. Sed nihil eſt omnia
perſequi, nec [illegible] ſat enim eſt, admonuiſſe:
cum Ciceronem Cæſarem ipſumq; etiam Fa-
bium à diuitijs interdum opes ſeiunxiſſe.
Porrò [illegible] temeritatis
[illegible] videat, quàm conſideratè pa
[illegible] differentem: [illegible]
[illegible] viris inde
[illegible] opinionem [illegible]
[illegible]
[illegible] poſſe do-
[illegible] quiſque [illegible]
[illegible] quam quid [illegible] incommode dici
poſſit, conſiderandum eſt. [illegible] cum
huiuſmodi virorum, [illegible]
docuit, veſtigia atq; exempla [illegible]
ſe etiam honeſtius [illegible] exigi-
tur de opibus pars [illegible] poteſtatem quandam
reiq; efficiendæ facultatem amplectitur [illegible]
Quale eſt etiam illud eiuſdem M. Cicero-
nis eodem officiorum primo libro. Expetũ

[illegible] autem diuiduntur ad vſus vitæ neceſſa-
rios, [illegible] ad perfruendas voluptates. In qui-
bus autem maior eſt animus, in his pecuniæ
cupiditas ſpectat ad opes, & ad gratificandi
facultatem. Item eiuſdem Ciceronis ibidem
in hanc ſententiam eſt quoq; præclarum &
illud. Exiſtunt in republica plerumq; largi-
tores & factioſi, vt opes quam maximas con
ſequantur, & ſint vi potius ſuperiores quam
iuſtitia pares. Sed profectò, totum hoc plus
habet in explicatione verbi curioſitatis atq;
moleſtiæ, quam re ipſa difficultatis. Nam &
gratioſos, potentesq; viros: qui ſuis ipſorum
copijs præſidijsq; valent, etiam aliorum ope
nulla expectata magnis opibus præditos vul
gò dicimus. Inſignimus pariter & illos hoc
nomine, qui propter maiorum claras imagi-
nes certa quædam generis habent ſubſidia.
Qui & ipſi, cenſu licet pauperes, opibus va-
lere putantur: ob eam affinitatem & cogni-
tionem, quam cum potentibus habent, viriſq;
principibus. Quod genus hominum factio-
ſis ſtipendiarijſq; in oppidis, quanto Fortu-
narum penuria, & rei familiaris anguſtia ar-
ctius premitur (ſimulac ciuilia ad arma diſ-
cordiæ æſtu aliquo cœptum eſt cani) tanto
infeſtius, truculentius atq; acrius in aduerſæ
factionis gentem, miſeramq; plebem furi-
bundo quodam impetu atq; rabie animi ſo
let inſurgere. Quos illi homines ad exhau-
riendas aduerſariorum opes, eludendamq;
potentiam inimicorum, emiſſarios habent
paratos. Neq; enim tutum eſt viro potenti
famelico cum nobili congredi: quem ad cō
temnenda pericula, quæ alij maximè perhor-
reſcunt, domeſticarum deſperatio rerum
animoſum facit & liberum. Verum enim
verò, quando ſimilitudine quadam, affinita
teque contigua tum diuitijs opes coniun-
ctæ ſunt: de quibus antea à nobis dicta ſunt
multa. Ne vel inculcare videar, vel iterare
frigidè, vel [illegible] repetere: Locus tantum at
tingendus eſt, ac ſummo veluti digito oſtē-
dendus. Vt intelligamus varijs perinde caſi-
bus humanas opes eſſe ſubiectas, atq; diui-
tias ipſas: quibus labefactabile magis atque
caducũ nihil eſſe poſſe iam diximus. Quum
infeſtante Fortuna ſæui turbinis inſtar qua-
ſi verſa agantur: ac ne exiguum quidem tem
poris punctum, ſui permittant ſecuritatem.
Creſcente ergo potentia: ſenſim interim cō
docefaciendus eſt animus: ne proſpero hu-
manarum rerum ſucceſſu, improba vel ela-
tione turgeat: ac præter modum inſoleſcat.
Refertæ ſiquidem non veterum tantùm hi-
ſtoriæ ſunt, ſed & noſtri quoq; annales tem

porum, miſerando atq; infœlici eorum interitu: qui Dij quidem in terris ad tempus ſibi eſſe videbantur. Quorum de induſtria prætermittam exempla, ne tam cæteros humanarum rerum vel expertes vel ignaros videar fingere: vt in communi malorũ area, quibus mortalium vita latè vndique circũfuſa eſt, vel exemplis egere aliquem: vel ſuã cuique calamitatis atque incommodorum partem deeſſe poſſe deliberẽ. Sed iam aliò hinc diſcedere opportunũ eſt; ne plus æquo eiſdem ſemper rebus dicar inſiſtere.

NICETES.

FACIS profectò probe: nam & diuitiarum atque opum natura oſtenſa, ad ea quæ reſtãt explananda, tranſire commodiſsimum eſt. Neque enim quæ ſuperſunt, leuia ſunt: ſed grauia & ardua in primis: attamen neceſſaria cognitu. Propterea quod earum rerum cupiditas, clariſsimorum quorumque hominum animis inhæret maximè: ac quò quiſque altiori animo præditus eſt, ad ea conſequenda auiditatis maiori flamma incenditur. Quis enim celebritatem contemnit famæ? generis paruipendit præſtantiam? regna ve aut imperia faſtidit? Ac non potius tantarum rerum ſplendore attonitus; difficilia extremaque omnia libenti animo ſubit? dummodo his liceat aliquando potiri? Nobilitari ſiquidem omnes volunt: ipſaque ad claritatem modo quodam natura impellit hominem. Hinc animus nunquam quieſcens, præſtantiſsimum quemque gloriæ ſtimulis agitat: natiuęque cupiditatis verbere ſolicitat. Sed regna & imperia in primis mortales ambiunt: ambitioſam geſtientes impunè exercere tyrannidem. Perinde quaſi, illud demũ regium ſit: libidine praua animi, imperioſaque licentia (cum tibi permittas omnia) minima quæque & acerbiſsimè & ſeueriſsimè in alijs, poſſe vindicare. Sed tu hæc videris: qui quarta hac in parte regna te atque imperia declarare es pollicitus. Mihi autem optatiſsimum eſt, quæ regni atque imperij quondam origo fuerit, ex te cognoſcere. Intelligereque erit iucundum, an infœlicitatis, beatitudiniſque parte ipſe ponas: vel regno poſſe vel imperio potiri. Multa etenim diſputari variè ſolent: dum beatius nihil eſſe multi autumant: alij contra nihil eſſe miſerius dictitant. Quibus in ipſis quæ tua vel ſententia vel opinio ſit; audire ſummè expeto.

PHILEMON.

NESCIUS licet non ſim, quàm ſit difficile quæ petis omnia præſtare: audendum tamẽ eſt: ac quoad eius fieri poſsit, pro viribus enitendum: ne vel cupiditati deſuiſſe, vel tuæ parum voluntati videar acquieuiſſe: cui equidem impenſè cupio ſatisfactum. Sed me profectò latè omnia vndique circumſpicientem non tam premit & angit ſuſceptarum impoſitarum ve magnitudo rerum, quàm quod te præſente mihi ſit de eis ipſis pleniùs aliquanto in præſentia diſſerendum. Vt enim præclarè dicebat Cæſar, illorum ſæpenumero mirari ſe impudentiam: qui in ſcœna agerent, geſtum ſpectante Roſcio: ſic ego mecum tacitus, meam modo quodam ſæpe demiror inſaniam: qui tam multa tandiu corã te viro tanto, impudenter effutiam: balbutiẽque meam non verear palam facere. Nam ſi, mihi apud agreſtes, vel indoctos fortè homines hæc fuiſſet oratio ſuſcepta; pulchrũ mediusfidius inſcitiæ noſtræ velamen ex illorum ignorantia verba noſtra nanciſcerentur. Nihil enim tam eſt facile, quam ruſticæ plebi imponere: & inter eos, qui parum ſapiunt, effigiem aucupari Sapientiæ. Qui mihi ſanè eſt prætextus omnis ereptus. Nam neque cum vulgo agimus: Neque ſimulare, ſi libeat, Sophias, apud te eſt deceptioni locus. Cui omnes erit explorare fucos peruiũ, calidamque fraudem percipere promptum. Quam obrem inter ſummum metum, pudoremque fluctuantem, me certè premit dira neceſsitas. Nam quò amor iubet, vetat ire conſcientia. Negare ille non ſinit: hæc tamẽ deterret, noſtræ memor infantię, atque viriũ bene conſcia. Quantum itaque ab amore & ſpiritus & animi mihi ſuggeritur: tantum cõtra extinguit atque obruit timor. Nam vt Caius Lucilius homo doctus & perurbanus dicere ſolebat, ea quæ ſcriberet, neque ab indoctiſsimis neque à doctiſsimis legi velle: quod alteri nihil intelligerent, alteri plus fortaſſe, quam ipſe de ſe: ſic ego, ſi iam mihi diſputandum ſit de his noſtris ſtudijs: nolim equidem apud ruſticos, ſed multo minùs apud te. Malo enim non intelligi orationem meam, quam reprehendi. Omnis igitur intuenti, ſola præcipientis authoritas ad dicendum facit animos. Qua equidem vna nixus, actiua maximè ſi etus humanitate: ſatiſfacere ſi minus potero; rabidos tamen detractorũ ictus, formidabileſque occurſus: & inuidiæ impetum omnem Vulcanijs veluti armis inſtructus, & inexpugnabili quodam clypeo coopertus, animoſè iam nunc excipiam: atque fortiter me ipſum (dimicans) propugnabo.

N. ardua & difficile eſſe Coram præſtantibus viris Magnis de rebus diſſerere

PRINCIPIO igitur, quantum memoria repetere vetera poſſum, à ſummo illo rerum

omnium

omnium opifice, ſatoreq; mundi Deo, or-
be creato: eorum, quę mundo cũ ipſo ſimul
exorta ſunt, imperium vni video per Deum
ipſum homini fuiſſe aſsignatum, & domi-
nium conſtitutum. Nec inuenio pręterea;
mortalium cuipiam in hominem aliquem,
vel imperij vel regni poteſtatem tunc con-
ceſſam fuiſſe.

De imp. origine humanatis, verũ

V N V S erat tantùm: atq; vnus cuncta tene-
bat. Felix abunde ſortitione imperij, condi-
tione vitę, fruitione Dei: ſi pręcepti memor
accepti ſanctam obſeruans legẽ, poſſeſsio-
ne ſibi tradita placidè acquieuiſſet. Sed am-
bitione miſer vana corruptus: tabifici dùm
ſerpentis ad hominis necem callidi, exitio-
ſis temerè monitis prębet aurem: ac pręter
fas doctior eſſe, maiorq; cupit: pręclara illá
ditione & ſpecioſo imperio ſubitò emun-
ctus; in hác eſt plagá orbis reiectus: vbi ſuę
ipſe temeritatis cõteſtim dãna ſentiret, quę
pridie illi ſuas opes affatim, idq; ſponte ſuę
gerebat, terrę contumaciam expertus: planè
q; iam, reſiduę ſiquid factum ſibi erat ditio
nis, à laboribus auſpicatus.

» *Sic omnia fatis*
» *In peius ruere, ac retro ſublapſa referri.*
» *Non aliter quã qui aduerſum vix flumine Lembum*
» *Remigijs ſubigit, ſi brachia fortè remiſit,*
» *Atq; illum in preceps prono rapit alueus amni.*

Ergo; tempore ab illo infeſtantium caſuũ,
calamitatum, atq; malorum ita hinc inde ſu
bitò eſt homo circumuallatus turba impro-
ba, & coopertus: vt ſi tantillum oculos deij
ciat, prementi ve rerum oneri pręimbellia
cedat; aut laboriuires tempeſtiuè parum rela
xet: ſtatim ſit poſſeſſo ab agro alio cõmigrã
dũ: vel ſupplantatus à ſuperiori è veſtigio in
telligat vulnus turpiter accipiẽdũ: & acerbiſ
ſimę, ac duriſsimę ſeruitutis infame iugũ, pro
tinus ſubeũdum: Neq; enim illi in poſterũ,
ſomnolentię, cunctationi, vel ignauię vllus
relictus eſt locus: Auaritia, Iniuria, fraude,
ac vi, miſerabiliter vndique cuncta deuaſtã
tibus. Ac tandem mõſtrifero Cerbero, Tar
tareo atque hianti ore dira omnia atque ſęua
comminante: Adeò, vt cum comico illo ſer
uo exclamare liceat, Enim vero Daue, nul-
lus erit poſt hác ſegnitię locus. Alioqui ac-
cipienda plagá, vel habẽdę compedes. Aut
vſque nobis eſt molendum in piſtrino. Sed
reuertamur ad cœpta.

P O S T P R I M I itaque parentis culpá (ob ve
titę arboris malè decerptos fructus) para-
diſo deliciarum exacti: primigeniamq; illam
innocentiá diſruptam; cum noua orbis fa-
cie: anteactęq, vitę longè diuerſa ratione,
noua ſimul hominum animos inuaſit am-
bitio: prolataq; ſenſim, longius eſt ſerpere
cœpta: ac tumido quodam arrogantię faſtu
certam quandam dominij formam induxit.
Obſcuramq; paulo ante, nulliq; mortalium
imperij cognitam ſpeciem inuexit: regniq;
paulatim adinuenit originem: cum nullum
antea fuiſſet: proprijque dominij inuſitata
poteſtas.

N. De Catechiſmo vniuerſali.

V N D E primi hominis filius Cain, qui fra-
tris ſui, viri optimi, Deiq; amantiſsimi ne-
fando eſt parricidio pollutus: ędificaſſe pri-
mus vrbẽ fertur, ex filij ſui nomine Enoch
dictá, in ea modo quodã imperare geſtiens.
Poſt inundationem autem orbis; qua ter-
ra eſt quinquaginta ſuprà centum dies aqua
rum fluctibus obruta. Nembroth fuiſſe pri-
mum perhibẽt, qui priſtinam imperij reno
uarit formá, ędificata turri Babel; vnde Lin-
guarum (quę hodie plurimę ſunt) nata con
fuſio eſt, dum vaſtę molis procero aggere te
merè putat, Cœli ſummum verticem poſſe
contingere: aſtriſq; par, caput ſtultum attol
lere. Itaq; regni ipſius originem ex ambitio-
ne atq; arrogantia; profectam fuiſſe conſtat.
S O L O tamen haud multis poſt ſęculis in me
lius eſſe imperij mutatam formam: ad impe-
randumq; eos potiſsimè fuiſſe delectos, qui
prę cęteris eſſent animi virtute conſpicui.
Cum enim quondam vel ſpeluncis horridis
vel cauis arborũ truncis homines habitarent:
pro iureq; manus eſſent; ac ferarum inſtar
vel immani morſu: vel vnguiũ ſęuo laniatu
ſuas quiſque controuerſias dirimerent: iu-
ris atque eloquij nulla certa forma pręſcrip-
ta: quibus Dei Optimi Maximi munere
datum eſt; vti ſupra communem (qui tunc
erat) ſeſe efferrent hominum captum, incul
tiſque ſub corporibus humani animi deli
teſcentem pręſtantiam perſpicerent: ij, im-
manes homines: barbaramque & intractabi
lem gentem cœpere primùm blandis verbis
affari: ex agreſti ferinoque victu, inhoneſta
tis virtutumq; notitiam pellicere; miteſque
factos condendis vrbibus, ſanciendis,
ſeruandiſq; legibus ſenſim inſtruere: eaque
omnia docere, quę verè ſunt homine digna.
Nam fuit quoddam tẽpus cum in agris ho-
mines paſsim beſtiarum more vagabantur,
& ſibi victu ferino vitam propagabant: nec
ratione animi quicquam ſed pleraq; viribus
corporis adminiſtrabant. Nondum diuinę
religionis, non humani officij ratio colebã-
tur: nemo legitimas viderat nuptias: non cer
tos quiſquam inſpexerat liberos: non Ius
ęquabile quid vtilitatis haberet, acceperat.

Ita

Ita propter errorem atq; inſcitiã, vt de inuentione rhetorica Cicero teſtatur, cœca ac temeraria dominatrix animi cupiditas, ad ſe explendam viribus corporis abutebatur perniciosiſſimis ſatellitibus: Quo tẽpore quidã videlicet vir magnus & ſapiens cognouit quæ materia eſſet, & quanta ad maximas res opportunitas animis ineſſet hominum, ſiquis eam poſſet elicere, & præcipiẽdo meliorẽ reddere. Qui diſperſos homines in agris & in tectis ſyluestribus abditos, ratione quadam compulit in vnum locum, & congregauit: & eos in vnam quanq; rem inducens vtilem atq; honeſtam; primò propter inſolentiam reclamantes, deinde propter rationem, atq; orationem ſtudioſius audientes; ex feris & immanibus mites reddidit & mãſuetos. Hactenus Cicero. Vnde (opinor) illa manarunt: quę de antiquis vatibus Ethnicorum priſca eſt ętas fabulata. Quippè (vt ait Flaccus):

Syluestres homines, ſacer interpreſq; Deorum
„ *Cædibus & victu fœdo deterruit Orphæus.*
„ *Dictus ob hoc lenire Tygres, rapidosq; Leones.*
„ *Dictus & Amphion. Thebanæ conditor arcis.*
„ *Saxa mouere ſono teſtudinis, & prece blanda.*
„ *Ducere quò vellet. Fuit hæc ſapientia quondam.*
„ *Publica priuatis, ſecernere ſacra profanis.*
„ *Concubitu prohibere vago, dare iura maritis.*
„ *Oppida moliri, leges incidere ligno.*
„ *Sic honor, & nomen.*

„ Atq; his nimirum de cauſis, qui ea tunc fuere animi elatione: vt temere illatas miſeris ciuibus propulſare iniurias poſſent, ac pari cunctos iure defendere: non ſolum principes conſtituti ſunt: ſed admirationi etiam magnæ, nõ iniuria fuere. Hinc comites, hinc duces, hinc reges, atq; monarchæ, orti ſunt: ſuperbaq; & inuidioſa poteſtatum aliarum nomina cuncta fluxere. Quo enim quiſque magis inſigni quapiam animi virtute pollebat, eo maiori apud vulgus dignitate fruebatur. Vnde obſeruari, coli ac ſuſpici illi protinus cœpti ſunt: quorum egregia animi elatio, altitudoq; mentis, virtutum multarum præſtantia euolare altius videbatur, ac reliquis anteire. Sẽper enim admirabilis homini virtus viſa eſt: honoréque illi digniſſimi iudicati, qui poſſeſſione eius excellerẽt. Nam & aliena arma timentes, eum ſibi ducẽ cupiebant: cuius ſtrenua animi virtute ac mirabili corporis robore, bellicas res omnes obire optimè poſſent: hoſtemque ſubigere. Ac ſi quando inter ciues de iure eſſet diſceptandũ: eum cognoſcẽdis cauſis pręficiebãt virum, quę gratia nulla, prætio ve corruptus, ſuum cuiq; Ius reddere nouiſſet: quique & ęqui & iniqui rationem probe teneret. Arbitrio ſiquidẽ boni & ſapientis viri exactius multo cauſę librabantur: finiebanturque proptius: quam vllis poſtea in ſubſellijs, Roſtris, Comitijs aut Curijs terminatę ſunt: aut apud Iudicũ tribunalia captioſis ſophiſticiſq; libellis hodie expediuntur: dũ verboſa, ex arteque compoſita litis conteſtatione, actio intentata perpenditur. Quid? quod ijs erat ciuium ſalus commiſſa, quos non tantùm foris ſapere: verùm ſuę etiam domi bene compoſitos eſſe videbant. Quibus ſponte iam ſua ſe ſe facile tradebant regẽdos, pro certo habentes, rerum ſummę per eos non improbe poſſe conſuli: qui domeſticos etiã intra parietes, tam ſapienter, caute, circumſpectéque viuerent. Quo factum eſt, vt qui virtute excellerẽt: in populo ſemper tenerẽt primas, principesque vulgò meritò vocarentur.

Hanc ob cauſam multi quoq; tempeſtate illa fuerunt: per quos cum humano eſſet generi optimè conſultum: qui non ſolũ principes aut reges habiti ſunt: ſed Deorum etiam filij crediti. Quos omnes grata hominum voluntas, beneficiorũ memor, in Cœlum fama ſuſtulit. Vnde vana ethnicorum de Dijs perſuaſio diſſipari cœpta eſt: viros ob res pręclariſſimè geſtas, immortalitate dignos: memorię hominum ſempiternę commendantium: diuinis, eis, honoribus decretis: quos ſupra homines, Deorum inſtar vixiſſe viderunt in terris. Sic Romulum vel Quirinum, ſic Liberum Patrem: ſic Herculem: ſic Caſtorem atque Pollucem conſtãti hominum famę aſſentiens ethnicum vulgus, ſumma pro Dijs religione coluit. Sic maiorum illos gentium Deos: ipſumque, ſi quęris, Iouem: quem eſſe aiunt Diuûm hominumque parentem, opinio eadem aſcripſit Cœlo. Quos omnes, mortales fuiſſe gręcę teſtantur hiſtorię: conditoriaq; Cretę, vbi cum alijs vi morbi abſumptus, Iupiter ipſe ſepultus eſt. Id quod antiquiſſimus ille author Beroſus Chaldę. memorię hominũ prodidit. Quam proculdubio rem Tuſculanarum primo ſignificauit M. Cicero, latenter ille quidem amentis populi veritus extrema ſupplicia, Sed in opere valde ſerio, ſub pontificis Cottę perſona de Deorum natura diſputans, euidentiſſimis argumentis plurium Deorum falſas ſubuertit religiones: Saturnum, Iouem, Neptunum, Apollinem, Mercurium, Vulcanum, Martem, qui apud eos ſunt, quaſi Deorũ omnium Coriphæi

ac

ac principes habiti, docés mortales fuiſſe: va rioque morti, genere affectos à ſuis quemque ciuibus fuiſſe ſepultos. Qui & ipſi in ſolatium ſublatæ per mortem virtutis ἀποθεώσεις ideſt deificationes, ſiue in Deorũ numerum relationes excogitauerunt. Quẽadmodum Græci Latiniq; authores memoriæ prodiderunt. Sic Romani veteres, Cæſares ſuos à rogo in Deorũ numerum referre ſolebant. Hinc Ouidij illud metamorphoſeos in extremo extat in laudem Augusti,

Tarda ſit illa dies, & noſtro ſerior æuo.
» *Qui caput auguſtum, quem temperat, orbe relicto*
» *Accedat Cœlo, faueatque precantibus abſens.*

» Hęc igitur virtutis certiſsima premia ſunt: vt quorum ipſa poſſedit vitam, illorum quoq; memoriã cõſecret immortalitati. Etenim, vt ait poeta quidam non inſuauis,

Delentur nullos hominum benefacta per annos.
Quæque licet faciunt nos ratione Deos.

Non itaque eſt dubium, quin ob virtutem, rerumq; à ſe geſtarum magnitudinem, veterum opinio ethnicorum, hominum ſatu editos, Deos tanquam ſuſpexerit: honoreque ac veneratione ſemper fuerit proſecuta. Licet hanc quoq; partem poetarum licentia corruperit: qui Deorũ plærosq; vitijs teterrimis infamarũt, adulteria illis, ſtupra ac fraudes, nõ ſemel obiectãtes. Qui, ſi tales fuerũt quales ipſi depingũt (cũ omniũ beatiſsimos) fœliciſsimos, optimosq; etiam Deos eſſe cõtendant, proprijs profectò confodiuntur armis: paſsim appellantes Deos, quos carminibus ſuis teſtantur eſſe vitioſos. Nil ſiquidẽ tam diuinæ naturæ repugnat, quam flagitijs vllis, aut ſcelere pollui. Sin autem iam inde à proauis per manus ſibi traditam fidem, veram eſſe opinantur: cõcedant neceſſe eſt, virtute meruiſſe, vt illorum Cœtui aſcriberentur, quos omnium & optimos & beatiſsimos ipſi quoque fatentur.

Relinqvitvr ergò, ob virtutem egregiaſq; humano generi inuectas commoditates, mite etiam placidumq; imperium, tanto quondam homines condecoratos fuiſſe honoris inſigni: vt poſteritatis opinione Dij fuiſſe crederentur. Quis enim neſciat, priſcis illis antiquisq; temporibus: quib' nõ tam hęreditate, quam virtute imperia dabantur: penes eos dumtaxat rerum fuiſſe gubernacula cõſtituta, qui vel honeſtate morũ, l. doctrinę pręſtãtia, l. viriũ magnitudine cęteris antecederẽt. Cum prępſertim illud tũc omnib' eſſet perſuaſum, rerũ habenis tractandis illũ prorſus inutilẽ eſſe: qui his non poſſet rebus excellere, quę in homine Iure laudantur. Vnde tempeſtate ea non ex ſuperbis maiorum titulis, fumoſis, antiquis ve parentum imaginibus, alienaq; virtute: ſed ex propria cuiuſq; celebritate famę: excellentiaq; virtutũ nobilitas ęſtimabatur. Eratq; ſua cuiq; dignitas non aliorum induſtria, ſed proprio &. ſudore & ſanguine parta: geſtiſq; claris comparata nõ indignè. Tantum ſiquidem nobilitatis quiſque habere putabatur: quantum & rerum ipſe geſsiſſet: commẽdari autem alienis factis velle, infame putabatur. Hinc, tãtum eſt virtuti fauoris impenſum, vt ex illius pręſtantia principes crearentur. Sic, non ſanguini. Sed virtuti regna erãt in medio poſita. Iſq; ſemper imperio deſignabatur, qui moribus eſſet compolitiſsimis: quiq; & imperare noſſet, & fręnare rabelles: iuſq; etiam ſeruare vnicuiq;. Vnde Gręcus author Herodotus Iuſtitię ergò, bene moratos quondam conſtitutos fuiſſe apud Medos reges, memorię prodidit: quam eandem cauſam in creãdis regibus Romanos quoque fuiſſe ſecutos ſecundo de officijs libro Cicero tradit. Cum enim, inquit Initio ab his multitudo premeretur, qui maiores opes habebant, ad vnũ aliquem confugiebant virtute pręſtãtem: qui, cum prohiberet iniuria tenuiores, ęquitate conſtituenda ſummos cum infimis pari Iure retinebat. Eademq; conſtituendarum legũ fuit cauſa, quę regum. Ius enim ſemper quęſitũ eſt ęquabile, neq; enim aliter eſſet Ius. Id ſi ab vno Iuſto conſequebantur, eo erant contenti: Cum id minus contingeret, leges ſunt inuentę: quę cum omnibus ſemper vna atque eadem voce loquerentur. Ergo, hoc quidem perſpicuum eſt: eos ad imperandum deligi ſolitos, quorum de Iuſtitia magna eſſet opinio multitudinis. Adiuncto verò hoc, vt ijdem etiam prudentes haberẽtur: nihil erat, quod homines his authoribus non poſſe conſequi ſe arbitrarentur. Imperatoriam itaque maieſtatem, poteſtatemq; regiã neceſsitas excogitauit humana: dum pręſidij cauſa viros delegit probitate inſignes, per quos à ſuperbè potentium iniuria, malorum inſultu, improborumque poſſet temeritate defendi. Nam licet tumida antea hominum quorundam ambitio imperij quandam induxiſſet formam: per ſummam tamẽ Iniuriam, vimque parere coactis ſpecies magis erat tyrannicę ſeruitutis obiecta, quam legitimi & moderati regni certa vlla ratio atque forma conſtituta.

N. Antiquus Imperia non languine ſed moribus fuiſſe delata.

A. L. neceſſariũ §. nouiſsima ff. de orig. iuris & in. l. ſ. ff de cõſti. principum.

Nicetes.

Vt tuam vbiq; doctrinam exoſculor, ſic & humanitatem ſemper amplector: qua vna du-

ductus tantum mihi vendicas, quantú nec mihi eſt credere tutum: nec cognoſcere ingenuum beneuolum tamen, quo pluris, ac ſum, æſtimor, animum non deſpicio. Illud ſed enim æquo vix animo ſuffero: qui tuam mihi & balbutiem & inſaniam excuſare pergis, cum ab his nemo vitijs abſit magis: ac contrarijs rurſum virtutibus abundet. Nam præter virtutes alias, quib' ore omniū te eſſe video iure prædicandum, Sapientia & facūdia animi vales plurimum. Vide igitur ne callidè apud me egiſſe æſtimere: qui eis te care re rebus aſſeras, quibus publicè etiā vel maxime commēdere. Quare, quos dicis fucos mihi eſſe explorare peruiū; ne facias, timeo: Cum tam artificioſe,& affabrè te mihi, quē latere nequeas, celare tentes. Sed fortaſſe tu blandiris amanti,meq; orationis dulciſsimo filo ad finem vſque de induſtria detines. Atqui, nihil iſthac aduerſus me opus eſt techna. Nam,cum meo ſuaſu rē ſis aggreſſus difficilem: ad audiendum laudibus excitari non debeo: quibus non tam equidem moueor,quam ſermonis tui optimo & ſuauiſsimo fructu. Quapropter, magnopere te hortor mi Philemon, vt in hanc fœliciter cœptam imperij partem incumbas: meq; earum omnium rerum facias compotem: quas à te rogaui antea. Ac de imperij quidem origine à te mihi ſatis eſt factum:nunc ad ea quæ reſtant,animo oportet accingi.

PHILEMON.

Maiora viribus ſuſcipere temerarium eſt: præſtare verò impoſsibile: tentabo tamen, quod prouerbio prohibemur, genio vim inferre;ne,bene ſperare cum liceat: præſumpta deſperatione timidus videar fuiſſe. Plærúque enim quod diffidas vincere, vt expugnes animoſitas facit: infractique animi non ignaua præſentia. Quando igitur ita iubes, non committam vt præſente parum animo hæc à me ſuſcepta fuiſſe, aliquando videantur. Noſti enim illud opinor.

Fors iuuat audentes, Cbij ſententia vatis.

Hac duce, non dubitem te reticente loqui.

Non igitur cunctationi, aut ſegnitiæ loci quicquam relinquendum eſt: quin noſtra ſeſe in eo poti' (quoad poſsit) acuet induſtria. Audacterq; , propitio Deo, ad ea quæ cupis accingar.

Vt declarem rogas de Imperio vel Regno quid ſentiam: fœlix ne & beatum putem potiri eo, an ſecus & contra exiſtimē. eſſe quippe ais multos, qui nihil beatius ſtatuant: rurſumque alios, qui miſerius nihil eſſe deliberent, huius me tam perplexæ, ſecumq; pugnantis ſententiæ diſceptatorem petis, cognitorem & iudicem. Quod, vt promptius meliuſque expediam: duplici iam ad dicendum exordiar via. Nam vel moderatum ac iuſtū conſtituam oportet imperium; vel fingam neceſſe eſt, imperatorem iniuſtum, ſuperbū atq; crudelem, ac ſibi quæ libeat omnia permittentem. Qua ſi mihi per te diſtinctione vti liceat, dubium non eſt, quin prompte & facilè ad ea quæ petis reſpódere poſsim: alioqui, vt præſtare valeam, ſummè mihi verendum eſt, NIC. Tu vero, vti voles, nā & ego nihil impediam, quo minus eo vtaris orationis genere, quod tibi erit viſum accommodatius. Intelligo tamen ſi verborum ſummā bipartitò diuiſeris: tyrannos & Reges te eſſe conſtiturum: quorum alteros docere poteris miſeros: alteros non inficiari eſſe beatos PHILE. Ita ne tibi videtur? NICE. Ita ſane. PHILE. Oratione igitur nihil opus eſt noſtra: vnico verbo tuo paratarum litium iam erepta controuerſia. NIC. Ex parte quidem lis videtur eſſe compoſita: atqui, inhærent radiculæ, fibrulæque ſuperſunt. Has per te nō amputari ſolùm, verum euelli penitus, eradicarique conuenit. Sed prius cognoſcere operæ pretium eſt, quos ipſe Reges appelles: quos contra tyrannos dictites. Quando huc præſertim omnis illa de moderato immoderatoque Imperio via redire videtur.

PHIL. Eſt quidem vt dicis, idq; præ ſe mea verba ferebant. Scies igitur, à me illos appellari Tyrannos, qui per vim & iniuſtè imperant: ciueſque ipſos ſpoliant, ac non aliorum ſed ſuis tantum proſpiciunt commodis: proſcriptione ſæua, quicquid vbiq; eſt lautum, ſibi adiudicantes. Eos rurſum Reges eſſe definio qui non tam ſuæ, quam reipublicæ ſeruiunt vtilitati: omniumque tranquillitati, concordiæ, ocio ac ſaluti conſulunt: æquas ferentes leges, vnde piè ac ſanctè vita poſsit inſtitui. Hos iuſtos & modeſtos, ac cum nulli cogantur ſeruire: vltro tamen, ſponteque ſua, cui obſequantur, dominam ſibi rationē adſciſcere: quæ honeſti amorē ſuggeret animo: & proprijs vitæ exemplis exhibitam, Iuſtitiam ſubditis præcipiat eſſe colendam. Iniuſtos illos & intemperātes, & à rationis præſcripto (quā hominibus cunctis legē ſanxit Natura) quam maximè abhorrētes, & vt paucis quæ ſunt ſumma, complectar. Regibus quid Fas, Iura atq; æquitas poſtulent, ſemper præ oculis eſſe: Tyrannis tale nihil placere: contrariaque omnia maximè eſſe cordi. Quippe quos perſpicuum ſit, libidine agitari; inſano animi impulſu moueri: Admiratio

Diſcrimen inter Regem & tyrannum.

ne nulla capi Iuſtitiæ, nulla legis obſeruatio
ne delectarii ac tandem ab illatione iniuriæ,
nulla neque iuſta hominum retardari quere
la, neque Diuûm formidine retrahi atq; im
pediri ſolere. Qua, qui rerum habenis ſuſcep
tis deprauatione erunt animi prędit:eos rite
Tyrannos appello. Cęterum animaduerten-
dum eſt, Tyrannos apud priſcos, eos etiam
dictos fuiſſe: qui omnem in ſubditos Impe-
rij poteſtatem haberẽt. Vnde (vt author eſt
Trogus) quęque ciuitas & gens, rerum pu-
blicarum Imperium ab initio penes Reges
habebat. Quos ad huiuſmodi faſtigiũ ma-
ieſtatis non popularis ambitio: ſed apud bo-
nos ſpectata moderatio prouehebat. Qui
& Tyranni ob fortitudinẽ vocabantur. Po-
ſtea verò malitia hominum pullulante huc
ſenſim Tyranni vox deflexa eſt, vt regnum
deſignaret iniuſtum: quemadmodum Plató
ille diuinus memorię hominum prodidit.
Nam ſimulac ſuperbi quidam rerum potiti
ſunt: ij protinus Tyranni ſunt vocari cœp-
ti, qui non iure & ęquis legibus, ſed vi atq;
animi libidine praua, inique dominabantur:
Vnde Demoſthenes inſignis orator, Tyran
num eum eſſe (iudicio meo) rectè definit
qui libertatis inimicus eſt, & legibus hoſtis.
Ac, Tyrannos quidem ipſos à Tyrrhenę gẽ
tis crudelitate dictos, quidã autumant. Sed
mihi non tam vocis etymologiam, quã po-
teſtate & vim declarare conuenit. Quę pro
culdubio, ex his quæ hactenus dicta ſunt,
liquere poteſt. Ac de nomine quidem hacte
nus. Illud miror, quî tam facilè adduci po-
tueris: vt beatos Reges eſſe decerneres. Qua
ſi vero neſciamus, Creſſum, Xerxem, atque
Darium magnos quõdam fuiſſe Reges, ſed
fœlices parum ac minime beatos: vt qui reg-
nis, opibuſque amiſsis, ſolio excelſo deci-
derint. Vt taceam interim de Priamo, cuius
miſeranda clades prouerbio locum fecit. Is
enim infœlicior Priamo vulgò dicitur cuius
res omnes parum ſecũdæ ſunt: lapſaq; tan
dẽ ampla Fortuna corruit. Quid alios com-
memorem, quorum Fortunam triſtem ſa
piens Tragœdia deplorat? Quid autẽ de ty-
rannis dicam? Omnes ne miſeri & infœlices
Tyranni? At quî, per ſcelus, ſummamque
Iniuriam Imperio violenter arrepto, Tyran-
nos quoſdam vitę fila non infœliciter duxiſ
ſe, memorię eſt traditum. Quæ ſi vera ſunt,
nec miſeri Tyranni putandi: nec beati om-
nes Reges cenſendi. N T C. Scio fœlicitatem
humanam tantã eſſe non poſſe, quin aliquã
do labefactari queat, corrumpi vel conteri.
Idq; hominum commune eſſe omnium: im
becillitatiſque noſtrę proprium habendum
eſſe naturę, equidem planè ſtatuo. Etenim
quotusquiſq; eſt, aut quis vnquã fuit, cui
ſuarum rerum futuram ſortem cognoſcere
ſit à Superis datum: pręſentiſq; adeo condi-
tionem ſtatu vel ad horam ſibi tutò pol-
liceri? Vt enim rectè Ouidius ait, cuius tu
valde appoſitè loco quodã carmine vſus es,

Ludit in humanis diuina potentia rebus: »
Et certam præſens vix habet hora fidem. »

Ita fit, vt ex humanarum rerum natura: quę
varia & caduca eſt, fœlicitatis atque miſeriæ
nulla ſit neq; certa verè conſtituenda ratio,
neque regula petenda. Sed prudenter intelli
gendum, Triſtia lętis: & lenibus aſpera poſ-
ſe mutari. Quippe, vt in Thyeſte ſcribit Se
neca;

Res Deus noſtras celeri citatas »
Turbine verſat. »

Atq; equidẽ vt de me, more ſenum, aliquid
loquar: euerſas meorum maiorum fortunas
vidi. Magnaq; momento obrui, viuendo di
dici, & quę depreſſa humi, iam proculcata ia
cebant: attolli rurſum perſpexi. Ac tandem
communis hominum ſortis, prout magis,
Deo eſt placitum, proſperitatem modò: mo-
dò calamitatem atq; miſeriam comitem eſſe
intellexi: & immobilẽ nunquã in terris ma-
nere fœlicitatem. Cunctorum enim homi-
num pariliter rotat Fortuna: ne ſcilicet ſuper
biat potẽs, aut abiectus, turpiter animo deſ-
ciſcat. Prouidentięque fit diuinę conſilio re
rum tanta mutatio: vt vtrique obuerſarię vi-
ciſsitudinis gnari: virtutis ſeſe ac probitatis
officio contineant. Iram Numinis vbiq; me
tuentes. Cuius placito (in vitę ſalutaris me-
dicinã) corruptorumque morum ſanationẽ,

Ima permutat breuis hora ſummis. »

Vnde nõ tam ex rerum humanarum conſtã
tia, quæ cur non conſtent iam vides, quàm
ex ſedato humanę mentis ſtatu, animiq; ha-
bitu parum turbido, hominis ſum dimẽſus
fœlicitatẽ. Cum ſignificare voluerim: eos,
qui verè Reges ſint, à beatitudine & fœlici-
tate alienos eſſe non poſſe. Nam ſi à regendo
dicti Reges ſunt (vt in hiſtoria de dictis fa-
ctiſq; Socraticis docet Xenophon) non niſi
rectè regẽdi peritia inſtructi, Reges ſunt ap-
pellandi. Conſentaneũ quippe fuerit, eum
qui alios regat: ſuam prius debere vitam re-
gere & habitum mentis inſpicere: ne in vitę
ratione alijs ipſe claudicare viſus ſit. Cum-
præſertim regium munus in ſubditorum om-
nium certum profiteatur regimen: ac regere
nequeat, qui ipſe nõ ſit dicto antea rationis
audiens. Quę qui erit affectione animi prędi
tus

tus (apud ſe prius regno conſtabilito) infœliciter quamuis res ſibi omnes ceſſerint, non infœlix debet, ſed beatus potius exiſtimari (licet fieri poſſe reuera dubitẽ) vt huic multa accidant ſiniſtra, qui tam fuerit rectè belleq́ue animatus, Beatum ſiquidem animus facit, non rerum euentus: aut Fortuna conſtituit. Beati igitur Reges, quorum omnis in virtute actio conſiſtit: & miſeri contra Tyrãni: quorum affectio mentis turbida: à virtute atque Iuſtitia diſiuncta vitæ inſtitutio eſt vt enim beatum Virtus, ſic turpitudo ipſa infœlices ac miſeros homines facit. Quare, quemadmodum illorum eſt beatitudo conſpicua: ita & horum miſeria obſcura eſſe, vel incerta non debet. Quod ipſum haud aliter tibi videri vel tacentis indicat vultus: obiecceris licet tentandi gratia, fœlices Tyrannorũ exitus, bonorumque contra regum ſucceſſus parum ſecundos. Nam ſi ſecretas rerum cauſas, ob quas interdum in vita hæc accidãt mortali eſſet ſcrutari fas: non ſine ratione ſumma id ita euenire facile quiſque perſpiceret. Maximè, cum corporis atque animæ ſeparatione (quam eandem mortem eſſe definimus) non prorſus hominem aboleri, cùm philoſophis non indoctis: tum verò nobis Chriſti Optimi Maximi dogmate initiatis, rectè ſit vereque perſuaſum. Vbi enim primum corporis atque animæ facta diſceſsio eſt, in ea quiſque loca migrat, quæ domicilio inhærens corporis: vitæ eſt actione promeritus. Ex quo fit, vt quanquam Tyrannorum vita meritas hîc ſcelerum pœnas euaſerit (quod ipſum per quam accidit raro) impunitatem tamen omnino nequeat conſequi: diuino ſemper ſupplicio imminente. Quis enim Deum poteſt effugere? Vbique adeſt: omniaque quæ nos facimus, auditq; videtque, vt etiam ex ethnicis ſenſit optimè Plautus. Multo itaque punientur atrocius Tyranni proſperè vita defuncti: quam qui ab oppreſsis ciuibus crudeliter laniati, ſæuèque diſcerpti, corpore pœnas dederunt. Impunitos enim Tartara excipiunt: vbi Infœlices animæ iugi pœna torquentur: dolentes interim, quod nullo vnquam honeſtatis atque Iuſtitiæ amore ſint capti. Itaq; mala ſua peruidentes, ſed tamen cognoſcentes iam ſerò: carmina illa, quæ turpiter actæ vitæ pœnitens in theatris inducta Ino fundit, loqui poterunt,

" *Chare mulieres, quomodo primum incolui*
" *Athamantis claram regiam, docentium agẽs nihil*

Hæc peſsimi quique Tyranni non iam compreſsis agitabunt labris taciti: ſed magna potius fruſtrà voce inclamabunt: cum æternis doloribus atque cruciatibus ſubiecti (qui vitæ peſsimæ eſt fructus) nulla erit ſibi amplius ad vitam conceſſa reditio.

Qvae cvm ita ſe habeant, neque boni principes miſeri: neque Tyranni fœlices pacto vllo cenſendi ſunt. Sua enim à morte quemque (prout vitæ fila duxit) vel ſupplicia, vel premia ſequuntur. Quippe Deus Optimus Maximus, in mundo hoc, quem verbo ſuo ſanctiſsimo creauit ex nihilo, tanquã in magna aliqua familia ratione probè inſtituta, rectè factis premia, & peccatis conſtituens ſupplicia: prouidentia inclyta ſua ſummam rei vtriuſque rationem habet. Nulli itaque flagitioſum fuiſſe impunè cedit: nemini abſque premio eſt, virtutem ſecuto. Sed næ ego ſtultus, qui hæc ad te. Non ne iure irrideat, ſi Angelos (quod aiunt) bene agere doceam? aut nandi artem tradere tentem delphinis? Quaſi verò Cretes neſciat pelagus: & in perorandis cauſis exercitatus orator, commouẽdorũ affectuum leges: atque ipſa turpiter cauſarum genera ignoret? Sed fortaſſe oneris adimo partem: qui quo ſis ipſe campo ſpatiaturus, præcurram: aleam nõ minus periculoſam ſubiens, quam qui omnium princeps tentat ignotum vadum. Vt enim in bello, ſic & in rebus cæteris primi quique cõgreſſus cenſeri ſolent admodum formidabiles. Tu verò, cuius orationis ſummam duas in partes ſciſſam eſſe dixiſti: eius me, velim, ne facias exortem. Dabitur enim à me tibi vnde libet exordiri. Ac primum quidem vel ſi placet à regibus: quos mihi tecum, dum ſuorum procurant commoda, non eſſe miſeros conuenit: ſit licet ſiniſter euentus. Id quod diſputanti mihi, ſæpius ipſe nutu es viſus ſignificare.

PHILEMON.

Placet inde auſpicari orationem: vnde ſumi ipſe ſuades exordium. Arbitror enim viri tãti authoritatem mihi & veſtigia ſectanti: ad hanc quoque partem perorãdam haud quaquam eſſe ſermonis vbertatem vel copiam defuturam. Quod ſi me vſpiã, media, quod aiunt, luce: conſpicatus fueris calligantem: aut rerum pondere preſſum nutare ſenſeris fluctuabũdum, ſuggerere erit tuum: aut Diuos comprecari, quos vitæ habes integritate deuinctos, mihi vt adſint diſſerenti. Quæ ſi vt opto quidem atque ſpero, vota ſuſceperis: ſtrenue certe & animoſè difficillima quęque ſubibo: multoque mihi omnia faciliora videbuntur.

NIC. Aſſequi ó vtinam Summi Numinis

poſsim fauorē: non enī tibi volūtate deero.
Tu verò ſpem animo bonā concipe: mentē-
q; obfirma. Actutùm enim Dei aura aderit.
Vide tñ, ne dicentis elangueat vel frigeat in-
duſtria. Auerſantur enim deſidiā Superi: ad
virtutemq; accinctū animū, & pręclara pro-
penſum ſedulò fouent: vacuumq; aut irre-
muneratū abire non ſinunt. Hęc Dei natura
eſt, diuinaq; lex, cœleſti & rata & promulga
ta choro: cui nihil hominū ſanctio; aut diu-
turni temporis vis abrogare poteſt. Huma-
næ ſiquidem leges aut abrogantur tempore:
aut contraria hominū voluntate tolluntur:
diuinum verò decretum ſtabile, firmumq;
ſit neceſſe eſt. Neq; enim voluntatis ſuæ di-
uinam poteſt ſapientiam ſubire pœnitudo:
quę humanam dumtaxat arguit imperfectio
nem. Nullo igitur ſub ęuo ius interiturū eſt,
quod diuinitas ſanxit. Nec vero humanis ce
dere debet inuentis, diuinæ ſapientiæ placi-
tum: quippe q̄ maius eſſe perſpicuū ſit: quā
vt mortali queat manu labefieri. PHIL. Nō
me eſt clam mi Nicete, bonitatis diuinæ eam
eſſe naturam, quæ pijs honeſtiſq; cœptis op
tatum ſemper imponat finem. Ac ne illud
quidem ignoro, pro induſtria quemq; , diui
num eſſe fauorem benigniorem experturū;
diuinęq; legis haud ſum itidem neſcius: quā
ſacro eſt in cœtu concilioq; cautū, hominis
animū ad recta propenſum, premio eſſe ho-
neſtandū. Ac, ne vocaui vnquā in dubiū di-
uinę ſapientię cōſtantiā volūtatis: quā certò
ſcio mutabilitati ac pœnitudini obnoxiam
eſſe nō poſſe. Quippe terrenis corporibus hu
manæ mentes obrutę, varijs voluntatum tor
quentur atq; exagitantur vndis: vnde homi-
nes inconſtantia perditi, ſua in horas & lau-
dant, & culpāt ſtudia: q̄ accidere nequit di-
uinitati, quæ ab omni eſt fęce terreni corpo-
ris & mortalitatis exēpta: perturbationibuſq;
huiuſmodi libera. Quæ cum ita ſint: meq́ue
premat aliò nauigandi neceſsitas, Deo Op-
timo MAXIMO fretus, ſecundis hinc iam ven
tis vela pandam.

AC IAM primum omnium, vnde melius
rem hanc exordiar quam à vocabuli ſui allu
ſione propria, veraq; etymologia? quod ti-
bi video iam ante placuiſſe: cuius eſt illud
pręclarum: Reges à regendo dictos fuiſſe.
Maximè cum in eo conſultorum certa re-
gula eluceat: Argumentum à nominis ety-
mologia verum eſſe ac validum opinantiū.
Nam quo loco de tutelis diſputant non in-
ſcitè aſſerunt, Tutores quaſi tuitores defen-
ſoreſque eſſe, à tuendo vel tutando ſic di-
ctos. Etenim cum tradant, tutelam, ius ac po
teſtatem eſſe in capite libero Iure ciuili da-
tam atque permiſſam, ad defendendum eū
qui propter ętatem ſe ipſum nequit defende
re, eos, quorum officio eiuſmodi incumbit
defenſio, tutores appellauerūt: quemadmo-
dum à tuendis ędibus Æditu os quoq; dixe-
runt. Studentes profectò rei ac nominis con
ſonantiam & harmoniam vbique, non abſi-
milem videri: quin vnam atq; eandem potiꝰ
ſemper habitum iri. Illud vſq; quaq; aſſeue-
rantes, nomina rebus oportere eſſe conſona.
Etenim quis non videat, natura ita compara
tum eſſe, vt nominis vi, poteſtateque perſpe
ctæ rei ſtatim proprietas omnis ac virtꝰ mul
to ſit clarior, illuſtriorque futura? Hoc igi-
tur faciam. Audeboque hac potiſsimum in
parte Stoicos ęmulari: qui (vt eſt author Ci-
cero) ſtudioſè quęrūt vnde ſint nomina du-
cta. Vt enim in Topicis ſcribit idem, multa
etiam ex notatione ſumuntur. Ea eſt autem
cum ex vi nominis argumentum elicitur:
quam Græci ἐτυμολογίαν vocant: Id eſt, ver-
bum ex verbo, veriloquium. Nos autem no
uitatem verbi non ſatis apti fugientes, ge-
nus hoc NOTATIONEM appellamus: quia ſunt
verba, rerum notæ. Itaque hoc idem, Ari-
ſtoteles σύμβολον appellat, quod latinè eſt No
ta. Sed cum intelligitur, quid ſignificetur,
minus laborandum eſt de nomine. Hęc
Tullius.

ILLVD TAMEN NON iniquum
eſt obiter admonere: me non eum eſſe: qui
cum hoc maximè io loco Xenophontis
mentem ſecutus, Etymologia vtendum eſſe
deliberem: omnibus in commune nunquam
non idem faciendum cenſeam, ſeduloque
pręcipiam. Scio enim plerumque accidere,
vt ad hoc ſubſidium conuolare haud ſit
pretium futurum operę. Qua propter ar-
gutationis hoc genere toto, in multis qui-
dem ſuperſedendum eſt. Pręſertim illis (qui
ne videantur neſcire aliquid) pro notatione
verbi, delirantis animi, mera ſomnia commi-
ſcuntur. Quòd ſi quis eſt Etymologiæ
vbique inueſtigandę plus appetens: Cice-
ronem is de natura Deorum legat, genus
hoc hominū ſeuerìſsimè carpentē. Quid? q̄
ne poteſt quidem, omnium quæ à maiori-
bus cōſtituta ſunt, ratio reddi. Nam licet ab
Adamo mortalium cunctorum longè ſa-
pientiſsimo & prudentiſsimo viro, noſtrum
q́; omnium communi parente nomina re-
bus ſecundum proprietates illarum rectè in-
dita ſint: vt ex nomine ipſo facilè liceret,
vim ſubiectę rei, poteſtatemq́ue rimari:
tanta tamen Adamiani illius primigenijque

ſermonis, immutatio poſtea ſenſim facta eſt
vt ſi nunc (Dei dono) reuiuiſcat Adamus:
in ijs quibus fungimur voculis, ſuum nihil
recordari poſsit. Neque id ſanè Iniuria. Qui
enim ab illo nominibus res veſtierunt, non
illi quidem tanta ſcientiæ animi præditi fue-
runt: vt quaſi certa quædam proprietatis illa
rum Symbola, nomina rebus imponere po-
tuerint. Quæ ſi iam ab aliquo rectè ſunt im-
poſita: tamen aut Barbarorum deprauata in
curſu, aut temporis longi ſitu corrupta, ne-
ceſſe eſt fallant in multis: commodeque ne
queant vim ſuam ex nomine teſtificari.
Quid igitur aget Etymologia? Nimirum
conſertis cancellatim manibus tantiſper ſe-
debit ocioſa; dum germanam illam primi-
geniamque originem verbi ſui poſsit augu-
rari: & iudicio vero complecti: ne ſuperba
ipſa nominum Architectatrix falſis videatur
aſſentiri: turpiterq; quicquam approbare nõ
cognitum. Quo nihil eſſe poteſt ſtultius:
præſertim illi, cuius profeſsio omnis verſa-
tur in eo, vt veram nominis prodat cauſam:
originiſq; certam rationem. Vnde & Etymo
logia ipſa, Quintiliano teſte, originatio eſt à
quibuſdam dicta, quòd verborum inquirat ori-
ginem. At vero, ſi ingenioſæ oſtentationis
corrupti veſania, cum illis ſentiamus qui vel
cœlo toto (quod dici ſolet) aberrantes, Ety-
mologiæ tñ pertinacius inhærent: credamus
ſanè Mercurium à mercibus: à iuuãdo Iouẽ,
à nando Neptunum: nomina fuiſſe ſortitos.
Iamq; vel omnia cõſectemur audacius à Ca
lando claſſem, quaſi leuipedem, leporẽ: vo-
lipedemq; vulpem, dictam arbitremur. Nec
reuocem' etiam in dubium, quòd pedem lædat,
lapidem dictũ eſſe. Cœlibem quaſi cœlitẽ:
Merulam quia ſola volat: quòd ficus edat Fice-
dulam. Perinde quaſi, lapide ſemper pedes
offendantur: ac non etiam corporis item mẽ
bra cætera ſecuriori contactu, negligentiori
affrictu, grauiori ve caſu lædantur interdũ.
Aut cœlitum ſemper vitam agant: qui ſine
vxore viuunt: vel Merula, id eſt ſola volet
quæ ſic dicta eſt auis: ficubus ve ſemper vi-
ctitet Ficedula. Vnde Valerij Martialis hanc
in auem faceta extat proſopopæia. Sic enim
auis carmine loquitur.

Cum me ficus alat, cum paſcar dulcibus vuis,
Cur potius nomen non dedit vua mihi?

Quod & Andreas Alciatus, vir iudicio
meo doctus in primis, ac Iuris prudentiæ
laude memoria noſtra nulli ſecundus, in mo
ro arbore deprehendit. Cui cum non niſi ap
petente, ineunteq; vere germinare contin-
gat: tutiq; ideo ab hyemali rigore ſyi fruct'
ſint perperam ait, huiuſmodi illi nomen in-
ditum. Cum magis eæ arbores fatuæ nomi-
nari exiſtimariq; deberent: quæ bruma me-
dia pullulantes, flores ac bacchas fundant, in
fœliciq; fœtu grandeſcant. Sic igitur ille:

Serior at morus, nunquam niſi frigore lapſo
Germinat: & ſapiens nomina falſa gerit.

Sed miſſas faciamus auiũ cõmentitias, ar-
borumq; querelas: vanas illas quidem, ſed tñ
non illepidas. Ad maiorum enim rerum ety
mon perdiſcendum noſtra feſtinat oratio.
Quid iſtud reges? hominem, quaſi humi na-
tum dictum videri volunt. Stellam, ceu Lu-
minis Stillam. Cuius Etymologiæ authorem
clarum ſanè in literis nominari in ea parte,
qua à ſe fuiſſet reprehẽſus, inhumanũ duxit
Fabius. Vt minora illa interim relinquamus:
in quibus, vt ſcribit idem, ſtudioſi eius rei
maximè fatigantur. Qui verba paululum de
clinata, varie & multipliciter ad etymon re-
ducunt, aut correptis, aut porrectis, aut adie-
ctis, aut detractis, aut permutatis literis, ſylla
bis ve: inde prauis ingenijs ad fœdiſsima vſ-
que ludibria labuntur. Sed quis horum mi-
retur inſcitiam? Cum. M. illum Varronem
Togatorum doctiſsimum fœdè lapſum ſcia
mus: ſuiſque in Etymologijs ludibrio ha-
bitum fuiſſe, veterum monumenta teſten-
tur: ſcriptis etiam ad Ciceronem Romanæ
facundiæ parentem literis: in quibus agrum
quod in eo aliquid agatur, dictum eſſe con-
tendit: ac, quia gregatim volẽt, ſic Gracchos
vocitatos. Cum alterum ex auium vocibus:
ex Græco alterum duci ſit manifeſtum. Sed
quorſum de Etymologia tam multa? nem-
pe, vt intelligamus, ſummo eos in honoris
diſcrimine, exiſtimationiſque non leui peri
culo verſari; qui Etymologiæ per omnia ſer
uiunt: & illius vndique cauſas anxiè nimis ri
mari conantur. Modus igitur, qui iuxta pro
uerbium, omni in re optimus haberi ſolet: &
hic quoq; tenendus eſt. Is autem facillime
ſeruabitur. Si parcè & frugaliter, ac non niſi
cum res interpretatione egeat, ea duxerimus
vtendũ. Tantiſper enim ei licebit incũbere,
dũ id quod quærimus liquere aliter nequit.
Quod ſi luceat ipſum per ſe: de nomine qui
dẽ minus erit, vel Cicerone teſte, laborãdũ.
Quamquã hoc quidẽ laboris præclare ſuſcep
tum eſt à Platone, eo in libro cui titulus eſt
Cratylus, vbi de vera nominũ ratione iuxta
veras & antiquas Etymologias multa ſubti-
liter dixit. Sed dè his hacten'. Ac ne hoc citra
modũ nos quoq; egiſſe videamur: ad id quòd
propoſitum inſtitutumque erat tempeſtiuè
reuertamur, alluſioni nominis interea deſer
uientes,

uientes, dum id quod nitimur, poſsimus efficere. Nam huiuſmodi ſimilium rerum præfationes, eò nos, vt ſpero, deducent: vbi regni imperijq; natura facilè queat cognoſci. Ac illorum, qui eis præſint, partes & officia intelligi. beatitudinis ac fœlicitatis illorũ fons recludi ac patefieri. Quarum rerum cauſa, hæc à nobis ſuſcepta omnis oratio eſt, & dicendi ratio inſtituta.

ILLVD igitur diſcutiamus, à monendo vel monſtrando dictos eſſe magiſtros: inflexione que nominis magiſtratus inde deductos.

C. L. quibus præcipua ff. de verbo Signi.

Quod quinquageſimo quinto ad edictum libro (cuius hæc ſunt verba) Conſultus ſcribit Paulus. Quibus præcipua rerum cura incumbit, & qui magis quam cæteri rebus, quibus præſunt, diligentiam & ſolicitudinem debent, hi magiſtri appellantur. Quin etiam ipſi magiſtratus per deriuationem à magiſtris cognominãtur. Vnde etiam cuiuſlibet diſciplinæ profeſſores, magiſtros appellari à monendo vel monſtrando. Hæc ille. Vnde, quale huiuſmodi hominum munus ſit, minus videtur incertũ. Quid Epiſcopos? non ne [illegible] Græco verbo: quod explorare, ſiue inſpicere latinè ſonat, nominatos perhibent? Ex quo apud Homerum poetam inclytũ, eos qui hoſtium caſtra exploratum irent: quid rerum gereretur cognituri: Epiſcopos dici nõ ſemel vidimus. Cũ igitur, verè qui Epiſcopus eſt, ſemper excubias agat: ne vino ſomnoq; ſepultam ciuitatem eius, hoſtes inuadant: latè vndique debet inſpicere. Vigilantem vſq; quaque adhibeat rebus animum: commiſsi ſibi gregis diligenter curam habeat: ad pietatem veram animi, virtutemque omnes erudiat. Prauorũ hominũ cõtagijs vehementer obſiſtat: orationi pro populo ſuppliciter aſsiduè vacet: diuinæ cognitione legis egregiè mentẽ imbuat: & vbique ſpiret modeſtiam. Epiſcopus enim, qui idem explorator vel inſpector latine dicitur, ab omni nõ ſolum facto ſed & dicto quoque turpi abeſſe oportet: quod authoritatem eius minuit atque eleuat. Neque id ſanè iniuria. Præpoſterum ſiquidem, ac ridiculũ valde eſt, cum ita homines aiũt.

Medetur alijs, ipſus vlceribus ſcatens.

Item & illud,

Qui ſibi neſcit ſemitam: alijs demonſtrat viam.

Nam quo ore aliorum vitas inquiret, & facta reprehendet: qui in ſuis ipſe diſſolutior ſit, aut certè negligentior? An non Horatianum illud, ne in ſe iactari poſsit ſummè verebitur?

Cum tua peruideas oculis mala lippus inunctis

Cur in amicorum vitijs tam cernis acutum,

Quàm aut Aquila, aut ſerpens Epydaurius?

Quo vulgi clamore commoueri ſanè neceſſe ſit, quem ſcelerum ſuorum conſcientia accuſet. Cùm præſertim perſpicuum ſit, eius monita ſolere deſpici, cuius vita non probatur. Profeſsioni enim abſoni mores, verborum eneruant fidem. Laudaturq; propterea Menandrium illud:

Mores dicentis perſuadent: non oratio,

Ex quo factum eſt, vt qui dicendi præcepta libris complexi ſunt: Oratorem niſi virum bonum eſſe non poſſe: definiãt. Nam vetus quidem illa doctrina (vt. 3. de Oratore ſcribit Cicero) eadem videtur & rectè faciendi & bene dicendi magiſtra. Neque diſiuncti doctores, ſed ijdem erant viuendi præceptores atque docendi. Vt ille apud Homerum Phœnix, qui ſe à Peleo patre Iuueni Achilli comitem eſſe datum dicit ad bellum, vt illum efficeret Oratorem verborum: actoremque rerum. Quam de Oratore ſentẽtiã ꝓbat etiã Orator priſcus. M. Cato apud Ciceronem ijs libris, qui à me ſunt modò citati: cuius eſt illa finitio. Orator, vir bonus: dicendi peritus. Quem duodecimo Oratoriarum inſtitutionum ita ſecutus eſt Fabius, vt facultatem Oratoriam conſequi poſſe neget: qui vita improbus ſit. Quod in rhetoricis ad Theodectem libris, philoſophorum princeps Ariſtoteles etiam eſt docere conatus: atque id certè non immeritò. Cum enim Oratoris officium in eo præcipuè verſetur: vt quæ propoſuit omnia, recta atque honeſta videri ſtudeat iudici, atque adeò perſuadere ſic eſſe. Qualiter id conſequi poterit, qui turpitudinis amantior: honeſtati atque virtuti natura ſit infeſtior? Iam verò quomodo Iuſtitiam, cæteraſque virtutes laudabit, qui ne minimam quidem illarum notitiam ſit conſecutus? Aut quo pacto contra adulterũ firmiter perorabit, qui ſtupri qui adulterij, qui inceſtus ſit ipſe conuictus? Quid enim difficilius quam accuſare, rationemque vitæ ab altero exigere, qui vitiorum multiplici labe atque ſcelere ſit infectus? Quod ſi quis altius animo agitet, facile intelliget, quàm graue in accuſatione munus, quantumque onus actione vitæ ſuſceperit. Nam quis non videat noſtram vitam ab ijs demum maleficijs, quorum alios inſimulaueris, oportere eſſe diſiunctam? Vlpiano [d]. iuſtiſsimo viro iniurium eſſe, atque nefas videbatur, ſi infamia morum laborans vxorem vir accuſaret. Iudex adulterij (ait) ante oculos habere debet

D. In. l. ſi vxor §. iudex adulterij. ff. ad. l. Iuli. de adulter. & vid. Lactantium. lib. 6. c. 23. verſic. Nec enim.

bet & inquirere: an maritus pudicè viuens mulieri quoq; bonos mores colendi author fuerit. Periniquum enim videtur eſſe, vt pudicitiam vix ab vxore exigat, quam ipſe non exhibeat. Rectè nimirum iuriſconſultus: Vt enim fœminam pudicitia, ſic & virum morum decet honeſtas: Vnde cognitio orta pudoris, qui virtutum omnium eſt cuſtos. Seruanda igitur ab vtroque alteri fides eſt: imò exemplo continentiæ, docenda vxor, vt ſe caſtè gerat. Iniquum eſt enim, vt id exigas, quod ipſe non pręſtes. Quæ iniquitas effecit illud profectò, vt eſſent adulteria, fœminis ęgrè ferentibus pręſtare ſe fidem non exhibentibus mutuam charitatem. Denique nulla eſt tam perditi pudoris adultera, quæ non hanc cauſam vitijs ſuis pręteudat: Iniuriam ſe peccando non facere, ſed referre. Quod optime Quintilianus expreſsit: Homo (inquit) neque alieni matrimonij abſtinens, neque ſui cuſtos: quæ inter ſe natura connexa ſunt. Nam neque maritus circa corrumpendas aliorum coniuges occupatus, poteſt vacare domeſticæ ſanctitati: & vxor cum in tale incidit matrimonium, exéplo incitata: aut imitari ſe putat, aut vindicare. Cauendum igitur, ne occaſionem vitijs noſtra intemperantia demus. Sed aſſueſcant inuicem mores duorum, & iugum paribus animis ferant. Nos ipſos in altero cogitemus. Nam ferè in hoc Iuſtitiæ ſumma conſiſtit. Vt non facias alteri, quicquid ipſe ab altero pati nolis. Pręclarè ergò à Cicerone dictum eſt: Id ab omnibus poſtulari, vt ab his ſe abſtineant maximè vitijs: in quibus alterum reprehenderint. Furem, inquit, aliquem: aut rapacem accuſaueris: vitanda tibi ſemper erit omnis auaritiæ ſuſpicio. Maleficum quempiam adduxeris aut crudelem: cauendum erit ſemper ne qua in re aſperior aut inhumanior fuiſſe videare. Corruptorem, adulterum: prouidendum diligenter, nequod in vita veſtigium libidinis appareat. Omnia poſtremò quæ vindicaris in altero: tibi ipſi vehementer fugienda ſunt. Etenim non modò accuſator, ſed ne obiurgator quidem ferendus eſt is, qui quod in altero vitium reprehendit: in eo ipſe reprehenditur. Vt enim pręclarè Iuuenalis ait.

Quis tulerit Gracchos de ſeditione querentes?
Quis cœlum terris non miſceat, & mare Cœlo
Si fur diſpliceat Verri: homicida Miloni,
Clodius accuſet mœchos: Catilina Cethegum?
In tabulam Syllæ ſi dicant diſcipuli tres?

Iure igitur M. Cicero oratione grauiſsima impudentem Clodij audaciam carpit atque vituperat: qui cum tres ſorores ſuas virgines corruperit, Pompeiamq; Cæſaris vxorem, pollutis Bonæ Deę ſacris (ſic enim ait) fœdiſsime adulterarit, de continentia, Deorumq; immortalium cultu concionem habere publicè ſit auſus. De religionibus ſacris inquit, & ceremonijs concionatus eſt Clodius. P. C. Publius inquã Clodius ſacra & religiones negligi, violari, pollui, queſtus eſt. Non mirum ſi hoc vobis ridiculum videtur: & ſua concio riſit. Hominem, quomodo ipſe gloriari ſolet, ducentis confixum Senatus conſultis: quæ ſunt omnia contra illum pro religionibus facta: hominemque illum, qui puluinaribus Bonæ Deę ſtuprum intulerit: eaque ſacra, quæ viri oculis ne imprudentis quidem aſpici fas eſt: non ſolum aſpectu virili, ſed flagitio ſtuproque violarit: in concione, & de religionibus neglectis conqueri. Itaque nunc proxima concio eius expectatur de pudicitia. Quid enim intereſt, vtrum ab altaribus religioſiſsimis fugatus: de Sacris & religionib⁹ queratur: an ex ſororum cubiculo egreſſus, pudorem pudicitiamque defendat? Itaq; Leontinus ille Gorgias, cuius facundiam oppido eſt antiquitas mirata: quique Iſocratis celebratiſsimi rhetoris inſtitutor fuit nobilis: cum Olympiacis ludis Græcorum adſtante concione ſanè cultam orationem de Gręciæ concordia recitaſſet, ludibrio habitus eſt. Etenim Melanthum quemdam dixiſſe perhibent: vehementer eſſe ridiculum de vniuerſæ Gręciæ illum tractare concordia, qui ſibi, vxori & ancillæ, vt concordes viuerent, ſuadere non fuiſſet potis. Vt enim ſecundum veterum iuris conditorum placita i accuſatis prius quam ſe crimine, quo premuntur exuerint, innocentiamq; purgauerint, in pari vel minori delicto recriminationis anſa conceſſa non eſt. Sic & mortalium plerique, naturæ in hoc ratione, magiſterioque vtentes, eos actutum à ſuadendi non minus quam ab accuſandi officio remouent: quos ſimili in exempto improbitas vitæ redarguit. Quo circa etiam, in quotidianis maledictis: quæ homines ſibi inuicem iaciunt: quaſi ſtultitiæ reus notari ſolet: qui quod reiectari ſibi crimen poſſet, impegit: aſperioriſq; opprobrij aduerſario ſuo temerè porrexit anſam. Laudatur itaque Bizantius Leo Sophiſta inſignis. Nam cum oculorum ſibi quidam improperaſſet lippitudinẽ, qui gibbo erat deformis Humanũ, inquit, opprobraſti vitiũ: cũ ipſe Nemeſim in tergo portes: hoc eſt, reprehẽſionẽ. Vindictę talionẽ Nemeſis nomine circũuol-

uens

uens: quæ neceſsitatis & Iouis filia, vt priſci genealogi ferunt, nunc Adraſtia, nunc Rhānuſia dicitur: & ab ethnicis ipſis, ſcelerum vindex Dea fingitur: temperantiæ & virtutis amica: atq; inſolentiæ vbique grauis aduerſaria. Sed reuertar ad me. Sic &. Q. Opimius conſularis, qui adoleſcens malè audiuerat, Egilio feſtiuo homini, qui mollior videretur nec eſſet: cum illud obieciſſet.

Quid tu Egilia mea,
Quando ad me venies cum tua Colo & lana
Egilius excipiens.
Non Pol (inquit) audeo:
Nam me ad Famoſas mater vetuit accedere.

Quo audito oculi omnium in Opimiū coniecti, pariter & ora riſu ſoluta ſunt. Vnde Chœroneus Plutarchus: quem ego authorē propter vitæ probitatem, Inſignemque doctrinam, locis multis & ſequor & laudo maximè, eo in libro quem de vtilitate ab inimicis capienda philoſophico ſcripſit afflatus ſpiritu maledicti vſum vehementer fugiendum cenſet: quod in iacientem ipſum è veſtigió poſſet deflecti: grauiorive, iniectum etiam cum fœnore penſari atque rependi. Qua propter caue cuiquam exprobres adulterium: ipſe fœdiori libidinis generi obnoxius. Neq; luxum: ipſe ſordidus.

Cognatus ei matricidæ fœminæ.

Ita maledicit Alcmęon Adraſtro. Quid is igitur? nempe proprium non alienum probrum impingens reſpondet.

Matrem ipſe manibus interemiſti tuis.

Domitius in Craſſum ad hūc iocatus eſt modum. Non fleuiſti muręnam, quam in viuario alueras, mortuam? At Craſſus ita retorſit conuicium. Num tu lachrymabas, cū tres vxores extuleris? Qui ſit in alium dicturus, non hunc oportet facetum aut clamoſum, aut improbum eſſe: verùm eum eſſe cōuenit, in quem nullum conuicium aut crimen hęreat. Deus enim nulli magis pręcepiſſe videtur illud, NOSCE TE IPSVM. quam ei qui ſit alium vituperaturus. Ne ſi dixerint, quæ volunt: audiant quæ non volunt. Nam fieri ſolet, vt iuxta Sophoclis dictum. Vbi verba temerè fuderis: tum quæ volens dixiſti: viciſsim eadem illa nolens audias. Prudenter ſanè Chęroneus. Etenim (vt verè Flaccus ait) dixerit inſanum qui me: totidem audiet. Atque idem reſpicere ignoto diſcet pendentia tergo.

ACRIS illa quoque, in primiſque vehemēs criminationis retorſio: qua in pręclara pro domo ſua oratione Cicero in Clodium eſt vſus, germanitatem Mineruæ ſibi obiectantem. Hic tu me etiam, inquit, gloriari vetas: negas enim ferenda eſſe: quæ ſoleam de me prędicare. Et homo facetus inducis etiam ſermonem vrbanum ac venuſtum: me dicere ſolere, eſſe me Iouem: eundem dictitare, Mineruam eſſe ſororem meam. Non tam inſolens ſum, qui Iouem eſſe me dicam: non tam ineruditus, qui Mineruam Iouis ſororem meā eſſe ſororem exiſtimē. Sed tamen ego mihi ſororem virginem acciſco: tu ſororem tuam virginem eſſe non ſiuiſti. Sed vide, ne tu te debeas Iouem dicere: quòd tu iure eandem ſororem, & vxorem appellare poſsis. Quòd ſi in maledictis atque conuicijs, vbi quæ temerè dicta ſunt: iracundiæ vel dolori imputari poſſunt, inſigniter notari ſolet, ſi quid à nobis dictum factum ve perperam eſt, idque in iacientem ipſum ac laceſſentem è veſtigio haud iniuria ſæpe regeritur: in officij admonitione, quæ honeſta vitæ obiurgatio eſt, virtutis nanque gratia ſuſcipitur: niſi ita mores noſtros compoſuerimus, vt nihil omnino poſsit reprehendi: obiectare alijs crimina haud erit quidem ferendum. Ex quo illud efficitur, ſi ſui nominis vim omnino velint expendere, ab omni vitiorum labe Epiſcopos oportere quam maximè eſſe diſiunctos. Circunſpecti igitur ſint, doctrina conſpicui, eloquio non minus quam candore animi venerabiles: humanitate erga omnes expoſiti: innocentiæ amici, oppreſſorum fautores, inopię ſubleuatores, pauperum in primis amantes, modeſti, ſobrij, atq; frugales, inculpatioriſq;, per omnia vitæ. Nec committant interim, vt dum aliorum errata adorantur, tetraq; facta puniunt, manticæ quod in tergo eſt neglexiſſe videantur.

SED QVID multis moror, meque ipſe ſimilium nominum vi diſcutienda tardo? Duces, Reges, Imperatores, à ducendo, regendo, Imperando, dictos eſſe quis ambigit? At, ſi Improbus imperet, ſi regat iners, ſi ducat ignarus: quis non videat, miſeros qui reſtim, tortumque funem ſequantur, quanta ſit clades atque vaſtatio protinus conſecutura? Nullus enim animantium omnium, etiam immitium inſita illa animi feritate & ſæui ſpiritus truculentia, tam nocet humano generi, quam diſſolutione vitæ, aut corrupto princeps exēplo. Nā ſi veteres velim' annales animo voluere, nō leuiter impreſſa veſtigia: ſed ſimulacra morum principis in populo reluxiſſe videbimus: & quam

in partem princeps declinarit, in eamdem plebem ipſam facilè fuiſſe propenſam. Quis igitur dux? non ne qui alios ducit, qui pericula propellit, quique, vt ſui omnes ſeruentur, Fati ſecurus proprij, diſcrimina primus ſubit? Quis Rex? nonne ſui atque aliorũ rector, moderator ac princeps omnium? Quis Imperator? an ne alius, quam qui ſibi imperans primum, Iuſta ac prouida manu præmij & pœnæ ſanctione mortalia regens ſceptra: ſui memor officij ſtudioſè leges ſancit: vnde piè ac ſanctè vita poſsit inſtitui: Iuſtitiæ ac religionis amantes ſubditos cupiés efficere: & ad recta capeſſenda obedientes atque alacres? Atquî, omnia hæc vera eſſe ita videmus, vt ne indocti quidem vel ruſtici ignorent, celebritate tanti nominis indignè eos ſolere gloriari: qui contrà eſſe animati videbuntur. Nam qui ducendi leges non calleat: ſi ipſum ducem vocites, non minus profectò erraueris, quam ſi Talpam Lyncem appelles. Regem autem nominari, qui artem neſcit regendi, quique ſuam ipſe vitam diſſolutè cœpit agere: proprij nominis vis & natura non ſinit. Vt enim ad corrigendum norma illa non vtimur, quæ directa parum eſt, ſed tortuoſa atque inflexa vndique: ac ne illam ſic appellare iam libet, quæ cui deſtinata primùm officio eſt, vel vtilis parum eſt, vel ſeruire non poteſt: Sic Rex nomen ſuum gratiamque amiſit, vbi vitijs mancipatus omnibus rationi parere deſijt (cuius eſt lege naturæ Imperio ac poteſtati ſubiectus). Quæ profectò ad fœliciter vitæ ineundam viam (quo ſit cunq; dignitatis loco poſitus) & priuatim & publicè regula eſt homini omnium multo lectiſsima. Iam verò Imperatorem dicere, qui nec ſibi non alijs, quæ facienda ſunt, norit præſcribere: timebit ſanè quiſquis rectè imperandi rationem proprius erit animo intuitus. Non enim legitimè iubet, qui neſcit obſequi: nec imperat porrò qui ipſe, vnde verum fluxit imperium dominio mentis atque animi rationi & virtuti non paret. N I C. vt tu ſapienter colligis mi Philemon, vereor tamen ne hominũ vulgò parum tua dicta probentur: apud quos Socratica iſta ſordere ſolent. P H I L. Imò non tam hæc putent vulgò: quam tyrannis ſummè diſplicent. Vulgus enim alleuari geſtit, non opprimi: tyrannus autem quo iure quaque iniuria Imperij ſui quam laxiſsimas cupit habenas: dolet itaq; valde ſi rectis rationibus ab aliquo cohibentur & ſapienter coarctantur. N I C. reuera ſcopum attigiſti. Tyranni enim parum animo conſiderantes quanto in periculo & diſcrimine verſentur, dum illicita iubent: & quanta ſit legitimè imperantium ſerenitas offuſa animo, ac ſecura trãquillitas: & quam nullæ vndique inuidiæ: quibus ipſi miſere ſcatent: male cupiunt, maleuolunt de regni germana ratione opportunè diſſerenti. Atque hoc ipſo nomine philoſophorum ſcholas, vbi de iniuria inferenda nulli, de compoſitione morum, de integritate vitæ: deque Imperio moderato præclare dicuntur multa, inuiſas habent: & hoſtili ſemper animo perſequuntur: obliti interim regali in Solio poſito viro, diſciplinam Imperij, moribus eſſe ſanciendam: humanitate animi, placabilitate atque clementia beneuolentiam, ſubditorumq; amorem eſſe conciliandum: non ſæuitia vel aliquo terrore obſequium ſtultè atq; improbè, extorquendum. Nam ſi rectè illud eſt dictum.

Magnes amoris, amor,

Charus erit ſuis Rex, ſuorum amator & fautor. Qui verò eos, quos Imperio coercet, habet inuiſos, durabit parum. Sicque odij vel amoris in Regno, qui eſſe populi rector ac tutor debet, princeps ſibi verus eſt artifex. Subditorum ſtudioſus amatur Rex: libertatis inimicus Tyrannus impetitur: & quod cunctis molitur exitium, experitur interdum. Difficile enim cuſtodias, quem certatim omnes cupiunt extinctum. P H I L. mihi quidem ita videtur. Nam ſi nulla bellua tam eſt immitis & aſpera: quæ natiuam illam animi feritatem & ſpiritus truculentiam conſertat in eum, à quo boni accepit aliquid: vt ad beſtias damnati hiſtoria declarat Androdi, nobiliſsimique Leonis extremo in vitæ diſcrimine medico atque hoſpiti ſuo beneficij gratiam (ſupra intellectus humani fidem) cumulatius referentis. Et de Aſpide miraculum, quod (graui teſte Plinio) Philarcho reddi par eſt. Is enim author eſt cum ad menſam cuiuſdam veniens in Ægypto aleretur aſsiduè: enixam catulos, quorum ab vno filium hoſpitis interemptum: illam reuerſam ad conſuetudinem cibi intellexiſſe culpam, & necem intuliſſe catulo: nec poſtea in tectum id reuerſam. Vt facile intelligas vehementer illi ſuæ ſobolis factum diſplicuiſſe: quæ non minus abſentiæ propriæ multa, quam filij & ſubita & violenta morte, debitam altori grati animi teſtata ſit fidem: ac funeſti inauſpicatique ſui partus, indignum facinus vlta. Vnde, ſi quæ furoris impetu percitæ in altorem educatoremq; ſuum crudeliter inter

dum

dum aliquid deſignarunt, ferocia ſenſim emollita, errore cognito de ſe ipſæ pœnas ſuppliciaque ſumpſerunt (vti monumentis veterum de homicida Leone) qui cuſtodem nutricatoremque ſuum caſu peremerat, memoriæ proditum eſt; Quis igitur credat tanta homines immanitatis rabie moueri, vt eũ perditum velint: cuius maximè beneficio viuãt, dignitateq; floreant? Non enim tantã hũman⁹ anim⁹ induere violentiã poteſt: ni in ſe ipſe prius maiorẽ ſit paſſus. Tunc enim quaſi præſentis doloris verbere exagitatæ hominum mentes furibundè inſiliunt: illatamq; vim (effugere cum aliter nequeãt) vi & ipſæ propellunt: Iniuriamq; propulſant. Id quod nõ homini tantum, ſed & brutis quoq; animantibus natura ipſa præſcribit. Ad naturalẽ defenſionẽ tacitè illa cohortans. Vnde ſuis quæq; armis mirificè inſtruxit, ſapienterque muniuit Ne ſine defenſiõne aliqua, libidini aliorum, ſæuitiæ ve paterent: haud homine prius deſerto, quem intellectu atq; ratione aduerſus mala cuncta nimium ſapienter, egregieque muniuerat. Cuius illi bono circumſepti, propulſationem iniuriæ, depulſionemque malorum, opere ſunt executi. Hoc namque & ratio doctis, & neceſsitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipſa præſcribit: vt omnẽ ſemper vim, quacumq; ope poſſent, à corpore, à capitẽ, à vita ſua propulſarẽt atq; repellerent. Eſt enim hæc, vt rectè pro Milone Cicero dixit, non ſcripta ſed nata Lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verũ ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſsimus. Ad quam non docti, ſed facti: non inſtituti: ſed imbuti ſumus. Vt, ſi vita noſtra in aliquas inſidias, ſi in vim: in tela aut latronum, aut inimicorum incidiſſet: omnis honeſta ratio eſſet expediẽdæ ſalutis.

E.
L. is qui aggreſſorem C. de Sicariis. L. vt vim. ff. de iuſt. & iure & in. l. 1. §. vim ff. de vi & vi arma & bo. l. ſcientes. §. qui cum aliter. ff. ad. l. Aquil.

Ex qvo fit, vt natura præcipiente Tyrannis ac malis principibus peſsimè conſultum velimus: bonis rurſum proſpectum cupiamus quam optimè. Sic in eos, qui pernicioſa Tyrannide ſuorum geſtiunt opprimere commoda, ſubditorum eſt animus infeſtior ad exitiumq; illorum, omnium voluntas alacrior. Eademq; ipſa duce, proborum cauſa regum magno cum gaudio atque lętitia ſanguinem noſtrum, vitamq; profundimus: fœlicem illum ter & amplius exiſtimãtes, cuius, pro bono principe ſeruando, caput eſt morti deuotum, illique per gloriam non interire ſed viuere potius videntur ſibi quibus adſtante Rege, atque adeò periculis erepto, mori cõceſſum eſt. Iure illi quidem. Quis enim non videat, illorum mortẽ ſummè eſſe glorioſam, ac præferendam longiſsimæ vitæ: qui beneficij tanti optimum principem reliquerunt debitorem? Cum præſertim (quæ nos genuit) Naturæ ſit neceſſariò vita reddenda: & quando ſuum illa depoſitum repoſcitura ſit, mortalium nemo explorare poſsit. Quod ſi repoſcẽti, velis nolis, incunctãter eſt & actutum vita reddenda: vbi melius quam pro optimi principis defenſione elocanda ſit, non equidem intelligo. Deo enim creditur oblata, quæ pro principe bono anima Impenditur. Illius ſiquidem munus & beneficium eſt, hominum vniuerſa poteſtas, regnum omne atque Imperium. Quorum miniſtris tanquam ab eo miſsis parere & obſequi, oraculo diuino monemur. Nulla nanque in terris Dei eſt certior imago, quam boni vita principis. Vt enim in Cœlo clariſsimus ille Solis fulgor, noctęque vagantis Lunæ candor, diuinæ arguunt potentiæ maieſtatem: ſua cuncta luce illuſtrantes atque complentes: Sic moderati, de incolumitateque ſuorum ſoliciti vita principis, ſapientiam nobis hîc modo quodam repræſentat diuinam, omnium commodis latè vndique proſpicientem. Vnde Chæroneus Plutarch⁹ in libello de doctrina principum, reges ipſos Dei omnipotentis ad curam ac ſalutem hominum eſſe miniſtros nõ Iniuria cenſet: vti bona, quę Deus illis largitur, partim diſtribuant: partim ſeruent. Nam quæſo te, ac quod tu aliud ſimulachrum inuenies, quod Cœleſtis magis bonitatis vel reddat vel exprimat effigiem, atque prudentis & cordati principis? Quemadmodum enim Cœleſtium, terreſtrium, atque Inferorum dominus ac princeps Deus diuina cuncta prouidentia gubernat, pro ſua cuique natura neceſſaria impartiens: vt in ſuo quodq; genere probè degat, ne externæ alienæq; veluti opis indigum ab alijs cogatur eripere, quod ſibi ſentit deeſſe, perpetuo animalia muta ligans fœdere: inſitam interim illorũ animis feritatem ita moderans atq; coercẽs, vt à cognato ſanguine mirè temperent: ac charos habeant ſui generis animantes. Sic verus ac legitimus princeps & diuinæ pietatis amator ſuorum ſecurus commodorum, & vitæ negligens ſuæ, pro populo timere incipit: cuius cõmiſſam ſibi tutelam eſſe à Deo, reminiſcitur. Illumque ſarctum ac tectum, omnique ex parte incolumẽ pręſtare modis ſtudet omnibus: eaque vna cura ſolers ſemper excubat animo. Haud ignar⁹ magni principis vitam honeſtis curis ac ſolicitudinibus oportere diſtringi: nõ delicijs atq;

turpi ocio laxari. Hanc nimirum ob cauſam Pylades hiſtrio, qui Auguſti floruit ętate, ſūme laudatur. Cum enim aliquando diſcipulus eius Hylas, quem ad ęqualem peritiā artis extulerat: in ſcena ſaltaret Canticum, cuius erat clauſula, Magnum illum Agamemnonem: porrectiſq; brachijs ſublimem quaſi dimetiretur, Pylades magiſter iratus: Tu longum ô ſtulte facis: non magnum. Perſuaſuſq; à populo, vt digna locum actione referret: ſub ſpecie cogitantis extulit Agamemnona. Nihil magno principi ratus magis conuenire, quam pro omnibus cogitare,

„ *Quippe nec Atridem Agamẽnona dulcis habebat,*
„ *Somnus multigenas verſantem pectore curas.*

Vt ait Homerus, quod & pictor ille ſenſit nobilis, qui magni regis ſimulachrum iuſſus effingere, cogitabundum illum expreſsit: ac veluti de Imperij moderamine anxiū. Exiſtimauit nimirum vir ſapiens, non pretioſas veſtes, non aurum, aut diadema, oris ve ſpeciem mirabilem: ſed de ſubditorum incolumitate & commodis ſolicitam principis mentem, dumtaxat magnum Regem efficere. Quis enim tam ſtultus, vt putet ex oris habitu ac reliquo cultu corporis maieſtatem regiam, cuius ſplēdor omnis hauritur ab animo, eſſe cēſendam? quæ interdum negata bonis: malis ſæpe contingunt? Quaſi verò amiſsio oculi deſpicabilem fecerit Macedonum regē Antigonum: qui non vno hoc tantum vitio erat notabilis, ſed & colliſo inſuper naſo ac ſtatura puſillus. Aut minus honorabilem va rices Caium Marium, ac ne tunc quidem, cùm militari ſagulo coopertus à gregarijs nihil differens, ſolus luſtrabat exercitum. Multis enim magniſque virtutibus, corporis hęc vitia penſabant, neque ibi quiſquam corpoream effigiem reprehendendā eſſe ducebat: vbi tot ac tantę animi dotes inſigniter eluce rent: quin beati imperatores militibus videbantur: ipſiq; etiam ab alijs milites apellabātur fœlices, qui auſpicijs ac ductu eiuſmodi virorum cum hoſte eſſent manus conſerturi: vbi certa eſſet omnino futura victoria. Algorem enim, ęſtum, ſitim ac famem tolerare Marius nouerat: noctesq; inſomnes agere Nec verò virtute tanta animi inferior erat Antigonus, vt qui ſapientia excelleret: vigilantia atq, induſtria par cuiquam commendatorum ducum iure crederetur. Vnde non Imperatoria ſolum, ſed & militaria aliquoties ſedulo obibat munera: nihil ſibi pręter cęteros circa laborem indulgens. Idem virtutis pro concione laudandæ, & ignauiæ reprehendendæ pręſtantiſsimus artifex habebatur. Belli ſtudioſus adeo, vt vel ludicris Martis certaminibus gauderet impenſè. Nam cùm thoracibus & galeis inſtructos milites ſuos aliquando eſſet ſphęra ludere conſpicatus, huiuſmodi ſpectaculo delectatus eorum duces protinus iuſsit accerſi: vt coram eis laudaret illos. Sed cum eſſet renunciatum duces ipſos bibere: horum pręfecturas militibus curauit dandas, qui armati exercebantur: vnico facto militum ſtrenuitatem honorans, ac ducum puniens ignauiam. Graui interim exemplo docens, cōpotationibus, cupedijs, Lautitijs, delicijs: genio ac voluptati indulgere, non eſſe viri principis: quem non niſi honeſtis conuenit occupari: & ſuos ſemper inſigni aliqua animi virtute tueri. Cuius quidem honeſti ceu archetypus eximius, heroicęq; alicuius virtutis exemplar, vita debet ſuis eſſe propoſita: non ad vitia fomes atq; excitamentum. Pręclarè igitur Alexander Macedo Darij regiam ingreſſus: quum vidiſſet ſublime cubiculū, & in eo ſtrātum: menſas cęteraq; omnia mirifico ornatu inſtructa. Hoccine, inquit, erat imperare! Sentiens non eſſe regium, tot ac tantis delicijs affluere.

SED anteaquàm partem hanc, quæ à me eſt Regno & Imperio aſsignata, longius videar executus: haud me eſſe prorſus abſurdè facturum, opinor: ſi ſtrictim ac velut per tranſenam: huius (quo de agitur) nominis ſignificationem quandam paucis excuſſero. Mihi enim probè ſemper videntur facere, qui quæ ab alijs inter legendum in dubium verti poſsint, ſuis ipſi ſcriptis declarare nituntur: lucis vndique (quam poſsint maximè) ſemper aliquid lectoribus adferentes, & quando cunctis ex ęquo mortalibus ſapere datum non eſt: quemadmodum neque in omnibus excellere. Aliud enim alijs vel à natura eſt inſitum: vel ab arte traditum: vel induſtria perfectum: vel vſu cognitum: doctorum indoctorumq; hominum turba ad legendum interdum allicitur: minus circumſpecti & cauti lectoris opis aliquid afferre, iudicio, ſcriptoris prorſus videtur eſſe ſapientis. Cū pręſertim ita quoſdam affectos videas: vt inſcitiæ ergo prętermiſſa cauſentur, quæ lucida tanquam conſpicuaque prętereas. Quod tunc demum & honorificentius & illuſtriꝰ, eſſe cenſendum eſt, cum argumento inſeruientibus eidem, hoc à nobis, declarationis vice, extrema quaſi perorationis aliqua pagella appenditur. Quod eò faciam alacrius, quia eis ipſis qui breuitate quondam impēſe ducebantur placuiſſe video pręuaricationis

nis

nis genus eſſe, pręterire dicenda. Quocircà neque erit indignum, neque (vt arbitror) infructuoſum: hæc de nomine pręfari aliquid prius, quam ad altiora tendamus.

SCIENDVM igitur eſt, nominis huius vi non eos tantum intelligi, quos nos quaſi rerum dominos, Imperatores vulgó vocamus (qui ijdem apud Romanos quondam dicti ſunt Cęſares) ſed & eos deſignari qui exercituum ductores, belliique gerendi adminiſtratores Senatus Conſulto, Quiritum ve ſuffragijs à populo creabantur. Idque vel ad pacandas prouincias, vel ad fœderatorũ iura tuenda: vel ad hoſtium Romani populi audaciam comprimendam: vel aduerſus rebellantium furorem, ſtultiorem impetum, furibundumque omnem animi conatum. Ac ne legitimè quidem Imperatores vocabantur: niſi qui iniuncto munere rectè fuiſſent & proſperè perfuncti. Nam, qui re infecta, minus ve pręclarè geſta prouincia, domum reuertebantur: & neq; cæſis hoſtibus, neq; in fugam verſis: hi certè in ea erant cauſa, vt Imperatores vix haberẽtur. Erat quippe dignitatis plenum, nomen Imperatoriũ. Quod niſi certis ex cauſis propriè cuiquam competere non poterat. Vnde, vt apud Plutarchũ extat ſcriptum: cum comparato exercitu, ductiſque copijs in Lybiam contra Domitium Pompeius tenderet: pugnaq; congreſſus Domitianorum maxima edita ſtrage, victor euaderet: militibus ipſum Imperatoris titulo cõſalutantibus, negauit, ſe eum honorem admiſſurum quoad hoſtium vallum ſtaret erectum. Quæ cum milites audirent pluuiam (qua impediebantur) nihil morati: magno impetu proruunt: aggereq; ipſo diſsipato caſtra diripiunt: victoriaq; potitus Pompei9, non imperator tantum, ſed à Sylla quoque Magnus eſt dictus. Quod tam illuſtre cognomen virtute animi partum: à principeque Romani populi iure delatum, nouo homini ſummæ apud ciues ſuos inuidiæ fuiſſe eſt traditum.

SED reuertamur illuc, vndè diſceſsim9. Hoc igitur quamuis ita habendum ſit: abuſiuè tamen, quicunque eſſent cum exercitu miſsi, Imperatores dicebantur. Hæc, qui Ciceronem crebrò lectitarit, non eſſe falſa comperiet. Hinc. M. Tullij acris illa pro lege Manilia contentio, de creando Imperatore aduerſus potentiſsimos reges Tygranẽ & Mithridatẽ, Ponthi hunc: illum Armenię. Cùm vnum Cneium Pompeium bellicis in rebus virum ſpectatiſsimum decerni omnino cuperet: qui illorum temeritatem, effrenemq; audaciam contunderet. Vnde Imperatorias virtutes, maxima cum Pompeij laude ſummè perſequitur. Atqui, Ciceronis Pompeijq; ipſius ętate, nondum potito rerũ Cæſare, annuis Conſulibus Romanorũ Imperium ſolitum eſſe gubernari, haud opinor quiſquã vertet indubium, qui vel tantillum Romanas literas deguſtarit. Cõtinuata autẽ à Caio Cæſare dictatura, per Tyrannidemque facta perpetua, cuius antiquiores illi Romani ſemeſtre tantùm Imperium eſſe voluerant: ne ſuprema poteſtas, diuturnitatem temporis nacta, liberum in populum Tyrannidis aliquam ſpeciem, formamq; induceret (Nam & dictatores ſupremi omnium, magiſtratus habebantur) à Romanis, vt Liuius & Patriti9 tradunt, ſic dicti: quod dicto & Imperio illorũ cunctos oporteret ſtare, tam eſt Dictaturę cõtinuatione, Imperij forma immutata, quã conſularis illa quę celebris quondam diu eſt habita, dignitas diminuta. Ita protinus regni facies quædam emicuit: Imperiumque ſub ortum eſt nouum. Cumq; ad vnius ſe hominis arbitrium, voluntatem animi, atque nutum cuncta componerent: quaſi quędã terrarum orbis manarchia, Imperatoria eſt nata poteſtas. Ijq; qui ad tantam eſſent faſtigij maieſtatẽ euecti, Imperatores è veſtigio dici ſunt cœpti. Vel à Cęſarum familia, vnde tanta hęc primum poteſtas inceperat, Cęſares ſunt appellati. Qui igitur ante Iulij Cęſaris dominatum, vel à populo ſunt, vel à Senatu Imperatores decreti: hi nimirum longè alia conditione viuebant; quam qui deinceps populi Imperio violenter arrepto Cęſarem ſunt ſecuti. Ab hoc enim profectò qui ſunt, rerum domini fuerunt: antiquiores illi, populi tantùm miniſtri putabantur. Idcircoq; Conſcriptorum patrum decreto, qui ob ętatem, doctrinam & ſapientiam, cauſis erant cognoſcendis perfecti, Imperium ponere finito ſpatio: aut ſe illo (ſi fortè deliquerant) abdicare cogebantur. Hinc nimirũ Romani Imperatores Cęſareo ſunt nomine honeſtati. Vt enim cęteræ gẽtes (quę vnius Imperio arbitrioq; reguntur) ſuos quæque reges proprio quodam nomine inſignierũt: vt Achemenidas Perſę: Abantiadas Argiui: Murrhanos Latini: Syluios Albani: Syriani Antiochos: Lybiarchas Lybici: Arabarchas Arabes: Arſacidas Parthi: Thebani Labdacidas: Ptholomęos & Pharaones Ægyptij: ſic quoque Romanus populus ſuos poſtea Imperatores, Aguſtos & Cęſares cenſuit appellandos. Vnde illorum mentis placita, conſiliorumq; ſcita literis comprehenſa nunc Im

peratoriæ Romanorum Leges: nunc Cęſarea vulgò iura vocantur.

VERVM enim verò, quoniam belli gerendi adminiſtratorē, exercituſq; præfectum, Imperatorem à veteribus diximus appellari: operæ pretium ſanè fuerit: quæ huius, quæ ſuorum militum partes ſint explicare breui. Ne difficili à nobis loco perſtricto, interpretandi laborem defugiſſe videamur. Hoc igitur in primis conſtituēdũ eſt; ex omni hominũ genere nihil eſſe optimo Imperatore aut rarius, aut inuentu difficilius. Quę opinio ab illo profecta creditur, qui ex omni memoria temporum ipſe eſt omnium dux pręſtantiſsimus habitus. Etenim Alexander ille Macedo, cuius bellica virtus terrarum orbē hunc vndique peruagata eſt (ſic nanque memoriæ eſt proditum) admirari ſolitus fertur: qui factum eſſet, vt Athenienſes primo quoque anno belli duces, Imperatoreſque nouos eligerent: cũ ipſe per omnem vitam, præter vnum Parmenionem, bonum ducē, nullum planè inuenire potuerit. Neque id ſane iniuria. Nouerat enim vir ſapiens, multis eum: magniſque virtutibus debere excellere: qui excercitibus eſſet Imperator conſtituendus. Cuius modi hominum mirā vbiq; paucitatem ac penuriam eſſe videbat: quod vſu plurimùm venit in magnis. Sēper enim optima quęque rariſsima ſunt. Idque ipſum reperiri poſſe non facile, dignitatem ipſorũ commendat, pretiumq; adauget. Haud temere ergo eius rei abſolutio ſumma, cumulataque perfectio contingit homini, cuius vel ſingulę partes laudatiſsimę ſunt, & inuētu difficillimę. Quis enim non videat pręter virtutes cęteras, quibus imbutum eſſe Imperatorem conuenit: duabus potiſsimum mortalibus cunctis antcire debere, prudentia ſcilicet & fortitudine? Quarum virtutum eò magis cenſeri debet difficile vinculum: q in omni ęui memoria vix vnum aut alterũ reperias: qui hac tanta laudis celebritate dignus exiſtat. Neq; enim omnes, vel Hectoris vel Agamēnonis eſſe ſimiles poſſunt; de quo apud ſummum Poetam pręclarum extat elogium;

" *Dux bonus, atq; idem validus, pugnator in armis.*

Nam Æacidarum genus, manu licet promptum & pugnis clarum, tamen, ſi Ennio credimus, ſtolidum ſemper eſt habitum.

" *Armipotentes (inquit) ſunt magis quam ſapientipotentes.*

Sed tamē, virtutis huius nomine Numidarum Regem Iugurtham mirificè Saluſtius celebrat. Cuius in laudē ait, Ac ſanè, quod difficillimũ in primis eſt: & prælio ſtrenuus erat, & bonus conſilio. Quorum alterum ex prouidentia timorem: alterum ex audacia temeritatem plęrumq; afferre ſolet. Laudatur itaque huius fortitudo, ſed pręceps animi conſilium reprehenditur, temeritaſque culpatur. Illius in cœlum vſq; laudibus prudentia effertur: Ignauia tamen, animiq; imbellis probro ducitur. Qua hic laude caret, ille abundat: vtriuſque tandem nec ſtario pręſidio deſtituuntur ambo. Hunc prudentia fugit: illum deſerit manus. Sic nimirum vbi vtrinque cominus permixtæ ſunt acies: cadentium militum varij vtrinq; audiuntur gemitus. Hic incogitantiam reprehendit ſui ducis, audaciamque pręcipitem: incuſat ille contra animum virilem parum: fugienteque iam anima formidoloſitatem illi vehementer improperat. Alius ęgrè vita diſcedens, magnitudine doloris victus & tanquam furore correptus, cœlum conqueritur, immeritaq; aſtra vituperat, Cùm harum rerum pręcipua cauſa in Duce ipſo re vera ſita ſit, excordi vel temerario. Abiecti enim pauor animi, fortioris viri certiſsima pręda eſt: reſq; profecto iniuriæ valde obnoxia. Iam verò, ſine conſilio vires quid aliud ſunt, quam inſani gladius, poſſeſſoriſq; ipſius ad calamitatem inſtrumentum nimis efficax. Rectè itaque Horatius.

Vis conſilij expers mole ruit ſua.

Quod illorum exitus apertè declarat: qui rerum omnium ductricem optimam prudētiam faſtidientes (vt dicemus alibi) ſuis ipſi viribus miſerabiliter conciderunt.

CVM igitur vim atq; robur corporis in Duce cum prudentia ſimul oporteat conſociari: quod ſine alterius adminiculo virtus altera mancum ducem imperfectumq; efficiat, & bellicis rebus tractandis parum aptum. Virtutes item alias perſequi par eſt, quas in optimo Duce cōſpici debere, ſapientes viri memoriæ prodiderunt. Cicero liquidem pro Lege Manilia in ea eſt opinione, vt exiſtimet in Summo Imperatore quatuor has res ineſſe oportere. Scientiam rei militaris, virtutem, authoritatem, fœlicitatem. Pauloq; mox ſubdidit. Virtutes Imperatoriæ ſunt hę: labor in negotijs: fortitudo in periculis: induſtria in agendo: celeritas in cōficiendo: & in prouidendo conſiliũ. Quæ ſi vel ſingulæ difficillimæ ſunt: profectò Imperatorē eſſe, magnum quiddam, rarum ne penè diuinum, exiſtimare debemus. Quibus de virtutibus diſputare, conſultò prętereo tne, ſi eos, qui in earum parte aliqua inſignite

præ

præſtiterūt declarare pergam (nam in o nnibus inuentus eſt nemo) licet hanc tantam gloriam Homerus, vt diximus Agamemnoni, Saluſtius Iugurthę, & Magno Cicero vendicare velit Pompeio, euagatur longius meo videar officio pa ū functus: qui breuiter ad ipſum tractaturū eſſe me, antea ſum pollicitus. Huius igitur Imperatoris (vt Cyrus vult Xenophōtius) præcipuum munus eſt, virum ſeſe probum, incorruptumque præſtare: ac curare inſuper vt qui eius ditioni & Imperio ſubiacent, ſarctitectiq; ſint: & ſemper quā optimi fœliciſsimiq; euadant. Militis rurſum officium eſt, Imperanti libenter acquieſcere: labores ac pericula, etiam quę difficillima ſunt, virtutis ergo non recuſare: ſed animo prompto & alacri, ſpeque potius pulchra erigi ad honeſti facti memoriā: epitaphia vera aucupantem. Bellicę etiam rei tenere peritiam conuenit: rectè atq; ordine animoſè pugnare: faſtiditiſq; tandem cęteris, ad honeſtatem, dignitatem & honorem: animum ſemper intendere. Ac, vbi militię ſacramento addictus, militari erit baltheo condecoratus: neque reipublicę cauſa mortem refugiet vnquam: neque à ſignis ſuis atque vexillis diſcedet temerè: verùm militaris diſciplinę ac religionis memor, munia ſua obibit alacer: ducemque ipſum haud ſec⁹ ac patrē habebit charum, ac reuerebitur, & tanquam caput reipublicę certiſsimum, ſummè vbiq; nitetur defendere. Veritus, ne ignauia ſua princeps belli, qui reipublicę vice fungitur, aliquando periclitetur.

SED QVO maior ducis quam cęterorum militum & perſona & dignitas eſt: ita hui⁹ difficiliores ſunt partes, magiſque arduū munus. Id quod videri nulli debet abſurdum. Hoc enim ratio, hoc æquitas vult: nam mirū vt non ſit in onere inferior, qui in honore maior eſt, ſuperiorque habetur. Quocirca benè Cambyſes (vt author eſt Xenophon) Cyrum filium admonebat: belli ducem ęſtate pręter milites cęteros Solis ac pulueris vim debere pati: in bruma pluuias & frigora: diſcriminibus atque periculis intereſſe ſemper: labores quoſuis haud eſſe perindegraues duci dictitās: ac gregario ſint militi. Propterea quod ex rebus pręclariſsimè geſtis, honoris & famę penes hunc plus ſemper remaneat: quam alium de exercitu quemlibet.

VERVMENIMVERO quādo regētis exercitum officium non tantum in danda, quātum in obſeruāda diſciplina conſiſtit, vt eſt à ſapientibus dictum, memorięque traditū. Non ſolum videbit quid cuique pręſcribat:

In-L. officiū regētis & de re milit.

verùm proprio ipſe primus exemplo faciet, quod ab alijs geſtiat obſeruari. Incredibile enim dictu eſt, quam ſit ad ex hortandum efficax: ſi quę pręcipias, facites. Et quoniā rectiſsimè dictū eſt, ad ea toto impetu homines ferri, quæ à principibus factitatur, illud vſquequaque ſtudebit, ne vitę licentia: militum animis exitioſum aliquid aut peſtilēs inſundat. Veriſsimum quippe eſt Claudiani poetę dictum, quo vſi ſumus antea,

Minare in vulgus exempla regentum.

Expetendarum igitur, fugiendarumque rerum norma rectiſsima ſuis eſſe debet militibus dux: & morum exēplar vnicum. Quare in re Imperatori ipſi magnopere erit vſque elaborandum. Nanciſcetur nanq; ex ea duplicem fructum, & quod obſequentiores, officioſoſq; magis milites experietur: & quo honoratior, auguſtior ac ſanctior ipſe cenſebitur. Heroicam enim ex æquo illius omnes virtutem animi reuerebuntur. Peccareq; minus libebit: cum integritatis & modeſtiæ authorem, ducē ipſum intuebuntur. Quin illud etiam perſpectū habebunt: tali ſub principe neque virtuti ſua eſſe præmia defutura: neque ſupplicia delictis. Siquidem is demū honorare virtutem nouit, qui ſtudioſè ipſam ſectari ſolitus eſt: punietq; rurſus idē crimina longè ſeuerius, qui à vitiorum labe omni mortis inſtar abhorret. Hinc nimirum magnam eſt Caius Marius laudem conſecutus: qui non ſolùm proprijs vitæ exemplis benè atq; frugaliter agere milites ſuus docuit: ſed & comprobatis quoq; aliorum rectè factis: quantum ipſe probitatem animi honeſtatēque amaret, & à turpitudine omni abhorreret, inſigniter declarauit. Cū enim Luſius ex ſorore nepos Trebonio cuidam adoleſcēti, qui ſub ala, cui ipſe erat ab Imperatore Mario præfectus, militabat, vim aliquando intuliſſet, infamiaq; tactus egregius adoleſcens, ac facti turpitudine motus, Luſium occidiſſet: interempti ducis coram Imperatore reus actus, obiectum crimen inficiatus non eſt: ſed & cauſam aperuit, flagitiumq; probauit. Hic Marius coronā è veſtigio iuſſit afferri, inclyto pro facinore in bello dari ſolitam: magnificiſque verbis virtutem animi prędicans, capiti illius impoſuit, graui docens exemplo pudicitiam militum ſaluā atque illęſam oportere prędſtari. Indignū Improbum que ducem àmilitie quandoq; haud iniuria interimi poſſe, ſpecioſe ſane, ac prudenter profectò, qui ne propinquitate qui dē ſanguinis quā maxima coniūcto ac duci, turpi in cauſa ſauēs duxerit eſſe parcendum.

CVM

CVM IGITVR Imperatoris hoc optimi ſit: tum illud etiam ad illius ſpectat officium: eſtq; vel in primis neceſſarium. In Caſtris G. continere milites: ad exercitationem producere; portarum claues ſuſcipere: vigilias interdum circum ire: frumentationibus commilitonum intereſſe, frumentum prębere: menſorum fraudem coercere: valetudinarios inſpicere: commilitonum audire querelas: reique huius excutiendę cauſa frequenter intereſſe principijs: ſecundúq; ſuę qualitatis & authoritatis modum punire delicta. Et quoniam in huius verbi mentionem incidimus, videndũ eſt, quid ſit militare delictum. Vt enim Arrius H. Menánder libr. 3. de re militari ſcribit. Militis omne delictum eſt, quod aliter quam diſciplina communis exigit, committitur, veluti ſegnitię crimen, vel contumacię vel deſidię: Quę profectò bifariá conſiderantur. Alia I. enim propria: alia communia vocantur. Communia ſunt, quę cum cæteris admittũtur. propria quæ ab vno aliquo milite ſeparatim deſignantur. Vnde illorum perſecutio aut propria, aut communis eſt. Pro admiſsis, pœnæ huius modi irrogãtur, vt quarto de pœnis Modeſtin' K. ſcribit. Caſtigatio, pecunaria mulcta, interdictio munerum: militiæ mutatio: gradus deiectio: ignominioſa miſsio. Sunt enim miſsionum cauſæ tres, quemadmodũ Macer L. ſecundo de re militari memorię prodidit, honeſta, cauſaria, ignominioſa. Honeſta eſt, quę tempore militię impleto, datur. Cauſaria, cum quis vitio animi vel corporis minus idoneus militiæ renunciatur. Ignominioſa eſt, cũ quis propter delictum, militiæ ſacramento ſoluitur, militarique baltheo exuitur. De quibus omnibus plenius velle, diffuſiuſq; tractare, pręſentis loci atque inſtituti non eſt. Vnde ab his pręcipuè lector erit inſtruendus, qui de re militari pręcepta tradiderunt: vel conſultorum erunt libri exactius euoluendi; nõ enim incurioſẽ tractarunt, quod ad hanc attinet partem. Nos verò carptim ſumma quęque libauimus: quę in pręſentia minus commodè ad plenum tradi poterant, ſtrictim attigiſſe contenti.

G. L. officium regẽtis. §. oſa. tribunorum. ff. de re mili.

H. L. omne delictum. ff. de re. mili. in princ.

I. In. l. militũ delicta. ff. eod. titu.

K. In. l. de ſertorem audi tum. l. p œnæ militũ. ff. eod. tit.

L. L. milites agrũ. §. miſſionũ. ff. eod. titu.

VNVM Illud tñ pręcipiẽdum eſſe videtur: Imperatoreſque id circo, duces, pręſides militumque præfectos M. monem' ter & amplius vt militiæ diſciplinam non patiantur hebeſcere. Id autem facillimè conſequentur: ſi premijs honeſtabunt probos: digniſque malos multabunt pœnis. Quod enim Solon ſapienter dixit, premio & pœna reipublicæ ſalutẽ contineri: id in Imperio, militarique omni diſciplina, haud dubiè latiſsimè patet. Quõcirca, M. Emanſores, Deſertores, trãſfugas, ſtationis refugos, Ducum obauditores, cæterorumque criminum reos: pro admiſsi grauitate dãnabunt. Sunt autẽ Emanſores, qui diu vagati reuertũtur ad Caſtra: deſertores, qui per prolixum tempus vagati, reducuntur: differũtque quaſi in ſeruis à fugitiuis Errones. Transfugæ ſunt, qui à nouis ad hoſtes deficiũt, & trãſeunt. Stationis refugi, qui ex loco à Duce ſibi commiſſo, vel diſcedit temere: vel refugit ob ignauiam. Obauditores ſunt qui Imperata mandataque Ducum vel moroſè ſuſcipiunt, vel planè detrectant. Quod crimen deſertioni eſt proximum. In bello etenim, qui præſidis vel alicuius præpoſiti ab excubatione deſiſtit, N. peccatũ deſertionis contrahit. Qui præpoſitũ O. (cum poſſet) non defendit: pœna debet capitis plecti. Pro factore namque habendus eſt, qui in periculo deſeruit, quẽ eximere potuit. Sed & peccantiũ P. quoq; ratio debet haberi. Aliter ſi quidem Tyro, qui diſciplinam iuſtè ignorare potuit: aliter veteranus miles plectendus eſt. Vtque illis ob imperitiam venia interdũ danda eſt: ita his, ſuperioris, ante actæque vitæ merito perpenſo, aliquando remittendũ eſt. Nam ſceleris pœnam Q. prætermittere id enim eſt quod vocatur ignoſcere, neque vtile neq; tutũ eſt: fundit' enim vim omnẽ diſciplinæ labefactat ac tollit. Propoſitaq; flagitiorum impunitas non minus bonorum naturam adulterat: quam malorum enutrit audaciam. Deteriores nanque vt rectè Terentius ait, omnes ſumus licentia.

M. L. de ſertorem. §. emãſor & in. l. qui cũ vno in verſiculo leuius itaque delictũ ff. de re. milita.

N. L. deſertorẽ. §. ſi præſidis. ff. eodem & in. l. qui excubias.

O. In. l. omne delictum. §. qui prepoſitum ſuum ff. eod.

P. In. l. nõ omnes in princ. ff. eod.

Q. L. ſi ita vulneratus. ff. ad. l. Aquil. & in l. congruit. ff de offic. præſi.

SVNT ET ALIA delicta militum. Nam & in acie, qui ſpectantibus militibus prior fugam fecerit, propter exemplũ R. capite puniendus eſt. In bello etiam, qui rem à Duce prohibitam fecit aut mandata non ſeruauit (licet res fœliciter ceſſerit) vita S. plectendus eſt. Quam vnam ob cauſam Carthaginenſes perpetuò laudantur: apud quos etiam, quæ à Duce temere attenta ſunt, fœlicẽ nihil moratus euentum, Senatus ſeueriſsimè punit. Sic & Titus Manlius Torquatus apud Romanos: & ſuos inter ciues Thebanus Epaminundas in laude magna fuerunt: quod victores filios vnam tantum ob cauſam curarunt interimendos: quia contra edictum temere cum hoſte pugnaſſent. Hinc apud Xenophõtem Chryſantam Lacedęmonium militem laudat Cyrus, quod hoſtem interfecturus, quum iam gladium ſuſtuliſſet, & interim receptui cani audiſſet: hoſtem omiſit: & quaſi prohibitos ictus abſtinuit. Quod cum in exer-

R. In. l. omne delictũ. §. in acie. ff. de re. mili.

S. In. l. deſertorem. §. in bello. ff. eod.

exercitu quidam admodū miraretur, Præſtat (inquit) parere duci quem hoſtem occidere. Quod quidem facinus Laconica indole iudicio meo dignißimum extitit. Etenim nulla vnquā natio ſtudia belli tam religioſè coluit, quam Spartana gens: Inter quos imperādi & obſequendi ars ſanctißime exercebatur: vnaq; tantum bellica diſciplina vigebat: vmbratili vita, ſedentarijſque artibus abdicatis ex republica. Quas obres Deos deaſque omnes armata effigie colebant: vt omnes tractare arma addiſcerent. Ex quo factū eſt, vt qui in prælio ſcutum abieciſſe ob Ignauiam probaretur, Infamis ac vilis degeret. Cumq; Archilochum poetam honoris ergò Sparta recepiſſent: vbi intellexerūt, ver ſibus quibuſdam illum ſcripſiſſe: Satius eſſe, quam mori, arma abijcere, actutum vrbe expulerunt, ne in armorum cultrice maximè ciuitate patuiſſe illi ad honorem aditus videretur, qui timiditati animi, Ignauięque fauiſſet. Carmina ſic habent.

At, caruiſſe armis, quā mortē occūbere, præſtat.
Aſpide pro iacta, mox melior dabitur.

T. Alienare arma, T. militi graue crimen eſt: de
In l. qui cō- ſertioniq; proximum cenſetur. Qui procin-
meat⁹. §. ar- ctus tēpore adaptandis inſpiciendiſq; armis
ma. ff. eod. miles immoratur: non ſecus atq; inutilis & timidus abijciendus eſt. Quo quidem temporis articulo ex antiquis Lacedæmoniorū legibus, qui ſub tecto conſpicerētur, vt author eſt Marcelin⁹, capite plectebantur. Alexander Macedo Inſtructa iā ad præliandum acie, amentum telo adaptantem militem perinde atq; nullius vſus ab exercitu remouit: quod tunc demum apparaet arma: cum his
V. foret vtendum. Parati enim agere debe-
In l. deſer- mus: non agētes præpare. Seditioſus V. miles
torem. §. qui morti dabitur: peſtilenti enim malo occurrē
ſeditionem dum properè medicina eſt: ne in plures ne-
ff. de re milit. gligentia diffuſum, tabe ſua abſumat exercitum. Si atrocioris criminis conuicta legio ſit, conſumenda eſt: aut certè decumanda. Sed in his modus eſt ſapienter adhibendus. Neque enim quęuis ſeditio vel turba militē addicet neci. Neque vulgare aut viſitatum crimen, tot hominum millia (ex quibus cōſtatur legio) nefando ſupplicio perimet. Sed de pœnis hactenus, ac fortaſſe nimis multa.

Illud duces ſedulo curabunt, vt quæ fa-
X. cturi ſint, nulli mortalium aperiant, Metelli
In l. omne exemplo: qui roganti amico quid eſſet die
delictum. §. craſtina facturus, reſpōdit: Si rei huius hanc
exploratores: & in l. mihi tunicam ſcirem conſciam: exutus quā
proditores. primum igni darem abſumēdam. Similiter,
ff. de re mili. & Philippo filio adſtantibus multis ſciſcitanti quando eſſet caſtra moturus. Antigonus ait, quid? an metuis ne ſolus non ſis tubam exauditurus? notās obiter filij curioſitatem, qui rem periculoſißimam & ſilentio altißimo premendam, tot præſentibus viris effutiri amenter cuperet. Quo circa milites, qui noſtri exercitus res hoſtibus produnt, ſeuerißimè plectendi ſunt, exquiſitiſq; ſupplicijs mactandi.

Danda etiam belli principi opera eſt, frequēter vt bellis interſit. Dictu enim mirum eſt, quam militum virtutem excitet præſentia principis. Vnuſquiſque enim ſub eius oculis ardentius dimicat: ſpectatoremque principem ipſum reueritus, interrito & acri animo vel difficillima ſubit. neq; hoc ita exactè, ad viuumque reſeco: vt qui adeſſe præ lijs principem oportere præcipiam: & pugna re itidem cogam. Quin Tetentianus ille De mea rectè erit conſiliarius adhibendus: qui ſtultum patrē ob filij diſceſſum grauibus ſeſe ligonibus miſerè fatigantē, ſic alloquitur

Quod in opere faciendo operæ conſumis tuæ,
Si ſumas in illis exercendis: plus agas.

Nam quis neſciat longè plus agere principē: verbis optimis, ad pugnam exhortantē ſuos: quam diſtricto gladio, in hoſtemque raptus ſit acturus? Quanti enim. M. Catonis verba illa æſtimanda putas, quib⁹ ille apud Numātiā deſperatione rerum fractos militum animos ſubitò erexit: & ad honeſta atque optima patranda alacres ac prōptos reddidit. Sic enim eſt exorſus: Cogitate cum animis veſtris milites, ſiquid vos per laborem rectè feceritis: Labor ille à vobis cito recedet: benefactum autem à vobis dū viuetis non abſcedet. Sed ſiqua per voluptatem nequiter feceritis: voluptas citò abibit: nequiter autē factū illud apud vos ſemper manebit. Quæ igitur vlla tanta, tamq; egregia fortiter, gnauiterque dimicantis opera eſſe potuit: quæ tantam ſuis opem afferret, quantam attulit inclyta hæc Catonis oratio? Quæris quid ſit actum? fuſi ſunt hoſtes, qui gentium principem Romam bello audebant, armiſque laceſſere. Quis igitur dubitet, ducis exhortationi prudenti ſpecioſam hanc victoriam, ac ceptam eſſe ferendam? Benè igitur Aphricanus ille Scipio, quum ab inuido quopiam tamquam pugnator parum ſtrenuus inceſſeretur: Quid mirum (inquit) Imperatorem me mater: nō bellatorē peperit. Significans, opinor, vincendi rationem non tam viribus quam ducis conſilio, ſapientia ac dexteritate parari. Vnde ſapies ille Demetrij filius, idēque Macedonū Rex Antigonus, nauali prælio

lio Ptolomei milites adort*, nauium guber-
natori (quod plures eſſent hoſtium naues)
à facinore deterrenti, Pro quot, inquit, naui
bus ipſe ſupputas: quod præſens hic ego ad
ſto? Nam id temporis à ſuis Ptolomeus abe-
rat, ſentiens ad parandum de hoſte triũphũ,
permagni referre exercitum regi ab Impera
tore. Rectè ille quidem, eſt enim Corbelli
Dux. Non igitur iniuria Oratoris Demadis
nobilis laudatur vox: qui Alexãdro vita de
functo: Macedonum exercitum duce orba-
tum Cyclopi excęcato dixit ſibi ſimilem vi-
deri: obiter inſinuans militum turbã, ni cor-
datus & vigilans Dux adſit, parui eſſe mo-
menti: quemadmodum exſecto excæcato-
q; oculo immanis ille Gygas Polyphœmus
portentoſas vires, vaſtumq; ac robuſtum in
caſſum copus habebat. Hoc idem & Tra-
gicus Euripides ſenſit, cuius illud laudatur
vulgò. Vnum, ſcilicet, conſilium rectũ, mag
nam ſæpè militum manum vincere. Cui &
Dion Pruſięſis adſtipulatur eis in libris, qui
de regno ſunt ab eo accuratius ſcripti. longè
maiora paucorum conſilio geri poſſe aſſerẽs:
quam viribus multorum. Parum (niſi fallor)
ab Homerica ſententia diſtans. Apud quẽ
Agmemnon dicit, Ilium, Troiamq; euer-
tere multo ſibi eſſe facilius, Si conſilij admi
niſtratores Vlyſſes decem vel Neſtores ha-
beat: quam Achilles totidẽ: & ſtrenuè pug-
nantes Aiaces haberet in Caſtris. Celebratur
que propterea Ageſilai regis cordatiſsimi di-
ctũ: qui in pugna aduerſus Thebanos apud
Mantineam geſta (in qua nobilis Epaminũ-
das occubuit) aduerſæ gẽtis in Duce & pru
dentiã, rei & bellicę admiratus peritiã: ſuos
protinus eſthortat vt cętuseris, omnibus pro
nihilo habitis: in vnum illum ducẽ vim om
nem belli, impetumq; conferrent. Illud cre-
bro dictitans, in pręlijs hos ſemper eſſe qui
vincant: non ignauam militum colluuionẽ.
Ac, certè ſi rem altius ſcrutari libeat: inuenie
mus, totam belli Fortunam non aliundè pẽ-
dere, quàm à ducum prudentia atque virtu
te. Id quod innuere volens dux inclytus Ca
brias, illud in ore ſæpi⁹ habuiſſe dicitur: For
midabiliorem eſſe ceruorum exercitum du-
ce Leone; quam Leonum duce ceruo. Nec
aliter hoc ſenſit Epyrotarũ Rex Pyrrhus, qui
hoſtilis exercitus animoſitatem militum cõ
templatus: illorumque prępecti, vilis, abiecti
animi incogitantiã & imbelliam: dũ acriter
fugientes inſequitur: o quàm facile (inquit)
erat orbis Imperium, aut vobis me duce mi
litibus: aut mihi militibus vobis? Sed ſint
hęc de ducibus dicta ſatis. Illudque quaſi
appendicis loco: extremæque vice coro-
nidis de militibus cõſideremus: quod vir in
hiſtoria diligens, in libris de republica adno
tauit Senenſis Patritius, docendos, ſcilicet
eſſe milites. M. Catonis exemplo, vt aduer-
ſus hoſtes ſint feroces: humani ac comes er-
ga amicos & ſocios: timidi ad inferendas in-
iurias: ad vlciſcendas verò prompti. Et nihil
magis cupiant, quam laudem & gloriam adi
piſci. Quę vna perſuaſio ad incolumitatem
bellicę diſciplinę, ſplendoremque honeſta-
tis vbiq; retinendum multo eſt omnium op
tima. Sed ſit iam modus, ne dictis non mã-
ſiſſe: pollicitiſque meis parum videar perſti-
tiſſe quare ad ea, quę de Imperio quaſi inter
ciſa abruptaque reliquimus, aliquando tan-
dem reuertendum eſt. N I C. Nę tu ſapiẽter
qui facis, id ipſũ occupes. Nã ego certè iſthuc
ibam. Non quòd mihi genus hoc orationis
diſpliceat: aut indigna, neceſſaria ve parum
(quæ à te hactenus de ducibus ſunt dicta)
eſſe exiſtimem. Sed quia eius operę, quam
pręcipuè ſumpſeris velim te quàm meminiſ
ſe. Ne diſputandi ratio, quaſi ſuos vndique
conſectans articulos, neceſſarias illa quidem
moras trahat, ſed malè auido lectori, fructu
oſas licet: non tamen ita iucundas. Qua qui
dem in re, etiã ſi vtilitatis ſit pręcipuè ratio
habenda: ſunt tamen quorundam hominũ
ita moroſi, faſtidioſiq; ſtomachi: vt vberta-
te rerum varia, qua noua alijs ſurgit orexis,
offendantur nimiũ. Quin etiam ſępe videas
ex adulterata delicijs, & irritamẽtis gulæ cor
rupta temere appetentia vel morbum naſci
vel creari faſtidium. Vt enim cum opiparè &
lautè, nimis ſplendido aliquo ſumptuoſoq;
cõuiuio, & dubia (quod aiunt) cœna ſumus
excepti: multipliciũ rerum eſu ad tempus
iucunde fruimur: ſed poſt paulo ferculorũ
ipſa varietate, diuerſitateque premimur, &
quaſi nauſeantes affligimur: ſic nimirum in
oratione accidit: recreamur moderata & ſo-
bria: nimia, luxurianteq; offendimur. Fruga
litate ducimur: luxurie trahimur. Et (vt pau
cis multa complectar) nimium omne non
ſolum aures, animumq; offendit: ſed (vt eſt
à Plinio dictum, etiam vitæ hominum ni-
mis eſt exitiale. Quæ eſſe omnia ſcribenti de
bent in promptu: quando audiendorum, le-
gendorumque librorum ſtudioſi, conuiuio
tanquam excipiuntur ab eis, quorum opera
lectitantur. P H I L. Me igitur, vt video, bre-
uitatis admones: quam ego quandoque cõ-
mendari ſcio: & magnas inter ſcriptoris lau-
des cenſeri. Vt enim qui magnarum artium
pręcepta conſcribunt: neſcire quędam aiunt
eſſe

eſſe virtutis. Sic ego in loco aliqua negligere
non venia ſolum ſed & laude etiam arbitror
dignū. Modò breuitatis ſtudio: quæ dictu
neceſſaria ſunt haudquaquam prætermittan
tur: non enim laudari debet oratio, quæ ſtu
dio aliquo breuitatis: quæ neceſſaria ſunt,
prætermittit. Cū preſertim Ingenio eo mul-
ti ſint præditi (quod à me ſignificatum eſt
antea) vt quæ ex induſtria tanquam commo
diorē aptioremque in aliquem reſeruata lo-
cum, conſilio ſunt magno relicta, ignorata
arbitrentur: innocuaq; idcirco mens ab au-
daculis carpitur: dum pro ſua quiſq; animī
improbitate, inſcitiæ adſcribit; quod iudi-
cio eſt & ratione penè ſublatum de medio:
& præſens tanquam (vt Flaccus ait) in tem-
pus omiſſum. Quorum haud eſt minus ca-
lumnia fugienda: quā tua illa breuitas aman
da. NIC. Eſt quidem vt dicis. Sed ne qui-
buſdam in locis ceu occaſione inuitatus (q
à te interdum factitari video) longius pro-
grediare: breuitatis admonui, idque vnum
præ cæteris dixi eſſe curadum: quod à te ſit
præcipuè ſuſceptum. Quæ vna admonitio
non tam auarum, aut prodigum: quam me-
diocritate quadam opportunè temperatum,
ac medium quoddam, legitimū & liberale
orationis genus exigit. PHIL. Faciam ergo
quod te velle video. Illucq; quò deſtinabā
primum, iam nunc verba conuertam.

PRINCIPIO igitur ſic habendus eſt Ale
xandri Macedonis dictum de Imperatoris
optimi raritate, non ſolùm verum eſſe indu
ce perſpici, ſed & Imperatore etiam habere
locum, quem extrema hac in parte quaſi or
bis quemdam monarcham definimus (ſi ta-
men vnquam Monarchia verè vlla in terris
fuit) Id quod perſpexit etiam Imperator
Diocletianus cū adhuc priuatus viueret. Nā
& eum dicere ſolitum perhibēt: In rebus hu
manis nihil eſſe difficilius quam bene impe
rare. Laudaturq; propterea à Flauio Vopiſco
in Aurelij Cæſaris vita, Scurrę Lępidiſsimū
apophtegma; qui in vno anulo bonos princi
pes omnes poſſe inſculpi dixerit. Significās,
vt auguror, ex Imperatorum numero, qui
etiam tunc erat maximus: quā paucißimos
extitiſſe dignos Imperio. Quę ſi vera ſunt:
ſumma nimirum eſt bonorum principum
raritas: ac mira vbique penuria. Cum ex pri
mordio vſq; Cæſarum altius repetita ſerie,
vel paraſiti dicacis Iudicio, anuli pala bre-
uiuſcula eos omnes facile eſſet captura.

SED NIMIRVM rei pulcherrimę difficulta
ti ſummę hyperbolica paraſiti ſententia ſit
ſanè tributa: dum modò illud intelligamus:
riſum captātis hominis dicto, magnos olim
aſſenſos fuiſſe philoſophos. Quibus, bene
imperare, in primis eſt difficile viſum. Siue
quòd in magna viuendi licentia te ipſum cō
tinere, inſontemque pręſtare humana maius
credatur munus induſtria. Siue quod à labo
re, cuius recti omnis imperij ratio plena eſt,
ad libidinem mortalibus procliue ſit inge-
nium: ſiue quod ſpecioſiſsimę omnium dig
nitati ea ſit à natura vis ingenita: vt tanquam
ijs, qui deficientem, emorientemq; Solem
diutius intuentur, oculorū ſolet acies præ-
ſtringi: ſic ſuſcipientis ipſam, magnitudine
poteſtatis, immutet facile mores; vimque
omnem mentis eneruet, labeſactet, atque
perſtringat. Nempe arduū eſt ô Nicetè? mag
naq; laude dignum (quēadmodum in Plato
nis Gorgia extat ſcriptum) vt quis in mag-
na peccandi licentia conſtitutus, iuſtam trā
ſigat vitam: paucique tales reperiuntur. Vn-
de magnos viros, doctrina & ſapientia præ-
ſtantes, difficultatem rei animo veluti per-
menſos, non ſolùm ampliſsimas, honeſtiſsi
maſque præfecturas contēpſiſſe: ſed & mag
na quoq; ſcimus Imperia. Qualis apud Ro-
manos Meſſala Coruin' extitit, vir bonarum
artium ſtudijs, publiciſq; officijs exercitatiſ-
ſimus. Qui vrbis omnium primus conſtitu-
tus præfectus, inciuilem, immodicamq; po
teſtatem, ciuitate ea ratus parum dignā, quę
orbis penè nationes omnes & gentes ſuo
quondam Imperio frænarit ac circumſepſe
rit: ſexto demum die (vti ab Euſebio ſcrip-
tum eſt) poteſtate ſe abdicauit. Vt de ijs in-
terim taceam, qui Imperij maximi ſceptra,
vel delata recuſarunt: vel repudiarunt obtē-
ta. Pro comperto habētes maximis imperijs
maximas deberi virtutes. Hancq; vnam tan
tam & tam præſtabilem animi elationē, vir-
tutum multarum præſidio ſeptam vndique
ac circumuallatā haud temere in omni mor-
talium vita reperiri poſſe. Vel ſi quando ſit
reperta, in Imperio tamen parum eſſe vita-
lem. Cuius rei argumento eſſe vitæ illorum
exēpla, qui priuata plurimū in vita probati:
regio mox diademate ſumpto, quaſi Circęo
aliquo pòculo immutati & euirati delicijs: pri
ſtinæ dignitatis, virtutiſq; obliti, alij ſubitò
eſſe cœperunt. Quod ſi ab illis prudenter cre
ditur factum, qui potentiæ nimiæ Syrtibus
deuitatis, ad quas multi naufragiū fecerant,
gubernacula vitæ alio direxerunt: virtuti-
bus nimirum omnigenis: illius, quem quæ
rimus, Imperatoris vitam veſtitam eſſe opor
tere: & ab omni vitiorum contagione ac la-
be quam maximè diſiunctam, perſpicuum
eſt.

eſt. Vnde illud nõ iniuria. M. Cato ſæpe dicebat. Qui ſibi imperare nequeat: eũ eſſe peſſimũ Imperatorẽ. Nam cũ obtorto veluti collo raptari affectibus, homini vitioſum ſit: quis nõ videat in Imperio id ſummè eſſe exitioſum? Vbi poteſtatis amplitudo, magnitudoq; potẽtiæ, præſenti corrupta Fortuna, & cupiditatum ſtimulis acta (ni rationis atque prudentiæ tempeſtiuè ſit medicina conſultum) magis quid poſsit perpendit: quam quid ſibi facere ſit honeſtum? Quibus rebus mens ſi ſit deſtituta regnantis, nihil profectò illius dominatu fœdius: imperio nihil indignius: nihil tali ſceptro peſtilẽtius eſſe, iure dicendum eſt. Quæ enim intemperies, quæ furiæ: quæ tanta Erynnis, res ſic affligit, aut miſcet humanas, quam mali licẽtia principis? Non ne crudelis atque improbus Nero dum conflagrantis Troiæ videre geſtit ſpeciem, Romam iuſsit incẽdi? Spectaculoque delectatus eiuſmodi, ſuam interim canebat Haloſin. Quid? quod flagitiorum omnium furore perbacchatus: quid Imperio liceret, omnes ante ſe ignoraſſe principes gloriabundus proclamabat: præceptoris Senecæ auerſatus dogmata, qui ab his eum facinoribus prudentiſsimè deterrebat: cum ille ſubinde dictitaret illud,

Fortuna mea, cuncta permittit ſibi.

Cui ſapiens magiſter ſic contradicebat.

Crede obſequenti parcius: leuis eſt Dea.

Sed nihil ſapientis viri ſana monita, fœlicitatis præſentis ſucceſſu corruptum, diſcipulum permouebant. Quin Inſtitutor pronus, melioríque dignus alumno, præclara hæc ob cõſilia ſpretus ab ingrato diſcipulo, premij loco extremum tulit ſupplicium: laborum in mercedem optato genere mortis, nã vita precibus impetrari nõ potuit. Quid de Antonino Caracalla dicam? Cui amentis Imperij licentia, nefanda multa ſuaſit? Nam & Getam fratrem (quò Romani ſolus ſceptra teneret Imperij) immerentem ſuſtulit: Papiniumq; Æmilium prætorij præfectum, qui ob ſingularem æqui atq; iniqui notitiã, & ciuilis iuris eximiam ſcientiam apud Romanos tempeſtate ea ſummo erat in pretio, eã ob cauſam interfecit: quod populi inuidiam ob interemptum à ſe fratrem, placare iuſſus: factũque oratione defendere, multo eſſe facilius è veſtigio proclamarit: parricidium perpetrari quam defendi. Neque his contentus flagitijs, maius etiam ſcelus adiunxit. Etenim cum nouercam Iuliam ſeue ſui patris vxorem dignitate oris, venuſtateq; corporis præſignem fœminam ſecurius commodũm corporis partem nudatam eſſet intuitus: aſpectus huiuſmodi pellectus ſuauitate, execrabili protinus libidine exardens: Eheu? quàm (ſi liceret) vellem. Cum illa ſubiungeret, Si libet, licet. An neſcis Imperatorem leges dare, non accipere? Nouercam ſtatim vxorem duxit, & quam pater iugali tæda cognorat haud ita pridem, Imperij filius hæres paternæ quoque thalami ſucceſſor impius fuit. Nefandoq; Inceſtu (non enim dicam matrimonio ne rem fœdiſsimam honeſto videar nomine palliare) è veſtigio Iuliam ipſam non tam duxit, quã polluit. Ad inceſtumq; (vt rectè Spartianus ſcribit) parricidiũ adiunxit: vxore Iulia ducta cui' paulo ante Getam filium occiderat. Vnde præclarè Helius Pertinax, cum Antoninus ipſe multa ſibi per ambitionẽ nomina aſſereret, Adde etiam (ſi placet) inquit: Getici Maximi. Illius obiter notans immanitatem, qui Imperij ergò, fratrem occidiſſet inſontem. Quod vel Getis ipſis, Barbariſque nationibus, quæ humano ſanguine gaudent, crudele debuiſſet ſpectaculũ, factumque atrox videri. Quæ illi poſt paulo vox, peſsimũ apud principem, occaſionẽ mortis præbuit. Hæc nimirum ſunt corrupti Imperij certiſsima facta. Quæ ſi ad plenũ omnia adnotare libeat, difficile ſit inuenire modũ. Adeo rei huius apud Hiſtoricos crebra paſsim extãt exẽpla. QVO CIRCA ei qui rectè imperare volet, ſedulo cauendum eſt: ne potentia principatus lumen rationis adobruat, multi enim poteſtate inſoleſcentes, præcipuã illam animi partem, humanæ vitæ ductricem optimã, aut temerè reſpuunt, planeque faſtidiunt: aut reluctantium inſtar non ſponte ſequũtur, maleſanaſq; ſenſuum reſpectantes titillationes, dum à rationis vinculis ſeſe ſtultè nituntur aſſerere, voluptatum hamis ſemel deuoratis, illarum protinus indignis modis catenis implicantur. Cumque ei, quæ & ſola debuit, ac rectè imperare nouit, obſequi nolint: turpius vitijs ſeruire coguntur. Seruitutiſque omnium optimum & pulcherrimum gen' auerſantes, in ſeruitutẽ incidunt, vt turpiſsimam: ita & omnium longè acerbiſsimam atq; miſerrimam: quæ vbi ſemel vitijs olidum, putremq; animum occupauit, recti obliuia ſuadens: malarum rerum amorem ex conſuetudine ipſa fœdè interit. Quorum peſsima eſt vtraq; conditio: ſiquidem vbi ſupremæ eſt potentiæ nacta fomitem: ſuis ipſa temere exagitata cupiditatibus, pernicioſas vndique ignium flammas eructat: quantoq; ſupplicij remotior eſt timor, tanto

tanto acrius libidinis prauæ furor increſcit: victorque ignis, quàlibet cumque, impunè graditur. Quibus, quando eiuſmodi Fortuna altior eſt, quam vt humanæ metu pœnę à flagitijs queat prorſus auocari, ni ad manum (quod dici ſolet) pręſto adſit ratio, vera monitrix: conſiliariaque fida, quæ turpe eſſe doceat, eum qui cæteris dignitate pręfulgeat, prauis animi ſtudijs diſtringi, & vitijs illaqueari: ac non id potius curare, quod rectum, quod honeſtum eſt, imperijque laude dignum: quodque vaganti fręna licentię poſsit inijcere: quis non videat imperio tali, hominum vitæ nihil eſſe poſſe nocentius? Eſt enim ſeminarium actionum, affectus. Qui ſi benè à ratione fuerit ductus, informatus, inſtructus: Virtus emergit: ſin minus, vitium erumpit. Rectè nanque ſecuſque affect: animi actiones noſtræ, ſunt indices. Ex quo efficitur, vt omnis animi recta affectio, Virtutis nomine honeſtetur: in vitio, praua ponatur. Nec verò ſolùm habitum mentis declarat actio: ſed ipſa etiam oratio, quę animi Symbolum eſt, vt pręclarè Cicero docet in Topicis: Ariſtotelis, opinor, dogma ſecutus: cuius elogium hoc meritò celebratur à doctis. Sunt, inquit, ea, quę in voce ſunt illorum quæ in animo ſunt affectuũ notę. Cui quidem ſententiæ affine eſt illud etiam Ciceronis in Oratore. Omnes voces, vt nerui fidibus, ita ſonant, vt à motu animi ſunt pulſæ. Hinc illud Venuſini vatis in arte, de commouendis affectibus ſummorum conſenſione rhetorum iure probatum eſt. Vult enim, quos audientium animis affectus velimus infigere: eos primũ à nobis indui oportere. Natura ita cõparatũ eſſe docẽs, vt dum narrãtis pendem' ab ore: ab ipſo dicẽtis affectu & vultu afficiamur animo: ſimulacra actionis eorum, quæ audimus, pectori inſerentes. Cuius rei haud ignarus, pręſtantiſsimus rhetor M. Fabius, prudenter illud ſcripſit. Maxima pars eloquentiæ conſtat animo: hunc affici, hunc concipere imagines rerum & transformari quodam modo ad naturam eorũ, de quib' loquimur neceſſe eſt: ſiquidẽ.

Vt ridentibus arrident, ita flentibus adſunt
Humani vultus. Si vis me flere, dolendum eſt
Primùm ipſi tibi tunc tua me infortunia lædent.

Atque ideo perſuadere dictione, & fidem verbis facere cupienti: orationi parem affectum animi eſſe ſumendum. Atque ita.

. . . Triſtia mæſtum
Vultum verba decent: iratum, plena minarũ:
Ludentem, laſciua: ſeuerum, ſeria dictu.
Format enim natura prius nos intus ad omnẽ
Fortunarum habitum: iuuat, aut impellit ad iram:
Aut ad humum mœrore graui deducit, & angit:
Poſt effert animi motus interprete lingua.

Quod cum ita ſe habeat, Stoicorum opinionem falſam eſſe, nemo inficias iuerit: qua diſcrimine nullo ab affectu perturbationem ſeparantes: affectum omnem vitioſum eſſe dixerunt. Cum hic vtiliter à natura ſit datus, dumq; limitibus ſe cõtinet ſuis, laudari meritò debeat: illa cõtrà, vſq; quaq; reprehenſione nõ careat. Affectus eñ ſæpenumero virtutis eſt autor, perturbatio verò nihil habet cũ virtutis laude cõmune. Pręclarè Boethius.

Gaudia pelle, pelle timorem:
Spemq; fugato, nec dolor adſit.
Nubila mens eſt, vinctaq; frenis
Hæc vbi regnant.

Sed neſcio quo pacto dũ affectibus vehemẽter iuſiſto, ad ea, quę oratorię magis quã imperatoriæ ſunt arti, decidit oratio mihi: auertar ergo illuc, vnde me primùm orationis huius curſus auulſit.

OBDVRANDVM IGITVR aduerſus reſilientes affectus, viro principi eſt: rationiſque ope ſanandum, ſi illorum graui tãquam aliquo repercuſſu, atq; aſsiduo verbere vulnus aliquod illatum animo, vel inflictum eſſe videbitur. Inque eo vno ſtudio dies omnes noctesq; verſabitur: exercebit quin etiã accuratè ſe, atque aſsiduè meditabitur. Nam qui ſecundum immortalem Deum, poteſtatis maximum habet imperium: is proculdubio ad illius bonitatem atq; virtutem, omnium maximè debet accedere. Quòd ſi libidine praua ſuis ipſe affectibus blandiens, vitiorum viam perditam animi amentia ſectabitur: conſiderare tamen aliquando debet, quanto ſit cæteris dignitate pręſtantior, ni meliorem tandem mentem induat, tanto ſe vulgò deſpicabiliorem indè meritò habitum iri. Maieſtatis ſiquidem imperatoriæ faſtigium, id habet proprium: vt nihil diutius vel latere poſsit, vel obſcurum eſſe. Perlucent etenim dignitatis huiuſmodi vndiq; faces, nihil vt vnquam penitus poſsit abſcondi. Ex quo fit, vt non minus Imperatorum conſpicua ſint vitia: quam virtutes illuſtres. Quapropter pręclarè ab his factũ eſt, qui ſimulac imperio deſtinati ſunt, ſapientiæ ſeſe pręſidijs aduerſus perturbationes animi nimias e veſtigiò communierunt: rationeque

ipſorum conſilijs pręeunte, & actionum tanquam, ac periculoſa rerum vada tētantes honeſtatis ſibi ſubitò fręnos iniecerunt: ab omni appetitione noxia, haud ſecus quam à pręſentiſsima peſte aliqua, mirificè tēperantes. Vnde pacem ſuis ſubditis, ac beata ſibi ócia ſapienter conſtituerunt.

ET quoniā eiuſmodi perturbationes fugiēdas eſſe pręcipimus. Haud erit ab re, illorum hic exēpla referre: qui hac in palœſtra nō ſine laude certarūt. Cuius nimirū rei optimū faciet auſpiciū magnus ille Spartę Rex Ageſilaus: hic igitur cū Megabates quidā eximia forma adoleſcēs eum aliquādo inuiſeret, ex regioniſque more, adamari ſe ratus, offerret oſculum (ſalutant nanque oſculo Perſæ quēadmodū & nationes aliæ nō paucę) Ageſilaus quidē vultū obliquans, venientē repulit, pudoreq; tactus iuuenis, deſpectui ſe habitū fuiſſe, interpretans: quoties honoris ergo regē adibat, accedere veritus procul ſalutabat. Hāc tantā iuuenis mutationē miratus rex aſtantes interrogauit: quid eſſet q̄ adoleſcens ille ſalutaret eminus. Hic, cùm ij qui aderant, dixiſſent per te factū eſt, vt nō cominus accedat: qui formoſi baſiū exhorrueris, ac ni iterū refugis, ad oſculum facile poterit perſuaderi. Hęc cum Ageſilaus audiſſet, multa ſecum volutans tacitus: in hanc tandē vocē erupit. Vt perſuadeatis reditum opus non eſt: Nā ego mihi ſic affectus videor, vt rebus huiuſmodi ſuperior eſſe malim, quā aduerſariorū vrbē fortibus viris inſtructiſſimā per vim capere. Longè enim pręclarius arbitror, vt ſuam quiſq; incorruptā ſeruet libertatem quam vt alijs eripiat. Intelligens, opinor, proprijs cupiditatibus imperare, omniū optimū eſſe Imperium. Pręclarè ille quidē, vereq; ſapienter. Luctuoſum eſt enim, valdeq; miſerū ſi appetitus rationi recálcitrant: nec mentis audiunt habenas, cui imperium eſt omne animi à natura tributū: ſed tanquam maleparentes fręno equi, Seſſorem ipſum temerè excutiētes dorſo, in pręcipitia labūtur. Hinc ſiquidē cōſilia veſana, turbulentæ rerū actiones, & naufragia vitæ luctifica ſuboriri ſolent. Idq; in viro principe & grauitate exempli, & impunitatis ſpe multo nocentius eſt malum, quam illa eſſe crimina conſucuerūt: quæ humanæ legis procul amoto ſupplicio à corruptæ mentis hominibus in vita ſæpè patrātur. Hi enim legitimæ pœnæ, ſupplicijq; memores, ne emanent facta, ſæpè timent: illi, ni conſcientia mentem diuerberet, etiam ſumma in vitæ turpitudine deprehenſi, nullo vnquam vel exalbeſcunt metu, vel pudore tardantur: Sed ſua modo quodam fruentes inſania, in vetitum neſas pręcipites ruūt. Hanc tantam Spartani principis virtutē animi, cōtinentiæ exemplo ſimili imitatus Cyrus, à Pantheæ conſpectu ſemper abſtinuit. Araſpoq; dicenti mulieris formam diuinam plane eſſe, Regiſq; oculis digniſsimam: ob hoc (inquit) magis abſtinendum eſt. Nam ſi, nunc cum vacat, conſilio obtemperans tuo illam adiero, fortaſſe illa mihi perſuaſura eſt: vt ad eam ſæpius ventitem, etiam cum non vacabit: ſerijſq; negocijs neglectui habitis, ei ſemper aſsideam. Nec minori animi magnitudine Alexander ille Macedo Darij filias, quas deuicto parente captiuas duxerat, nullius precibus vt inuiſeret adduci vnquam potuit: quamuis mirandę pulchritudinis eſſe paſsim pręedicarentur: illud ſubinde dictitās committendum ſibi non eſſe, vt cum viros vinceret, à mulieribus vinceretur. Par nunc quoq; ab eodem continentiæ accipe exemplum: Philoxenus maritimæ oræ pręfectus ad Alexandrum ſcripſerat, in Ionia puerum eſſe forma & ętate, omnium qui vnquam in mundo fuiſſent maximè florentem: illudq; inſuper addidit, vellet ne ad ſe mitti. Hoc vbi ex literis Alexander reſciuit: acerbius ſtomachoſiuſq; homini in hanc ſententiam reſcripſit, ô perditiſsime mortalium, ecquid in me noſti tale: qui mihi hiſce lenocinieris voluptarijs obſequijs? Hoc nimirum eſt verè imperare: gliſcentem animi fręnare appetitionem: turbidoſq; omnes affectus ita domare, ſapienterq; conſtringere, vt à rationis pręſcripto reſilire non poſsint:

NEC VERO commotior ille animi impetus mentis conturbans habitum, ac ſua veluti ſtatione & ſede dimouens, intellectus eſt imperio fręnandus, rationiſque ſedādus obſequijs: ſed prouidendum etiam eſt ante, ne reſilire poſsit. Qua in re illud erit pręcepti loco ſeruandum: vt ſuæ quiſque naturæ memor, ſapientiæ opibus ceu Amuletho aliquo pręmunitus: ab his delictis temperet maximè: ad quæ illius impulſu raptari ſe maximè ſentit. Sunt enim quorundam hominum certa quędam vitia, & peculiaria peccata, quorum affrictu (malo ceu Genio) Furijſque infeſtantibus, pręcipuè gaudent. Hinc illum ſuperbia efferat: alium trahit Ambitio: alium excæcat ira: miſera hunc macerat atque rumpit inuidia: torpida hic deſidia languet: execrabili ille Venere furit: famelicis hic faucibus Tartarea fatiſcit ingluuie: Auaritia multos improba vexat. Horum cum malorū propenſione quadam

dam

dam malè domitæ depravatæq; naturæ, variè in nobis hinc inde creſcāt cauſæ. illecebręq; improbe vigeant: ſibi quiſq; opportunè oportet conſulat: impendenti (medicina aliqua ſalutari) e veſtigio occurrēs morbo: ne corrupti animi pernicioſo aliquo obſequio, tēpore inſanabilis fiat. Hanc tantā ob virtutem iure laudatur Rex Thraciæ Cotis: Cum enim natura eſſet iracundus, ſęuiuſque propterea aliquoties puniret, ſi quid eſſet domeſtico in miniſterio vel leuiuſculè offenſum: forte accidit vt familiaris quidā fictilia vaſcula ad eum deferret: fragilia quidē illa, ſed elaborata arte: ac cęlaturis inſignita precioſis. Hęc ille cum ampliſsimis verbis laudaſſet: doniſq; inſuper familiarē ſuum & hoſpitem curaret afficiendum: collata in vnum, cōfregit omnia. Factiq; cauſam demirantibus amicis, Ne in eos (inquit) qui illa eſſent fracturi: ira, ꝙ ſoleo, percitus, ſeueri⁹ aliquid ſtatuā: ꝙ me poſtea feciſſe pigeat. Prudenter ille quidem, qui naturę ſuæ morbū agnoſcens, materiam vitio voluit eſſe pręreptam. Hunc ſapiens ſecutus Antiochus, cum Dianæ ſacerdotem forma eximia eſſet intuitus, cōtinuò ſoluit Epheſo timens ne amoris flamma coactus aliquid auderet: quod eſſet nefas optare. Hæc tam exactæ virtutis exempla in poteſtate tanta, imitanda ſunt illis, qui blandis Fortunę Zephyris ad eiuſmodi euecti maieſtatis faſtigia, licere ſibi cūcta arbitrantur: affectuſq; improbos fouent, ac placidè enutriunt, & lactant: Id quod graui poſtmodum humanarum rerum diſpendio conſtat. Non igitur immerito Menedemi Erethrienſis (cuius celebris quondam habita ſapientia fuit) laudari ſententia ſolet. Qui dicente quodam, maximum eſſe bonum, ſi quis omniū quæ optat potiri queat. Atqui, multo maius bonum eſt, inquit, non optare niſi quod oportet & deceat. Pręclarè illa quidem: multa enim interdū prauè atq; adeò noxiè cōcupiſcim⁹, à quibus aſſenſionē animi cohibere haud ſit poſtea homini infrugiferū. Quod egregio eſt Publius Naſo carmine teſtatus, cum ait. *Eſt virtus placitis abſtinuiſſe bonis.*

Prudenter ſanè, aliquando enim licet noceat, prodeſſe tñ creditur quod delectat, quē admodum in religioſæ vitæ formula, & ſanctitate animi, & ingenio inclyto vir maximè excellens pater noſter Aurelius Auguſtinus, ſapienter ſcriptū reliquit. Quæ illis plurimū incuti plaga ſolet, qui incōpoſitis moribus, vel ſolutiori ſunt animo. Nā eos, qui pręſtantiore animi cōſtitutione ſunt prędíti, appetitionis eiuſmodi clades adoriri temere, vel impetere neſcit. Sed neſcio quo pacto ſuis quiſq; indulgēs affectibus, cū poteſtate faciēdi, potiēdi quoq; ſitim adauget, proprijs interim perturbati animi, veliticā furijs. Perinde quali, id demū regnare ſit, cæcę vel temerariæ cupiditatis habenas habere quā laxiſſimas: & quę velis cunq; (deſiderio prauo moderationis meta nulla pręſcripta) poſſe impunè facere. Non ſic olim boni viuebāt Reges: non pręfecti reipublicæ, non prouinciæ moderatores: deniq; nō hoc vnquam philoſophi factitarūt. Ruſtico in opere ſeruorum negligentiā Architas cōſpicatus, vbi ira ſeſe ſenſit incaleſcere: cōfeſtim aufugit, &, valete (ait) quoniā vobis iraſcor. Ira Socrates (vt annales perhibēt) ſemel incāduit. Cæterùm vbi vim morbi ſenſim vidit obrepere: arrepto fuſte ſe ipſum peſſundare cœpit. Rogatuſque quid ageret: ego (inquit) inſolētē hūc caſtigo: ſe ipſū innuēs ira percitū. Graui docēs exēplo, perturbatæ iudicio mētis, cōmotioniq; prauę animi, diſſenſione reluctādū: nō vitioſo, vel turpi aliquo obſequio eſſe fauēdum. At dicet aliquis: quid tu parū ne ſentis à natura homini affectus inſitos eſſe: quibus omnino ipſum variè ſit commoueri neceſſe? Fateor inquā, prouidētiæ diuinæ cōſilio (iuxta genus ſuū) animantiū vnicuiq; cōmotiones iſtas animi & affect⁹ fuiſſe diſperſos: nimirū, quò appeterēt, timerēt, fugerent, aut aliquid ſectarentur: prōptiuſq; id expedirent, ꝙ ſecūdū naturas ipſorū appetitione quadā ſalutari vel fuga, eſſet in vita faciēdū. Sed illorū præter fas erumpentē cæcè impetū, vimq; omnē ſolutioris affectus, vt de vno animantiū cunctorū principe loquar homine, in quo verè ac ꝓprie affectus eſſe dicūtur, minorē eſſe cōtēdo, quā vt volūtatis nr̄æ regi nequeat arbitrio: & ſapiētis animi circūſpecta ſolertia ac iudicio fręnare. Sed & hoc ꝓpriū affectū eſſe quis dixerit, cæcæ volūtatis impetu perinde atq; vehemētiori aliquo vento, ratione incōſulta cieri. Eſſeq; propterea difficile, illorum homines adactos impulſu, intra rationis poſſe clauſtra teneri: vel mētis recta (pro dignitate ipſius) iudicia cōſectari. Quæ haud debet ſanè, vt & mihi quoq; videt̄, abſurda multū oratio cēſeri. Atqui, obluctandum ideo hoc magis nobis eſt, rationiſq; vt contra pugnandum: vt quanta ſit eius virtus clarius multo elucere poſſit. Niſi enī obuerſariæ eſſent hominum affectiones, quę eos ipſos vario hinc inde raptatu impellerēt: rationis vſus neceſſarius admodum non eſſet: vel quaſi pręrepta materia, torpida nimirum oblangueret ignauia: hominiſq; pars multo omniū ſanctiſ-

ſima: proculcata paſsim, deſpectui haberet. Nunc cum has habeat officij ſui pręcipuas partes, in quibus dignitatem pręſtantiamque ſuam diuinè poſsit oſtendere: gliſcenti morbo irritamenta ſubtrahendo, tunc magis occurrere debet, cum homo commotior eſt: intellectuſq; turbatior.

VERVM enī verò, quòd ad affectus ipſos attinet: ſic habendū eſt rationis habenis ſapiēter eſſe ſemper moderandos ac veluti conſtringendos: abſcindendos autē prorſus nec eſſe, nec debere. Scio nanq; philoſophis multis, eiſq; non indoctis, à natura vtiliter datos iure placuiſſe. Vnde iram ipſam animi neruós appellat Plato, ꝙ manſuetudine remiſſus: ira animus intenditur. Deque iracundiæ ipſius laude Peripatetici multa dixerunt. Alijq; alios non ſine cauſa affectus ſæpe laudarunt. Licet Stoici in hoc male de natura ſentiētes, vitioſum omnem affectum animi eſſe deliberent: ſapientemq; illum ſuū, quē inter homines tanquā Deum quempiā mortalem conſtituūt, nunquā iraſci aſſerant: aliaq; contra Peripateticos inducant ęquè ridicula. Quæ ſi vera eſſent, animi motus ceſſarent protinus: ipſæq; rerum actiones, quæ à voluntate inchoatæ, ab affectibus perficiuntur, interirent planè funditus: animo ipſo interim agitatione ſua omni deſtituto (ſaxi inſtar) immobili relicto. Vt enim quæ in voce ſunt, inhærentium animo affectuum, notæ exiſtunt (vt Ariſtoteles prudenter exiſtimauit) ſic & actiones ipſæ, quas gerimus: animi noſtri affectiones indicant: quum rectè diſpoſitæ ſunt, bonas edunt: quum malè, peruerſas gignunt. Igitur, ſi quando horū appetētia gliſcit, rationi eſt, non cōmotioni parēdū: ne turpi aliquo victi lenocinio, aut illecebris deliniti, ad affectus ipſos dicam⁹: ꝙ illa facti pœnitēs apud Sophoclē dixit adultero.

Suaſu impuliſti: blandiendo illecta ſum.

Turpis nimirū hęc eſt criminis excuſatio. Neq; enim vllis vel fucis vel pręſtigijs ducti aut mollibus tāquā effaſcinati delicijs ab honeſtate ipſa atq; virtute, cæco nos temere affectuū rapiente impetu, debemus vnquā diſcedere. Vt enim turpis illa erubeſcentia eſt: quæ quàmlibet turpe & improbum, negare nihil ſinit. Sic facile illud ac molle obſequiū affectuū reprehendēdū eſt: timiditatiq; honeſtæ & generoſæ, cum res poſtulat, ſeruiendum. Qua in re Lagi filius Xenophanes nobis erit conſiliarius adhibendus: qui formidoloſitatē Hermoneo, ipſi obiectanti, quod nollet ſecum Teſſeris ludere: fateor, inquit, me nō ſolū formidoloſum verū etiam vehementer meticuloſum eſſe: ſed aduerſus turpia & inhoneſta ſapiēter me hercules & vtiliter pręclara ſiquidem, honeſtaq, verè, timiditas illa eſt, quæ ab illicitis mētem coercet: hominēq, ipſum deterret à turpibus. Quod itaq; ille in re leuiuſcula fecit quā haud ita cū decoro pugnare fortè quis dixerit, In ijs quę & momenti alicuius ad vitā, & ad diſciplinā morū maioris ſunt ponderis: pluſq; habēt in admittendo periculi, diligenter nobis eſſe faciendum cenſeo: & glorioſi facti exemplum ſtudioſe imitandum. Benè igitur Creon, improbè rogantem Medeam expulerat: ſi tamē dictis manſiſſet miſer. Sic enim ait.

Mulier ſatius eſt. hoſtis vt fiam tibi,
Quam ſi obſequar nunc: gemere dira in poſterum.

Quod ergo Creō dixit Medeæ, id nos vitioſè erumpētibus, cōmotionibus iſtis dicam⁹, ne pernicioſo aliquo ipſarum obſequio, in turpitudinem aliquam vitæ atq; famæ dilabamur. Pręſcribendi igitur affectibus termini ſunt: tantumq; illis loco omni concedendū, quantū ratio atq; ęquitas feret: nō vt eis careas pugnandum. Quod Zeno parum doctè, & qui in eius addicti, temere verba iurarunt; Stoici fecerunt. Nunquam itaq; , noſtra vel aliorum cauſa ducti, ipſis indulgebimus: ꝙ vel feciſſe pigeat, vel pudeat meminiſſe. Eritque potius nobis Epicteti illa ſententia ſemper in promptu ſita.

Caſtiga affectus: ne tu te ab ipſis caſtigere pœnas.

Quod illis frequenter euenit, qui tranſuerſi ab illis acti, pernicioſi ad extremum obſequij dolētes, temeritatis mercedē quam acceperūt, effugere nitūtur, cōmutare vbi factū pœnitētia nō licet. Intēpeſtiua interim ſapiētia, animo miſerè cōtabeſcētes. Serū nāq; (vt ille ait) cauēdi eſt tēpus in medijs malis.

CAETERVM quādo hoc in loco ſeſe nobis ſemel atq; iterū affectuū mētio ingeſsit: ijq; ipſi tanquā ſubiectū nobis ſint, virtutiſq; materia, ſemper enim in eis, aut circa, virtus ipſa verſatur. Quę in vniuerſum nihil eſt aliud quam vinculū quoddā irrationalium animę partiū, ad eā quæ ratione vtitur. Tā mihi virtutis fontes, quam animę diſtinctio in præſentia aperiēda eſt. Rei enim vtriuſq; ad vnguē natura intellecta: nō poterit nō affectionum ipſa ratio exploratu facillima eſſe. Tres igitur virtutis totius omnino ſunt fontes: ſcientia, potētia, & volūtas. Ac ſciētia quidē eſt, qua res contēplamur, & iudicamus: Potētia verò ceu robur corporis, quo perſtam⁹ & immanem⁹ reb⁹ intēti. Voluntas autē eſt tanquā manus ipſius animę, quib⁹ aggredimur, & apprehendimus res. Habet autem animæ di-

diſtributio hoc pacto, pars quędam eius eſt ratio: pars, vis iraſcibilis: pars etiam vis concupiſcendi. Quarum ratio quidem Imperiũ ſcientiæ obtinet: Vis iraſcibilis, roboris: Vis concupiſcibilis, tenet habenas cupiditatis intrepidè. Vbi tria hæc iuncta inter ſe cõuenienti copula fuerint, tum emergit virtus, & conſenſus in anima. Sin diſsideant ac à ſe mutuò diuulſa fuerint: tum vitium in anima, ac inconcinna confuſio naſcitur. Peculialiter autem ad virtutem moralem, voluntas vel electio quæ in bonis eſt, requirit. Ratione enim & potentia vti quis poteſt etiam abſq; virtute, aut vitio: voluntate non itẽ. Prorſus enim omnis de moribus ęſtimatio à voluntate petitur. Ideoq; etiã per vim ratio ſuperans iracundiã & cupiditatem, continentiã & patiẽtiam induit. Per vim rurſus ipſa exacta ab irrationalibus, incõtinẽtiã & mollitiẽ. Huiuſmodi autẽ affectiones animæ, nõ planè virtutes nec planè vitia exiſtunt. Ratio enim in eis ſana eſt: Irrationales autẽ partes animæ languẽt. Et quatenus obſequitur, & regitur ira, & concupiſcentia, à parte animæ quæ ratione eſt prędita, cõtinẽtia & patiẽtia virtutes ſunt: quaten⁹ autẽ coactè, nec volũtariè iſtud agũt, vitia ſunt. Oportet enim virtutẽ nõ cũ dolore, ſed cum gaudio quę cõueniũt pręſtare. Contrà quatenus quidẽ pręualent furor & concupiſcentia rationi mollitiem & luxũ ingenerantes, vitia cenſentur: quatenus verò inuiti indulgent affectibus, cum ſciant ſe delinquere, integro oculo mentis, hæc nõ vitia ſunt. Idipſum iam liquidũ eſt, ꝙ volũtariè oporteat virtutẽ quę decet agere. Coactum quidem non caret dolore & metu: voluntariũ verò non vacat voluptate & hilaritate. Simul autem & ratio diuiſionis cõpetat, & concedat hæc ſic habere. Nam cognitio & inſpectio rerum, tribuitur parti animæ quæ rationis eſt capax: potentia verò rationis experti. Nam laboribus frangi, vinciq; à voluptate: proprium eſt irrationaliũ partium animæ. Electio autem in vtriſque fit, tam ea parte animæ quę rationis particeps, quam ea quæ expers. Conſtat enim ex intellectu & appetitu: quorum intellectus quidẽ eſt partis rationalis: appetitus autem, irrationalis. Quare, quæuis virtus coaptatione partium animæ conficitur. Et omnino voluntas atq; liberum propoſitum, in virtute ſpectatur. Porrò, neceſſe eſt vnamquamque virtutem tribus illis, quæ diximus, inſigniri. Scientia, potentia, & voluptatis arbitrio. Scientia, qua contempletur & iudicet: potentia, qua perduret & euincat: voluntate, qua amet & ſit propenſus. Iudicare itaque & contemplari, ſunt intellectualis partis animæ: Cęterũ, durare & euincere irrationalis partis animæ. Nã voluntas conſtat ex intellectu & appetitu. Intellectus itaq; exiſtit rationalis partis animę, appetitus ex irrationali oritur. Verumtamen virtutum omnium chorum ex animi partibus datur perſpicere: Itidemque & ortum & conſtitutionem virtutis. Ex partibus enim animæ, duæ ſunt pręcipuæ: altera quidem rationalis, altera verò irrationalis: hæc quidem iraſcibilis, illa concupiſcibilis dicta: & rationalis quidem proprium munus eſt iudicium & contemplatio: Irrationalis autem raptio, impulſio, atque appetitio. Atq; hæc quidem inter ſe modò concordes agũt, atq; conſentiunt: modò diſcrepant atque repugnant. Pugna verò & diſcrepantia accidit ipſis, per exceſſum & defectum.

At vero, cum in vniuerſum (quemadmodum Pythagorico placet Theagi) eſtq; à nobis iam ante obſeruatum, virtus congruẽtia quędam ſit irrationalium partiũ animæ, ad eam quæ rationis eſt particeps, ea ipſa tum demum exiſtet atque accidet, ſi voluptatis atq; doloris finẽ ſuſcipiat eum, qui decorus eſt. Nihil enim aliud vera virtus, quam habitus ipſius decôri. Ipſum autem decorũ eſt, quod cõuenit fieri. Indecôri autem duæ ſunt ſpecies: hæc exuperatio, illa verò defectus. Ac exuperatio quidem eſt, quod plus eſt quam conueniat: defectus verò, quod minus quam conueniat. Ipſum autem decôrũ, cum id ſit quod eſſe decet, & extremũ vtiq; fuerit, & medium. Extremum quidem, eo ꝙ nec ablatione, nec additione egeat. Mediũ verò, quòd ſit inter exceſſum, & defectum. Habent autem decorum & indecorum eam inter ſe, relationem, quam ęquale & inęquale, ordinatum & confuſum: Idcirco Inęqualis partes, referuntur ad medium: nec ad ſe mutuò. Obtuſus enim dicitur angulus, qui maior eſt recto: acutus verò, qui minor recto. Et maior quidem recta, quæ excedit eam, quæ ducta eſt è centro: & longior quidem dies, ęquidiali. Quin & morbi incidunt corporis inde: quòd aut calidius, aut frigidi⁹ ſit corpus. Calidius quidẽ eſt, ꝙ vltra tẽperiẽ calet: frigidius verò cui deſit iuſtus calor. Habet autẽ anima, & quæ circa eã ſunt, diſpoſitionem, & proportionem conſimilem. Audacia nanq; eſt exceſſus decôri, in ſuſtinẽdis periculis: timiditas autẽ defectus eiuſdẽ. Et prodigalitas quidẽ, exceſſus ipſius decôri in ſumptu pecuniarum: ſordities verò, defectus eiuſdem. Et ira quidem eſt exceſſus decôri,

in concitatione animoſitatis : Indolentia ve-
rò, eiuſdem defectus. Eademquoq; eſt ratio,
in alijs affectionibus contrarijs. Oportet au-
tem virtutem, quæ eſt habitus decôri, & me
diocritas affectuum; nec ſine motibus, nec
nimis affectibus obnoxiam eſſe. Nam affe-
ctuum vacatio, immobilem & carentem ala
critate reddit animam vel ad honeſta: eorun
dem verò vehementior motus, conturbatam
& ſtupidam efficit. Oportet igitur affectum
non aliter oſtendi in virtute quaſi latentem,
quam vmbram & lineam in pictura. Ipſum
enim ſpirans, & amœnum, & quod expri-
mit rem ipſam, adiutum bonitate colorum:
potiſsimum per illa effingitur. Animati enim
ex concitatione & inſtinctu diuino natura-
lis virtutis, affectus animæ fiunt. Naſcitur
enim ex affectibus virtus : & eadem natura
rurſum cum ipſis coagmentatur: perinde vt
concinna modulatio ex acuto & graui : &
temperatum ex calido & frigido : & ipſum
ęquilibrium è graui & leui. Non ergo ex ani-
ma tollendi affectus ſunt, quod inutile fo-
ret: ſed adaptandi in id ſunt, quod rationem
decôri & mediocritatis habet. Hæc ferè
Theagis ſunt Pythagorici philoſophi ſanè
acuti, in his quæ de virtutibus edidit: ex qui
bus ipſis abundè planum arbitror factum,
qui veri virtutis ſint fontes: quæ animæ di-
uiſio ac germana diſtinctio: Ac tandem, quę
ipſorum affectuum natiuia vis, quæ ſeries
& legitima ratio: Cuius nimirum hominis
ſententia Plutarchi verbis illis, quæ in libel-
lo de virtute morum pręclarè ſcripta ſunt,
confirmari egregiè, locupletarique poteſt.
Haud eſt (inquit) conſilium commotiones
animi & affect⁹ ſtirpitus euellere: neq; enim
poteſt, neque opus eſt, nec expedit. Sed ter-
minum quemdam & ordinem eis pręſcribe-
re, moraleſque virtutes conſtituere. Quæ
quidem ſine affectione motuque non ſunt:
ſed ſymmetriæ ipſorũ & mediocritates. Im
primit enim & informat ipſa prudentia com
motarum affectionum vim, habitumque
conſtituit vrbanum. Tria enim hęc in animo
eſſe dicunt: potentiam, affectum, & habitum
Poteſtas, principium eſt & materia, affectus:
vt Iracundia, verecundia, atque huiuſmodi
procliuitates. Affectus eſt, ipſius potentiæ
cõmotio quędam. Habitus verò, vis & cõfor
matio potentiæ in parte irrationali à conſue-
tudine inſita. Si perperam à ratione ductata
& erecta, affectio fuerit; vitium exiſtit: ſin pro
bè, emergit virtus. Hactenus Plutarchus. Ad
ducit idem in calce huius operis, & alia quo
q; pręclarè. Sed (ne nimius videar) perſequi
omnia nõ placet. Miror tamen. M. Ciceronẽ
ingenio virum pręſtantẽ, & facũdia penè di-
uinũ : Cum inter Peripateticos atq; Stoicos
Tuſculanarum lib. 4. de affectibus pugnas
nectit, in Stoicorũ opinionem magis fuiſſe
propenſum. Non enim decuit ſubtili inge-
nij acie pręditum virum, virtutis atq; hone-
ſtatis ſtudio, tantum animo derogare: vt dũ
illis parte ab omni cupit eſſe conſultũ, proſ-
pectum à ſe parum rectè, dignitati animi vi-
deretur. Virtutis enim materia haud dubiè
ſpoliat animum, dũ ab eo affectus iſtos om-
nes euellere conatur, tanquã minimè natura
les, atq; ipſi hominum vitę ſalutares parum,
ac noxios: cum perſpicuum iam ſit, circa eos
ipſos moralem virtutem ſolitam eſſe verſa-
ri. Non igitur affectum ipſum (quem ne po-
tuit quidem) debuit adimere: ſed exceſſum
(quem licuit) tollere. Aut vitioſè erumpen-
tem commotionem animi quo poſſemus
pacto fręnare, & ad naturæ leges dirigere,
diſciplinæ cauſa morum, vtilitatiſque om-
nium vitæ, illi fuerat pręcipiendum. Vt de-
cori ipſum habitum (qui moralis vim omnẽ
virtutis continet) animis noſtris infunderet.
Affectus enim ad tuenda vitæ officia natu-
raliter nobis eſt inſitus : perturbatio verò ex
aſpernatione rationis, corruptelaque animi
naſcitur. Itaque laudabilis ille ſæpè: ſine cul
pa aut vitio hæc eſſe non poteſt. Quod ſi, vt
medici diſputant lętitiæ affectus ſitus eſt in
Splene: Iræ, in Fele: libidinis in Iecore: timo-
ris, in corde: facilius eſt interficere animal ip
ſum, quã ex corpore aliquid euellere: quod
eſt animãtis naturam velle mutare. Id quod
perſpexit etiam eruditionis raræ acutiq; vir
ingenij ᵃ. Lactantius ſexto libro, qui de ve- N.
ro cultu inſcribitur, in quo Peripateticorum A.
contra Stoicos partibus rectè ſuſceptis, lon- Lib 6. c. 14
gè quidem doctius quam. M. Cicero de affe 15. 17. & cu
ctibus ipſis (iudicio meo) diſſeruit : manife- 19. in. libro
ſtæq; Stoicos cõuincit Inſaniæ, dum ex ho- de opificio
mine affectus omnes euellunt, quorum ani Dei. c. duas
mus agitatur impulſu. Qui omnino quatuor eſſe huma-
eſſe perhibentur: Metus & dolor: cupiditas næ vitæ ri-
atque lętitia. Quorum priores duo ex ma- as verſatres
lorum: poſteriores verò ex bonorum pręſen affectus vel
tium vel ſperatorum opinione naſcuntur. vt ita dicã
tres furiæ.
HAEC igitur affectuũ genera quatuor (quæ
cõmunis philoſophorum partitio eſt) verſu
vno in epiſtolis eleganter cõplexus eſt Flac-
cus, ait enim,

Gaudeat, an doleat, cupiat, metuat ve, quid ad rem?

Sed decepti in hoc Stoici philoſophi fũt:
quod affectum omnem, perturbationem
eſſe dixerunt: cum inter hanc & illum mul-
tum

tùm interſit: nec nominari perturbatio poſ-
ſit, niſi qui decori modum affectus exceſsit.
Actionum omnium noſtrarum haud dubiè
ſeminarium eſt, & quaſi ſator, affectus.
Vituperationis ſæpè non magis particeps,
quam laudis affinis: perturbatio vero nihil
habet cum laude commune. Nam quas
ille plurimùm ſpecioſè edere nobis eſt nixus
actiones: perturbationis hæc improba cla-
des, malitię ſuæ veneno inficere non ſemel
corrúpere etiā interdū & labefactare conat.
Perturbatio ſiquidē, cōcitatior quidā, ac ve
hementior animi mot⁹ eſt, qui procul abeſt
à naturę cōſtantia. Quod genus infortunij
philoſophi veteres, morbos appellarūt. Atq;
ideo, eos qui perturbatis his motibus conci-
tarētur, inſanos eſſe dixerunt. Sanitatē enim
animorum poſitam in mentis tranquillitate
quadā & conſtantia cenſebant: his rebus mē
tem vacuam, Inſaniā vocauerunt. Propterea
ꝙ in perturbato animo, ſicut in corpore ſa-
nitas eſſe nō poſsit. Nec minus illud acutè, ꝙ
animi affectionē lumine mentis carentem,
modò amentiā: modò dementiā nominaue-
runt. Sed fortaſſe. M. C. Iratorum hominum
turbida nimium & dicta & facta conſiderās,
in Iracundiā ipſam vehementius ſtomacha-
tus exarſit: vniuſq; ob culpam non legitimè
procedentis, affectiones cęteras noſtri animi
non iure dānauit. Verùm altius aliquāto (iu
uante Deo) hunc perſtringemus locū, quū
de fortitudine tractabimus. Interim ſat erit
cognoſcere, affect⁹ iſtos intra fines ſuos eſſe
redigēdos, & in viam rectā dirigēdos, in qua
etſi ſunt vehementes, vt Firmiano placet La
ctantio, culpam tamen habere non poſſunt.
VT igitur ad propoſita iam tandem reuerta
mur, ſtudioſè vſq; curandū eſt, ne turbatio-
re aliqua affectuū aura ducti, nobis ipſis ex-
cidiſſe videamur: iniuſti, inhoneſti indecori
q; aliquid vel ſuſcipientes animo temere: vel
molientes pernicioſè. Cuius rei, quia ſuppe-
ditata ſupra, cum de amicitia ageremus à no
bis exempla ſunt: in pręſentia parciores eri-
mus. Sic tñ, vt particulam hanc non omnino
ieiunè videamur eſſe tranſgreſſi. Eritq; no-
ſtra hęc obſeruatio (vt ſpero) nō inutilis. Nā
quis neſciat animi noſtri affectus: illorum
quos beneuolentia & amore proſequimur
cauſa ſolere peręq; vitiari, quam noſtra ipſo
rum? Ij igitur pręſtro eſſe in conſilio debent:
qui non tam affectioni humani alicuius vin
culi, in promouendis ſuis, iuuandiſq; ami-
cis: quam prudentis animi rationi cōmodan
dum eſſe duxerunt. Alexandri Seueri laudi
bus propterea in Cœlū virtus effertur, quod
amicos & cognatos, quos improbos eſſe cō-
pererat punire ſolit⁹ eſſet. Quòd ſi vetus hoſ-
pitium, amicitiæ aut neceſsitudinis ratio id
fieri non pateretur: incunctanter à ſe, actutū
q; dimittebat inquiens: his mihi tota eſt reſ-
publica charior: poſthabendos eſſe inſinuās
publicæ vtilitati priuatos affectus. Multum
apud Philippum Macedoniæ Regem gratia
valuit Harpalus, ſed cum pro Cratete fami-
liari & propinquo ſuo, qui iniuriarū poſtu-
labatur, à Rege contēderet: vt mulctā quidē
ſolueret, ſed à cauſa maneret immunis, ne
probris hominum vulgò traduceretur: ita in
candens Philippus, pręſtat (inquit) vt ille ma
le audiat: quam vt nos propter illum. Huius
filius Alexander tanta in virtute examuſsim
parentem referens, Olympiadem matrem
innocuum quendam virum ob veterem ſi-
multatem capitali iudicio circumueniri cu-
pientem, vbi per menſes nouem, quibus ge
ſtatus in vtero ab illa eſt, tuliſſet placidè: ad
extremum tandem cum obſecrandi finem
nullum faceret. Aliam (inquit) parēs optima
de me quamuis mercędem poſce: hominis
enim vita nullo beneficio cōpenſatur. Ho-
rum exemplorum laude tactus Antigonus
Marſiam fratrem litigantē, ſed domi cauſam
cognoſci petentē: & rex & frater audire no-
luit. Sic enim eſt illum affatus: ſi nihil pręter
Ius agimus, audientibus cunctis in foro me-
lius fiet. Neq; hoc contentus, huiuſmodi il-
lum oratione compeſcuit. Si iniuſtam cau-
ſam habere te ſcis, cur litigas? Si iuſtam, cur
hominum fugis conſcientiam, & ad dome-
ſticas latebras rem fori pertrahis, non caritu-
rus ciuium ſuſpicione etiam ſi bonā cauſam
euiceris? Hoc, hoc nimirum eſt Regem eſſe:
non qualibetcumque vitioſis animi raptari
affectibus: ſuoſq; omnes quo iure quaq; in-
iuria honoribus atq; diuitijs vndiq; explere.
Benè Menedemus (cuius paulo ante men-
tionem feci) Antigono conſulenti deberet
ne ad ſolemne conuiuium accedere: vbi ſeſe
aliquandiu intra ſilentia continuit, nihil
aliud reſpondit quam, Regis filius es. Luxū
Regibus indecorum eſſe obiter inſinuans:
vel potentibus licere quodlibet. Sed hoc
extremum tum demum contingit, cum in
Tyrannidem verſa regni labat ſpecies. Nam,
qui legitimè regni amplecti ſceptra volet,
ex pręſcripto rationis diligenter ſui animi
moderari debet affectum: ac nil ſibi vnquam
licenter permittere, quod bono viro ſit ne-
fas optare. Pateſaciet itaque idem recta ſua-
denti, patienter aures. Nam amicorum ſanā
monita elati animi faſtidio deſpicere, cùm
per ſeipſum malum eſt: tum etiam vitæ ho-
minū exitioſum eſt maximè. Quod in viro

principe tanto grauius eſſe crimen arbitror: quanto illius eſt dignitas illuſtrior, & authoritas vitæ pręſtantior. Idq; vel hoc vno nomine, quod maiori in periculo quam cęteri princeps ipſę verſatur: & quia pauci admodum reperiuntur, qui vera & ſalutaria principi quæ ſunt, ſuadere auſint. Vnde amicorum penuria cum in adminiſtratione regni multi ſe infœliciter gererent (vt Annalibus eſt veterum proditum) triſtius perierunt. Quod quidem veriſsimum eſſe, ille ſentiet facilè, qui humanas res altius animo contemplari volet. Ijs enim, quorum in excelſo loco Fortuna poſita eſt, iucunda & grata loqui pleriq; nituntur: multi etiam ſpecie quadam amicitiæ fallaci ſubparaſitantes ad tempus illorum auribus blandè multa dare nullo non loco moliuntur: ex mendacij lenocinio ſpem prædæ turpiſsimè captantes.

PRAECLARE igitur Antigonus cuidam aulico emerendi fauoris gratia ſupparaſitanti, ſubindeque dicenti, honeſta omnia & iuſta Regibus eſſe: Sunt per Iouem barbarorum dumtaxat regibus: nobis autem ea demum honeſta ſunt, quæ ſunt honeſta: & ea Iuſta ſolum, quę iuſta ſunt. Prudēter ille quidem, qui non aliam voluntati regiæ honeſtatis regulam eſſe duxerit: quam quæ ex honeſto ipſo hauriri publicè ſoleat. Vt enim virtutes & vitia nihilo magis naturā ſuam immutāt, licet pro illorum quibus inſunt dignitate latius ſplendeſcant, quum Regem ipſum inuadunt, quam ſi de populo quempiam aliū occupent: ſic quæ rebus inſunt à natura diſcernicula atq; diſcrimina, nec affectione hominum inuerti: nec artis alicuius peritia ſiue artificio poterunt immutari. Neque enim licet frigus & gelu ignem voces: aut ignem frigus appelles: effectum mutare poſsis. Frigiditatem enim atq; rigorem neceſſario frigus incutiet: eritque ignis natura caloris cauſa. Quod cum ſignificare vellet Dionyſius Mileſius, qui Adriani Cęſaris ętate Sophiſtica peritia excelluit. Cum Adrianus ipſe Heliodorū, quem vnicè amabat: affectione magis & ſtudio, quam iudicio & merito epiſtolarum magiſtrum faceret, Dionyſius, ait, honores & diuitias elargiri Cęſar poteſt: magiſtrum vel rhetorem facere non poteſt. Sic & M. Pomponius Marcellus Tiberij Cęſaris oratione animaduerſa, quiddam quaſi barbarum reprehendit: id Atteius Capito ita eſt conatus defendere: vt Latinum diceret, aut futurum quidem certè: quando Regem haberet authorem. Ferendum hoc Pomponius non putauit, ad Cęſaremque conuerſus, ait: Tu Imperator, ciuitate homines donare potes: verba non potes. Intelligens (opinor) verborum merita non tam Cęſareo affectu, quam publico hominū vſu; quo non minus & vigentia intereunt, quam deſita reuiuiſcunt, oportere expendi. quod & Flaccus ipſe poetica admonuit in arte. Sic enim ait.

Multa renaſcentur: quæ iam cecidere, cadentq;
Quæ nunc ſunt in honore vocabula: ſi volet vſus,
Quem penes arbitrium eſt, & vis & norma loquendi.

Rectè igitur Dionyſius ille ſenior, matrē ſuam ętate iā non effœta ſolum, verum etiā affecta valde, planèq; decrepita, nubere cupientem ſic eſt allocutus: Ciuilia quidē iura ô mater, mutari poſſunt: naturæ nō poſſunt. Intempeſtiuum tunc connubium eſſe appetere inſinuans: cū venereo calore deſtitutis membris, non benè queat liberis opera dari: at, ne ſeri quidem ſoboles (quæ legitimi coitus eſſe meta debet) fœcunditatis aruo annorūm complexu longo ſenſim ſterileſcente. Non ergò quod quiſque poteſt, ſed id demum quod honeſtè & legitimè poteſt, ten- N.
tare vel aggredi debet. Quod à iure naturæ, ad poteſtatis alicuius pręrogatiuam trahi, traducique poteſt. Rectiſsimè ſiquidem à Plutarcho dictum eſt, vehementer eſſe periculoſum velle quæ non decet; eum: qui quę velit poſsit efficere. Quod tam ſalutare ad diſciplinam vitæ dogma philoſophi, exactius qui volet inſpicere: gubernantibus rempublicam viris, ſummiſque principibus: quam circunſcripta & ſobria, ſanctaque adeo deſiderij omnis orbita eſſe debeat, è veſtigio verè cognoſcet. Quod cōtra fit à plerisq, Dionyſius ille, qui à me eſt modo citatus: Syracuſarum: Imperator effect⁹, cum filiū ſuum cui habenas erat traditurus imperij, ciuis cuiuſdam vxori vim intuliſſe reſciret, acriter obiurgauit: & ecquid in ſe tale vnquam comperiſſet, rogauit. Cumq; ille diceret, tu certè Tyrannum non habuiſti patrem. Hîc, pater: nec tu (inquit) filiū es (inuiſi nominis abrogata tyrannide) Regē habiturus: ni talia patrare deſtiteris. Obiter (niſi fallor) ſignifica- N.
re volés, Imperium omne retineri Iuſtitia: In Iuſtitia diſsipari. Difficileque propterea eſſe in tanta morum peruerſitate, tamque effreni vitæ licentia, regnum poſſe, quod improbè partum, legitimum effici pater auebat, diutius conſeruari. Nam quis neſciat Regij nominis abrogandi hanc pręcipuè cauſam Romanis quondam digniſsimam viſam fuiſſe? Cum authorum clarè monumenta teſtentur,

tur, obillatum à Tarquinij ſuperbi filio, qui
ſeptimus regnauit à Romulo, Lucretiæ ſtu
prum: ipſum tunc cum ſobole patrem vrbe
protinus ſuiſſe exactum, creatis primū con-
ſulibus: qui annuo deinceps Imperio Ro-
manam tenentes ditionem, amplam maxi-
mè, illuſtremq; fecerunt: & ſuæ gentis glo-
riam mortaliū nulli ſecundā. Quod ſi nō in-
iuria ab illis creditur factum, qui ne domina
tus quidem regij ſolutiorem cōditionē, per-
nicioſamq; licentiam vitæ, ferendā eſſe im-
punè duxerint: curandum profectò regi-
bus ipſis eſt (ſi modò nolint ignominioſè ad
extremū poteſtate ſumma decidere, vt Iuſti
tię regulis quā maximè adhereſcāt. Nullūq;
Imperij ſui poteſtate abutentes, per iniuriā
violent atque peſſundent. Id autem tum de
mum continget facile: beatiſsimè ac fœli-
ciſsimè viuent. Si legum placitis atq; decre
tis ſuam ipſorum voluntatem animi, pote-
ſtatemq; ſubmiſerint: Ex ęquitatis & ratio-
nis archetypo, quarum rerum legibus in ip-
ſis elucent formulæ, actiones ſuas omnes
moderandas eſſe crediderint. Hęc enim vel
ſola perſuaſio, necubi rex ſibi excidat: effi-
ciet.

N. Princeps à ſit ſolutus legibus.

Q V O D Anteaquā, quo id fieri pacto debe
re conueniat oſtendimus: illorū eſt opinio
labeſactanda, qui principem ipſum ſolutū
legibus eſſe dixerunt.[a] Quorum ſi peſtilens
vincat oratio: libertate licet populi oppreſ-
ſa, ſuo tandem rex peribit Imperio. Nulla ſi-
quidem tanta eſt regni atque Imperij pote-
ſtas: que arbitrio cęco animi, pro ratione
ſumma vſa, in inferenda bonis Iniuria, mul-
torum diutius odio Impunè queat obſiſte-
re. Habet enim ſua ſemper aduerſus malorū
Impetum parata præſidia probitas. Id quod
regum non proborum exitus vitæ infœ-
lices: Tyrannorum caſus acerbi: violentęq;
neces illorum qui dominandi cęca libidine
Imperij poteſtate abutuntur, veriſsimum
eſſe teſtantur. Quamuis enim ſuperbo ſæuę
Tyrannidis ſceptro, in quo veluti compellē
te Fato, aliquot ad dies boni viri pareant, &
violentię miſerè coacti colla ſubdāt: demer-
ſę ſint leges. tremefacta aut oppreſſa libertas:
emergunt tamen hęc aliquando, calamita-
tiſque inuiſæ funeſtum authore, iuſto ſup-
plicio perimunt. Quas obres ea eſt vitę inſti
tuenda ratio, quæ difficultatibus eiuſmodi
vacet: Regemque ipſum tandiu ab aliorum
tutum præſtet inſidijs, quamdiu diuino mu
nere ab Immortali Deo vita ſibi tributa eſt.
Quam quidem ad rem haud eſt vlla aptior
via quam ſi legum formulis; quæ rationis
præſcripta edocent, & honeſtè, piè ac ſan-
ctè viuendi diſciplinam continent, Impera-
torum vnuſquiſq; placidè ſemper acquieſ-
cat. Ex quo fit, vt ij omnium peſsimè de il-
lorum mereantur maieſtate: qui propenſam
ſeruandis legibus principum voluntatē per-
nicioſè abolere, ac peruertere conantes: li-
berum faciendi quodlibet ſuadent arbitriū,
Pro lege temere quidquid ſit principi viſum
ſeruandū eſſe dictitantes. Quę [b] profectò ma
gis dicentium gazę, vel abdomini ſeruiunt:
quam ipſorum, quibus dicuntur, principū
vtilitati. Nam improbè regnantes, ij quoq;
odio habent: qui ad ſcelera primum, flagitia
que impulerunt. Quod in pręclara illa de
Traiani laudibus oratione pulchrè ſenſit Pli
nius. Sic enim ait, Scis & expertus es opti-
me Cęſar, quantopere deteſtentur malos
principes, etiam qui malos faciūt. Rectè ille
quidem, quippe Iniuriam & violentiam vel
ij ferunt ęgrè, qui minimè grauatè alijs inſe
runt. Cuius profectò rei non dubiam fidem
facit vulgaris ille, ſed tamen ſcitus in primis
verſiculus,

Etiam qui faciunt: odio habent iniuriam.

Quę ſi vera ſunt: nullius voces principi
magis debent eſſe ſuſpectæ, quam eorum
qui hæc illis vbique inſuſurrāt. Porrò, quid
eſſe tam poteſt ſpecioſum vel honeſtū, quā
ſi princeps ipſe; qui ſpirans dicitur ac viuida
Lex, ſcriptis non ſit legibus inferior: quarū
ſpiritu, luciſque lumine caſſa corpora, vnā
vbique commendant honeſtatem: præcipi-
temque nequiter agendi voluntatem refræ-
nant, atque coercent: non metu minus im-
minentis ſupplicij à ſcelere dehortantes,
quam premiorum ſpe homines ipſos ad vir-
tutem attrahentes? Iam verò, quid tam de-
bet videri laudabile, quam ſi rex cuius, Im-
perium maximè ad diuinam accedere dixi-
mus poteſtatem, illius vſque quaque princi
pis repræſentet imaginem, de cuius ſingula
ri ſapientia & bonitate veriſsimè illud eſt tra
ditum. Per me reges regnant: & conditores
legum iuſta decernunt. Qui nulla perinde
re gaudet quam integritate vitæ, compoſi-
tione modum, ac vera in omnibus animi
Iuſtitia. Quid? quod diuinis apoſtoliciſq; præ-
conijs monemur, beatos eſſe qui cuſtodiūt
iudicium, ac ſemper Iuſtitiam faciunt? Quę
proculdubio omnia haud poterunt bene ſerua
ri. Si non aliam legem, quam ſuam Ipſius vo
luntatē princeps ſeruandā eſſe vſq; putarit.
Q V O R S V M igitur hæc omnis ſpectat ora-
tio? Nempe vt intelligamus legum authori-
tatem principibus cunctis auguſtiſsimam at

A. L. princeps legibus. ff. de legibus.

b. L. 1. ff. de cō ſtitu. princ. & . 6. ſed & quod princìpi placuit inſt. de iur. natu. gent. & ciu.

que ſanctiſsimā videri oportere. Hoc nimirum eſt, quod Zeuxidami filius Archidamus ſenſit: interrogatus enim qui nā eſſent Spartanæ ciuitatis præfecti: leges, inquit, ac legitimi magiſtratus. Vnde, cū peregrinus quidam admirabundus Anaxillæ diceret, quid eſſet cauſæ, quod apud eos regibus Ephori non aſſurgerent: cum præſertim ab ipſis creati eſſent, conſtat nanque à Theopōpo eius gentis rege Ephoros primùm fuiſſe conſtitutos, Hic Anaxillas, Ideo, inquit, nō aſſurgunt: quia Ephori ſunt. Declarans obiter optimo in regno, bene morata, probeque inſtituta republica dignitatem legum habēdam eſſe præcipuā. Hinc optimo Iure Ageſilai Regis modeſtia, virtuſque ſuſpicitur. Cum enim totam fermè Aſię regionem virtute bellica deuiciſſet, parato iam ad regem ipſum itinere, qui Græcorum duces pecunia curarat corrumpendos: vbi ab Ephoris ſibi allatæ literę ſunt, quibus in patriam aſciſcebatur, incunctanter ex Aſia patriā verſus ſoluit: illud ſemel atque iterum repetēs: bonum Imperatorem Imperatis iuſsiſque legum debere obſequi. Sicque ad Ephoros ſtatim reſcripſit. Ageſilaus Ephoris.S. Aſiam magna ex parte ſubegimus: Barbaros expulimus: freqnēter in Ionia conflixiimus. Attamen quoniam pro magiſtratus authoritate iubetis, vt iſthic ad diem præſcriptum adſim, conſequor hanc meam epiſtolam: ac fortaſsis etiam anteuertam. Nec enim mihi principatum gero, ſed tum reipublicę, tum ſocijs & amicis reipublicę. Atque ita demū qui potitur Imperio, verè legitimèque imperat: cū & ipſe paret Imperio legū & Ephororum, aut quicunque ſunt illi: qui in republica Magiſtratu funguntur. Quæ profectò epiſtola magnorum principum aulis, Parijs lapidibus literis deberet aureis incīdi. Nec minor ſanè Demarati modeſtia fuit, quin grauitate exempli, factique atrocitate, aliquanto illuſtrior: etenim cùm exulanti foret dictum, cur rex cum eſſet: actus in exilium fuiſſet: quoniam (inquit) Spartę leges ſunt potentiores. Significans apud Laconicam gentem, regem ipſum non legum dominum: ſed ciuitatis principem eſſe. Quod ſi quęris qualis hęc reſpublica fuerit, in qua tanta ſeueritas viguit quondā: certè vti monumentis veterum memoriæ proditum eſt, florentiſsimam omnium fuiſſe reperies. Sed vt concedamus interim hanc tantā ſeueritatis formulam, rigidam poſſe, inhumanamque videri, neque enim ferendum eſt, plebeium quaſi, vſque adeo legibus obnoxiū manere principem, in hoc quidem vtiliſsima eſt: quod legibus obſequentiſsimos homines efficit, ex earumq; præſcripto [c] viuendum cunctis eſſe docet.

C. In l. lex eſt commune preceptu. ff. de. legibus iuncto tex. tu in. l. nam & demoſthenes. ff. eod. & in. l. leges ſacratiſsimæ. C. eodem tit.

Caeterum, vt cùm his quoque paria faciamus, qui legum vinculis regē eximunt, voluntatiſque ipſorum arbitria libera, legitimę inſtar ſanctionis & exequenda ſibi, & ſuſcipienda cęteris falſò arbitrantur, ac ſuadere vulgò perniciosè nituntur. Sit ſane, quoniam ita volunt, illorum non mendax opinio: tantùm illud rogo, cuius ſit authoritas, dignitaſque præſtantior: huius ne quē ipſi fingunt omnia ſibi permittentem, pro legeque ſuam haberi voluntatem amātem: an illius, qui quaſi ſit legibus adſtrictus: ne digitum quidem tranſuerſum, aut latum (quod aiunt) vnguem ab illarum vnquam voluntate putet diſcedendum? Certè (niſi perfrictior proteruiorq; ſit frons) quid ſint reſponſuri iam video. Quo igitur pacto dubitari poteſt, regis permiſſum legibus ſeſe ſubijci volentis: tutiſsimum ſibi, optimum atque vtiliſsimū reipublicę eſſe: cum ea ex re vtriuſque & dignitas & incolumitas maximè floreat? Nam neque ſalua eſſe ſine legibus reſpublica poteſt: neq; regnum ſtabile, vbi ſola pro lege principis voluntas ſeruatur. Regem ſiquidē non tam ſuprema poteſtas, quam modeſtiæ atque Iuſtitię amica voluntas & pręſtat diuturnum: ac magnum etiam & celebrem facit. Quod cordatiſsimus ille Spartę princeps Ageſilaus ſenſit: Aſiaticis enim ob diuitias ingentes amplamque ditionem Perſarum Regem ſubinde efferētibus, magnumque vocantibus, Ecquonam modo Ageſilaus ait, eſſe ille maior poteſt, niſi me ſit temperantior & Iuſtior? Atqui, virtutum harum exemplar ob oculos nobis leges exhibent. Quid igitur tam eſt dignitate regia dignum, quā earum catenis velle vinciri: quæ regias illis virtutes inferunt? Præclarè ergo à Theodoſio atque Valentiniano Auguſtis principibus factū eſt, qui id eiuſmodi lege ſanxerunt [d] Digna vox eſt maieſtate regnantis legibus alligatum ſe principem profiteri. Adeo de authoritate legum noſtra pendet authoritas? & re vera maius Imperio eſt ſubmittere legibus principatum. Oraculo igitur præſentis edicti quod nobis licere non patimur: alijs indicamus. Quid lege hac humanius? Quid porrò vtilius? & certè teſtimonium hoc Romanorum Cæſarum eſt: non mendici philoſophi dignitatem regiam aſſequi diffidentis. Pleriſque ſiquidem eorum qui in Imperio ſunt, perſuaſiſsimum eſt:

D. In. l. digna vox. C. de legibus,

eſt plurimum idcirco de ſeruandis legibus, ſeq; illis ratione, ſubiugandis aduerſus principes ipſos à philophis haberi ſermonem: q̃ omnium maximè mortalium à Cæſareę bono potentiæ videantur abeſſe. Perinde quaſi regnare & ſapere; res ſint admodum contrariæ: ac non potius ita cõiunctę, vt Imperij illa dignè ſuſtinere ſola ſceptrum planè videatur. Sed reuertar ad me.

EXISTIMO ERGO quæ hactenus dicta ſunt: obſcurum eſſe non arbitrro, nihil tam̃ eſſe regale quam principis & vocem & animum legi obſequi ac ſubiacere volentis: Idque vnum Imperio quouis longè eſſe præſtãtius. Quæ vna opinio non regum modò bonorum defenſa eſt patrocinijs, ſed & veterum quoque ſapientum̃ elogijs illuſtrata. Celebraturque propterea Pithaci dictum ſapientis, qui ſciſcitanti Crœſſo quod maximum putaret Imperium: reſpondiſſe dicitur, id in quo leges plurimum valent. Nam ibi (inquit) minimum eſt Tyrannidis & violentiæ. Id quod docere volens diuinus ille Plato: patriæ ſuæ peſtilẽtiorem ciuem exiſtere poſſe negat, atque eum, qui leges ſubijciat arbitrio hominis: quæ ſub optimo principe maieſtatis multum debent, atque roboris obtinere. Hinc Lacędemonius ille Chilon, cuius ob ſapientię præſtantiam pleraque dicta Pythio ſunt Apollini tributa: Iure quod quiſque ſanxiſſet, religioſè ſibi monebat eſſe parendum. Vnde iuris conſultorum illę diuinę ſunt formulæ hauſtæ: quę volunt, Quod quiſq; Iuris in alterum ſtatuit: vt ipſa eodẽ Iure vtatur. Quis igitur imperabit principi? Nempè Lex omnium regina & mortalium & Immortalium (vt ait Pindarus) non iſta quidem lex foris in libris, aut ligneis ſcripta tabulis, ſed viua illi inſita ratio, ſemper cõuiuens ac familiaris principi: nec vnquam animum ſuo ductu, ſua moderatione deſtituens. Nam illud ratio non patitur, vt qui ad aliorum coercendam libidinem Iura ſancit, voluntãti inſeruiens temere: nulla ipſe lege regatur. Quapropter quid Lex omnino ſit, tractare opportunum eſt. Mox illorũ ſubijciemus exempla, qui à ſe vel ab alijs traditas leges incorruptè ac ſanctè ſeruarunt.

HANC igitur acri & perſpicaci vir ingenio Papinianus definitionum libro primo ſic expedit: *. Lex eſt commune pręceptum: virorum prudentium cõſultum: delictorũ quæ E. In. l. Lex eſt ſupraalleg. & in. l. nam & Demoſthenes. ſponte vel ignorãtia contrahuntur, coerctio: communis reipublicæ ſponſio. Sed & Græcæ facundiæ ſummus author Demoſthenes ita definit. Lex eſt, cui omnes homines decet obedire. Cùm propter multa & varia: tum maximè quia omnis Lex eſt inuentio quędã ac donum Dei: decretum autem hominum ſapientum: corrictio verò voluntariorum & non voluntariorum peccatorũ: ciuitatis autem compolitio communis: ſecundum quã omnes ꝛ decet viuere, qui in ciuitate ſunt. F. In. l. leges Sacratiſsimæ. C. de legibus. Præclarè ergò Tarentinus Archita, in libris, quos de lege & Iuſtitia ſcripſit, ad hunc modum de legis virtute deſſerit. Omnis hominum Cœtus, vt ego iudico, ex principibus ac ſubditis, & tertiò legibus conſiſtit. Lex alia animata: nempè rex eſt: alia inanimata, ſcriptum: & hæc quidem lex partibus reipublicę cęteris præferenda eſt. Huius enim conſeruatione, rex legitimus erit, princeps ſeu magiſtratus officio ſuo ſatiſſaciet populus erit liber: vniuerſus autem Cœtus fœlix futurus eſt. In eiuſdem violatione, rex Tyrannus fiet, magiſtratus officiò ſuo deerit, populus ſeruus: totus denique Cœtus infœlix euadet. Quippe ad omnes in republica res & actiones perficiendas tria requiruntur, Imperij adminiſtratio, obediẽtia & victoria. Adminiſtrare Imperiũ ad meliores pertinet: obedire, ad deteriores: vincere, ad ambos. Etenim rationalis animi vis Imperat: quæ ratione caret, obtemperat: ſimul autem ambæ vincunt affectus. Nam virtus vtriſque, vt decet, cõiunctis inoleſcit: & mox à voluptatibus atque mœroribus, tranquillum & ſerenum reddit animum. Hęc Pythagorę auditor Archita. Cicero autem, qui maximè fuit Platonicus, vt ex illius cõſtat ſcriptis: tertio de legibus libro ita de ea prodidit, Nihil porrò tam aptum eſt, ad Ius conditionemq; naturæ: quod cum dico Legem, à me dici nihil aliud intelligi volo, quam Imperium: ſine quo nec domus vlla, nec ciuitas, nec gens, nec hominũ vniuerſum genus ſtare, nec rerum natura omnis, nec ipſe mundus poteſt. Nam & hic Deo paret, & huic obediunt maria, terræque, & hominũ vita iuſſis ſupremę legis obtemperat. Itaque præclare idem ſecundo eiuſdem operis libro, cum de germanæ huius legis vi vellet & natura diſſerere: ad hunc modum verba fecit. Hanc igitur video ſapientiſsimorum fuiſſe ſententiam: Legem neque hominum ingenijs excogitatam, neq; ſcitum aliquod eſſe populorum, ſed æternum quiddam, quod vniuerſum mundum regeret, Imperandi prohibendique ſapientia. Ita principem Legem illam, & vltimam: mentem eſſe dicebãt omnia ratione aut cogentis, aut vetãtis Dei: ex qua illa Lex, quam Dij humano generi

de

dederunt, rectè eſt laudata. Eſt enim ratio, menſque ſapientis ad iubendum, ac deterrẽdum idonea. Quapropter rem iam altè ab ipſo quaſi capite & naturæ fonte repetens: præclarè eſt legis ad hunc modum rationẽ exorſus. Lex eſt ratio ſumma inſita in natura, quæ iubet ea, quæ facienda ſunt: probibetque contraria. Eadem ratio, cum eſt in hominis mente confirmata & confecta, Lex eſt. Itaque arbitrantur prudentiam eſſe legẽ, cuius ea vis ſit, vt rectè facere iubeat: vetet delinquere. Eamque rem illi Græco putant nomine à ſuum cuiq; trabuendo appellatã: ego noſtro, à legẽdo. Nam vt illi æquitatis, ſic nos delectus vim in lege ponimus: & proprium tamen vtrumque legis eſt. Sed tamen cum cerneret animo, quæ populariter fuiſſet oratio ſuſcepta: eam opinioni hominum communi aliquid debere cõcedere: legem illam pariter enuntiauit, quæ ſcripto ſancit quod vult: aut iubendo, aut vetando, vt vulgus appellat. Quo in genere vulgare illud latiſsime patet. Quod principi placuit: legis debet habere vigorem. Vnde & peſtilentiſsima illa tyrannicarũ legum orta ſubſcriptio eſt.

Sic volo, ſic iubeo: ſit pro ratione voluntas.

Non enim vitioſus animus: non corrupta mens: non pectus impurum Leges ferre, aut Iura debet ſtabilire: ſed moribus, ac vitę integritate ſumma ſancire princeps debet, qui maximè in populo ius cupit ratum efficere. Quin etiam in ſanctione ipſa legũ legitimè conſtituenda conſiliariam ſedulo ſemper adhibebit cõpoſiti placatique animi propenſionem: id eſt, vt ego interpretor naturalem rationem, honeſtatiſque ipſam vim à natura nobis ingenitam: quę veri ſundamẽta Iuris, & germanę ſeminaria Iuſtitiæ in ſe vna verè continet. Naturalis ſiquidem ratio, quæ humanis in pectoribus quaſi Lex quædam tacita diuinitus inſculpta eſt, minãtia licet nulla foris verba extent, vi nos ipſa ſua ad laudem reuocat, deterretque à flagitio. Hinc veluti conſcientia teſte occultare crimen natura ipſa cogit: & (quę ab oculis remota eſt) cogitatione iugi, quaſi iam præſentem, delicti pœnam metuere. Vt ex eo appareat, honeſtatis atque Iuſtitię nos eſſe amãtes genitos: atque ideò inhoneſti & Iniuſti tanquam vindices conſtitutos, auſpicijs ductuque ipſius: in officioſas, Indecôras, abſurdaſque actiones: id eſt, cũ honeſtate & Iuſtitia pugnantes, ſtudioſe reſugere: ac mortis inſtar vulnus mentis horreſcere. Quæ profectò vulnera nemo vnquã in ſe ipſe ſine aliqua mœſtitiæ ſignificatione pertulit, niſi qui cõſuetudine peccandi, recto veluti animi iã prorſus amiſſo, ac lumine mentis erepto, callum vetuſtatis obduxit. Qua ex re illud efficitur, vt turpitudinis odium, declinatio ac fuga vitij: proprium ſit hominis benè conſtitutæ naturæ. In quę reſpiciens animus, facilè intelliget, Iuris fontem eſſe naturam. Nam quę à perditis hominibus legum vice, populo iuſſa ſunt tradita, cum rationi illi ſummę à natura inſitę (quæ faciendorum ac non faciendorum continet diſtinctionem) intercedere eſſent, aduerſarique viſa, nec vero Legis nomine inſigniri: nec temporis multum durare potuerunt. Siquidem conſtat profectò, ad ſalutem ciuium, ciuitatũq; incolumitatem, vitamque omnium quietam & beatam conditas eſſe leges: eoſque, qui primum eiuſmodi ſcita ſanxerunt, populis oſtendiſſe, ea ſe ſcripturos, atque laturos: quibus illi à ſcriptis, ſuſceptiſque, honeſtè beateque viuerent. Quæque ita compoſita, ſanctaque eſſent: eas Leges videlicet nominauerunt.

Ex QVO (vt pręclarè Cicero ait) intelligi par eſt, eos: qui pernicioſa & iniuſta populis iuſſa deſcripſerint: cum contra fecerint quam polliciti, profeſsique ſint: quiduis potius tuliſſe, quam Leges. Vt perſpicuũ eſſe poſsit, in ipſo nomine Legis interpretando ineſſe vim, & ſententiam iuſti, & iuris colendi. Sic igitur intelligi oportet (vt monet is qui à me eſt toties citatus iam Cicero) & hęc, & alia iuſſa ac vetita populorum vim habere ad rectè facta vocandi, & à peccatis auocandi. Quæ vis non modò ſenior eſt, quam ętas populorum & ciuitatum, ſed æqualis illius Cœlum atque terras tuentis, & regentis Dei. Neque enim eſſe mens diuina ſine ratione poteſt: nec ratio diuina non hanc vim in rectis prauiſque ſanciendis habere. Hæc ille.

SIC ergo habendum eſt, ad Cœleſtis legis normã (quoad ſit humanę imbecillitati imitatione aſſequi fas) humanas vſq; quaq; leges dirigendas eſſe. Ad diuinum enim Archetypum debet effingi: quæ legitimè in ęternum lex poſsit haberi. Cuius quidem diuinæ, Cœleſtiſq; legis poteſtatem & vim. 3. de republica libro, pene diuina nobis Cicero voce depinxit. Eſt quidem (inquit) vera lex, recta ratio, naturæ congruens, diffuſa in omnes, con- »
ſtans, ſempiterna: quæ vocet ad officium iu- »
bendo: vetando à fraude deterreat. Quæ ta- »
mẽ neq; probos fruſtra iubet aut vetat: nec »
improbos iubendo, aut vetando mouet. »

Huic

Hinc legi nec prorogari fas eſt: neq; derogari ex hac aliquid licet: neq; tota abrogari poteſt. Nec vero aut per ſenatum, aut per populum ſolui hac lege poſſumus. Neque eſt quærēdus explanator, aut interpres eius alius. Nec erit alia Lex Romę: alia Athenis, alia nunc alia poſthac: ſed & omnes gentes, & omni tempore vna Lex, & ſempiterna, & Immutabilis continebit. Vnuſq; erit communis quaſi magiſter & Imperator omniũ Deus: ille legis huius inuentor, diſceptator, lator: cui, qui non parebit, ipſe ſe fugiet, ac naturã hominis aſpernabitur: hocq; ipſo luet maximas pœnas: etiã ſi cetera ſupplicia (que putantur) effugerit. Ad huius igitur exēplar (quę rectè viuendi eſſe oportet regula) quoad ſit homini tanti Archetypi imitando vim aſſequi fas, ne vel abrogari facilè, vel culpari iure poſsit: Lex debet humana conſtitui. Pręclarè itaque Chryſippus, cuius eſt à veteribus Ingenij acumen laudatum, librum illum ſuum: quem [illegible] inſcripſit, ad hunc eſt modum exorſus. Lex eſt omnium diuinarum & humanarũ rerum regina. Oportet autem eam etiam prędere & bonis & malis, & principem & ducē eſſe: & ſecundum hoc regulam eſſe Iuſtorum & Iniuſtorum: & eorum (quæ natura ciuilia ſunt) animantium: præceptrix quidem faciendorum: prohibitrix autem non faciendorum. Hactenus Chryſippus. Huc igitur dictorũ ſumma reſpicit: vt intelligamus, Veram Legem rationem eſſe quampiam à diuino Numine delibatam: quæ honeſtatem ſectari iubeat: vetet autē delinquere. Id quod in Antoniũ philippica graphicè Tullius expreſsit. Eſt enim (inquit) aliud nihil lex, niſi recta, & à Numine Deorum tracta ratio, Imperans honeſta: prohibenſque contraria. Cuius cum excellentia ſit & dignitas tanta, eaque nomini ſubiecta vis: meritò illi eſt ab omnibus parendum.

NVNC IVSTITIAM, Iuſq; ipſum paucis excutiamus. Iuſtitiam eſſe ſecundo de inuentione rhetorica Cicero dicit, habitum quemdam animi vtilitate conſeruata communi, ſuam cuique dignitatem tribuērem. Hanc porrò regularum libro primo Vlpianus ſic definit. Iuſtitia eſt conſtans & perpetua voluntas, Ius ſuum vnicuiq; tribuēs. Ius autem à Iuſtitia eſt tractum, & in boni & ęqui arte verſatur: quemadmodũ à Celſo eleganter eſt dictũ. Quod tripartitò diuiſum eſt, nempè in Naturale: Gentiũ, atq; Ciuile. Ius naturale eſt, quod Natura omnia animantia docuit. Nam Ius iſtud non ſolùm humani generis propriũ eſt, ſed & omnium animalium: quæ in Cœlo, quæ in terra, quę in mari naſcuntur. Hinc deſcendit maris ac fœminę coniugatio, quã nos matrimonium appellamus. Hinc Liberorum procreatio & educatio: videmus etenim cetera quoq; animalia iſtius iuris peritia cenſeri. Quod verò naturalis ratio inter omnes gentes conſtituit, id apud omnes populos perę què cuſtoditur: vocaturq; Ius gentium quaſi, quo Iure omnes gentes vtantur. Nam quod quiſq; populus ipſe ſibi Ius conſtituit, id ipſius proprium ciuitatis eſt: vocaturq; Ius ciuile quaſi Ius propriũ ipſius ciuitatis. Iuris prudentia verò diuinarum atq; humanarum rerum notitia eſt: Iuſti atque Iniuſti ſcientia. Artis præcepta ſunt, honeſtè viuere: Alterũ non lędere: ſuum cuiq; tribuere. Profeſsionis ſcopus eſt, licitum ab illicito ſeparare: ęquũ ab iniquo diſcernere: ad honeſta præmijs allicere: pœnis à praui ſtudio homines auocare: Ac ſic beatitudine florentē (quod legitimè imperantis) rectoriſq; optimi laudabile munus eſt, ſubditorum vrbem efficere.

QVIBVS Sic breuitèr viſis (neq; enim latius exequi ſingula placet) ad eos orationē conuertam, qui legum obſeruantiſsimi dicuntur fuiſſe. Idq; faciam maximè, quod intelligam Iuſtitiæ vim in obſeruatione legũ valde perſpici. Id quod Socrati (quē haud Iniuria primo de Deorum natura libro philoſophorum parentem appellat Cicero) placuiſſe video. Xenophõ enim in his, quę de dictis factiſque Socratis memoriæ prodidit. Socratem Ipſum cum Æleo illo Hippia multiſcio de Iuſtitia inducit diſputantem, atq; aſſerentem; illum demũ eſſe Iuſtum qui legibus obtemperet: qui illis nõ pareat, Iniuſtum. Ac tandē Iniuſtitiam ipſam nihil eſſe aliud, quam tranſgreſsionem legis quãpiam. Quã in ſententia Xenophontis condiſcipulum Platonē fuiſſe, de republica ab eo ſcripti libri proculdubiò teſtantur. Nam cum Traſimachus apud ipſum concederet, virtutem animæ eſſe Iuſtitiam; Iniuſtitiam vitium, ita poſt paulo ait.

INHIS vix tandem conſenſimus, ſatiſque inter nos cõſtitit, eadem in ciuitate; eadem & in cuiuſq; anima genera eſſe, ac numero paria. Sic certè. Quin & hoc neceſſarium eſt, quemadmodum & quo ſapiens erat ciuitas, ita & eodem modo ſapientem eſſe priuatũ? Planè. Item, quo fortis eſt priuatus aliquis & quomodo, eodem & ita fortem eſſe ciuitatem: & in ceteris omnibus ad virtutē vtraſque ſimiliter ſe habere. Neceſſe eſt. Atqui

&

& Iuſtum ô Glauco, virum dicimus eadem ratione, qua dicimus ciuitatẽ. Neceſſariũ id omnino. At, nũdũ illud obliti ſumus, quòd ciuitas ex eo iuſta viſa eſt: quia cum tria in ea ſint hominum genera, ſuum quiſque explet officium. Haud certè mihi obliti videmur. Meminiſſe ergo oportet, quod quiſq; noſtrum, cuius ſingulę animæ partes quod ſuum eſt agunt: & Iuſtus erit, & ſua peragens. Meminiſſe prorſus. Non ne rationali potentiæ conuenit imperare, cum ſapiens ſit, geratq; totius animæ prouidentiã? Iraſcendi verò naturæ, obſequi rationi: perque illam pugnare? Penitus. Non ne, (vt ſupra tractauimus) muſicæ & gymnaſticæ mixtio atq; temperantia, id concordia iſta ſint, efficit? Vnũ quidẽ horũ intendens augenſq; & nutriẽs præclaris ſermonib⁹ & diſciplinis: alterum verò remittens, ſedans, manſuefaciens per harmoniam atq; rhythmum? Maximè. Cum itaq; nutrita hæc fuerint, & quæ ſua ſunt re vera didicerint, & optimè fuerint erudita, ardori concupiſcentiæ præſidebunt: quæ pars animæ in quocunque eſt plurima, neq; vnquam pecuniarum poſſeſſione repletur: cauebuntq; ne corporalium voluptatũ expletione adaucta, grandior robuſtiorque euadat, nolitq; ſuo dũtaxat officio fungi, ſed ſubijcere ſibi illa contendat, quibus imperare natura non debet, atque ita vniuerſam omnium vitam peruertat. Sic prorſus. Quin etiam ab externis hoſtibus hæc animam omnem, corpuſque cuſtodit, dum illud quidem prouidè conſulit, hoc autem propugnat, obtemperat principi, fortitudine quæ conſulta ſunt, peragit. Vera hæc ſunt. Fortem profectò hac ex parte virũ quẽq; vocamus, quando in ipſo iracũdiæ vigor ita inſtitutus eſt, vt in medijs voluptatibus & doloribus, in ſententia ſua perſiſtat, nõ aliter eſſe de terribili & nõ terribili iudicandum quam ratio ipſa dictauerit. Probè. Sapientem verò breui illa ex parte quoq; & imperauit in ipſo, & iſta dictauit, habens in ſe ipſa ſcientiam, qua diſcernit quid potiſsimum ex vſu ſit tam ſingulis quam vniuerſo ex his tribus Cœtui conſtituto. Certè. Temperantem rurſus aliquem appellamus horũ ipſorum amicitia atque concordia, quando & quod præſidet, & quod ſubeſt, in ſententiam eãdem conueniunt: rationẽ ſcilicet imperare decere, neq; ab illa deſciſcendũ eſſe. Temperantia profectò nihil eſt aliud & priuatim & publicè. Iuſtus denique ex eo atq; ita erit quiſque, ex quo ſępe iam diximus, & quemadmodum expoſuimus. Neceſſe eſt (inquit) prorſus. Hæc Plato hactenus. Sed neceſſe non eſt altius perſequi ſingula. Cũ perſpicuum ſit toto hoc Glauconis colloquio aliud nihil ſignificare velle Platonem, quam vt nos edóceat, iniuſtitiam, quamdam eſſe præuaricationẽ animę partis ignobilis aduerſus eam, cuius ſit naturali iure ſeruituti obnoxia, & imperio ſubiecta. Nã cum pars illa irrationalis animæ, reginæ ſuæ ac duci, reniti eſt atque intercedere auſa, turpiter à ratione deſciſcens, animam ipſam protinus iniuſtitia occupat. Nihil enim (vt opinio mea fert) meditari rectè aut iuſtè agere anima poteſt, Cuius inteſtina diſcordia partes tumultuantes miſerè, præpoſtero agitantur Imperio. Quæ ſi vera ſunt, vehementer probo Xenophontij illam Socratis concluſiunculam; Iuſtum eſſe virum qui legibus obtemperet: qui vero illis nõ pareat, iniuſtum. Itaque ego ô Hippias, idem dico eſſe Iuſtum, atque legibus obtemperare: quod ſi tu aliter ſentias, profer: At Hippias, rectè: neque mihi ſecus de Iuſto eſt, vt ſentiam.

CVM ERGO ad hunc modũ cuncta ſe habeant: ſitque vt in animo rectè affecto (mẽti quæ vim eſt omnem rationis complexa) ſic & legi, quia ſalutaria vitæ pręcepta continet, ſedulo vſque parendum. Meritò illi nobis in præſentia erunt ſubtexendi, qui Iuſtitiæ bono, ſtudio omni fauentes: leges religioſè colere: & ipſarũ tutelã ſartam tectãq; præſtare nunquã deſtiterunt. Tanta Zaleucus integritate iuſtitię fuiſſe dicitur, vt cum apud Locros de adulterijs legẽ tuliſſet: qua ijs qui eo eſſent facinore deprehẽſi effodiendorum oculorum pœna erat inſerta, transgreſſorem filium priuaret oculo: eruto ſibi altero, ne ob filij vnici charitatem (cuius incolumitati parcendum eſſe populus obnixè petierat) ſcriptę à ſe legis parũ fidus cuſtos eſſe videretur. Quod in filij etiam eiuſmodi crimine Traianum poſtea feciſſe perhibent. Hac de re etiam Romæ ab Otauio Cæſare lege lata. cum delatus ad eum adoleſcẽs quídam eſſet, qui cum ipſius filia ſtupri conſuetudinem habere dicebatur (conſtat nanque Iuliã Auguſti filiam parum ſecundę fuiſſe famę) irę furore correptus Imperator flagris iuuenem cœpit rumpere: ſed cum ille inclamaſſet, legem tuliſti o Cæſar! Adeo facti Cæſarem pœnituit, vt eo die cœnam capere recuſarit. Dolebat optimo principi: legi, quam promulgauerat, non rectè ſe per omnia paruiſſe. Tyrius quoq; Charondas, vt veteres loquuntur Annales, ne quis in concionem armatus veniret, legẽ ſanxit Athenis.

nis. Sed cum præceptorũ oblitus, ſuæ fuiſſet legis admonitu: ſub omnium oculos ſuper ſuum ipſe gladium è veſtigio decubuit ſeuero magis, quàm cordato exemplo violatam à ſe legem morte conſtabiliens. Verùm quid ego de lege obſeruanda tam multa? Cum nemo neſciat, quam quiſq; legem ſciſceret, eius quondam religioſum cultorem ſemper habitum eſſe. Vnde non iniuria ab Actio Syncero Federici Regis in ſeruãdis legibus virtus cultiſsimo hoc eſt epigrãmate nobilitata.

Edicto nuper cum tu rex magne caueres,
Auderet ne quis ſtringeret arma manu:
Depoſuiſſe tum vel primus diceris enſem,
Et monſtraſſe palam primus inerme latus.
Quid maius populis ve tuis Federice, vel vrbi,
Accidere huic noſtra per tua dona poteſt?
Poſt domitos hoſtes, inter tot commoda pacis,
Contigit exemplis viuere poſſe tuis.
Publica nimirum res tunc ſibi conſtat & æquum
Imperiũ, cum rex, quod iubet ipſe facit.

EFFICACISSIMVM certè exhortationis genus eſt cùm cęteris alijs: tũ verò viro principi, quod alijs faciendum præcipit: ipſum factitare. Qua in re, cuius nam potius chriſtiani populi habenas, clauumq; tractanti, imitationis gratia, erunt veſtigia terẽda: quã principis illius, qui cum nullo eſſet legũ vinculo obſtrictus: tam religioſus ſemper ſanctionis ſuę cuſtos eſt habitus: vt ſingulare nobis obſeruandarum legum exemplar, ipſe reliquerit? Quid enim terreni imperij gubernacula moderanti, ſceptraque tenenti eſſe poteſt ad perſuaſionis fidem congruentius? Ad authoritatem auguſtius? tutius ad ſalutem? ſplendidius ad honorem? præſtantius ad dignitatem? quam vt ſupremi legislatoris, Imperatoriſq; omnium Dei, Seruatoriſque noſtri IESV CHRISTI: cuius in terris, quoad licet homini, actione vitæ omni, terrenus princeps repræſẽtare debet imaginem, ſtudioſè vbique diuina facta animi, imitatus ad vnguem eſſe videatur? Qui nihil vnquam ad rectam morum compoſitionẽ, doctrinamq; animi docere ſit orſus: quin id prius præclara ac mirifica quadã, planèq; diuina ſuſceptioperis executione, ſpecioſiſsimè teſtatum mortalium oculis exhibuerit. Vt facilè ex eo appareat, veri iuris, germanęque Iuſtitiæ eum demum legitimum legis latorem exiſtimandum: & fœlicitatis authorem, atque principem veritatis meritò eſſe habendum: qui tam rigidè atq; anxiè, eius, quod in ſinu patris ipſe ſacrarat, teſtamenti cuſtos extiterit: vt etiam proprio in ipſius periculo capitis, quod pro ſalute omnium ſupremo patri deuouerat, obſeruari per omnia leges vſque voluerit. Quiq; nil ſibi vnquam peculiare vel eximium fecerit in eo, quod alijs factitandũ præcepit. Qui potius, dum incredibilis cuiuſdã charitatis affectu, & pietatis inaudito quodam genere, ſalutis noſtræ fundamenta iacit, & auſpicia humanę fœlicitatis exequitur: præſtantiæ ſuæ minimè dignam non dubitauit legem ferre & pati quæ criminoſis tantum eſſet ſubeunda: Tantiſperque ſuæ dignitatis oblitus, atque ſui immemor factus, dum vſibus noſtris deſeruit: exinaniuit ſemetipſum carnis noſtræ indumento vili ſuſcepto: vt ſub humana hac & ſeruili ſpecie deliteſcens (quę ad noſtram omnium ſalutem diuinitus ſciſcebatur) ſatisfacere legi poſſet. Victorque ſic immeritam per mortẽ erebi Imperio deuictos extorres Cœlo animas primi parentis ob culpam: priſtinam hominis dignitatem inſtaurans, recuperaret Olympo; redderetque Deo, Summo patri ipſius, cui ſe illas reſtituturum eſſe promiſerat. Atq; ita abolendi cauſa ſceleris, quo vniuerſum genus hominum erat contaminatum, ęternęque morti addictum, effuſione proprij cruoris pro criminoſo & ſonte Agnus paſſus eſt innocens. Hinc igitur intelligas diuini quanta ſit vis & virtus amoris, quę è Cœli ſede ſumma in terras deduxerit Deum: inſuper & pro inimico homine coegerit pati, ne funditus interiret plaſma ſuum.

QVOCIRCA, ſi paruis componere magna, & profana ſacris, virtutis aſſerendę & docendę cauſa veritatis admiſcere interdum licet, profectò non iniuria humanarũ rerum vir maximè peritus Plutarchus inter alias Ageſilai virtutes, quas recenſet innumeras, hanc illi in primis adſcribit: quòd ſiquid à ſuis militibus ac ſubditis confici vellet, eius rei operam primus ipſe ſuſciperet. Quam vnam virtutem Magnum illum Põpeium ſemper ſuiſſe ſecutum, vel hoc erit indicio. Cum enim Romę mos eſſet, vt equites, qui legitimum militiæ tempus iam expleuiſſet, pro foro adſtantibus duum viris equum exhiberent: vt expeditionibus ac ducibus ſub quibus meruiſſent adnumeratis, vituperatione aut laudatione pro meritis afficẽretur: ſuum & ipſe equum Pompeius Conſul exhibuit: cumq; deinde cenſores eum rogaſſent, nunquid militaria munia obijſſet: omnia (inquit) ſub me ipſo Imperatore, innuẽs ducis perſonam à ſe ſemper ita geſtam, vt pari cum cęteris iure: nulli vnquam militari labo-

labori ceſſerit. Cuius profectò rei vis tanta eſt, vt ſubditorum omnium amorem & beneuolentiam principi ipſi conciliet: opinioneq; Iuſtitiæ maximè faciat verendum. Rectè itaq; Claudianus non incelebris poeta Honorium Auguſtum carminibus eiuſmodi affatur,

In commune iubes ſiquid, cenſeſque tenendum:
Primus iuſſa ſubi. Tunc obſeruantior Æqui
Fit populus: nec ferre vetat quum viderit ipſum.
Authorem parere ſibi. Componitur Orbis
Regis ad exemplum. Nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent: quam vita regentis.

Vt igitur conditarũ à ſe legum etiam proprijs exemplis tuitorem, defenſoremq; eſſe principem conuenit: Idq; ipſum ad Imperij conſeruationẽ valere apparet plurimum: ſic & ab alijs ſalubriter inuentas, temere abrogari non ſinere, iuſti eſt officium principis. Qua quidẽ in re Ageſilai regis prudentia perpetuis ſęculis iure laudatur. Cũ enim ex Leutrica pugna (quę Lacedęmonijs ipſis omniũ maximè luctuoſa fuit) Spartani pleriq; milites, ſalutẽ fuga quęſiſſẽt nec auſi eſſẽt patriã repetere, legũ timore: quibus ijqui ex acie fugiſſent infamia notabãtur, vrbſq; ipſa cùm ob illorum abſentiam quos fuga diſtraxerat: tùm verò propter eorum defectum, qui magnitudine fuerant calamitatis abſorpti: ad ſolitudimem virorum iam planè fuiſſet redacta: difficultatem hanc perſpicientes Ephori, ſimul & vrbis faciem viris caſſam: ſine Legum diſpendio opem militibus ferre amabant. Confeſtimque Ageſilaum Legum latorem nouum cõſtituunt. Is igitur magna ciuium expectatione cõſcenſo ſuggeſto, ſic inquit, Alias à me Leges viri Lacedęmonij expectare non debetis: ſed neq; detracturus, additurus, immutaturusvè earum quas habetis quicquã omnino ſum: mihi tamen peropportunum videtur, eas ipſas à die craſtino vim omnem, roburque ſortiri. Qua tanta ingenij ſolertia militibus ac legibus ex ęquo periclitantibus haud dubiè ſaluti fuit. Vtiliterque docuit, reipublicę cauſa latam legem: interpretatione potius adiuuandam eſſe, quam è medio omnino tollendam. Sic nimirum optimi quique principes facere debent: à maioribus ſuſceptas Leges, ac veluti per manus traditas (Si modò reipublicę ad cuius vtilitatem referri debent) non incõmodæ videbuntur, vſque quaque conſeruare.

ET QVONIAM Huiuſmodi opera magni animi excelſiq; ſunt, nec ſine ſingulari quodam amore Iuſtitię poſſunt effici: dictis ac factis iuſtorum hominum hęc quoque pars illuſtranda eſt: ne officij portio aliqua, deſerta putetur inſcitia. Scribit Plutarchus tam ęqui & iuſti amantem fuiſſe Philippum, vt cum tribunal aliquando conſcenderet Machetæ cuiuſdã cauſam cogniturus, ſed vi ſomni oppreſſus merita non poſſet cauſæ perpẽdere: perperamq; idcirco cõtrà Machetam pronunciaret: reum ipſum protinus inclamaſſe, ab illius ſe ſententia prouocare: itaq; percitum Philippum dixiſſe, ad quem appellas ô fatue? Significare volentem à decretis principum præſidium eſſe prouocationis inutile. Hîc Machetes, à te inquit ô rex appello, ſi excuſſo ſomno meam eris cauſam intuitus. Quæ cum Philippus audiret, attentius ſecum negotium cœpit inſpicere: cumque Machetæ à ſe factam cognouiſſet iniuriam, iudicatum quidem non recidit: graue & periculoſum eſſe exemplo intelligens, ſi iudicio tranſacta mutarẽtur; verùm pecuniæ mulctã, qua damnatus fuerat reus, de ſuo ipſe dependit. Huius filius Alexander, quàm & ipſe Iuſtitiam ſemper amarit declarat illius conſuetudo, qui in cauſis capitalibus iudex nunquam ſedit, quin accuſatori alteram aurem occluderet: rogatuſq; cur id faceret, hanc (inquit) integram & obſignatam reo reſeruo. Ad Iuſtitiæ integritatẽ pertinere ratus: nil temere delatoribus credere. Sed tam rei defenſione, quam actoris actione perpenſa, id demum ferre ſententiæ, quod Iuſtitię ſit rationi cõſentaneum. Præclarè ergò in Medea Seneca,

Qui ſtatuit aliquid parte inaudita altera.
Æquum licet ſtatuat, haud æquus fuit,

Sic & Stoici Zenonis ſophiſticas argutias eludẽs Chœroneus Plutarchus, veteris nobilitatiq; verſiculi huius monita cõmendat,

Iudicium expedias neutri: ni dicat vterque.

Rectè ſanè vetuſti carminis author. Nam licet accuſatores in ciuitate eſſe publicè interſit, vt metu contineatur audacia: Eſt tamen ſummè peſtilens, valdeq; exitioſum, ſi non tam ex cauſarum merito quam delatoris ipſius arbitrio, ſententiæ & iudicia ferantur. Quid enim tam eſſe poteſt iniuriũ, quam æquitatem legum delatoriæ voluntati ſubijcere: indiſcuſſaque cauſa, maleuolorum temeritati atque libidini hominis innocentiam committere? Cum præſertim tanta in hoc à veteribus illis iuris prudentiæ Coriphœis ratio habita ſit, vt cum quẽ pars altera poſtularit, iudicem dandum non eſſe vſq; cenſuerint. Volebant nimirum Iuſtitia viri præſtãtes, corrupti iudicij cęſſare vbiq;

ſuſ-

ſuſpicionē: latiſq; ideo legibus, quē aduerſarius cupiuiſſe videretur, penitus arcuerunt. Ne, ſi is omnino iudex crearetur, quem inimicus optaſſet, iniuriæ ſuſpicione iam orta; ſynceritas iudicij ac fides labefactata crederetur. Vnde & pulchra illa legitimi iudicij ſpecies, formaq; iā affulſit, quæ actore & reo ad ipſius iudicantis ſubſellia attractis, dū ius ſuū perſequitur cauſæ ſumit exordiū. Adductis etiā fide dignis teſtibus, qui ad ſuū cuiq; ius reddēdū facto iudicē poſsint inſtruere: vt cōfeſſus tandē atq; conuictus, iudicij reus legitimis pœnis, ſupplicijſq; ſubdatur. Hunc tātum, tamq; ad iuſtitiam obtinendā præſtantē morem aboleri, labefactari, penituſque euerti ſummè querebatur Cicero, cum tribunitio furore vexatus nō legitimo iudiciorum ordine, ſed teſtibus nullis, atq; adeo indicta cauſa in exiliū eſt ire cōpulſus. Sic enī loquitur. Nemo tam perdita authoritate, tā facinoroſa iuuentus eſt vita: qui cum de ſcelere fateretur, non tn̄ ſententijs prius iudicū conuinceretur, quam ſupplicio addiceretur. Ego repente vi tribunitia correptus, nō modò loquendi liberè in iudicio, ſed ne conſiſtendi quidē in ciuitate habeo poteſtatem. Eijcior non ſolū ſine teſte, ſine iudice, ſine crimine, ſed ſine etiam ſcelere, ſine accuſatore. Hoſtibus in bello, qui diſsident voluntate, dimicant armis: vitā quotidie oppugnant, in ipſa acie quū præliantur, licet loqui, licet diſputare: mihi in pace ciui, qui perditorum hominū fregi furorē, pro fortunis meis apud vos loqui nō licebit? Serui, qui ad ſuppliciū cæli verberibus trahūtur, apud eos ſæpe diſputāt, quos necare voluerunt: ego conſularis apud vos nō loquar, quos conſeruaui? Tacebo, ſi neceſſe eſt, tacebo, inquam, animo æquo: quoniā virtus mea me tacēre agit cauſam meā. Itaq; vt ego in concione mea nihil ponam de rebus meis geſtis, tn̄ in animis & memoria veſtra largiter relinquam. Iſti modò videant, qua ratione hanc inultā meam fugam ferre poſsint. Etenim ſi à me, vt iſti exiſtimant, Lentuli mortui ſordes, ſi Catilinæ notiſsimus furor; ſi amentia Cethegi, ſi luxuries ac ſtupra Caſsij pœnas repetunt: profecto iſtis hora nulla eiecto Tullio vacua periculo, aut periculi expectatione relinquetur. Itaque illi in dies non meis inſidijs, quæ nulli à me parantur, ſed ſuorum ſcelerum conſcientia cruciati, mihi abſenti & populo Romano pœnas dabunt. Quas obres, ego inimicorum amentiæ; cupiditatique paucorum, omnium ſalutis cauſa decedam. Neque eò deducam, aut progredi patiar, vt opera mea manus inter vos conſeratis, cædeſque ciuium inter ſe fiat: multoque potius ipſe patria liberiſq; meis carebo, quam propter vnum me vos de fortunis veſtris reique publicæ dimicetis. Sic enim ab initio fui animatus, vt nō magis me mea cauſa putarem natum, quam reipublicę procreatum. Sed illud queror, quod non iam ad vnius perniciem, ſed ad vniuerſorum inſtruitur calamitatem, conqueri, commiſerari, dicere, expurgare; ſuſpicionem dimouere, crimen diluere, non licere: ore oppreſſo ceruices eſſe prębendas. Quæ tamen omnia iam non ſunt tam calamitoſa, quòd mihi ſunt ſubeūda: quam pernicioſa, quòd in rempublicam ſunt introducta. quam obrem ſtatutum eſt, atque decretum in his temporibus ciuitatis omnia perpeti: quæ volet furor libidinoſus. Vim volunt afferre: pręſto ſum. Audire nolunt, cauſam non dico: eijcere volunt: exeo indicta cauſa. Angebat profectò virum optimum, reipublicęque ſuæ verè amantem; non tam Fortunæ calamitas, indigna ſors, & ſtatus pręſentis miſerabilis iniuria, quam pernicioſi exempli indignitas: ex quo (ſi illa pręualuiſſent) iam tunc nihil legibus ſanctum: aut in iure magnopere tutum fore videbat. Nam quod exemplo fit, id ſibi quiſque licere putat: & vbi ad perniciem res eſt cœpta ſerpere: vbi ſemel fluxit, labitur. Quocirca rectè Demoſthenes ad diluendū crimē, aduerſarijque ſui eneruandam fidem, nihil aliud à iudicibus ſummè petijt, quā vt nihil in legibus innouēt: veterē iudiciorū morem illibatū atq; incolumem ſeruent. Sic enī inclytam illam, & fama celebrē pro Cteſiphōte aduerſus Æſchinē orationē exorſus eſt.

Primùm quidem viri Athenienſes, Deos Deaſq; omnes comprecor: vt quantum ipſe beneuolentiæ ſemper habui, & erga hanc vrbem, & erga vos omnes: nunc mihi tantùm à vobis in pręſenti certamine pręſtetur. Deinde vt quod maxime in re veſtra futurum ſit, & pro veſtra pietate & gloria, id vobis Dij in animo ponant. Non autem vt inimico meo pareatis, quemadmodum me audiri oporteat admonenti, nam acerbum id quidem eſſet, ſed legibus atque iure iurando: in quo præ cęteris multis, hoc quoq; iuſtiſsimè ſcriptum eſt, VT AMBOS pariter audire debeatis. Id autem eſt, non ſolum nihil ex pręſumptione cōtra quēquā iudicare, nec parē beneuolentiā vtriſque impertiri: verùm vt quē ordinē, & quod genus defenſionis quiſq; decertātiū elegerit, eo vos ſuo arbitrio vti permittatis. Quid hoc? hæc commemorare

quî conuenit? At, maximi refert. Neq; enim ſine cauſa ab oratore ſummo; initio ſunt orationis introducta. An parum eſt præiudicij materiam, opinionemq; fidei ex aduerſarij verbis præceptam atq; præſumptam iudicũ animis exuere, rè præcordijſque euellere? Quid? quòd inculpabilis vitæ indicium eſt non mediocre, integritatiſq; argumentum maximum, ad legum opem fidemq; deſcendere: ex illarumq; præſcripto cõtra iniuriam velle præſidia quærere? Atquî, hæc ſagaciſsimè oculis luſtrat omnia, qui veterem iudiciorum ordinem ſeruari cupit illæſum: inimiciq; hominis calumniam vel exibilandã atq; explodẽdam: aut certè ex legũ æquitate moderandam eſſe oportere cupit, exigit, atque adeò præcipit. Hoc nimirũ illud eſt, non autem vt inimico meo parcatis, quemadmodũ me audiri oporteat admonenti. Niſi enim ex lege accuſanti, curatorem publicum ante rationes relatas donari non licere, in ipſo orationis limine, fidei aditum obſtruxiſſet, ſe quoque innuens ex lege & poſſe & velle defendi: accuſatorijs præiudicijs circunuentus, miſer profectò Demoſthenes, cauſæ, victus ſuccumberet. Nunc ſe non iudicandi morem à maioribus acceptum, quemſyncerum ſibi & incorruptum maximè optat contingere, ſed aduerſarij malitiam aſtutamque fraudem anxiè pertimeſcere: qui ſub patrij iuris ſpecie obſcuras quærat iudicio latebras. Qua tãta ingenij ſui dexteritate Demoſthenes, facile hanc cauſam obtinuit: inimicumque ex lege accuſantem (quod pulcherrimũ vindictæ genus eſt) lege viciſsim eſt vltus: exilio eidem ad Rhodos inſulam indicto.

S e d nos Græciæ principem oratorem relinquamus: Romanæq; facundiæ parentẽ hæc eadem præcepta tradentem ſpectemus. Hic enim vel ſolus inuidioſam Romam facit Athenis. Is igitur de hac ratione tota iuditiorũ diſputans, præiudicijſq; vitandis in oratione pro Aulo Cluentio Habîto, anteaquam defenſionis ſumma capita perſtringeret: nihil ſibi duxit antiquius, quam vt inuidiæ morbo occurreret: ac ſuam cuique iudicũ verè legitimèq; cenſendi, & facultatem & mẽtem purgatam, liberamque relinqueret. Quid enĩ aliud ageret Cicero? Anceps erat periculoſaq; cauſa ſuſcepta: aduerſarij grauia intendebant crimina, veneficij Habîtus, corruptiq; iudicij reus citabatur: quæ per ſe ſingula acerrima ſunt: extremiſque legum ſupplicijs afficienda. Quod igitur patroni non inertis officio vnum relictum erat, id eſt confeſtim amplexus. Iudicum enim incunctanter odio, de illius (cuius de capite agebatur) opinione ſuſcepto medicam manum adhibuit: inuidiam docens eſſe falſam. Vt illorum conciliatis iam animis (qui offenſione iuſta abalienati videbantur) facilius poſſet crimina illata refellere. Sic nanque ait. Sicut alijs in locis parum firmamenti, & parum virium falſitas habet: ſic in hoc loco falſa inuidia, imbecilla eſſe debet. Dominetur in cõcionibus: iaceat in iudicijs: valeat in opinionibus, ac ſermonibus imperitorum: ab ingenijs prudentium repudietur: vehementes habeat repentinos impetus: ſpatiò interpoſito, & cauſa cognita conſeneſcat. Denique illa definitio iudiciorum æquorum (quæ nobis à maioribus tradita eſt) retineatur: vt in iudicijs, & ſine inuidia culpa plectatur: & ſine culpa inuidia ponatur. Quàm obrẽm à vobis iudices, anteaquã de ipſa cauſa dicere incipio, hoc poſtulo: primum id quod æquiſsimum eſt. V t n e q v i d h v c p r a e i v d i c a t i afferatis. Etenim non modó authoritatem, ſed etiam nomen iudicum amittemus, niſi hîc ex ipſis cauſis iudicabimus: ac ſi ad cauſas iudicia iam facta, domo deferemus. Deinde ſi quam opinionem iam veſtris mentibus comprẽhendiſtis, ſi eã ratio conuellet, ſi ratio labefactabit, ſi deniq; veritas extorquebit, ne repugnetis; eamque animis veſtris aut libentibus aut æquis remittatis. Hoc nimirum eſt, in quo præ cæteris Oratoris diſerti euigilare debet induſtria. Malè enim cauſæ merita expenduntur, vbi adulterata odijs, gratia ve corrupta illorum pectora ſunt, qui iudicijs præficiuntur. Eſt que proculdubio Publij Mimographi veriſsimum illud.

Graue præiudicium eſt: quod iudicium non habet.

E t q v o n i a m vim omnem præiudicij (de quo nobis tam multa dicuntur, nocet enim in iuditijs vel maximè, duplici ex fonte naſci certiſsimum eſt. Quid omnino præiudicium ſit, conſiderandum eſt, deinde eas ipſas (vnde naſcatur) cauſas perſequemur. Quamquam autem plurimùm, finitionum ipſa ratio anceps periculoſaque ſit, quia perſæpe periculum imminet: ne [i]. ſubuerti poſsit. Nos tamen Deo Optimo Maximo freti, definire non verebimur. Sit igitur rei huius, qua de agimus, definitio. Præiudicium eſt ante ſententiam latam, mente iudicis de aliquo opinio præſumpta: qua fieri, non fieri ve aliquid omnino decreuit. Huius porrò cauſæ, duplices ſunt. Aut enĩ ob vitæ turpitudinẽ, labẽ morum, ſummamq; infamiam derogari reo in iudicio ſolet: aut rectè exiſti-

I. In. l. omnis diffinitio ff. de reg. iur.

exiſtimationis ergo, & virtutis arrogari. Siquidem ita natura cõparatũ eſſe videmus, vti prout de quocumq; publicè opinio eſt: ita ab eo ſactum aliquid, non ſactum ve iudicari ſoleat. Quod elegãter pro Publio Sylla Tullius declarauit, cum ait. Omnibus in rebus iudices, quæ grauiores (ꝙ & latiſsimè patet) maioreſq; ſunt: quid quiſq; voluerit, cogitarit, admiſerit, non ex crimine, ſed ex moribus eius qui arguitur, eſt ponderãdum. Neq; enim poteſt quiſquã noſtrũ ſubitò fingi: neq; cuiuſquã repente vita mutari, aut natura cõuerti. Peſsimũ autẽ pręiudicij genus illud eſt, cum innocuus & inſons in inuidiã, exiſtimationiſq; periculum, ante cauſæ cognitionẽ apud eos ſępe falſò adducitur: quos iudices mox habiturus eſt. Raro nanq; Iuſtitiæ lancẽ expendit, qui improbum hominem in iudiciũ attractum eſſe ſibi perſuaſit: anteq; ſæpe ſerit, quam delatoriæ malitiæ ſucus compertus eſt. At verò ſuperiora pręiudicia (de quibus paulo ante diximus) vt neq; ſectari vſq; conuenit: ita è diuerſo, ſine cauſa vlla ſemper, temereq; relinquere, parúm tutum iudicanti arbitror. Quod intelligens Cicero pro Murena, qua in defenſione Catonem eſt ſortitus aduerſarium, hominis vitam, Sanctimoniã, atq; mores pertimeſcens: pręiudicatamq, ad extremũ (omniũ in vnũ conſentiente ſama) virtutis opinionẽ: timẽs, ne, ſi minus iure, exiſtimatione ſaltem & authoritate Cato cauſam euinceret: cum nemo illuc ob hominis integritatẽ facile poſſet adduci, vt crederet talem virum, quæ veluti conſcientia teſte honeſta & iuſta probaſſet, fuiſſe impugnaturum. Ne ſibi Marci Catonis, ad obtinendam cauſam, vel dignitas, vel authoritas damno fraudiq; ſint, à iudicibus petit. Magna enim id temporis Catonis nomen erat in laude, adeo, vt culpandus minime Lucanus videatur, qui dum de ciuilis belli ęquitatis cauſa, quæ inter ſocerũ generumq; ſuſcepta eſt, vetat diſſerere: hũc eumdem. M. Catonem, de quo in pręſentia verba facimus, quaſi in altera librę Lance cõiectum, Dijs cunctis ſuæ gentis parem facere non timuerit, ſic etenim loquitur.

. . . Quis iuſtius induit arma
Scire nefas. Magno ſe quiſq; authore tuetur:
Victrix cauſa Dijs placuit: ſed victa Catoni.

Iure igitur. M. Cicero viri tanti ſplendorẽ dignitatis, authoritatemq; nominis veritus, merita cauſæ, non accuſantis vitam ſpectari in iudicijs oportere, pręiudicij tanquam occaſionem materiamq; abſcindens, aduerſarij dignitate ęquiſsima informatione conuulſa, ſuſceptæ eſt patrocinia cauſæ alacri mente complexus. Sic enim ait. Venio nunc ad. M. Catonem, quod eſt firmamentum ac robur totius orationis: qui tamen ita grauis eſt accuſator & vehemens, vt multo magis eius authoritatẽ quam criminationẽ pertimeſcã. In quo ego accuſatore iudices, primùm illud deprecabor ne quid. L. Murenæ dignitas illius, ne quid expectatio Tribunatus. ne quid totius vitæ ſplẽdor, & grauitas noceat. Deniq; ne ea ſoli huic obſint bona. M. Catonis, quæ ille adeptus eſt, vt multis prodeſſe poſsit. Bis Cõſul fuerat. P. Africanus, & duos terrores huius imperij Carthaginem Numãtiamq; deleuerat, quum accuſauit. L. Cottã. Erat in eo ſumma eloquentia, ſumma fides, ſumma integritas: authoritas tanta, quanta in imperio populi Romani, ꝙ illius opera tenebatur. Sæpe hoc maiores natu dicere audiui, hanc accuſatoris eximiam dignitatem, plurimum. L. Cottæ profuiſſe. Noluerunt ſapientiſsimi homines, qui tunc rem illam iudicabant, ita quemquam cadere in iudicio, vt nimijs aduerſarij viribus abiectus videretur. Quid Sergium Galbam, nam traditũ memoriæ eſt, nõne proauo tuo ſortiſsimo atq; florẽtiſsimo viro. M. Catoni incũbenti ad eius perniciẽ, populus Romanus eripuit? Sẽper in hac ciuitate nimis magnis accuſatorũ opibus, & populus vniuerſus, & ſapientes, ac multum in poſterum proſpicientes iudices reſtiterũt. Nolo accuſator in iudicium potẽtiam afferat: non vim maiorem aliquam: nõ authoritatem excellentem: non nimiam gratiam. Valeant hæc omnia ad ſalutem innocentiũ, ad opẽ impotentium, ad auxiliũ calamitoſorum: in periculo verò, & in pernicie repudientur. NAM ſi quis hoc fortè dicet. M. Catonẽ deſcenſurum ad accuſandũ non fuiſſe, niſi prius de cauſa iudicaſſet, iniquam legem iudices, & miſeram conditionem inſtituet periculis hominum, ſi exiſtimabit iudicium accuſatoris in reum pro aliquo præiudicio valere oportere. Hęc Cicero. N.

SED ENIM CVM ex his, quæ à nobis dicta iam ſunt, pręiudiciorum ſit natura cognita: quoque pacto ſugienda, pręceptum: nec leuiter interim iudiciorum ęquorum impreſſa veſtigia ſint, fundamentaque iacta, dum delatorijs calumnijs non eſſe temere credendum oſtendimus. Quando rei huius natura eiuſmodi eſt, vt decernendorum iudiciorum vis omnis ex teſtium dictis naſcatur: iudicantiſque religio huic quaſi neceſsitati conſtricta addictaque ſit: vt vel renitente. conſcientia atque

At In. l. illicitas. §. veritas. ff. de offic. pręſid.

animo reclamante, ea tñ ſequi cogaſ, quę ex teſtium fide probantur: meriro eſt in pręſentia videndũ quanta exiſtimatione, integritate, moderatione, & vitæ innocētia eſſe ij omnino debeãt, quorú teſtimonia rogant. Ná ſi delatori credēdũ nó eſt, quia quæ inimico animo dicunt ſpectare nó cõuenit: ne illis quidē aſſentiendum eſt, quorum fidem vita redarguit. Qui quidem aut ſubornari pecunia, aut odio vel gratia corrumpi facilè poterunt. Quæ ſi vera ſunt, vt ſunt certe: conſultorum nobis citandæ ſententiæ ſunt: qui hanc iudiciorum partem, memoriæ, vitęque hominũ regendæ indubitatam reliquerunt [b]. Calliſtratus igitur cognitionum libro quarto ſic inquit. Teſtium fides diligenter examinanda eſt: Ideoque in perſona eorum exploranda erunt, in primis conditio cuiuſq; : vtrum quis decurio, an plebeius ſit: & an honeſtæ & inculpatæ vitæ, an verò notatus quis & reprehenſibilis: an locuples vel egens ſit, vt lucri cauſa quid facile admittat: vel an ei inimicus ſit, aduerſus quem teſtimonium fert: vel amicus ei, pro quo teſtimonium dat. Nã ſi careat ſuſpicione teſtimoniũ, vel propter perſonã à qua fertur, quòd honeſta ſit: vel propter cauſam, ꝙ neq; lucri, neque gratiæ, neque inimicitiæ cauſa fiat, admittendus eſt. Concinit huic & Conſultus [c]. Arcadius ſingulari de teſtibus libro, cuius hæc verba ſunt. Si teſtes omnes eiuſdem honeſtatis & exiſtimationis ſint, & negotij qualitas, ac iudicis motus cum his concurrat: ſequenda ſunt omnino teſtimonia. Si verò ex his quidam aliud dixerint (licet impari numero) credendum quidem eſt, ſed quod naturæ negotij conuenit, & quod inimicitiæ aut gratię ſuſpicione caret. Confirmabitque iudex motum animi ſui ex argumentis, & teſtimonijs, quæ rei aptiora & vero proximiora eſſe cõpererit [d]. Nõ enim ad multitudinem reſpici oportet: ſed ad ſynceram teſtimoniorum fidem, & teſtimonia, quibus potius lux veritatis aſsiſtit. His tot, tantis, tamque in examinanda teſtium fide rectè dictis, conſultorum pręceptis, prudentúque decretis, non ſolum proximè acceſsit Cicero, verum etiam facundia ſuá illa animi ſingulari euolauit altius. Nam cur ego oratoris propè dixerim diuini verbis quoties erit cõmodum, toties non vtar? Cum eo ex homine non ſolum noſter inter dicendũ locupletetur ſtylus: ſed hæc quoq; ſuppeditata rerum materia, in maius adaucta creſcat? An, vulgi (credo) imperitiam vel inuidiã verear, ne meis me plumis euolarę nõ poſſe ab ſtultis maleuoliſq; dicar? Quaſi verò aut aliorũ potius veſtigijs, orationis elegantiam, dicendi veneres, diſſerendi genus amœnum ac floridum conſectari ſi libeat, inſiſtendũ ſit quã Ciceronianis: aut meo ipſe ingenio diffiſus, huius adminiculis dicendi mihi ſubſidia cõparauerim ꝙ implumis adhuc, tenerę q; inſtar auis parum firmatis alis nido egredi nequeã? Ac non à me hoc idcirco ſit factum, quòd clariſsimi viri teſtimonia, reiq; noſtræ congruentia exēpla, vt neceſſaria ſcitu, ita & relatu digniſsima eſſe in animũ induxerim? Sed iam Ciceronem ipſum audiamus. Is enĩ ea in oratione, quam pro. M. Fonteio habuit, quæ iniuria temporũ mutilatã & trunca eſt, ad hunc loquitur modum. Si hoc iudices pręſcriptum lege, aut officio putatis, teſtibus credere: nihil eſt cur alius alio iudice melior, aut ſapiētior exiſtimetur. Vnũ eſt enim & ſimplex aurium iudicium, & promiſcuè, & communiter ſtultis, ac ſapientibus ab natura datum. Quid eſt igitur, vbi elucere poſſit prudentia? vbi diſcerni ſtultus auditor & credulus ab religioſo & ſapiente iudice? Nimirum illud, in quo ea, quę dicuntur à teſtibus, coniectura, & cogitatione tradũtur quãta authoritate: quanta animi ęquitate: quãto pudore: quanta fide: quanta religione: quãto ſtudio exiſtimationis bonę: quãta cura: quãto timore dicãtur. An verò vos id in teſtimonijs hominũ barbarorum dubitabitis, ꝙ perſæpe & noſtra, & patrum memoria ſapientiſsimi iudices de clariſsimis noſtræ ciuitatis viris dubitandũ nó putauerũt? qui Cneio &. Q. Scipionibus. Lucio &. Q. Metellis teſtibus in. Q. Pompeium hominem nouum non crediderunt. Quorum virtuti, generi, rebus geſtis, fidē, & authoritatē in teſtimonio, cupiditatis atq; inimicitiarum ſuſpicio derogauit. Ecquē hominē vidimus? ecquē verè cõmemorare poſſumus? parem conſilio, grauitate, cõſtantia, cęteris virtutibus, honoris, ingenij, rerum geſtarum ornamentis. M. Æmilio Scauro fuiſſe? tamen huius, cuius iniurati nutu propè terrarum orbis regebatur, iurati teſtimonio, neque in Caium Fimbriã, neque in. C. Memmium creditum eſt. Noluerunt ij, qui iudicabant, hanc patere inimicitijs viam: quē quiſq; odiſſet, vt eum teſtimonio poſſet tollere. Quantus in Lucio Craſſo pudor fuerit, quod ingenium, quanta authoritas, quis ignorat? tamen is, cuius etiam ſermo teſtimonij authoritatem habebat, teſtimonio ipſo quæ in. M. Marcellum inimico animo dixit: probare non potuit. Fuit, fuit illis iudicibus diuinum ac ſingulare

b. In. l. teſtiũ fides. ff. de teſtib.

c. In. l. ob carmen. §. Si teſtes. ff. de teſtib.

d. Dicto. §. ſi teſtes in fine.

gulare iudices conſilium: qui ſe non ſolum de reo, ſed etiam de accuſatore, de teſte iudicare arbitrabantur: quid fictum, quid Fortuna, ac tempore allatum, quid pretio corruptum, quid ſpe aut metu depr auatum, quid à cupiditate aliqua, aut inimicitijs profectum videretur. Quæ ſi Iudex non amplectatur omnia conſilio, non animo ac mēte circunſpiciet, ſi quicquid ex illo loco dicetur, ex Oraculo aliquo dici arbitrabitur: profectò ſatis erit (id quod dixi antea) non ſurdum iudicem huic muneri atque officio præeſſe. Nihil erit quamobrem ille neſcio quis ſapiens homo, ac multarum rerum peritus ad res iudicandas requiratur. Ex his M. Tullij verbis quanta ſit bono iudici in ſcrutāda teſtimoniorum fide cautio adhibēda, nulli erit, opinor, obſcurum.

QVOD SI, EA quæ apud Tenedios lex viguit quondam, in præſentia vigeret, pœnæ timore victa teſtium ceſſaret falſitas: in iudicio ſemper, impoſturæ turpi fuco procul abiecto, honeſti floreret dignitas, & veritas laudata regnaret. Etenim vetuſtis ſanè temporibus Tenem quemdam fuiſſe perhibent Iuſtitia virum tanta: vt à tergo iudicis Lictorem adſtare lege ſanxerit, ſecurim manu tenentem: vt eum qui falſò aut vafrè aliquid in iudicio enunciaret, vita priuaret confeſtim. O virum immortalitate dignum (vtque opinio mea fert) Heroas inter adnumerandum! Opinor, hic Tenes ille fuit, quem in Inſula Tenedo ſanctiſsimū Deum habitum fuiſſe, in Verrem ſcribit Cicero. Nihil cum Verre, inquit, de quotidianis criminibus acturus ſum. Chio per vim ſigna pulcherrima dico abſtuliſſe: item Erythris & Halicarnaſſo. Tenedo, prætereo pecuniam quam eripuit, Tenem ipſum, qui apud Tenedios Sanctiſsimus Deus habetur, qui vrbem illam dicitur condidiſſe, cuius ex nomine Tenedos nominatur. Hunc ipſum inquam Tenem pulcherrimè factum, quem quondam in Comitio vidiſtis, abſtulit magno cum gemitu ciuitatis. Sic Iuſtitiæ præſtantia, & ſtudium veritatis (quod maximè diuinum iure creditur munus) hominem haud iniuria Cœlo adſcripſit. Qui (vt prudentiſsimè Plinius exiſtimauit) antiquiſsimus eſt benè meritis referendi gratiam mos. Hæc, hæc nimirum virtus multo omnium auguſtiſsima eſt, patrocinio veritatis conſtantiſsimè ſuſcepto, Iuſtitiam tutari, innocentiamque afflictam protegere: ac longiſsimè in fugam acta inſidioſæ omni technа malitiæ, æquitatem iudicij ſtudioſè vbique tueri. Quo quidem nomine cum veterum ſcriptis nonnulli laudentur, hoc tamen (quod mox dicam) exemplum: digniſſimum viſum eſt, quod à me potiſsimum in præſentia referretur. Etenim Cambyſes ille Perſarum Rex Cyri illius Xenophontij pater, adeo & ipſe Iuſtitiæ amicus fuiſſe dicitur, vt Siſamnem quemdam iudicem familiariſsimum ſibi excoriari fecerit: quod accepta pecunia perperam ſententiam tuliſſet. Neq; hoc contentus, diducta hominis pelle tribunal iuſsit inſterni, Othone filio in mortui parentis locum ſuffecto: vt non modò paternis ſupplicijs edoctus: verum ipſius quoque pellis aſpectu rectè & ipſe iudicare addiſceret. Si modò vera ſunt, quæ Græcus ſcriptor Herodotus, antiquus ſanè author memoriæ prodidit. Video enim hominis fidem in multis ſolere requiri. Sed non ita in omnibus græcanicæ fidei authoritas, vel omnino corruit, vel leuis ſemper eſt habita: vt quæ à parente hiſtoriarum Herodoto hominū memoriæ ſint prodita, ſuſpicione aliqua mendacij videri debeant è veſtigio fabuloſa. Iuuandæ ſiquidem poſteritati multa multis locis & retulit verè, & protulit fructuoſè. Sed de hoc hactenus. Optarem ego tamen in Cambyſis huius ſeueriora regna incidere: qui eius (cui ſunt addicti) obliti Sacramenti: & Chriſtianæ, cui ſanctè nomina dedère, immemores religionis: turpioris lucelli affulgente vtcumq; ſpe, circumuenire iudicio innocentem: impieq; adeo iudicia ipſa vendere, non verentur. Cuius teterrimi fama criminis, apud ethnicos illos veteres notatus quondam. L. Tubulus, cum inter Sicarios ob cauſam iudicandam pecuniam Prætor accepiſſet: rogatu Publij Scæuolæ, exiſtimatione multatus & loco (vt de bonorum malorumq; finibus lib. 2. refert M. Cicero) in exilium eſt protinus ire compulſus. Quo in ipſo miſerè conſeneſcens, quaſi contemptor ſummi Numinis ad peſsimi famam nominis factus eſt materia poetis: qui impia facta hominis aculeatis ſunt carminibus perſecuti. Vnde de Deorum natura libro primo inter nefarium genus hominum, infami illū haud iniuria Cicero loco conſtituit. Sic enim ait. Quid de ſacrilegis, de impijs periuriſque dicemus?

. . . Tubulus ſi Lucius vnquàm,
Si Lupus, aut Carbo, aut Neptuni filius.

¶ Vt ait Lucilius, putaſſet eſſe Deos: tā periurus aut improbus fuiſſet? Fuit & Scytharum Rex Tāberlanus tā ſeueræ, præfractæq; Iuſtitiæ, vt muliercule de ſurrepto à milite lacte

conquerenti, fure interfici iuſſo, è viſceribus extractū lac illi curarit reddendum. Dicas & hunc ab iniuria omni prorſus abhorruiſſe, qui minima quoq; furta extremo mulctarit ſupplicio. Faciam tibi profectò iniuriam ô decus & gloria Torquatorum Tite Manli, ſi inter Iuſtitiæ exempla integritatem animi tui, virtutiſq; excellentiam taciturnitate obruam, vel ſilentio pręteream. Nam quis non miretur, de filij capite ęquiſſimo patrem animo ſedere iudicem? At Manlius Macedonas de crimine expilatæ prouinciæ filium deferentes non ſolum audiuit placidè, ſed & cóuictum filium adiudicauit morti. Cum em̄ è Macedonia Legati veniſſent, de Decio Syllano, qui eam prouinciam geſſerat, grauiter & acerbè querentes: veritus ne ob eius ipſius gratiam Senatus in perſona filij parum ęquè decerneret: à Senatu petijt, ne quid ea de re prius ſtatuerent, quam ipſe cauſam cognoſceret. Delata igitur per Senatum ipſi cognitione, cum vnum alterumq; diem parti vtriq; iudex ſediſſet, ita pronunciauit tertio. Cú probatum ſit, Syllanum filium meum pecunias à Socijs accepiſſe: & republica eum, & familia mea indignum iudico, protinuſque è conſpectu meo abire iubeo. Quo audito ignominia tactus adoleſcens è veſtigio ſibi mortem conſciuit. Et vbi ſunt illi, qui magnis principibus, illorumque prognatis licere impunè volunt quęlibet? Cum videamus Romani populi (id eſt totius terrarum orbis) qui eius tunc imperio regebatur, authoritate virum principem, adeo ſibi in filij crimine non indulſiſſe: vt conſcriptorū patrū, quorū iudicio cauſæ librabant̄, deuitatis calculis, quos mites futuros ſenſerat ſua ipſe ſententia degenerem atq; improbum filium, natalitij ſoli contuendi dulci munere emunctum: paternis abdicatum bonis: ſplendore orbatum familiæ: manifeſto capitis periculo, ac certæ morti deuouerit.

Bene igitur ac prudenter ab Ægyptijs Regibus factum eſt: quos Plutarchus ſcribit ex conſuetudine regionis, inſtitutoque maiorum: iudicandi muneri deſignatos iureiurando adigere ſolitos, vt legitimè ac iuſtè vſq; quaque iudicarent: regijs iuſsis, ſi quando illorum rogatu, ad iniuſta cogerentur, faſtiditis atque contemptis. Permagni referre arbitrantes, ad corruptelam iudicij effugiendam, iuriſque vbique ſeruādam æquitatem, ſi iuris iurandi Religione obſtricti iudices non tam eorum voluntati (quæ improbis ſæpe precibus extorqueri ſolet) quam iuri ipſi ſeruirent. Quamobrem laudari ſine fine Antiochi tertij factum iure ſolet: qui ad ciuitates ſcripſit, vt ſi quid vnquam per literas ipſe iuberet, quod legibus refragaretur, haud ſecus curarent, quam ſi inſcio ſe, id ipſum eſſet prolatum. Timebat videlicet, ne impudentium quorundam hominum precibus victus, legibus iniuriam faceret: quarum & propugnatorem & vindicem eſſe, principem oportet [a]. Cum enim iniuriarum occaſio naſci inde non debeat, vnde iura naſcuntur: oriantur autem leges à principe, aut ex illius certè perſona, quæ, vt non multo ante diximus, lex viua eſt: pręcipuū ſuum robur poteſtatemque ſortiantur: fit continuo, vt non tam legum voluntarius Antiſtes, quam illarum legitimus cuſtos & fidus interpres, bonus princeps eſſe vſquequaque debeat. Qua propter nil cuiquam concedere princeps cenſendus eſt, quod legibus ipſis planè aduerſetur [b]. Quam quidem dubitationem Iuſtinianus Imperator ad Aulum Iulianum prętorij pręfectum ſcribens eripuit. Ait enim [c]. Si quando talis conceſsio imperialis proceſſerit: per quam libera teſtamenti factio conceditur: nihil aliud videri principem concedere, niſi vt habeat legitimam & conſuetam teſtamenti factionem. Neque enim credendum eſt Romanum principem, qui iura tuetur, huiuſmodi verbo totam obſeruationem teſtamētorum multis vigilijs excogitatam atque inuentam, velle euerti. Sed cum inter ſcribendum (vt à me dictum eſt antea) illorum quoque ratio ſit habenda, qui docti parum ſunt ijs erit potiſsimum occurrendum, qui legitima in ſcientia, iuriſque prudentiæ ſtudijs operę atque induſtriæ nihil hactenus poſuerunt. Id nanque ad Iuſtiniani verba intelligenda conuenire prorſus arbitror. Sciendum eſt itaque, Teſtamenti [d]. factionem biſariam in iure conſiderari ſolere. Aut enim illam habere dicuntur, qui & ipſi teſtamenta facere poſſunt: aut qui ex aliorum voluntate vltima, relicta poſſunt capere.

His enim rebus, certis quibuſdam iuris articulis, multis eſt perſonis interdictum. Eiuſmodi ergo imperatoria conceſsio ijs maximè ſeruire debet qui teſtamenta ipſi facere nulla queunt: non ad eos temere delegari, vel extendi qui facile condere poterant: ne condendorum Teſtamentorum obſeruatio à principe videatur fuiſſe ſubuerſa. Eſt quippe Teſtamentorum quędam, lege ſancita [e]. ſolemnitas: qua deſtituta quæ ſunt, iure ipſo confeſtim eneruantur. [f]. Quibus omnibus prudens ſuperſedeo, ne pa-

A. In l. meminerint. C. vnde vi.

B. In l. nec dā noſa: & in l. reſcripta C. de precib. Imper. offer. & in l. fi. ff. ſi contraius vel v til. pub.

C. In l. Si quā do: C. de in offic. teſta.

D. In §. legari autem. iuncta gloſſ. in verb. teſtamēti factio inſt. de legat.

E. In l. hac cō ſultiſsima C. qui teſt. fac. poſ.

F. In l. 1. ff. de iniuſto rup to. iuncta glo. in verb ſolemnis.

parum neceſſario loco è re etiam natis (quod dici ſolet, argumenti ambitioni, ſtudio aliquo altius, videar veſtigia figere. Ne ve ſpinoſo tanquam diſputationis genere ipſe mihi ſcrupulos dicar inieciſſe. Neque enim me præterit (ſi reſecare magis rem ipſam ad viuũ placeret) ſimul & iuridicas, quæ obijci ſolẽt, argumentationes refellere: quanta eſſent nobis denuo verba texenda. Quid enim ſi principis illa voluntas teſtamenti liberam factionem concedentis oſtendatur in eo, cui teſtamentum facere, iure interdictum non erat: nõne ſolennitas quoq; remiſſa dicetur? mihi quidem ſic videtur g. Sed enĩ ad alia properanti argutationibus eiuſmodi tempus cõterere vel tutum non eſt: vel certè parum expedit. Reuertar igitur eò, vnde iam ſum pene digreſſus.

G. Arg. tex. in l. ſi quidẽ ſupra ille g. iuncta glo. in verb. cõceditur & ei opt. tex. in l. 6. quãdo quis. ff. de legat. 1.

SIT ergo hæc diſputationis noſtræ vel ſumma vel regula. Bonum principem tã ſemper eſſe debere ſcriptarum Legum amantem: vt non ſolum nihil petat, quod illarum plane refragetur volũtati: ſed ne cenſeatur quidẽ cõtraria iuri conceſsiſſe cuiquã, huiuſmodiq; reſcripta quaſi ab imprudenti, inſcioq; principe extorta, quoquomodo oportere reiectari. Id quod præclarè innuit diuus ille Imperator Conſtantinus, qui veneranda Chriſtianorũ fide Romanũ muniuit imperiũ: docẽs ſiquidem aliquando Romanũ populũ, quæ maximè preces offerendæ eſſent imperatori, inter alia illud addidit, CONTRARIA IVRI POSTVLANDA non eſſe. Quas obres non iniuria Ageſilai factũ ſcriptis ſuis Plutarchus & cõmendat, & celebrat. Cum enim improbi cuiuſdam flagitatoris voce premeretur dicentis, pollicitus es tandẽ Ageſilae, idq; dictitaret ſubinde, perinde quaſi nefas eſſet negare, quod ab illo cõtenderet. Rectè per Iouem Ageſilaus ait, ſi modò iuſtũ eſt quod exigis: haud dubie promiſi: ſin iniuſtum, dixi tantùm: non hercle pollicitus ſum. Hoc veluti ſalſè dicto nõ minus poſtulatoris impudentiã eludẽs, quam principũ quorundã vanam timiditatẽ, qui tãta promiſſorũ etiam inhoneſtorũ tenentur & fide & religione, ne ſuperſtitione dicã (nam religio & fides honeſta & vera tuentur) vt parũ regale eſſe decernant: eiuſmodi ſeſe dictis eximere atq; ſubtrahere. Cum magis illud ſit regium, noxiã emendare pollicitationem: ac parũ recti iniuſtique promiſsi temeritatem tempeſtiue coercere, pollicitationeq; ipſa contractam infamiam, pœnitentia eluere. Quod ſi intellexiſſet Herodes, ſaltatricis fœminæ ad preces impias Baptiſtæ Ioannis ſanctiſsimi viri amputari iuſſo capite, nũquam ſe tã inſigni famæ probro atq; ſcelere deuinxiſſet. Neq; enĩ iuris iurandi religione cauſari vel vires potuit: cum ex tali cauſa naſcẽs iuramẽtũ, fide nulla facti pollicitatorẽ obſtringat. Sed ad petitorẽ ipſum reuertar. Quũ igitur flagitandi modũ nullũ faceret, ſed ſubijceret. At quĩ decet, quę vel capitis nutu à rege profecta ſunt: certa & rata pręſtari: Nihilo magis, princeps inquit, quã eos qui ad reges accedunt, ea precari ac loqui addecet, quæ iuſta ſunt: tẽporis articulũ attẽdẽtes: & quid regi cõueniat, decorũq; ſit. Pulchrè profecto Ageſilaus. Neq; enim verũ eſt, id quod opinione deceptus: aſſentatione ve (quod opinor magis) motus Anaxarchus ad Alexandrũ quondam dixiſſe fertur. Nã cum Alexandrum ob Cliti necẽ, quẽ ira percitus occiderat, miſerè ſeſe afflictantẽ, vitãq; abrũpere cupientẽ fortè cõſolaretur: Clito dixit cõtigiſſe iuſtitiam, quę Dijs aſsidet: vt quicquid à rege fieret, fas iuſque eſſe videretur. Qua profecto oratione nihil eſſe peſtilentius potuit: non enim tam dictis his iuſto mœrore anxium conſolari Anaxarchus eſt viſus, quam ad ſimilia flagitia perpetranda ardenter exhortari. Quid enĩ aliud agit, qui quæ improbè, & nequiter à principe cõmiſſa ſunt, legitimè ac iure facta eſſe aſſerit atq; oratione defendit? At quanto rectius Papinianus, qui parricidiũ à principe defendere iuſſus, turpiſsimę rei patrociniũ ſeſe ſuſcipere nõ audere ingenuè profeſſus eſt: quã improbus hic, qui de nutricij fratris cęde ſeſe diſcruciantẽ, iniuſſus ad ſcelera (conſolationis prętextu) animabat errati pœnitentẽ? QVO in loco magnitudo ſceleris facit, vt de teterrimi vitij natura nõnulla preſsius diſputẽ. Quę ſanè pars iã tũ quaſi per nubeculã inſinuata à me eſt. Cum excuterẽ, deberet ne legũ authoritate cõſtringi princeps, an illarũ potius vinculis ſolutus eſſe cenſeri. Quẽ quidẽ in locũ quuniã iã iterum incidimus, atq; eius cognitio cùm vnicuiq; mortaliũ, tùm verò principi multũ eſt ſalutaris: quàm illorũ aures ab eiuſmodi vitio abhorrere debeãt declarandũ eſt. Plutarchus ſiquidẽ humanarũ rerũ vir maximè peritus de liberorũ educatione diſputãs, ex omni animantiũ genere adulatore nihil eſſe pernicioſius aſſerit. Quocirca, ei qui rectè liberos ſuos inſtitui volet, etiam atq; etiam curandũ exiſtimat, vt faſtidioſas has pecudes ab illorũ latere quam primũ arceat atq; propulſet. Sunt autẽ Aſſentatores (vt finitore vtar eodem) ſceleſtiſsimum hominum genus, amicitiæ ſimulatores, nullam prorſus eloquendi libertatẽ deguſtãtes:

H. In c. non eſt obligatoriũ de reg. iur. in 6.

ex omni vitæ parte nothi atq; degeneres, ad diuitum nutum vitam agentes: Fortuna liberi, electione ſerui. Qua (iudicio meo) deſinitione nihil poteſt vel fingi cultius, vel excogitari acutius, vel dici efficacius. Verùm enim verò quoniam ab inanis gloriæ ſtudio, vt ſiquis alius, ego abſum maximè: idque bonitate Diuûm præ me hactenus non obſcurè tuli. Vellicatim ac carptim ex authoribus paucis exempla pauca delibaſſe cótentus: ea in præſentia ad plenum perſequi nó eſt animus, quę comicus Plautus in Glorioſo milite & in Menęchmis: quę ve in Eunucho Terentius olim diſputarunt. Ac ne illa quidē placet altius repetere, quæ de hoc morbi genere in Amicitia Cicero præclariſsimè diſſeruit. Cum vno mihi Plutharcho pręcipue loquendum eſt: qui egregio volumine edito, cui titulum fecit, quo pacto ab adulatore poſſis diſcernere amicum, pernicioſam peſtem non principum tātùm eliminauit aulis: ſed à communis etiam hominú vitę commercio abegit atq; fugauit.

PRINCIPIO Igitur, quàm hoc crimen execrabile ſit, & quanto ſtudio fugiendum, declarat illud à Græcis prouerbij loco vulgò celebratum. Græci enim ſicui exitium precantur, abire iubent ad coruos. Quod exactius conſiderans Synopenſis Diogenes, quem ob animum cupiditatis ſtudio liberum, humanarumq; rerum ſummam contemptionem domitor ille orbis Alexander miratus eſt plurimum, non tam in coruos quam in adulatores incidere periculoſum eſſe, atque miſerum aſſerebat. Itaque dictitare illud crebro perhibent; in κόρακας, quam in κόλακας incurrere multo eſſe præſtantius. Literulę vnius diſcerniculo atq; diſcrimine ſententiam ſuam obiter inſinuans (Græci ſiquidē vt coruos κόρακας, ſic & κόλακας, aſſentatores appellant, eiſdē penè voculis. Cuius quidem ſententię Diogenis pręceptorem Antiſthenem narrāt quoq; fuiſſe authorem. Is enim, ſi ad alterutrum neceſſitas adigeret, in coruos, quam in aſſentatores ſatius eſſe dicebat impingere: propterea quod illi nó niſi mortuos & cadauera tantùm attingerent: hi viuos etiā arroderēt ac deglutirent. Quocirca acutè Diogenes cum ab amico quodā rogaretur, quæ beſtia nocentiſsimè morderet: Si de feris, inquit, interrogas, obtrectator: ſi de cicuribus, adulator. Sed quemadmodum è morbis pernicioſsimus ille eſt, qui ſenſum doloris adimens, ſanitatis blanditur ſpecie: exitioſum lenta tabe virus ſpargens corpore: ſic adulatio quam obtrectatio periculoſior eſt, & vitatu difficilior: Vtque clandeſtinę & occultæ inimicitię grauius nocēt, quam quæ palā indictæ ſunt, & apertę (profeſſa enim odia vindictæ locum perdunt) ſic amicitię velamento adulatoria peſtis obrepens, familiaritatis in nobis intimum nacta locum: rectum animi deuaſtans, verúque iudicium adulterans, quouis hoſte crudelior eſt & immanior. Ex quo, quanta ſit prouidentia & vigilantia animi aſſentatio vitanda, vel cęco perſpicuum eſt.

Huius igitur teterrimi mali (redeundum quippe eò eſt, quod huic dedit cauſam diſceptationi) illud eſt maximè propriū ac veluti genuinum tabifica quadā extenuatione vitia eleuare atque minuere: quodq; malitię extremū excedit gradum, nomine palliare virtutum. Quorum ſi prius execrabile eſt, quale ſit poſterius ducendum cenſere procliue eſt. At id tamen eiuſmodi eſt, vt facti indignitas par ſibi tanto ſceleri nullum penè nomen inuenerit. Etenim ſi bonam is (qui perſuaſionem detraxit improbam) malorum partem cenſetur abſtuliſſe: nam vt morbum ſic & alia pleraque opinio ſępe aggrauat, cur non è contrario læſiſſe is quoque multum dicetur, qui patrati ſceleris atrocitatem, turpiter facta colórans, verbis imminuit? Cum pręſertim criminis hæc eleuatio pudorē labefactet, & ad ſcelera nutriat audaciam: quibus ceu ex fontibus flagitiorum omnium ſcaturigines pruriunt: & perditorum corroborata licentia in omne nefas effręnis ac pręceps fertur? Nam & reſipiſcentię aditum omnem obſtruens: pœnitentia crimen non ſinit eluere: turpiaq; mox, pernicioſe facta, dictis inaurans: Naturæ quodam ductu propter commiſſum flagitium conſcientiam ſæpe ſuam iure pauitantem, ſeq; exedentem tacitè: vt confidentius peccet, turpiſsimè corroborat: & fucatæ extenuationis inſidioſa illa bracteola (pœnitentiæ ſalutari abiecta procul, & contempta medicina) ſic mentis aciem pręſtringit miſeri anſcultatoris, vt humanitatis ſenſu omni exuto fœdè, atq; improbè derelicto: repente tāquam Circęo aliquo immutatum poculo, nó cognoſcas eundē eſſe. Certè, niſi hoc ſeuero eſt vindicandum ſupplicio: non video quid in vita magnopere ſit puniendum?

NAM quid ego de nominis prępoſteratione dicam? An eſt à me id negligi putandum, cum hæc quæ non perinde magna ſunt, & à me etiam minora vocantur, tam eſſe acerbè plectenda deliberem? Atqui, tam abſurda putare non conuenit. Quid igitur faciendū,

censes,

cenſes, dixerit aliquis? Quid ſupplicij vel pœ
næ in tanti criminis reum ſtatuendum eſſe
omnino ducis? Ego inquam, quid cenſeam?
Vt maliciæ communis metas facti huius in-
ſignis excellit improbitas, ſic & noua quędã
torméta, genuſq; inuſitatum cruciandi, eſſe
decernendum ſtatuo. Perillos, Arunciosque
Paterculos, tormentorum excogitatores, &
pœnarum nouos atq; egregios artifices pro-
poſitis premijs atque muneribus tota ex ar-
te certare penitus eſſe iubendos. Phalarides
interim Cenſorinoſque Æmilios, notos cru-
delitate Tyrannos, ſpectatores adhibendos:
ne magnitudo flagitij parum digno videri
queat inſtrumento plexa ſupplicij: gnaro ve
pœnę caruiſſe miniſtro. Nam quid in eos cé-
ſeri poteſt ſeuerius eſſe decretum, aut gra-
uius conſtitutum: qui dum virtutis vocabu
la (vt Plutarchus ait) vitijs attribuunt, infi-
ciunt affectum actionum ſeminarium: atq;
ipſius animi ſyncerum corrumpunt habitũ,
vnde ceu ex fonte quodam virtutum liquo-
re hauſto, & honeſtatis intellecta natura, vi-
tæ omnia officia ducuntur? Nam quò non
proruit amentia laudata potętum? Aut
quid ſceleris relinquit inauſum, cui & timor
abeſt pœnæ, & impunitas ſumma propoſita
eſt: officioſus, præſtoq; adeſt non ad manũ
tantum, ſed ad nutum etiam tetri ſiniſtriq;
facti dexter paratus interpres? Probitatem
etenim vitæ efferri laudibus conuenit: con-
fidentis verò animi, laudando, impudentiã
acuere: proteruiam erigere, & augere mali-
tiam pernicioſi quidem res exempli credi-
tur planèq; luctifici. Idque meritò eſt ſem-
per pernicioſi ciuis, atque peſsimi viri habi-
tum. Sed age, quid hæc ſibi nominis quærat
inuerſio iam tandem conſideremus. An nõ
hoc illud eſt, quod Thucidides inquit? Scri-
bit enim in ſeditionibus ac bellis, ſolitam
vocabulorum dignitatem non ijs tribui fa-
ctis, quibus oportebat: ſed accómodari ijs,
quæ fiebant. Siquidem audacia temeraria,
fortitudo contentioſa indicabatur: cuncta-
tio prouida, timiditas decora. Contrà mode
ſtiæ nomine prętexebatur ignauia, & di-
ligens in omni re prudentia, ſegnicies habe-
batur: ita planè. Verum hoc intereſt, illi tem-
poris conditione coacti, ſecus atque ſenti-
rent, rebus ſæpe nomina adaptabant. Neque
enim tutum ibi de nominum ęquitate tra-
ctare, vbi ius arma occupant: viribus non le-
gibus de Fortuna publica diſceptatur. Hi
gratiæ, gazæ vel abdomini ſeruientes, cum
cęterorum clade, eorumque etiam exitio
quibus turpiſsimi quęſtus cauſa bene cupe-
re fingunt, improbis vſque rebus ſplendida
vocabula veſtiunt: vt quibus pulcherrima
& optima vocabula impoſita ſunt: honeſtas
ineſſe aliqua videatur: aut certe vitium nul-
lum ſubeſſe. Ideo enim impoſita ſunt, vt cla
ri nominis lenocinio, rei ipſius turpitudiné
vel fallant, vel obũbrent: & amici eſſe credan
tur, qui obſecundátes ad tempus re vera ad
expetita compendia, emungendaſque di-
uitias captatoria arte graſſantur. Hinc (vt te-
ſtatur Plutarchus) in adulationibus luxum
liberalitatis nomine fucatum, timiditatem
cautelæ: temeritatem celeritatis, ſæpe videas.
Rurſum ſordes frugalitatis palliatas vocabu
lo: tum eum qui fœdis amoribus eſt dedi-
tus, appellatum comité & amantem: iracun
dum autem ac pręferocem, dictum magna-
nimum. Porrò vilis abiectique animi homi-
nem, vocatum humanum. Quemadmodũ
alicubi ſcribit & Plato, amantem quoniam
adulator eſt ijs quos amat, eum qui ſimis eſt
naribus amabilem appellare: qui naſo ſit adũ
co regalem: qui nigri ſint, viriles: qui candi-
di, Deorum filios. Porrò melei cognomen,
prorſus amantis eſſe fucum, diminuentis fa-
cileque ferentis amati pallorem. Quáquam
cui perſuaſum eſt, ipſum eſſe formoſum, cũ
ſit deformis: aut procerum eſſe, cum ſit pu-
ſillus: is nec diu tenetur hoc errore, & leui
afficitur incommodo: nec eo quidem imme
dicabili. Verùm cum vitia, virtutum nomini
bus laudantur, vt iam pecces, non modo nó
dolens, ſed gaudés etiã, detrahiturq; peccatis
pudor. Ea nimirum res Siculos ſubuer
tit, quod Dionyſij Phalaridiſque crudelita-
tem, Iuſtitiam & ſcelerum odium vocarent
adulatores. Eadem Ægyptũ perdidit, quod
Ptolęmei muliebritatem, afflatus, eiulatus,
liliorum ac tympanorum inſculpturas, re-
ligionem, Deorumque cultum appellarent.
Eadem Romanorum mores tam integros ad
nihilum redegit, ac ſuſtulit; quod Antonij
libidines ac viſcerationes ita blandientes ex-
tenuarent, vt humanitatem & hilaritatem
vocarent: indulgente illi potentia Fortuna-
que. Porrò quæ nam alia res Ptolemeo Infu-
lam ac tibias appoſuit? Quid aliud Neroni
Tragicum addidit ornamentum? Quid per-
ſonam & cothurnos induit? An non aſſenta-
torum laudatio? Iam Reges plęrique, non
ne ſi cum muſicantur vocantur Apollines:
cum inebriantur, Bacchi: Cum luctãtur, Her
cules: in omne dedecus gaudentes adulatio
ne abducuntur? Hęc Plutarchus de adulato-
rum improbitate conquerens, facundia ſum
ma differit: quo magis nocentiſsimam be-

ſtiam abigat atque propulſet. Nos (ſi placet) noſtra videamus. Neque enim vni tantum inſiſtédú eſt, ſed & noſtris quoque vacandum. Quam obrem & prudentú exempla repetenda nobis ſunt, & quid doctiſsimus quiſque ſenſerit, videndú. Sed ne peroraſſe ante contra cauſam (quod aiunt) quá criminis ſontem relinquamus apertum, fortè reprehendamur. Vnde tanta hęc peſtis potiſsimum enaſcatur, breuiter dicédum eſt. Ita nanque & vitijs occurri, & medicina morbis adhiberi facilè ſolet, cum cauſa reperta eſt: & origo mali cognita.

INTER animi malè affecti morbos, peſsimú eſſe ſui ipſius amoré, quem Græci φιλαυτίαν appellant: nemo eſt qui ambigat. Hanc aſſentatio primum occupat. Huic ſe ſe tam degeneri inſinuat affectioni, ac clanclum veluti obdit.

Eſt genus hominũ (Gnato ait) *qui eſſe primos ſe omnium rerum volunt,*
Nec ſunt: hos conſector: hiſce ego non paro me vt rideant,
Sed his vltro adrideo: & eorum ingenia admiror ſimul.
Quicquid dicunt laudo: id rurſum ſi negant, laudo id quoque.

Vides, vt vana illa admiratio ſui, aſſentatores & gignat, & allectet? Hęc ergo eradicãda eſt, antea quá altis defixa radicibus quaq; verſum latè pullulet: aſſentatorum greges pernicioſe ſecum auehens. At, dicet aliquis: quò raperis amens? Tu ne natura potentior omni es: qui deriuatos ab illa igniculos, & ad ſuam cuiuſq; conſeruationem datos vtiliterq; diſperſos diſsipare, & euertere tentes? Atqui, non tam deſipio, vt à natura homini diligẽdi ſui inſitam affectionem vel labeſactare coner: vel aboleri omnino operæpretium exiſtimem. Neque enim id nunc ago, vt ſui amorem (naturæ vi) animantiú vnicuiq; ingenitum peruerſi aliqua ingenij calliditate, vel conſilij parum ſana ac turpi ratione tollam atq; diſrumpam, quod eſſet factum demẽtis: ſed opinionem abſcindere ac tollere & ab animo euellere molior: qua, præter id quod eſt, ſe quiſq; ſuſpicit atque miratur. Hinc enim adulatio profecta, à ſe primùm vires capit: alijſq; deinde diſpartit. Vt enim voluntatis atq; ſtudiorum cupiditas ſimilis, eademq; parilitas amicitiæ mutuę cõſuetudiné parit: ſic qui vitę ambitione praua corrupti ſine fine ſibi impudenter aſſentantur factis & dictis ſuis nõ abſimiles quęrunt blanditores, quò facilius concupito vitæ genere, & morbi inſania fruantur. Hinc confirmatus adulator eius (cui retia tendit) omnem obſeruans nutum,

Negat quis, nego (inquit) *Ait, aio. Poſtremò impe raui egomet mihi*
Omnia aſſentari. Is quæſtus nunc eſt multo vberrimus.

Hinc ſcilicet diſciplinæ egregiæ ſacri illi hauriuntur Canones, quibus aſſentator inſtructus in eius repente naturam moreſque transfunditur, qué palpandú ſuſcepit: quoad ex ſtulto planè faciat inſanum. Ideoq; bona ſi quę adſunt amplificat: extenuat cõtrà vitia & emollit, ad nihilumq; redigit: ementitis ve nominibus honeſtat. Neque hoc cõtentus, illius ſæpe voluntati præcurrit: nutuſque auras aucupans omnes, cogitatione atq; animo luſtrat, necubi ille poſsit offendi. In leuiuſculis verò diſſentire ac veluti reluctari ſimulat: ad extremũ tamé manus dat: facileq; ſe vinci patitur, victoris palmã illuſtrans. DANDA igitur opera eſt vt corrupto in animo vitioſe emergentem de nobis opinioné (antea quam pernicioſis palponum conſilijs inſanabilis fiat) è veſtigio adobruamus. Verùm ô Immortalem Deum?

Vt nemo in ſeſe tentat deſcendere! nemo.

Itaq; non ſolum malecredula facilitate illici in fraudem patimur: ſed nobis ipſi imposturam ſæpe facimus, ac pernicioſè, blandimur: res noſtras aliena minime expectata opera, ambitioſè exaggerãtes. Vnde diuinus Plato id quod vulgò dici ſoleat: Natura ſibi quemque amicum & charum eſſe (licet ſit rectiſsimè dictum) re vera tamen pluriú malorum cauſam ait hominum animis ſolere ſępe exiſtere. Semper enim nimium ſui amorem, malorum omnium eſſe ſeminariú. Et obcæcari erga rem amatam, qui amat. Quocirca qui ſe ipſe profuſè diligat, Veritati debitum honorem poſthabiturum cenſet proprię charitati. Atq; ideo quid bonũ, iuſtũ, pulchrumque ſit, parum rectè eſſe expenſurum. Decere ergo putat, qui magnus vir futurus eſt: neq; ſe ipſum, neque ſua diligere, ſed iuſta ſemper: ſiue à ſe ipſo, ſeu ab alio quouis gerantur. Quod cum pauci admodum factitent: non raro vſu venit, vt ignorantiam ſuam, ſapientiam eſſe multi opinentur. Ex quo illud ſequitur, vt tametſi (vt ſic loquar) ſciamus nihil: ſcire tamen omnia arbitremur. Qui eſt locus ad peccandũ ſanè lubricus, facultatem enim gnaris agendi denegantes (dum peſsimo ambitionis ſtudio parum cognita ſuſcipimus) pernicioſo ad extremum errore prolabimur. Quamobré nimium ſui amorem fugere quiſq; debet: &

melio

meliores ſequi, nullo rubore verecũdiæ impeditus. Hęc ferè in libris de legibus Plato. Sunt tamen in primis aures noſtræ tẽpeſtiuè occludendæ palponibus, vt quod ipſorum culpa animo eſt vulnus inflictum: ſapientiæ aliquo ſalutari adhibito poculo confeſtim curari poſsit, & rectè ſanari. Quãdiu enim illæ teterrimis his erunt belluis patulæ, interea vſque nihil erit loci animi ſanitati.

HAEC IGITVR opinio, (qua ſui amore in ſoleſcens, gaudet aſsidue philocolax) cautione multa extirpãnda eſt: præter mala ſiquidem quæ plurima apportat, illud ſecum adfert incommodi: vt ſui quiſq; corruptus iudex ſit, ęſtimatorq; non verus, quæ vna calamitas haud eſt illa quidẽ inter faciles, leuesque ducenda. Nam ſi diuina quædam res veritas eſt: eademq; bonorum omniũ dux iure eſt habita: in maxima ille miſeria verſetur neceſſe eſt, quì ab illa plurimum abeſt? Et, ſi ſe quemque noſſe, ſanctum adeo eſt: vt diuinis id ſit præceptum reſponſis attributum: quid attinet coniectare anſit infœlix dicendus: qui (cum ſe ipſe nunquam concuſſerit, in res ve ſuas deſcenderit, peruerſi iudicij alieno inflatus ſufflamine, pudoris repagulis temere ac violenter abruptis, turbulentè cuncta obit: ſeque, opinione falſa corruptus: ignarus, doctrinæque egens, ambitioſè ſapienti viro atq; impudenter anteferet? An non huic iure Satyricum illud poterit occini.

Tecũ habita: vt noris quàm ſit tibi curta ſupellex.

Neq; enim dubium eſt, quin vbi ſe quiſque introſpexerit, & tanquam examine libræ rectè caſtigato, ac iudicio, perpenſo: lancem illam (quam eſt plurimum ratus propẽdere) quaſi inanem eleuari, & tolli in altum viderit: atq; ab ea hominis effigie, quam de ſe ipſe falſo conceptam, ſtulte impreſſerat animo, plurimum diſtare perſpexerit. Non inquam eſt dubium, quin affectum ipſe noxium caſtigans ſuum, ſanitatẽ animo induat: modeſtè vbique agat, tumiditatem ponat, inſolenſque faſtidium. Neque enim adulatio illuc facilè poteſt obrepere, vbi mẽdaci omni exitioſæ vocis applauſu contempto, ad rationis amuſſim iudicia ponderãtur: nulliq; plus fidei de ſe quam ſibi ipſi tribuitur: quin potius ad lineam ſynceri intellectus, quæ temerè coniectæ ſunt laudes, ſuperna ex parte opportune deiecto, perpendiculo inſpiciuntur.

SED enim pernicioſa hæc adulationis tabes atq; corruptio mortalium vitam latè vndiq; peruagantis (quæ tamẽ eiuſmodi eſt, vt cautione noſtra adhibita ſanari queat) necubi pãtet latius: ſæuius vel acrius furit, quã in Fortuna ac dignitate potentum. Quocirca peſtilentes iſtos blanditorum palponumque greges, in aulis principum ſæpe reperias. Sedulò igitur curandum eſt, vt vibiſsimam hominum conditionem, omniũ maximè contagioſam atque peſtiferam, ab illorum (qui authoritate atque potentia clariſsimi ſunt) ſamiliaritate & conuictu lõgiſsimè abigamus. Ne eam partem inficiant atque corrumpant: vnde communis hominum vita iuuari vel lædi maxime ſolet. Vt enim ſiquando ſubito Cœli tumultu Cœleſtia corpora inter ſe ipſa diſſentire viſa ſunt: humanarum rerum diſpendio graui id protinus cõtingit (quod & Solis labores defectionesſq; Lunæ non ſemel portendere ſolent) haud aliter ſiquid à principib' ambitione, ſcelere, ira vel libidine peccatum eſt: è veſtigio id mortaliũ ferme omnium clade ac damno euenit. Recte itaque Plato, quemadmodũ (inquit) non vno ſupplicio dignus eſt, qui fontem publicum, vnde bibant omnes veneno inficit: ita nocẽtiſsimus eſt, qui principis animũ prauis infecerit opinionibus, quæ mox in tot hominum perniciem redundent. Nam ſi capite plectitur qui principis monetã adulterat, quanto is ſupplicio dignior eſt, qui principis corrumpit ingenium? Porrò quando ea principum natura eſt, vt eorum plærique niſi blandum auribus rarò audiant quidpiam: ſimul & .Q. Curtij clara ſit ac vera ſentẽtia, regnũ ſępius ab aſſentatoribus quã ab hoſte euerti, dicentis: Quo ea ſit pacto fugienda, ſapientum quorundam exemplis, à nobis docendum eſt,

NARRANT Annales veterũ, Antiochum Regem aprum inſequentem (fuit enim venãdi natura ſtudioſiſsimus) in pauperculi hominis deueniſſe tuguria: vbi appetente nocte, (famulis & ſocijs cęca nemoris fallente via diſperſis ac velnti intercluſis) diuertere ſit coactus: interq; cœnandũ de rege exarto ſermone, ruſticum dixiſſe hoſpitem (cui tamen videre Antiochum nunquam contigerat) illius regionis principẽ, cętera quidem probum eſſe: ſed in hoc peccare quòd publica munera amicis ſępe mandaret improbioribus: amoreque ductus ad illorum plęrumq; facta cõniueret. Simul & neceſſaria regno ob venationis ſtudium negligeret aliquoties. Ad quę cum Antiochus ipſe & nutu & verbis applauderet: ſe ipſum prodere noluit. Vbi autem diluxit, ſatellitum indagine tugurio agreſti, paupere ac vili caſa depreh

prehenſus, regijs allatis inſignibus: Vt inquit, ex quo vos indui, de me ipſo heri primum vera comperi! declarans interim, libere fideliterque admonentium miram eſſe rebus paucitatem. Quam obrem non ſine cauſa Demetrius ille Phalereus nobilis Theophraſti diſcipulus Ptolęmeum Regem adhortari ſolebat, vt de Imperio gerendo, bellicisque rebus tractandis libros ſibi pararet, ac ſubinde relegeret: in illis ea omnia contineri ſcripta dictitãs, quæ amici reges admonere non audent. Ac reuera Demetrij dictũ memoria mihi quãdoq; repetétiv ideri ſolet, acutè perſpexiſſe philoſophum: nullumq; amicum bonis libris comparandum eſſe: aut certè præferendum. Nam & docent libéter, & obiurgant libere, & ſapienter admonent: Nullaque gratia aut ſpe lucri corrupti (quæ & ipſa amicos ſolent plerumque tranſuerſos agere) à virtutis officio & religione vnquam abducuntur. Ex quo fit, vt contra adulationem remedio ſit exploratio ſui atque cõcuſſio: aut libri optimi aſsidua & crebra lectio. Hanc etiam ob cauſam Carneadem illum Academicũ philoſophum, facũdia virum celebrem, dicere aiunt ſolitum: potentũ ac regum liberos, nullius rei (præter equitandi peritiam) diſciplinã probè cõſequi: quod his omnes procacisſimè aſſentientur: vnus equus principem vel paganũ gerat reſpectũs parũ: imperitum & incallidum agitatorem dorſo actutùm excutiat. Quæ ſi vera ſunt, aſſentatorum cauere blãditias principes maximè debent: ſibique ſemper (ne ea peſtis ſubrepere poſsit) cautè metuere. Fallit quippe interdum virtutis imagine: libertatiſque prætextu pectore ab amico manãtis, incautos ſæpe opprimit. Etenim Tiberio Cęſari (vt eſt author Plutarchus) ſurgens adulator dixit: hominibus liberis liberè loquendum eſſe, ac nihil metu diſsimulandum: neque quicquam reticendum eorum quę ad publicam vtilitatem pertinerent. His verbis cum omnes excitaſſet, factoque ſilentio. & ipſo etiam auſcultante Tiberio: Audi Cęſar, inquit, in quo te quidem culpamus omnes, etiam ſi nemo palam audet dicere. Negligis teipſum: corpuſq; tuum exponis pro nobis, ſolicitudinibus & laboribus illud cõficiens, nec interdiu nec noctu quieſcens. Huiuſmodi multa cũ ille dixiſſet, aiunt oratorem Caium Seuerũ ſubieciſſe: Iſta libertas hunc hominem exitio dabit.

SED SIT IAM modus, ſatis enim intellectũ arbitror, teterrimam peſtem, quod à principio dixi, cùm mortaliũ vnicuique, tum verò principi modis omnibus fugiendam eſſe: Quæ, ſi nihil alioqui ſecum afferret mali: vel hoc nomine fugienda eſſet, quod veritatis inimica atq; aduerſaria eſt: ſine qua in vitæ humanæ ratione nihil neque ſanctè animo concipi, neq; honeſte ſuſcipi, neque officioſè aut rectè geri poteſt. Nunc, cum præter alia quæ inuehit vitia, dãni illud apportet: vt Iuſtitię nomẽ induat malignitati, ſeueritatis ſæuitiæ: ſummè eſt profectò vitanda, & regi vſq;quaq; cauenda. Labefactat enim (corrupto ſemel veritatis adulterãtoq; iudicio) Iuſtitię & probitatis dignitatem, veramque opinionẽ: quod præſidium maximum regni eſt, inconcuſſęq; ſtabilitatis ipſius robur ac firmamentũ. Nam quis neſciat probitatis & Iuſtitię opinionis vera laude, ſplendidè regna creſcere: improbitate & iniuſtitia ſubito diſsipari, penituſque deleri? Prӕterea, quis non videat illi regno haud dubiam cladem, exitiumq; portendi: vbi temeraria & cæca atque improbè facta principum, aſſentatoris voce fallaci & veri & recti honeſtantur inſigni: atque impudenter & impunè officij titulo paſsim exornantur: ad extremumque crudelitas, ſummaq; iniuria, Iuſtitiæ nomine palliantur: ſceleraque ipſa ſunt virtutũ veſtita vocabulis? Ecquod igitur augurium certius, In fœlicitatis ve miſeræ euidentius quærat quiſque præſagium ad coniectandã ruituri ſortem Imperij, quã palponum licentia ſupplicij metu omnino libera, paſsim vbique graſſante, nuncupationem falſam inſpicere: rerumque omnium per ſummum neſas verborum inuerſionem abſurdam? Sed reprimã me: ne, cùm propter nominis authoritatem exiguam: ei morbo, cuius dolẽter pernicioſam vim exaggero, adhibere quam opto nequeam medicinam: refricare incaſſum quæ inferre cõſueuit odioſus vulnera videar. Neque enim tenui atq; humili viro fructuoſus eſſe, aut tutus ſermo ſolet: qui Satrapis atque proceribus diſplicet: principibuſque adeo ipſis dulciter parum ſapit. Plærique enim illorũ quorum in excelſo loco vita poſita eſt, vera atq; recta ſuadentis conſilij Syncęritate poſt habita, ac fide neglecta: ſupparaſitantis voce exitiali, ſalutis ſuæ immemores ac dignitatis obliti, libentiſsimè ducuntur. Proin tu mi Nicete, fac vt iſtos adulatores ſacrilegos obſerues, qui nuſquam adſunt niſi in menſa: præterea à coruis nihil differũt. NIC Nõ alit tam efferam beſtiam pauperis caſa vilis: quę tenues exoſa lares, ſuperbas diuitum ędes, & regum aulas inquirit. Auro atque

oſtro

oſtro renidentes indagat; plebeio & exigui pretij contectos panno, reſpuit atque faſtidit. Neque enim illi proſperè aucupij quæſtus ceſſerit, ſi potentum (caſu aliquo) opipara dape relicta, ad illum errans diuerterit, vnde obſonij vel lucri ne tantillum quidem decerpi, vel corradi poſsit. Non enim inopem dari ſibi exoptat hoſpitē: non penarias cellas inanes, non frugalem apparatū. Non dulcis aquæ poculo, non cibario pane & caricis inſtructos amat lectulos: non temperantiæ ſermones nō cōpoſitioris animi cultum, conuictum vè diligit, non diſertioris linguę vt ſapienter quidam ait, impura culpantia facta, verba cernit. Verùm quid ego hæc tantopere admiror? Nihil enim ſanctū nihil illum pulchrum honeſtumq; delectat: qui ſpe prędę turpiſsima captus, ſe ſe ſemel ad diuitis nutum effinxit. Sed quorſum attinet pernicioſi mali de rabie plura queri: ſtrenuè cum tu morbi cladem exaggerās, & naturam eius graphicè depinxeris: & extirpādo furori medicinę opem oſtenderis, remediūq; præſens attuleris? Cæterùm, vt rem conferamus in pauca; legat ſiquis volet Luciani dialogum titulo Timonis inſcriptum: quò aſſentationis licentia impudens ac furor penetret facilè intelliget, rurſumque quid eius cōpeſcat rabiē non obſcure cognoſcet. Multa enim vir ille perſpicax Gratiarum ſale, atque Attico lepóre condîta, aſſentatorū technas, aſtutaſq; verſutias eliminans & protulit verè & dixit acute: deprauatiſsimi ipſorum ingenij acriter vitia effulminans. Dum grauiter queſtus eſt, indulgentia quadam molli ſtultiſsimę perſuaſionis, qua ſe quiſque præter fas ſuſpicit atque miratur, tam impudenter & pernicioſe noſtris animis plagam hanc (idq; impunè) paſsim incuti. PHIL. Meritò te amo mi Nicete: ſemper enim quid mihi faciendum ſit, compendio doces. Idque ingenij tui optimi naturęque memor cum inſigni aliqua nominis noſtri laude. Quo ſane nomine, habere gratiam contētus (tuo magis vt in ęre ſim) parē verbis remetiri nolo. Cui enim, inclytæ vocis teſtimonio toties ornatus famam nominis exiſtimationemq; adeo vitæ apud omnes plane debeas, gratiarum actione aliqua ſatisfacere velle: operę pretium equidem non ſatis dignū arbitror. Quocirca concertatione hac laudis omiſſa: ne mutuis quibuſdam operis par pari retuliſſe videamur, honeſti officij fœnus aliquod turpiter exigentes: ad ea (quæ intermiſſa ſunt) mature reuertamur. Et primum quidem, ſi placet, diſceptationis huius (de qua tam multa iam diximus) opportune pauſa facta, ad veritatis familiarem atque amicam Iuſtitiam (quæ corruptiſsimo huic hominū generi vehementer odioſa, inuiſa, atq; acerba eſt) gradum in præſentia faciamus. NIC. Placet conſilium tuū, Iuſtitiæ enim fidiſsima comes Veritas: & quæ ſimulationis atq; impoſturæ fuco omni procul abiecto, rebus in omnibus æqui & iniqui imagine exacte perpenſa, ſuū cuiq; ius tribuit, dignitatēq; tuetur atque conſeruat Iuſtitia, importunis his beſtijs, inimiciſq; naturæ, inuiſa ſemper atque odioſa ſunt maximè. Nulla enim veritati atque Iuſtitiæ eſſe cum illis coniunctio poteſt: quibus ſimulatio pro hamo, mēdaciū pro eſca, ipſiſq; adeo iniuſtitia, execrabili in hoc genere aucupij, fructuoſi ſemper euerriculi eſt inſtar: eſtq; potiꝰ his vehemens & ſumma vbique diſtractio. Sed quoniam ad alia properanti, in his quæ, quaſi ex re nata, ſua veluti ſponte nobis oblata ſunt, neceſſariò prætereunda ſunt multa; quò maturius optatum poſsis appellere ad portum, perſtringenda leuiter cuncta hæc tibi eſſe arbitror: vel relinquenda illis, quibus ad rem ipſam exactius conſiderandā maior eſt temporis, vel ocij conceſſa facultas.

QVOD SI dum blandam hanc principum peſtem, ſuſurris palporum alitam & trucem alioqui beſtiam, & excelſæ cuiuis Fortunæ formidabilem: quam eliminare aulis, atque à procerum latere hactenus es enixè conatꝰ, quò facilius extinctam ipſam ac perditum eas, de virtute omni morali, more tuo explicare aliquid cupis vberius. Hæc ſiquidem eſt, quæ ambitioſæ vanitatis affectu improbo tempeſtiue repreſſo, & vicioſo omni procul abiecto atque abdicato tumultu: vt nullo perturbationum ęſtu turpiter agitetur, ex rationis ipſius præſcripto ſalutarē menti formulam ſancit, normamque præſcribit. Ac cùm cæterorum hominum mores placatos, tranquilloſque efficit: & quaſi in ordinem redactos in officio cōtinet. Tùm verò principum ipſorum actiones animi componit, dignitatem exornat vitamq; illuſtrat: & collatam ſibi cœlitus adminiſtrationē vrbium, tutelamque virorum, in primis fœlicē præſtat atque beatam. Hoc igitur efficere ſi vis aut cupis adeptum: ſit licet diſciplinæ morum munus hoc in commune tributum, rationis modulis affectus vt temperet: ſui contemplationi vacet: pareat honeſtati: ac diligenter vſque laudi ſeruiat. Ab ea tamen virtute, reor, tibi eſſe ſumendum exordium: quæ, pręterquam quod propter eximium

quem-

quemdam ſcientiæ amorem, & conſtantiſſimè vbique ſuſceptum Veritatis ſtudium, omnium maxime naturam attingit humanam: tum vel hoc nomine eſt ſuſpicienda plurimum: quia tres reliquas caſtiſsimas ſibi ſorores informat atq; inſtruit: habituque ſuo digniſsime inſtructas, laudabiliũ actionum ipſum producit in campum. Quod ſi altius tecum ipſe perpenderis: neceſſarium fore non arbitror, vt tibi eius, quam ſentio, nomen virtutis explicem. PHIL. Rectè ſanè, neq; enim dubito, quin ambage iſta verborum, innuere velis prudentiam. NIC. Habes mentem meã, fortunent cœpta Superi. Strenuè iam confide: fauſtum ſit, quod aggredieris. PHIL. Ita Deus faxit. Faciam igitur libens, quod te velle video: Sed tamen parcè ac leuiter. Ne, ſi pro magnitudine rerum alte nimis quidpiam ero fortè dicere conatus, ſuſcepti negotij grauitati ſuccumbam.

SCIENDVM Igitur eſt, vim omnem honeſti atque naturam in partes quatuor eſſe diuiſam: quarum prima in perſpiciẽtia veri, ſolertiaque animi eſt poſita: altera eſt, quæ contractarum rerum fidem, ac ſocietatis hominum defenſionem, tutelamque ſuſcepit: ſimul & ſuum cuiq; ius verè diſtribuẽdum. Tertia deinde pars in excelſi inuictique animi magnitudine ac robore maximè cernitur. Quarta eſt, quæ in eorum, quæ fiunt, quæque dicũtur modo atque ordine elucet: in quo ineſt modeſtia & temperantia. Ex quo facile aparet, honeſtatis rationem omnem quadripartitò eſſe diuiſam: Scilicet in Prudentiã, Iuſtitiam, Fortitudinem, Temperantiã. Eſt igitur cognitionis prima: communitatis proxima: magnanimitatis tertia: extrema moderationis: vnde vitæ noſtræ officia cuncta manant.

QVANDO ergo honeſti pars illa, quę in perſpicientia veri occupata, cognitionis ſtudio ac ſcientiæ dulcedine capitur, naturam maximè attingit humanam: nam & animi noſtri pabulum ſcientia eſt: intellectuſque ipſius iuſta menſura Veritas: efficitur illud ſtatim vt cum à ſupremo rerũ artifice ad humanæ, (ſed tñ ſyncerę ac ſobriæ) ęqvilibriũ mentis Veritas ſit effecta, nihil ſit omnium (quemadmodum eleganter ſcribit Plato) quod tam audiatur iucũdè quã ipſa. Vnde ea parta, è veſtigio mens noſtra ſubitò cõquieſcit.

OPERAE PRETIVM itaq; me facturum eſſe arbitratus ſum: ſi fabricam tanti operis, cùm ipſe mea ſponte, tum verò impulſu inſtimulatus tuo, à virtute illa animi potiſſimum ordirer, quę propter cunctorũ hominum in pectoribus ingenitam ſcientiæ cupiditatem, & Veritatis amorem, humanæ magis propenſionis, ac naturæ particeps videretur: voluntatiſque eſſet noſtræ ęmula, & cupiditatis affinis. Omnes enim (vt ait eximius orator) trahimur ac ducimur ad cognitionis & ſcientiæ cupiditatem: in qua excellere pulchrum putamus: labi autem: errare, neſcire, decipi & malum & turpe ducimus. Atque ideo, illos, quos præſtantis acumine mentis in inueſtigatione veri, accuratius quam cęteros verſari cernimus, ex raro quodam ac penè diuino hominũ genere eſſe ducimus. Cum enim eximiæ cuidam ſolertiæ mentis, authoritatis partes primas deferendas eſſe cenſeant homines ſeque naturæ quodam ductu prudentiæ ſubmittant ac ſubdãt alacres: molli magis obſequio ducti, quam externa vi aliqua imperij acerbioris attracti. Quem egregiæ hac elatione animi vel affectione aliqua mentis ſimili, præditum eſſe conſpiciunt: facile vbique ſuſpiciunt, colunt, ac venerantur. Et quia in his minimè deprauatæ naturę veſtigia cernunt, conſilia vident optima, monita experiũtur vtilia: conſulendi cauſam, rationemq; omnem rerum ſuarum atque expediendę ſalutis, dum diligenter expendunt; eſſe dignos ſtatuunt, quorum domi foriſq; nominis authoritatem ſequantur, & ſtudioſe in omnibus (quia id ſalutare in primis ducunt) vitæ facta imitentur. Neque id ſanè iniuria. Vt enim quiſque maximè perſpicit, quid in re quaque veriſsimum ſit, quique acutiſsimè & celerrimè poteſt & videre, & explicare rationem: is prudentiſsimus & ſapiẽtiſsimus, rite haberi ſolet. Cuius nos quidẽ viri accuratè vſque ęmulari facta conuenit, & ſectari veſtigia. Quocirca huic quaſi materia quam tractet, & in qua verſetur, ſubiecta eſt Veritas: cuius & inueniendæ, & cognoſcendæ naturali quodam impulſu, alius alio magis, auiditati innitentes, rapimur. Atque hæc quidem excellens virtus animi, à Græcis vocata φρόνησις, prudentia à nobis eſt dicta: faciendorum ac non faciendorum animo præferens lumen. Quæ & ipſa reliquarum trium ſororum, vinculum modo: vehiculũ, vel auriga vehiculi, appellari poteſt. Vinculum nimirum, quia ſuarum partium certis veriſque nodis vnamquamque reuinciens, muneri adaptat ſuo officijque debiti, quaſi ad curriculi carceres, congruẽti ſtatione locat, & in orbita cõtinet ſibi præſcripta: ad muniaque edoctas affatim (inſi-

liant

liani ne in vetita temere) mirabili quodam amicitiæ fœdere obſtringit. Vehiculum verò, quod niſi virtutis huius bono ſtabili fulta, præſidio ſepta, & ſatellitio vallata: nulla ſororum ſuarum, dignitate ſalua muneris, prodire poſsit in publicum. Nulla enim eſſe virtus poteſt, ſi diligenter ac vere morum diſciplinam ſpectes, quæ prudentiæ deſtituta ſit laude. Nam cum humanarum actionũ virtutes hæ, architectrices inclytæ, publicè habeantur ſintque re vera eorũ quę gerimus (vt opinio mea fert) legitimæ moderatrices: ac ſui cuiuſque miniſterij diſpenſatrices vel maximè vigilantes. Recta illa ratio in rebus agendis, quæ moralibus moderatur virtutibus: quæque extrema vitioſa refugiens, in mediocritate quadam laudabili hominem facit conſiſtere: profectò nihil aliud quàm ipſa prudentia eſt. Ex quo illud efficitur, vt virtutum nulla moralium, abſque prudẽtia eſſe omnino poſsit. Hæc igitur virtus, cuius breuiter laudes expreſsimus: quid ſit videamus iam tandem. Sed illud dicendum eſt prius: prudentiã, quia baſis & fundamẽtum virtutum ſit cardinalium, ſuo quodam iure fidem poſſe appellari: & Iuſtitiam, charitatem. Propterea quod illa inchoet atque informet: hæc verò perficiat & compleat virtutes omnes morales. Quod officij nõ diſſimili merito: theologicæ illæ præſtant apud ſuas. Vnde muneris ſi ratione ſpectes, prudentiæ cum fide conuenit: intercediique ad eumdem modũ cognationis fœdus aliquod atque vinculum amoris cum charitate Iuſtitiæ. Id quod, iuuante Deo, clarius ſuo loco dicemus. In præſentia verò, de qua ſuſceptus eſt ſermo, quid prudentia ſit diligentius excutiamus.

PRVDENTIA eſt, rerum expetendarum & fugiendarum ſcientia. Quam doctiſsimi viri eo à ſapientia diſcrimine diſtinxerunt, vt hanc mortalium: immortalium, diuinarumque illam rerum ſcientiam eſſe decernerent. Cur ita placuerit cauſas velle perſequi, altius vtriuſque naturam indagare ſi libeat, nec temporis huius, nec loci eſt. Non enim res tanta, temporis ſpatio breui explicari dignè poteſt.

Prudentia igitur, cuius vis omnis in bonorum atque malorum delectu conſpicitur, inter conſilium electionemq; poſita, rerumq; expendens diſcrimina: honorarius tanquam Arbiter, cauſarum cõtrouerſias dirimit, humanarum actionũ architectatrix inclyta effecta. Quæ vera cunctis facta præſcribens, cõſectari quid quemque: quid contrà fugere declinareque debeat, progreſsione quadam rationis, cõpendiò ac ſine fraude docet. Cuius conſilijs præceptiſque accuratè vſq; qui paruit cùm fortunatus apud cæteros: tùm verò bonorum opinione magnus vir, atq; ipſi charus Deo, merito ſemper eſt habitus. Quàm autem virtus hæc hominum generi neceſſaria ſit, ac ſalutaris: de bonorum malorumque finibus libro. 5. eleganter expreſsit M. Cicero, vt valitudinis haberi ars medicina ſolet, ſic viuendi artẽ docens eſſe prudentiam. Atque huius quidem virtutis, vt in Saturnalium libris Platonem ſecutus Macrobius pulchre teſtatur, Munus illud eſt proprium. Ad rationis normam quę quis cogitat, quęque agit, vniuerſa dirigere: ac nihil præter rectũ, vel laudabile agere. Qua ex re illud efficitur, vt bonus prudenſq; vir (quaſi ij qui in vera vitæ diſciplina laudabiliter profecerunt) non ſolum facere, ſed ne cogitare quidẽ poſsit quicquam, quod non audeat prædicare. Cum verò ſe ſe ad deliberandum accinxerit (quod eſt officium prudentis.) rei in contentionem adductæ turpitudine perſpecta, etiam ſi reuocare aliò vtilitatis magnitudo videatur, Veritatis & Iuſtitiæ dignitati fauebit. Iudicijq; ſemper ſynceritate vſus, peruerſitatem illorum & dictis & factis arguet: qui honeſtate cauſæ neglecta, emolumentis & commodis prauè cuncta metiuntur. Et quoniam vitæ autem tenere vel maximè, prudentia vir pollens dicitur: diſciplinæ ſuæ ea foris documenta præbebit, vt facile omnes intelligant, appetitui apud ipſum ſemper præſidere rationẽ: eumque in omnibus accuratè virtuti operam dare, & temperantiæ ſeruire. Sic enim affecti hominis in omni vitæ cõmercio (vt opinio mea fert) Iudicia animi ſequi pulchrum fuerit. Nam & prudentiæ conſeruatrix, virtutumque omnium cuſtos temperantia nobis eſt, & quæ ad iudicij recti cenſuram petitur, aciem mentis ipſam, incolumem ſeruat vitæ frugalitas. Qua nimirum virtute animi plurimum alijs antecellere debent, qui egregia hac vitæ arte vulgò valere creduntur. Recta mens, nõ humanæ opus induſtriæ, ſed profectò diuinum in homine donum eſt. Nulla itaque ratione effici poteſt (ab huiuſmodi licentia morum Summi Dei abhorrente verè Numine) vt temulentũ corpus, ſubiectumque vitijs animum, prudentiæ ſplẽdor inhabitet. Quid? quod vitiorum caligine obſcurata mens, verum falſumq; quod eſt, parum videt, nec intelligere valet bonorum malorumq; rerum diſcrimen: cuius ſe tenere

ræ ſcientiá prudentia animi profitetur? Quis enim neſciat ſcientiæ huius armatam, communitamque præſidio, circa rerú omnium, actionumque delectum mētem noſtram verſari ſolitam? quæ recta, & vitæ hominum fructuoſæ ſunt maximè, ſedulo cóſectantē? Summa ope animi indagantē interim viam, qua id melius confici poſsit. Ne animi motu turbationi aliquo, cæco ve iudicio ad eas nos res temerè applicemus: quę inexploratę ſunt, ac nobis parum cognitæ. Cognita ſiquidem iudicio mentis egregiè tranſigi & confici ſolēt: incognita caſu reguntur. Quocirca, ei qui prudentiæ laudem adipiſci volet, in primis duo vitanda ſunt vitia. Primú, ne facilitate aliqua ingenij deceptus, incognita pro cognitis habere incipiat, rei cuipiá temere aſſentiendo. Nihil enim tam eſt futile, quam quicquam approbare non cognitum, deinde verò quod fugiat, erit illud ſecundum: ne in res alioqui obſcuras, admodumq; difficiles, & vitę hominum fructuoſas parú, impēdiſſe videatur operæ pluſquá oporteat. Quæ profectò à viri prudentis officio, ſunt aliena quam maximè. Quorum in extremo ſolicita præter ſas illius militis induſtria iure contemnitur: qui, cum corá Alexandro Macedone longinquo ab ſpatio perforata in acu tritici grana multa ſine fruſtratione trāſmitteret, à prudētiſsimo viro infructuoſæ induſtriæ ſedulitatem irridenti, ciceris eſt modio donatus. Intelligi enim voluit præſtantiſsimus vir, in re ingloria atque difficili curioſè nimis inſumptam operam, irriſione magis quadam tāquam mercedis abiectæ excipiendam: quá virtutis certo aliquo veroque præmio eſſe honeſtandá. Quibus vitijs ſtudioſe diligenterque vitatis: intelligendum eſt, illud ad prudentiam animi valere quamplurimum, vt ad conſiderandas res, diligentiæ tantum atque temporis adhibeamus, quatum qualitati negotij conuenire videbitur. Quamuis enim bene prouiſæ rei laudabilis ſit ipſa celeritas: ſitq; hoc vnú in quo Alexandri Macedonis induſtria animi præcipuè laudetur: videndú eſt tamen interdú ne in deliberatione difficilioris conſilij, diligentiæ tanquam tempeſtiuè iam adhibitæ aliquo prętextu, feſtinatio nos nimia decipiat. Eritque potius in eiuſcemodi temporis ac rerú articulo, cunctatione quadam animi prouidentis vtendum. Quod ijs in rebus, quæ maioris ſunt ponderis: quęq; plus momenti habere videbuntur ad vitam, erit à nobis ſolicitius efficiēdum. Qualia videri etiam meritò illa debebút, in quibus ſemel tantum (quod aiunt) deliberare vel tranſigere licet, quibus enim periculum maius imminet, in ijs quidem cautione quadam longioris moræ, ſemper erit vtendum. Notum cunctis eſt carmen,

Delibera vtilis: mora tutiſsima eſt.

Item & illud

Deliberandum eſt diu, quod ſtatuendum eſt ſemel.

Et quoniam prudenter excogitata ratio in præſtantia actionis elucet. Eſtque pluris ſemper conſideratè agere quá cogitare prudenter cognitionem prudentiamq; ipſam conſiderata vbiq; actio ſequi debebit. Eam porrò pulchrè illi aſſequi dabitur, qui nullo præcipitāte impetu inconſiderati ac feruidi animi, præmeditatus paratuſq; ante, ſuſceptioni ſe ſe rerum, actionique accinxerit. Eſt enim (vt Officiorum primo Cicero preclarè præcepit) in omnibus negotijs priuſquam aggrediare: præparatio quædam diligens adhibenda. Vnde, qui nullo ad deliberādum ſpatio temporis ritè ac dignè ſuſcepto: meditationeque (quam dixi) inſolēter ac vanè poſthabita, negotijs ſeſe temere implicuerunt, ſucceſſu rerú excluſi: temeritatis ſuę, pœnitentiæ dignas pœnas luerunt. Idque haud iniuria. Quicquid enim prudētiæ vacat intuitu, paratam habet è veſtigio pœnitentiam. Quocirca prudenti viro (id quod iam antea admonere cępi) in eo potiſsimum erit elaborandú, ne motu aliquo turbatiori animi, cęco ve iudicio ad eas ſeſe res applicuiſſe temere videatur: quæ inexploratæ ſibi, nec cogitatę diu, parum perceptęque ſunt. Multi enim cordatè parum ſibi placentes, ingenioque blandientes ſuo: lenocinio rerum decepti, cum præter vires ſibi quędam proponerent, conatu ipſo turpiter ſunt deiecti. Sic in aggrediendis negotijs haud minima prudentiæ pars cenſeri ſolet, non modo cóſiderare quàm ſit honeſtum, quod ſuſcipere velimus: ſed etiam vt habeamus efficiendi poteſtatem. Imprudentiæ quippe ſignum eſt, amplecti id velle cupidè, quod præſtari plane nequeat: aut certè difficulter. Nam quæ mentis noſtræ facile captum excedúr, ſupraque vires ſunt: ſingularis cuiuſdam eſſe videtur inſcitiæ, omnino velle aggredi. Animo igitur rei magnitudo, finiſque etiam luſtrandę primum ſunt (& menſura viriú cognita) prout ſe facilem ſecusve oſtendet exitus, qualitati ſeruiendum erit negotij, & cęptis vtendum. Hoc proculdubio eſt, quod Salaminium Solonem, ſapientem vnum è ſeptem: obuium quemque adhortari aiunt ſolitú: cum paſsim illud occineret, QVIC-

QVID agas prudenter agas, & proſpice finẽ. Cui vni ſtudio vigilantia noſtri animi indefeſſè vſq; ſeruire debet. Temeritati nanq; & ſomnolentiæ cum prudentia animi cõuenire nihil poteſt. Solicita aſsidue eſt: & extrema, ad quæ tendit, propoſitę cauſæ: auſpicijs cum primis conferens, progreſsione quadã mẽtis ſolerti, operis perluſtrato iam fine: fœlicem ſibi exitum inſumpti laboris ſpondet. HVIVS porrò virtutis, quæ rectè gerendarum rerum baſis certiſsima eſt, munus (vt Plutarchi verbis vtar) circa bonum quadrupliciter ſe gerit: quum aut adipiſcitur bona: aut tuetur: aut adauget: aut prudẽter vtitur. Qui nõ prudentiæ ſolũ, verùm aliarũ quoq; virtutũ canones ac regulæ exiſtũt: quibus ad vtrãq; eſt Fortunã ſemper diligenter vtendum. Ne proſpero eius aliquo vel aduerſo flatu vſi, ſtultè animo concidiſſe: aut parum rectè mẽte conſtitiſſe hominibus videamur. Quo quidem in tẽpore pręcipuè eſt cõſtantiæ mentis ſeruiendũ. Illud ergo prudentia dictat homini, vt exacto perpenſoque iudicio quid in re quaq; virtutis inſit aut vitij, penit' inſpiciat. Quid expetendũ, quid fugiendũ ſit interim admonens, ordinẽq; pręſcribens: ne dũ illud apetit, in hoc impingat. Sunt etenim interdũ vſq; eo virtutibus vitia contigua, vt niſi in illorum ſit confinio ex aduerſo, animi locata prudentia, maximum ſit in electione periculum. Falſis ſiquidem ſimulacris dignitatem habitumque virtutũ (vt aſſentatio amicitiæ) perſæpe vitia mentiuntur. Nam grauitatis inuolucro ſeſe arrogantia ingerit: ſeueritatis tegmine crudelitas ſæpe fallit: imponit interdum ſub ſpecie conſtantiæ pertinacia. Fortitudinis titulo aliquoties blanditur audacia: prodigalitas quãdoq; liberalitatis obrepit fuco: nec rarò ſeſe parſimoniæ prętextu inſinuat auaritia.

Fallit enim vitium ſpecie virtutis & vmbra,
Cum ſit triſte habitu, vultuq; & veſte ſeuerum
Nec dubiè tanquam frugi laudetur auarus,
Tanquam parcus homo, & rerum tutela ſuarum.

Vt ait Flaccus, expetitiq; tandem otij lenocinio furtim inuadens ſegnitia, humano generi plurimum obeſt. Quibus examinandis (niſi pręſto prudentia adſit) virtutũ loco vitiorum ingens agmen erumpit. Quæ vbi prępoſtera animum opinione corruperunt, haud queunt inde facile extrahi. Quod cum intelligeret M. Cicero in rhetoricis partitionibus ſapienter illud ſcripſit. Cernenda autẽ ſunt diligenter, ne fallant ea nos vitia, quæ virtutem videntur imitari. Nam & prudentiam malitia, & temperantiam immanitas in voluptatibus aſpernandis, & magnitudinem animi ſuperbia in animis extollendis, & deſpicientia in contemnendis honoribus, & liberalitatem effuſio, & fortitudinem audacia imitatur, & patientiam duritia immanis, & Iuſtitiam acerbitas, & Religionem ſuperſtitio, & lenitatem mollitia animi, & verecundiam timiditas, & illam diſputandi prudentiam concertatio captatioque verborum, & hanc oratoriam vim inanis quædam profluentia loquendi. Danda igitur opera eſt, vt actionum noſtrarum initium ex prudẽtiæ ſemper fonte ducat. Ita eñ fiet, vt imprudentiæ foueam, ignorantiæ barathrum, facilitatis lapſum, temeritatis præcipitium, tutiſsimè euadamus: ita vt nunquam res temere tractemus turbidas: & ſi quid rectè rurſum appetierimus, non fraudemur optatis.

SED CVM DVPLEX SIT animorum noſtrorum motus, cogitationis alter: alter appetitus. In exquirendo vero (quemadmodum pręclariſsimè placet. M. Ciceroni) cogitatio maxime verſetur: impellat autem ad agendum appetitus. Erit illud viri prudentis, vt cogitatione ad res quam optimas vtatur: Appetitum verò rationi in omnibus prębeat obſequentem. Quod nimirum facile pręſtabit vir prudens: cuius (vt remur) in inueſtigatione veri cogitatione occupata: appetitio omnis honeſtæ rei actioni vſquequaque ſeruire debet. Atque hoc quidem (vt opinio mea fert) nihil aliud eſt, quam prudentiæ munere fungi. Cui etiam illa laudatiſsima inſunt: ratio, intellectus, circunſpectio, prouidentia, docilitas, cautio. Quæ omnia virtuti illi pręſto ſint neceſſe eſt: quæ (vt ſecundo de inuentione rhetorica ſcribit Cicero) rerum bonarum atque malarum, & vtrarumque ſcientia eſt. Cuius illę ſunt partes, Memoria, Intelligentia, Prouidentia. Ac memoria quidem illa eſt, per quam animus repetit illa, quæ fuerunt. Intelligentia eſt, per quam ea perſpicit, quæ ſunt. Prouidentia eſt, per quam futurum aliquid videtur, antequam factum ſit. Quod cum Stoicus Seneca pulchrè intellexiſſet, ſapienter illud ait, Si prudens eſt tuus animus, tribus temporibus diſpenſetur. Pręſentia ordina: futura prouide: pręterita recordare. Quo ille pręcepto vim omnem, naturamque prudentiæ, mira eſt breuitate complexus. Siquidem in ordinatione pręſentiũ, intelligẽtiæ munus eſt poſitum: elucet autem prouidentiæ officiũ in futurorũ prouiſione: Memoriæ verò

partes in preteritorum recordatione (vt ſapientiſsimis placet, vel maximè ſunt poſitæ. Atq; hæc quidem de prudentia ſatis ſint: ne, ſi ardore dicendi rapiamur in altum, inuenire modum difficile ſit. Neve & ipſe prudentiam docens, imprudentiæ accuſer, qui parcè ac leuiter à me dixi id eſſe tractandum.

NICETES.

Quamquam me tua iſta dicendi ſuauitas: & ſententiarum grauitate, & elegantia dictionis remorari diutius verè poſſet, auſcultationis ab omni tędio liberum (quis enim viro tali) ac de re non leui dicente, tędio vllo poſſit affici, facilè tamen patior orationis huius tuæ fœliciſsimum curſum modeſto potius aliquo voti genere fuiſſe repreſſum, quam imprudentiæ aliqua ſuſpicione contracta, in plura vberius verba diffuſum. Vt enim cæterarum rerum in aliqua laudis parte poſitus ſemper eſt modus: ſic & intempeſtiuè videri nolle ſapere: prudentiæ nimirum (iudicio meo) eſt non ficta in laude ponendum. Cum preſertim nimis prolixitate verborum offendi haud tardò audientium animi ſoleant: & quamlibet diſerti interdum tamen ſermonis gratia perire. Quod prudentiæ vera monita, pręceptaque tradenti, in primis erat vitium ſtudioſè fugiendum. Temperamento igitur iſto prudentiæ: & illorum offenſionem vitatam, & conſultum eſſe tibi, fœlicitati gratulandum eſt tuæ: ac mihi etiam qui ingenio dignitatique tuæ diligenter ac ſedulo vſque faueo, pręcipuè gaudendum.

Nunc, quando prudentia, humanæ vitæ virtus neceſſaria maximè: & laudata dignè, & deſcripta prudenter, quem habere videbatur ſplendorem, tuo eſt modò eloquio locupletiorem, illuſtrioremque adepta. Patrocinio vt oris tui benignitatem experiatur eandem: quæ de ſalute omniū, tranquillitateq; anxia, ęquitate quadam mirifica humani generis ſocietatem tuetur ac continet, humaniter blandeque à te petit ipſa Iuſtitia. Cuius tanto eſt precibus acquieſcere honeſtius, quanto illa cauſam hominum diligentius agit: factaque vbique noſtra curat ſolicitius. PHIL. Si grato erga eos, qui de nobis benemeriti ſunt, eſſe nos animo oportet mi Nicete: beneficiorum quæ aſsiduè nobis Iuſtitia ipſa ſuppeditat, planè obliuiſci ſit nefas. Neque enim illa ſui, ſine magno ſcelere, immemorem eſſe quemquam, ſinet vnquam. Nam vt altiora illa taceam, que paulo poſt (Deo iuuante) exequar: delictorum gentis omne ſeuerè vindicans, & ſupplicij timore impudentis animi noxium coercens affectum: pernicioſa nocendi reciſa libidine, & iniuriæ cupiditate omni, immani etiam è pectore procul expulſa, commercia ſola hominum tuetur ac ſuſtinet: ac ſuis quęq; rebus contentum eſſe oportere docens: in officio omnes mirè continet. Indulget paci, tranquillitati ſeruit, ęquoque ab Imperio gratis concordia parta, ocio conſulit omnium. Denique dum officioſa cunctis eſſe cupit, nullius magis oblita quam ſui (ſi tamen hoc eſt obliuiſci) officij ſui partes religioſè ac ſanctè vbiq; tueri, ſecutæ vt mollia ocia gentes peragant, periculis ſe haud raro audacter multis exponit. Neque enim omnes eodē modo Iuſtitiæ Imperia ſancta ſuſcipiunt. Nam qui impudenti & effręnata quadam ingenij peruerſitate ſunt pręditi, vehementer eius imperijs ſemper obſiſtunt: nec niſi impēdentis pœnæ animo iniecta formidine, Iuſtitiam, ęquitatemq; amantis viri officio facilè colla ſubdunt. Qui verò exculti pectoris inſigni aliqua dote, vel ingenij indole laudabili ſunt ornati, ijs ſanctum ac venerabile nomen Iuſtitiæ ſemper eſt habitum. Splendoreq; illius ac dulcedine capti, ad ea officia, quæ verè digna ſunt homine, ſponte ſua nullo metu coacti, ſtrenuè atque animo ſe ducuntur. Hinc venerationis & honoris, Iuſtitiæ dignitati, tantum ab his eſſe datum cernimus: quantum ab illis contrà, criminationis & odij, maledictique etiam temerè vulgò videmus impenſum, quorum illa maledicta (bonorum gratia contenta) ęquo ſuſtinet animo. Quin etiam diſplicere malis, in ſumma ſibi ducit laudis parte eſſe ponendū. Sic in meritorū ratione diſpari, munere ſuo pręclariſsimè functa, diuerſis hominum voluntatibus quod conſentaneum ſit vtriſque, Iuſtitia ab ipſa perſolutum eſſe pulchrè cernimus. Nā quid honorificentius? Quid ſplendidius quid viro bono dignius, vel magis optandum, quam virtutis omnium pręclariſsimę, teſtimonio vocis ornari? Quid rurſum eſt, quod magis viri (communi modò non ſenſu carentis) frangere animum debeat: quam dignum ſe viſum eſſe Iuſtitiæ, cuius odia contēneret: conuitij inſani, cæci ac temerarij maledicti ſannas omnes digna in aliqua laudis parte reponeret? Cum igitur virtutis huius, cuius tam generoſum mentis habitū eſſe conſpicimus (vt bonorū gratia cōtenta, malorū odia ſuſq; deq; habeat ac pro nihilo ducat) is ſit ſplendor, excellentiæ tanta dignitas, vt ab improborum odio atque contemptu maior ſemper illuſtriorq; exurgat: & ad ea, quibus eſt intenta, peragenda munia alacrior

alacrior atque robuſtior: meritò illarum, quæ ad diſciplinam morum pertinent, conſenſione omnium, virtutum eſt princeps habita. Magnum eſt enim iuſtæ iræ nullis ſtimulis ad vindictam concitari: offenſionis immeritæ ſimultate nulla ab æquitatis atque Iuſtitiæ, & veræ laudis officijs ne tantillum quidem pacto vllo poſſe dimoueri. Qui enim hoc facit, ex raro illum quodam ac penè diuino genere hominum eſſe ſatum, indicari ſolet. Quod virtuti huic tam eſt amicum & familiare, vt natiuum propriumque eius eſſe non iniuria videatur.

THEOLOGICARVM diuinarumque omnium virtutum Charitatem principem eſſe, quis ambigit? Quæ ſancti cuiuſdam amoris illecta dulcedine, & ſupremæ ſummi Dei legis innixa præſidio: damnoſæ moræ, & abiecti pauoris impatiens: vel afflictæ, vel labanti humanitati ſemper ſedulo ſuccurrit. Ex oppreſſorumq; ſubleuatione laudabile exercens aucupium proprij veluti oblita cōpendij, de aliorum eſt ſalute ſolicita. Hæc enim eſt heroica illa virtus animi, de qua ſcriptum eſt, quòd non quærit quæ ſua ſunt. Quod ſic debet intelligi, quia communia proprijs, non propria communibus anteponit. Semper enim eximiæ dilectionis affectu, & virtutis officiò feruida, priuata commoda, poſteriora ducit publicò emolumento. Ac veræ animi pietati dum fauet, ruinæque ſubuenit, timorem omnem ſtrenuè foras excludit, procul que eliminat, officijs gauiſa ſuis, mente ſuffixa Deo. Huic igitur tam mirificæ, eximiæque virtuti, cum Iuſtitia (quæ cardinalium moraliumque virtutum confeſsione omnium creditur longè maxima) vinculum non leue cognationis intercedit. Quæ & ipſa vtilitatis immemor ſuæ, periculis aliorum officioſè dum conſulit, nocendi ratione turpi opportunè de medio ſublata, & violentia omni prauæ mentis expulſa hin ſocietate hominum tuenda, & vitæ quadam ceu communitate verſatur: conuictus cœtuſque hominum, coniunctionis ſanctæ legitimo quodam fœdere deuinciens ac retinens: & ab illorum capite atque fortunis, licentioris animi impetum omnem atque iniuriam propulſans, longèque amoliens: idque naturæ norma ſancta & rationis regula prudenter oſtenſa, cuius iure prohibitum eſt alterum violare. Spe itaque omni priuati commodi & lucri turpioris erepta, ac laudabili huius æquitate tantum iuris innixa: conditionem hominis parum morata, quos rationis vigor in delicto pares facit (quo innocentia vbique ſit tutior) menſura legis exæquat. Sic nimirum æquilibrio perfuncta optimo naturalis æquitatis, inſontem vbique protegit: potentioriſque ab iniuria tenuem pauperemque ſubducit. Iam verò quemadmodum vera & germana Iuſtitia, ſui cuiuſque iuris aſsignatione quadam legitima, dum cuncta diſtribuit, nulla ſui parte exhauſta, exiſtit vberior: ſic vera charitas, beneficij largitione creſcit: & quaſi dando recipiat, erogatione ipſa ſurgit opulentior. Itaque gratis vbique de omnibus promereri ſtudet: conditioniſque memor humanæ calamitoſis, afflictis, iniuriaque oppreſsis, ſponte ſua honeſtatis tantum ſtimulis concita, ſubuenire gaudet. Ac ne rogari quidem expectat, modò benefaciendi adſit occaſio. Quin potius magnifici pectoris generoſa quadam alacritate ex æquo cunctis expoſita, libenter ſua munera proiectis atque lapſis impartit. Commune vtrique votum eſt nocere nulli: prodeſſe verò omnibus induſtria frequens & ſtudium animi ardens.

CHARITATIS igitur non fictæ æmulatrix vera Iuſtitia, tenuiores vſque iniuria prohibens: æquitate conſtituenda ſummos cum infimis pari iure retinet. Quin etiam naturæ præſcripta religioſè ac ſanctè ſeruans (diuina quod cunctis interdictum cenſura eſt) vetat delinquere. Iniuriam itaque accuratè ſemper exoſa: ſalutari ſonti pœnæ exhibito poculo, in compoſitis hominum moribus pulchram mediusfidius medicinam facit. Nam & labe criminis turgidam infectamque mentem exonerans, facinori debito ſupplicio ex præſcripto legis prouidè ſūpto, peccatores ſanos efficit: & quos ad nequiter agendum impudentia alieni facti impellere videbatur, ſeueritate oſtenſa ſupplicij, opportunè coercet: & ne in poſterū imitari tetra exempla, vel improba facta libeat, ad ſobrietatem erudit. Sicque ſenſim mortalium animos ad peccandum alioqui procliues, in eo, quo debet, officio virtutis cōtinet. quid? quod ſuæ quemq; naturæ, conditioniſq; admonet, noſtriq; noſmet cognitione vera inſtruit? ac ſupremi ſummiq; Dei (cuius numini parent cūcta) notionem ſuggerit, inſpirat, atq; infundit animo? docetq; aſsiduè conditori omnium ac principi Deo, pietatis ſummū cultū, venerationemq; deberi. Nō itaq; iniuria (vt noſtrates interim theologos taceā, quib' hæc familiaria valde, ac notiſsima ſunt) antiquiſsimi ac nobiliſsimi philoſophorum potiſsimam partem, primumq; munus Iuſtitiæ, in vnius veriq; Deī (quē ipſi rectè ſupre

mú, ſummumq; vocabant) pio cultu & veneratione poſitum eſſe, arbitrati ſunt. Nam ſi Iuſtitia eſt ęquitas quędam ius ſuum vnicuique pro dignitate cuiuſque tribuens atque dilargiens: quid tam rationi congruum; ęquitati conſentaneum, atque aptum pietati quam vt ſupremo rerum opifici, conditorique omnium ſummo Deo, cuius ſingulari bonitati ac diuino muneri, omnia quæ in vita bona putantur, ipſaq; adeo lucis vſura accepta ferenda eſt, pietatis ſummum cultum vſq; quaq; exhibeamus, ac primos dicemus honores? Quod ſi dulci libertatis nomine atq; bono dignè exuitur, qui patrono ingratus ſemel libertus extitit: ſeruitutiſque nexu priſtinę iterum ignominioſè conſtringitur, beneficij vt tanti obſequia debita perſoluere addiſcat ſuo liberatori: quid de illo dicas, qui gratitudinem animi, quam debet, pręſtare non vult Deo: ſeq; Iuſtitiæ vinculis, quibus eſt verè atq; legitimè innexus, impiè conatur eximere? Nam neq; dignitate perſonę, diffinitionem Iuſtitiæ altius ſi mente agites, quem conſerre Deo poſsis, inuenies vnquã: neq; cui magnitudine beneficiorum deuinctior ſis arctiuſq; obſtrictus, quemquam inueſtigare ſit fas. Cui profectò, quò notionẽ animi tui explices magis, plura ſis debiturus. Cui enim omnia debemus, quis niſi lumine mentis orbatus, quæ poſsidet cuncta ſe debere non ſentiat? Quod loqueris, graderis, ſentis, ſpiras, viges, beneficium Dei eſt. Potentiæ bono quod fortunatus excellis, pręſtantia generis nites, amicitiã multorum flores: cui niſi Summo Deo, omnia hæc quibus ſupremo poſitus loco publicè gloriaris, accepta ferenda ſunt? Vide igitur, ſi in te primùm velis deſcendere, creatura creatorem: benefactorem debitor gratiæ (munera ſua repoſcente Iuſtitia) quò ſis honoris loco, dignitatiſque habiturus? Nonne illa ſuo iure (promerentem ſummo honore proſequi ſi parum dignabere) qui indigno tanta contulit, largitori cuncta Deo è veſtigio vendicabit? Neque enim hominis in ingratitudine tanta interdictum laudabile huius pacto vllo ceſſare poteſt. Ab ingrato enim & promiſſa reuocari, & auferri collata, Iuſtitiæ quis probro vertat: interdicto quodam ciuilis humanęque legis & data adimi: & poſſeſſa eripi, impunè vulgò cum videat? An eſt cuiquam ignotum, quot ac quantos non diſsimili ſępe de cauſa nobile illud, De his quibus vt indignis interdictum, patrimonijs exuat, ac bonis euertat? Iam verò ſi erga benè meritos, grato nos eſſe animo oportet: atque adeò publicè intereſt. Beneficiorũ nanq; viciſsitudine mutua vrbes ſtant: commodeque vitam ipſam exigunt homines. Et, vbi reciprocę charitatis vincula frigere ſunt cœpta, facile corruũt: ſublatis tanquam commercijs, adminiculiſq; ademptis ad pręſidia vitæ homini neceſſarijs. Vnde vrbis in medio, nimirum ciuitatis honorificentiſsimo loco ingenij ſumma laude vir prędítus Ariſtoteles, erigendam Gratijs aram cenſuit: laudis hoc commento inclyto publicæ conſulens vtilitati: & tanquam ipſos animos hominum ad promerendum excitans. Vtilitatis ſiquidem omnium plurimum intereſt, vt beneficij gratia referatur. Peculiare enim hoc, ipſiuſque gratiæ proprium munus eſt: ac reuera, ei qui gratificat' eſt nobis, referẽda omnino gratia eſt, vt inire iterũ gratiã cupiat. Ne ve promerẽdi veluti cauſa ſublata & benignitatis omni prorſus adẽpto fructu, qui in relatione plerũq; gratiæ ponitur, generoſus ille benefaciendi amor cunctatione aliqua ignobili diminutus ſenſim ſterileſcat. Etenim, vt ille ait.

In ſteriles agros nolunt iuga ferre iuuenci:
Pingue ſolum laſſat: ſed iuuat ipſe labor.

Quod ſi verum eſt: quis nõ intelligat germanæ conuenire Iuſtitiæ, vt benefacienti (ſi modò facultas ſuppetit) è veſtigio à nobis gratia referatur: quò promptior ſemel qui beneficia contulit, iterum ad promerendũ exurgat? Apud Athenienſes priſco legem dictante Dracone, ingratitudinis conuicti capite plectebantur, vt Plutarchus refert in vita Solonis. Eſt rectè quidem, id arbitror ſeuera lege cautum. Quia dandi & accipiendi beneficij cõmercium, ſine quo vix (vt Valerius Maximus prudenter exiſtimauit) vita hominum extat: perdit ac tollit, quiſquis benemerito parem gratiam referre negligit. Age verò, ſi rectè illud à Platone dictum eſt: quę pulchra ſunt, ea iterum ac tertiò repeti ſermone debere, ſuperſedebo ne ſpecioſiſsimo dicto, & quod pręſenti loco (vt reor) non male quadret: quia à me id ſemel alibi antea ſit proditũ? An non memorabile in primis inſtitutum illud Athenarũ eſt, quòd cõuictus à patrono libertus ingratus iure libertatis exuitur? Superſedeo te (inquit) habere ciuem tanti muneris impium ęſtimatorem. Nec adduci poſſum, vt credam vrbi vtilem, quem domi ſceleſtum cerno. Abi igitur, & eſto ſeruus: quoniam liber eſſe neſciſti. Si ergo ære noſtro empta mancipia, cum libertatem à nobis acceperunt, eſſe erga nos grata conuenit, ne ſeruitutis priſtinæ nexu truci iterum alligentur: ingrati Deo impiè ſi eſſe pergamus, cenſura

ſanctę legis ęquum quid nos ſit pati? aut quid de noſtra erit improbitate dicendú: qui Chriſti Optimi Maximi pretioſo ſanguine redempti: & ab inexplebilis ac ſæui Tartari faucibus liberati, in vitæ veram lucem reduces ſumus effecti? Ethnicorum ſi vlla interdum hiſtoriæ à nobis habetur fides: nec, quæ locupletiſsimi quondam authores memorię prodiderunt, facile debent contemni. Altricis in pyram virginis, moribunda libẽs aquila deuolauit. Nutritorem Tigris, naturali ingenij poſita feritate, in diſcrimine poſitum, cognouit ſuum atqne protexit: ſuoque ſępe Leo retulit gratiam altori. Et, quæ ruſtici ad menſam hoſpitis ventitare Aſpis aſſueuerat, commeandi ſibi ad cibum ſolitum conſuetudine adempta, ac proprię ſobolis, quę filio hoſpitis necem intulerat, corpore officioſè diſcerpto: immane ingrati pectoris flagitium confeſtim eſt vlta. Non minus abſentia ſua, quam partus ſui exitio, ingratitudinem animi diſplicere ſibi, abundè teſtata. Nos interim ad hæc facta, quæ præter naturæ ordiné in conditione animantium abiecta & ignobili, ad inuitamenta virtutis nobis ſunt, Deo auſpice, prodita: decoris noſtri dignitatiſque obliti: pręſtantioriſque naturæ parum recordati atque degeneres, turpiter obdormiſcimus vel inſanimus interdum, nimis elatè dicentes, Homo ſum. Quid tum poſtea? nimirum ſanctum animal, rationis capax, & intelligentię particeps.

Quis talia fando, temperet à lacbrymis?

Pietate animi, nos bruta ſæua vincunt! Sed reprimam me: ne iuſti doloris ira inſtimulatus, mortalium dum parte hac cæca facta cóſidero, ac dolens conqueror, à propoſito longius videar euagatus. Perſpicuum eſt enim quid à nobis poſcat diuina Iuſtitia: & quid ſummi Numinis maieſtati exhibere nos ſit ęquum ac conſentaneum. Cuius & ipſius ſanctæ legis ſumma vis, in ſupremi ſingulariſq; Dei amore, & dilectione hominis, profectò omnis eſt poſita. Huc igitur iuris huius ſumma reſpicit: Deum ſuper omnia ſemper vt ames: quæ ab illo bona acceperis recordatus. Hominem vt nó violes, tui memor: vel quia ille prohibuit. Cú pręſertim naturalis hoc dictet ratio, homo vt homini, hoc ipſo quia homo eſt conſultum velit. Ne, ſi eſſe improbus pergat, quod alteri malum intulit, veſania fortè alicuius, id ipſe viciſsim iure experiatur. Etenim antiquum illud, peruulgatum paſsim quod eſt, non ſine multorú malo factitatum eſt nimis.

Ab alio expectes, alteri quod feceris.

Sed de hoc hactenus. Nam quod ad violationé hominis, & iniuriæ illationé pertinet, pręclarè ſatis à doctiſsimo viro. M. Cicerone, cùm in libris de legibus, vbi elegantiſsimè in hanc ſentẽtiam exequitur multa, tùm etiam officiorum libro. 3. declaratum eſt. Cuius quia verba ſupprimere nefas eſſe, atq; inhumanum duxi, ſubijcienda curaui.

Detrahere igitur aliquid alteri; & hominem hominis incommodo ſuum augere commodum, magis eſt contra naturã, quam mors, quam paupertas, quam dolor: quã cætera, quæ poſſunt aut corpori accidere, aut rebus externis. Nam principio tollit conuictú humanum & ſocietatem. Vt enim ſi vnumquodque membrum ſenſum hunc haberet vt poſſe putaret ſe valere ſi proximi membri valetudinem ad ſe traduxiſſet, debilitari & interire totum corpus neceſſe eſſet: ſic ſi vnuſquiſq; noſtrum rapiat ad ſe commoda aliorum, detrahatq; quod cuiq; poſsit emolumẽti ſui gratia: ſocietas hominum, communitaſq; euertatur neceſſe eſt. Nam ſibi vt quiſque malit quod ad vſum vitæ pertineat, quam alteri acquirere: conceſſum eſt non repugnante natura. Illud quidem natura non patitur, vt aliorum ſpolijs noſtras facultates, copias, opes augeamus. Neq; verò hoc ſolum natura, id eſt iure gentium, ſed etiam legibus populorum, quibus in ſingulis ciuitatibus reſpublicę continentur, eodem modo conſtitutum eſt: vt non liceat ſui commodi cauſa nocere alteri. Hoc enim ſpectant leges, hoc volunt, incolumem eſſe ciuium coninnctioné: quam qui dirimunt, eos morte, exilio, vinculis, damno coercent. Atque hoc multo magis exigit ipſa naturæ ratio, quæ eſt lex diuina & humana. Cui parere qui velit (omnes autem parebunt, qui ſecundum naturam volent viuere) nunquam committet, vt alienú appetat, & id quod alteri detraxerit ſibi aſſumat. Etenim multo magis eſt ſecundú naturã celſitas animi & magnitudo, itẽq; comitas Iuſtitia, liberalitas, quã voluptas, quam vita, quã diuitię. quę quidem contẽnere & pro nihilo ducere cóparantem cum vtilitate cómuni, magni animi & excelſi eſt. Detrahere autem alteri ſui commodi cauſa, magis eſt contra naturam, quàm mors, quàm dolor, quàm cętera generis eiuſdem. Itemque magis eſt ſecundum naturã, pro omnibus gentibus (ſi fieri poſsit) conſeruandis, aut iuuandis maximos labores, moleſtiaſq; ſuſcipere, imitãtem Herculem illum, quem hominum fama beneficiorũ memor in cócilio cœleſtiú collocauit, quã viuere in ſolitudine, nó modo ſine

vllis moleſtijs, ſed etiam in maximis voluptatibus, abundantem omnibus copijs, vt excellas etiam pulchritudine & viribus. Quocirca optimo quiſque, ſplendidiſsimoque ingenio longè illá vitam huic anteponit. Ex quo efficitur, hominem Naturæ obedientē, homini nocere non poſſe. Deinde qui alterum violat, vt ipſe aliquid commodi conſequatur: aut nihil ſe exiſtimat contra naturam facere: aut magis fugiendam cenſet mortem, paupertatē, dolorem, amiſsionem etiam liberorum, propinquorum, amicorum, quam facere cuipiam iniuriam. Si nihil exiſtimat contra naturam fieri in hominibus violandis, quid cum eo diſſeras, qui omnino hominem ex homine tollat? Sin fugiendum id quidē cenſet, ſed & multo illa peiora, mortem, paupertatem, dolorem: errat in eo, quòd vllum aut corporis aut Fortunæ vitium, animi vitijs grauius exiſtimat. Ergò vnum debet eſſe omnibus propoſitum, vt eadē ſit vtilitas vniuscuiuſq; & vniuerſorū. Quam ſi ad ſe quiſq; rapiat, diſſoluetur omnis humana conſociatio. Atqui ſi etiã hoc natura præſcribit, vt homo homini (quicunq; ſit) ob eam ipſam cauſam, quòd is homo ſit, conſultum velit: neceſſe eſt ſecũdũ eandē naturã omniũ vtilitatē eſſe cõmunē. Quod ſi ita eſt, vna continemur omnes, & eadem lege naturæ. Idq, ipſum ſi ita eſt, certè violare alterum lege naturæ prohibemur.

V I D E S (opinor) inhumani atque inuidi prorſus fuiſſe animi, ſi eorum quempiã, qui in ſcripta noſtra inciderēt, verborum fructu tanto fraudare voluiſſem. Cõſtat enim, inter ſe ſanctam eſſe oportere hominum coniunctionem: nec vtilitatis & lucri tam vbiq; auidè atq; anxiè ſpectandam eſſe rationem, vt emolumenti noſtri cauſa (renitente impugnanteq; Iuſtitia) fraudatum aliquē ſuo iure, aut fortunis cupiam vs euerſum. Aliorũ enī creſcere ſpolijs velle: vel iniquis per iniuriã iacturis locupletari, naturæ A. eſt legē prohibitum: verũq; idcirco Iuſtitiæ cõtrarium. Quid enim quæſo te (Stoicorum ſi aliquãdo diſciplinas attigiſti) aliud eſt Iuſtitia, quam naturæ tacita quędam conuentio in multorũ adiumenta præſidiũ? An ignoras, Iuſtitiam ipſam non hominũ conſtitutionē; ſed diuinam quamquam legem eſſe: quæ laudabili quodam vereque amabili naturæ præſcripto ſocietatis humanæ legitimum fœdus, vinculumq; retineat? Qua in ipſa quid tibi aut illi veſtris amborum priuatim rebus inſpectis, ſeorſum ab alijs expectatum velle æſtimare, indignum ſanè, planeq; iniuriũ eſt. Perſuaſum

A. in .l. iure naturæ ff. de reg. iur. & in .l. nã hoc natura. ff. de condict. indebiti. & in .c. ſuã. de pœn. extra.

enim antea omnium animis eſſe debet, id demum cuiq; expedire, quod illa dictauerit, cum æquitatis menſura ſit, honeſti atque vtilis, vera regula: ſemperq; in illa, ſumma illa vis ratioq; naturæ, quæ hominum genus tuetur ac continet, vel maximè expreſſa reluceat.

Q V I S Q V I S ergò hanc ſectari deſideras, Deum time prius & ama: vt ameris ab eo. Eris autem Deo amabilis, ſi in hoc illum imitaberis, vt velis omnibus prodeſſe & nocere nulli. Et tunc te iuſtum virum appellabunt homines, ſequentur, venerabuntur, ac diligent. Vidit hoc qui & præcepit, homo ethnicus Seneca: ſed Chriſtianè vidit ac piè. Id te non videre, ſpirare vbique, neq; adeo ipſa ſtudioſè exequi, qui C H R I S T V M profiteris, & hunc pro te cruci ſuffixum, ſummum profectò nefas fuerit, inexpiabileq; flagitiũ. Verè igitur eſſe ſi iuſtus cupis, non ſolùm neminem lędes: ſed diligenter ac ſedulo ab alijs etiam iniuriam propulſabis: & damnum dare parantem, prohibebis. Nam nocere nulli, non Iuſtitia: ſed alieni magis abſtinentia eſt. Neque enim dimittere illęſum, quem ſpoliare tutò poſſes in nemore. Iuſtitiæ opus fuit: ſed, ne ſpoliaretur, efficere. In hoc ſumma laus: in illo tantùm, ſceleris fuga conſpicitur. Declinatio mali, id eſt, vt ego interpretor, fuga delicti, inchoata Iuſtitia eſt: neceſſaria eſt enī executio boni, quæ perfectę in homine Iuſtitiæ menſurã adimpleat. Nã reuera culpa vitatur in primo: in extremo autem rectę honeſtęque actionis vnuſquiſque laudem aſſequitur. Itaque à Deo Optimo Maximo; non alteri, ſed vtrique ſimul immortalitatis ac beatitudinis eſt merces propoſita.

P E R C E P T V M ergo, perſpicuum, exploratumque eſt, quid Deo Optimo Maximo offerri à nobis ſit, exhiberique ęquum: & qua nos charitate animi erga hominem eſſe conueniat. Qua ex re illud efficitur, nulla vt eſſe maior amentia poſsit, quam illorum, qui cum ad honores caſu aliquo temere conſcēderunt: in magiſtratu poſiti, turpiſsimi lucri cupiditate improba capti, quæſtui habere tribunal, circumuenire iudicia, & inſontium pœnas vendere: fidei, Iuſtięque immemores: & eius, qua ſũmi Numinis maieſtati ſunt obſtricti, religionis obliti: peſsimè moliũtur. Quod memoria veterũ L. Tubulo, & Caio Verri familiare fuiſſe ſcribit Cicero: atq; illis etiã factitatũ legim', quos ad Meſſē auream (curiam atq; tribunal ioco ſic appellantes) ſe inuitare ſolitos, Plutarcho teſte retu-

retulimus. Vt taceam interim de Mario Priſco, quem Aphricę prefectum obcondēnandos interficiendoſq; innocentes, accepiſſe pecunias epiſtola quadam ad Arrianum author eſt Plinius. Nā & ad cognitionē cauſę, qui iuſsi aderāt euocati teſtes, Vitellius Honoratus, & Flauius Martianus: millibus ille trecentis exilium equitis Romani, ſeptemque amicorum eius vltimam pœnam: Martianus verò vnius equitis Romani ſeptingentis millibus plura ſupplicia arguebatur emiſſe. Erat enim fuſtibus cæſus, damnatus in metallum, ſtrangulatus in carcere. Iam verò, quid de illis dicam, qui conducta perfidè lingua patrocinium cauſæ turpi exhibere, vel aduerſæ parti ſilentia prębere (vt deſtituta patrono bona cauſa periret) in animum induxerunt? Nam & Ariſtodemo, nobili ſabularum actori, talentum ſe vt ageret, accepiſſe glorianti Demoſthenes excipiens, plura ego, inquit, ne dicerem, accepi. Quid igitur de huius impudentia atque ſcelere dicemus? Nam, cum alijs in rebus conſiderati, prudentiſque viri laudem aucupanti dubitari ſoleat, vtra prędantior ſit laus opportunæ orationis, an tempeſtiui ſilentij. Hîc contra obſcurum eſt ad inuidiam (quam in tanto famæ diſcrimine ſtudioſè cenſeo fugiendam) conductitij ne eloquij ad circumuentionem legum ignominia ſit maior, an verò iniuria tetrior inſigniuſque flagitium ad Iuſtitiæ fraudem in oppreſsione innocentiæ, taciturnitatis emptitiæ. Sed exemplorum in hac parte, ne exceſsiſſe modum videar, ſit mihi tandem pauſa. Eorum enim dumtaxat in hoc genere flagitij turpia facta animi, exequi libet: qui Seruatoris noſtri IESV CHRISTI ſancto dogmate minimè initiati, ſæculo priſco vixerunt. Quos ego (ethnicos vt ethnici verbis commonefaciam) ad officia vera vitæ verſiculis illis hortabor: quibus dignitatem virtutis huius, moremque commemorans ſapientiſsimus vates Heſiodus Iuſtitiæ oblitos affatur. Sic enim ait.

Iuſtitiæ ſacra iura domant genus omne malorum.
Illa quidem virgo eſt Supero Ioue nata parente,
Nomine clara ſuo, cœtuq; verenda Deorum.
Quam ſi quis violat, lachrymans ſua fata, parentis.
It Iouis ante pedes, & lamentabile fundens
Humanos queritur mores ac debita poſcit
Supplicia in populos. Tu index cauſa malorum
Qui violas ſacra iura Deæ: iam dirige mentem,
Ius cole, in alterius te nulla pecunia vertat
Damna. Nocet ſibi qui cuiquam nocet, & male ſuadet.

Ac, ne ſibi quiſquam ſuam adhuc fœlicitatem contemplans: Impij inſtar Harpali, vel Syracuſanum imitatus Dionyſium, gratificari vel blandiri auſit in ſcelere, è veſtigio illud prudenter adiunxit,

. . . . Paulatim corruit ille
Dijs inuiſus homo, cui mens intenta rapinis
Inuigilat: qui ius violat ſtat pœna nocenti
Poſt obitum.

Edicere nihil vehementius: ſeuerius atque acrius nihil, violatori Iuſtitię prudentiſsimus vir interminari potuit: quam vt quę apud Inferos parata ſunt prauis extrema ſupplicia meminiſſet, ac perhorreſceret. Summa enim extremæ vindictæ atq; acerbitatis, punitionis hoc vno genere verè, omnis eſt poſita.

DILIGENTER igitur ac ſedulo cauēdum eſt perſonam reipublicæ ſuſtinenti, futuroq; iudici, ne turpi aliqua lucri cupiditate illectus ſynceritatem iudicij, & veritatis dignitatem opulentioris rei iniquæ cauſæ poſthabeat: ſœdèque ditari breue ad tempus malit, quam ſuprema in Cœli arce ſummi Dei in conſpectu inexhauſtis frui diuitijs, & diuina quadā animi voluptate diffundi. Neq; enim veri iuſtiq; metus rectè atque legitimè momenta ponderanti, tam eſt verendum, auaritiæ in aliquo, propter humanam pœnam, crimine deprehendi: quam ſupremi conditoris omniū horrificè ſententiæ nexu implicari, & iudicio diſtringi. In que illius ſummi Numinis iram & offenſionem turpi aliqua prolapſione animi pręcipitanter incurrere. Fidei ergo tutelęq; ſuæ ſalutem populi eſſe commiſſam, magiſtratus bonus eſſe qui volet vſq; meditabitur: de recta geſtione ſolicitus. Nec committet vnquam, vt fideicommiſſaria improbè tutela prodita, diuini iudicij reus fiat. Nā, ſi Iuſtitiæ cultores, eſſe omnes conuenit: quis non videat quid ab illo exigatur, cui Iuſtitiæ ſacra ſunt iura credita? Cum pręſertim quod in alijs leue ſit piaculū: in hoc capitale ſit crimen? Credere enim, fidei ſanctum nomen eſt: & in fide fundamētum ſitum Iuſtitiæ. Illa verò quid aliud eſt (vitæ hominum dignè atque exactè ſi commercia conſideres) quam dictorum atque factorum conſtantia quędam & veritas? Quid igitur ſi iuris iurandi religio, & inuiolabile ſuſcepti muneris Sacramentum accedat? cui perſpicuum eſt omnes ex ęquo alligari, b. qui reipublicæ gubernaculis admoti, magiſtratu fungūtur. Meritò igitꝭ hæc, etiā ſi humana lege ſunt plexa propter criminis atrocitatē execrationibus publicis ſancita plęraq;

b. Pulcher tex. in. l. rē nō nouam C. de iudicijs.

C. In .l. iu- ris iurandi. C. de reb. cred & iur. iuran.

ex parte Deo vindici relinquuntur. Atqui probus quiſque vir, & ſtrenui animi robore præditus, etiam in vita priuata, boni iuſtique viri nomen & officium nunquam profectò deſereret: morique prius mallet, quam iniuſtè aliquid, impieque committere. An Lucelli aliqua ſpe adductum, abnegaturum ſperes fidem depoſiti, quem pro religione atq; Iuſtitia animoſè vides ad necem eſſe paratum? Quid quæſo te, probum virum, quid inquã facturum cenſes, ſi propoſita morte ad Chriſtianæ fidei abnegationem cogatur? Nonne conſtanti illum vultu, atq; alacri animo ceruicem gladio potius eſſe præbiturum intelligas, quam vt ſummi Dei turpiter prodita fide, indelebili mentem macula contaminet, ac inexpiabili ſe animi ſcelere obſtringat? Sic ſi Tyranni vi ſumma ad iniuſtitiam fortè aliquando cogare, liber ſit ſtrenui viri animus, qui exire malit quam iniuriam pati, vel alteri inferre. Quo quidem temporis articulo, vt iuſti hominis perſonam tueare, bonique viri exiſtimationem, dignitatemque, conſerues: difficile dictu eſt quantum iuuerit, illorum meminiſſe carminũ, quæ in hanc ſententiã à Iuuenale poeta diuinitus extant ſcripta.

Summam crede nefas, animam præferre pudori:
Et propter vitam viuendi perdere cauſas.

Sapienter ille quidem. Virtutem enim amanti, & Iuſtitiæ laude florenti, multo potior loco omni honeſtatis ratio, quam Ipſius vitæ videri debet. Optabit itaque Naturæ memor ſuæ, & cuius ſit rei, cauſa in lucem editus: non præter propter turpiter vitam viuere: ſed Iuſtitiam, decuſque animi periclitari cum videat, pro veritate occumbere: vt illi quam debet officij gratiam referat. Tum etiam vt virtutis laus imitatione apud plures ſparſa, ſine fine creſcat: commemoratione grata hominum pulcherrimi facti ſemper augeſcente fama. Quæ quidem cogitatio ſpe quadam immortalitatis, clarorum virorum etiam in ſummo cruciatu corporis ita dolorem leuat: vt quæ ipſorum corporibus illata ſunt damna, cum fructu gloriæ, quẽ ex laude percipiunt, compenſare verè cum incipiunt, facilè contemnant. Ac ne ſentire quidem videantur ea, quæ pectore fortiter acceperunt vulnera, diffugienteque iã ſpiritu, æquiſsimo ſe animo egredi è vita patiantur. Pro libertate patriæ dimicans generoſè, apud Mantineam cadens dux ſtrenuus Epaminundas, lethali (quo erat traiectus) ſpiculo ex pulmone animoſè reuulſo: dolentis animi ſuſpirio nullo edito, lætabundus in victoria patriæ, naturæ reddit ſpiritũ. Quid enim non gauderet (ait eximius orator) imperantem nanque patriam relinquebat, quã paulo ante ſtipendiariam acceperat? Dijs ſe manibus pro libertate patriæ, pro incolumitate exercitus, pro maiorũ aris ac focis, proque ciuium ſuorum omnium tranquillitate & ocio familia ex vna continuata ſerie tres Decij deuouerant: neq; in illa exitiali equorum concitatione, qua congeſta deſuper humo viui infodiebantur, vitæ illos ſuæ iactura aliquid commouebat: beneficij dati magnitudinem, & eius, quem ſemel patriæ impẽderant, ſpiritus: proſpectantes animo per gloriam prorogationem. Armatas contra hoſtium turmas ſublitio Tyberis in ponte ſine ſpe vlla ſalutis, charitatis patriæ generoſo exardeſcens igni Horatius ille Cocles, nullius ſtipatus corpore, perſiſtebat inuictus: diſruptoque à tergo (quod diuina quadam præſentia animi propugnauerat) pontis opificio: vbi inacceſſum hoſti conſpicit aditum, animoſè in rapidas vndas armatus inſilijt, Virtutis auſpicijs Fortunæ minas contemnens. Cócedat negetve ad ſuos reditum nihili æſtimans: abundè vixiſſe ratus, corporis qui ſui obiectu Romanorum phalanges in diſcrimine vitæ poſitas, inimici inſequentis ab impetu defenſarat alacris. Hæc viri fortis, id eſt virtutis, Iuſtitiæ honeſtatiſque amantis certa & vera ſunt facta. Qui nimirum iuſti & honeſti propugnatione morti ſuccumbere malit, quam iniuſtæ vel alioqui pudendæ protectione cauſæ, vitæ longa vſura frui. Qua ex re illud efficitur, diuinum quiddam, excellens, atque mirificum eſſe Iuſtitiam: cuius conſequendæ cauſa, ea, quæ votis omnium ſummè expetitur, vita deſpicitur. Quod vel ex eo apparet eſſe veriſsimum, quod bonorum ſermonibus celebratũ, iam ferè vulgò prouerbij locum obtinuit. Fœlicem nanque eſſe perhibent, cui vt viuere poſſet: Iuſtitiæ immori licuit. Idque rectè. Cumulatiorem enim vitæ vſuram accipit, Iuſtitiæ paruam, lucis qui portionem impendit. Sed quid ego de Iuſtitia plura: cuius quicquid in orbe micat, proprium munus eſt laudis?

OMNIVM DOMINA atque Regina virtutum Iuſtitia profectò eſt, vt ait eximius Orator: qua in ipſa, vt animi ſic & corporis noſtri ſanitatis ratio omnis verè ſita atque incluſa eſt. Vtraque enim ſuarum partium coagmentatione vera ac deſcriptione quadã legitimæ functionis conſtat Iuſtitiæ tanquã obſeruato rythmo in cõſtitutione naturalis imperij: à quo cum partes ipſæ tanquam nouarum rerum cupidæ, defectionis aliquid

tacitè

tacitè molientes, inſilire ſemel vitioſè tentarunt, præſcriptæ moderationis immemores, confeſtim illę quidem perinde atque rationis amiſſo clauo, & obſequij debiti ſalutari procul abiecto remigio, fluctuari ſubitò incipiunt, pręposteram per ambitionẽ, vitioſę contumaciæ, inteſtinęque factionis ęſtu quodam horribili pernicioſe vacillãtes. Sicque tandem (incolumitatis per inſolentiam diſsipata concordia) rectã corpori conſtitutionem, mẽtique ipſi ſanitatẽ eripiunt: in ſuis ſe moderatoribus atque principibus (abnegata turpiter lege parendi) miſerè ludificantes. Quod contẽptoribus Iuſtitiæ, plurimùm vſu venit: quam enim alijs machinari perniciem improbè geſtiunt, in ſuo ipſi capite vel omnium maximè ſępe experiũtur. Tamdiu autẽ hominis & ſana & lucida mẽs: & corpus eſt validum: quandiu ſe libens Iuſtitiæ bono ſubiecit, vbi vero repugnare illi atque aduerſari cœpit, vitalis ſpiritus ob repugnantiam, & veſanã illam reluctationem, diſsipata tẽperie, & ſalutis ipſius confeſtim plaga accepta, maciem contrahit. Vt enim ſanitatis & ſalutis effectrix iuſtitia: ſic iniuſtitia imbecillitatis eſt & marcoris inductrix: Iniuſtitia ſiquidẽ omnis, ſiue tu animũ ſiue hominis corpus inſpicias, propter ſeditionẽ illam temperaturę quam ſubito gignit, in eo quem ſemel inuaſit, cauſa ſemper eſt morbi. Vnde qui rectè animo & corpore valere deſiderant, ſumma ope niti debent vt per omnem vitam Iuſtitiæ pareant: quia in ipſa & lumen mentis, & vigor animi, & corporis ſine fraude omne robur eſt poſitũ. Lumen nanque mentis, ipſaque adeo ſanitas, Iuſtitiæ ex fonte defluit. Cuius colluſtrata fulgore, luce iam ſua late fuſa per artus, ſe primum integritate ſenſuum exornat: deinde verò animum ipſum ſimili ſplendore conueſtit, atque ita informat & inſtruit: vt pro ipſarum dignitate, rerum ſeſe ſuſceptioni, actionique accingat. Poſtremò corpus etiam functionibus vitę neceſſarijs, naturali illa conſeruata Symmetria, aptum accõmodatumque efficit: pręſtatque ad omnia robuſtum & inuictum. Iuſtitia vero diuinum eſt donum, Summi ac prępotentis Dei ſingulari quadam & cœleſti bonitate, hominũ generi datũ; vt mutua, qua eſſe debent, charitate animi, concordiaque reuincti, naturalis pręſcripti vera manentes in orbita, officij ſui naturæque memores, cuncta cum laude obeant. Cum igitur tot tantaq; homini Iuſtitia ipſa ſuppeditet: mirandum non eſt ſi vim præſtãtiamq; illius cernẽs animo tragœdię princeps Euripides in hanc vocem eruperit. Neque Heſperum neque Luciferũ tam eſſe mirabilem, quàm ipſa ſit Iuſtitia. Vnde ſapientiſsimi illi mortalium, qui priſcis quondam vixere ſęculis, dignitatem & excellentiam virtutis huius commendantes, ſcriptis ſuis teſtati ſępe ſunt, abſque Iuſtitia principatũ rectè gerere: ne ipſum quidem Deorum principẽ poſſe Iouem. Hęc ſiquidem vna quaſi nodus quidam eſt, ac commune vinculum, in quo rerum omnium cardo actioque verſatur. Hac quippe virtute & bellicæ & ciuiles res opportune geruntur: hac priuatæ & publicæ commodè tractantur: hac ius humanæ ſocietatis mirificè ſuſtentatur ac regitur: & fœliciter vbique cuncta tractantur. Hinc principũ certa pendet ſalus: hinc ciuiũ incolumitas profluit: hinc tutela vrbium: hinc ciuitatũ præſidia, hinc rerum iura publicarum: hinc tandem (vt ſemel finiam) boni quicquid vbiq; eſt prouenit omne. Merito igitur huic vni virtuti quies animi: ocium, concordia, pax, tranquillitaſque omnium ſumma: ipſaque adeò opificij noſtri ſanitas, & placibilitas mentis, quæ fœlicitatis humanæ portio non minima eſt, accepta ferenda ſunt.

ITA que non iniuria ingenio viri præſtantes, virtutis huius commoda ſedulò dimetientes animo: Iuſtitiæ bono deſtitutã mentem, trium reliquarum virtutum: fortitudinis, prudentiæ, atque temperantiæ nõ poſſe compotem fieri; ſcriptis ipſi ſuis ſæpe numero teſtantur. Quòd hæc vna virtus Iuſtitia, harmonia quædam atque concordia totius animæ ſit, concinne ſe habẽtis: vt pote quæ inferiores animi partes, quæ tumultuari quãdoque ſolent, rebellione quadam ac veluti cõtumacia rationi præſidi obaudientes, protinus tranquillet, mitiget, componat, atque ſerenet; ad ęquilibriũ cuncta reducens, vt iraſcibilis & concupiſcibilis, rationis tãquã linea & perpendiculo correctæ, diſsidij prauo omni vitioſoque tumultu procul eiecto officio ſuo (prout debẽt) contineantur. Vnde meritò illam vitæ humanæ affectricẽ fœlicitatis, virtutum omnium parentem, altricemque appellant: quippe ſine cuius auxilio actio omnis ignaua & iners, ſanitatiſque ipſa ratio imbecilla & manca ſit. Quocirca non ſine cauſa M. Cicero, à legibus (quæ Iuſtitiæ filiæ ſunt) illius nanque ex viſceribus hauriuntur: diſcedendum non eſſe, pro Aulo Cluentio dicebat. Hoc enim (inquit) vinculum eſt huius dignitatis qua fruimur in republica. Hoc fundamentum libertatis,

N. Legum at iuris ciuilis vtilitas.

hic fons ęquitatis. Mens, & animus, & con-
ſilium, & ſententia ciuitatis poſita eſt in le-
gibus. Vt corpora noſtra ſine mente: ſic ci-
uitas ſine lege: ſuis partibus, & neruis, & ſan
guine, & mẽbris vti non poteſt. Legũ mi-
niſtri magiſtratus, legum interpretes, Iudi
ces: legum denique idcirco omnes ſerui ſu-
mus, vt liberi eſſe poſsimus. Nec minori ſa-
nè acrimõnia, aut oratione minus vehemen-
ti, pro Iure ciuili in ciuitate retinendo, ad-
uerſos eos, qui iuriſperitorum culpa dam-
narent artem, pugnat in præclara illa Auli
Cæcinnæ defenſione: ſic enim ait. Nam qui
ius ciuile cõtẽnendum putat, is vincula re-
uellit, non modo iudiciorum: ſed etiam vti
litatis: vitæque communis. Qui autem in-
terpretes iuris vituperat, ſi imperitos iuris
eſſe dicit, de hominibus, non de iure ciuili
detrahit: ſin peritis non putat ęſſe obtempe-
randum: non homines lædit, ſed leges ac iu
ra labefactat. Quod vobis venire in men-
tem profectò neceſſe eſt, nihil eſſe in ciuita-
te tam diligenter, quam ius ciuile retinẽdũ.
Etenim hoc ſublato, nihil eſt quare explo-
ratum quicquam poſsit eſſe quid ſuum, aut
quid alienum ſit: nihil eſt quod ęquabile in
ter omnes atque vnum omnibus eſſe poſsit,
Ex quo fit, vt ad publicam exiſtimẽ perti-
nere vtilitatem, ciuilis iuris ac legum vnam
aliquam cognitionem, eamque non leuem
ab hominib' delibari. ᵃ Leges enĩ Sacratiſsi
mę quę conſtringunt hominum vitas, intel
ligi ab omnibus debent: vt vniuerſi earum
præſcripto manifeſtius cognito, vel inhibi-
ta declinent: vel permiſſa ſectentur.

Tex. in l. leges ſacratiſſimæ c. de legib.

Sᴇᴅ ǫᴠɪᴅ rem clariſsimam & omniũ ma
ximè perſpicuam, aliorũ dictis ſententijſq;
defendimus? Quaſi verò tam ſit hebes quiſ-
quam, qui politicæ conſtitutionis commo-
da ignoret: aut Iuſtitię præſtantiam vocare
tentet in dubiũ. Cum præſertim lucis ſuę ra
dij latè diffuſi vndiq;, humanę mẽtis aciem
ita aſsiduè colluſtrent: ſplendoris vt ſui
neminem ſinant ignorantem, vel immemo
rem eſſe? An eſt quicquam Iuſtitia preſtã
tius homini à natura tributum. Cuius pro-
fectò tãta dignitas, amplitudo atq; maieſtas
eſt: vt eius ipſi' munere diuinę, & humanæ
res ſapienter adminiſtrentur, atq; ordine mi
ro vſque regantur? Sphera ſua, haud ſecus
atque amata in Inſula, errantes circum ferũ-
tur ſtellæ: nec tamen toto impunè cœlo
vagantur: cętera permanẽt ſtationibus ac ſe
dibus ratis immota atque infixa Sydera. Ip
ſeque mundi clarum decus Sol, preſcriptos
limites (vt Heraclytus ait) nõ audet tranſ-
cẽdere: alioqui Iuſtitiæ vltricibus Furijs ſup
plicium ac pœnas pendet. Nam quis neſciat
cœleſtium rerum eiuſmodi eſſe naturam,
vt fœdere conſtrictæ Iuſtitiæ inter ſe ipſæ
mirificè cõſtent, parteſque ſuas generoſè at-
que vtiliter obeant: cum videamus Solem,
Lunam, cum ventis etiam ſtellas officij ſui
præſcriptam ſeruare partem: humaniſq; re-
bus præ eſſe fouendis atque creandis, inie-
cto deſuper imbre terram ipſam mirabiliter
fœcundante? Quę interirent profectò om-
nia, pariter & mundi machina ſoluta fatiſce-
ret: ſi ab omnipotenti Deo datarum legum
metas excederẽt: in vetitaq; munera teme-
re inſilirent. Vt enim hominum commer-
cia, humanęq; vitæ officia perturbatio ſum
ma ſequitur ſimulac à munere eſt Iuſtitiæ
diſceſſum: ſic & diuinas res Iuſtitiæ fuga
protinus diſsiparet: ſi ab ea pacto aliquo diſ
cedere, vel impunè digredi poſſent. Cũ au-
tem amoris vim ex diuinæ habeant Iuſtitię
fonte decerptam: non ſolũ ſibi ipſæ coniun
ctiſsimè viuunt, ac Iuſtiſsimè conſtant: ſed
humanis etiam rebus, quam acceperũt amo
ris vim atque fœderis coniunctionẽ, com-
municant atq; diſpartiũt: dum ad commiſ-
ſas ſibi res, poteſtatem inſitã elementa quæ
que ſedulo atque amanter adaptant. Ac re-
uera: ſi ea quæ homini diuina cõtulit bene
ficentia, peragrare omnia dicendo libeat, re
rumque omnium altius ſcrutari naturã: nil
ſine Iuſtitia tutò percipi poſſe, reperiemus.
Tot enim tantiſq; muneribus ac bonis, quę
(vt Plutarchus ait) largiuntur Dij: nõ licet
nec frui, nec vti rectè: ſi deſit Lex, Iuſtitia,
& princeps. Iuſtitia ſiquidem legis finis eſt:
Lex autem principis opus, princeps verò
Dei ſimulacrum adminiſtrantis vniuerſa,
nihil egens Phidia ſtatuario, neque Poly-
cleto, neque Myrone, ſed ipſe ſe ipſum per
virtutem Deo ſimilem reddit, ac fabricatus
eſt ſtatuam omnium viſu iucundiſsimam,
ac magnificentiſsimam. Ex quo illud effi-
citur, vt Lex, Iuſtitia, & princeps mortaliũ
vitæ vtiliſsima ſint: ac digniſsima etiam pro
quibus conſeruãdis, totis ſit homini viribus
dimicandum. Quod apud Hębreos, Grę
cos, Barbaros, Latinos in omni memoria
temporum factitatũ ab illis ſtudioſè cerni-
mus, qui terrena hac, breui atque miſera vi
ta contempta ad honeſtatis ſe laudem atque
gloriam contulerũt.

Sɪᴛ ᴍɪʜɪ hactenus de Iuſtitia dictum.
Quis enim oratione breui, rem longis cele-
brandam libris complecti audeat, vel ſperet:
alio præſertim opere ſuſcepto atq; inſtituto?

Hæc

Hęc enim de Iuſtitia vt dicerem, inimica veritatis, ſplendidæ formidabilis vitę, & exitioſa proceribus: Sireneo armata commento, cantio palponum effecit. Quibus cum veritate & Iuſtitia, propter ſimulationem officij, non minus anceps quam quotidianum eſt bellū. Quo morbi genere multi illuſtri loco poſiti, abſumpti ſunt prius, quam lethalis ille blãditiarum fucus compertus eſt: Et reuera ab eiuſmodi ſimulatorib⁹, introſpiciat ni ſubinde ſuam quiſque vitam, ac ſe quid mereatur interroget: difficile eſt, non ſæpe decipi.

NICETES.

Si vno ſimul, ꝙ dicit, faſce: ſtrenuè homines valerent cuncta complecti ó Philemon, de induſtriæ ſuæ potius negligentia (quæ multorū prudens ac iuſta querela eſt) quam de imbecillitate virium, vel infirmitate naturę, quod paſſim fit ab omnibus, mœrore animi ſummo affici, aut impunè conqueri poſſent. Cum autē ad menſurā eius, quod à natura fortitus ſis, roboris: ſarcinæ eſt humeris verè onus impoſitum: giganteas vt maiora poſsis onera ſuſtinere, vires fruſtra deſideres: aut Elei Hyppiæ ad omnia commodi ingenij acumen requiras. Cōtenti enim eſſe debemus in exequendo munere, cui diſputandi lege aliqua ſumus addicti, eo quod non auare admodum beneficio nobis eſt naturæ tributū. Culpari enim minime debet, qui ope animi ſumma nixus cū maiora præſtare non poſſet quod potuit amanter exhibuit. Nam in eo quod agas dicas ve, abſoluere vndiq; omnes numeros velle (ſit licet non aſpernabile deſiderium) ambitioſi profectò ſumma magis eſt voti, quam infirmitati naturæ noſtræ conſentaneū munus. Dei opera perfectiſsima ſunt: imperfectum aliquid ſi cubi forte conſpicias, dixeris humanū oportet. Tunc igitur facta hominum verè, ac iure culpantur, cùm inſigni aliqua nota deſidiæ, ſolertiæ noſtræ debitus ille feruor elāguit. Accuratè autem in eo quod agendum ſuſceperis, ſemel cùm dederis operā: inſumpti laboris egregius ille conatus parū ſi dexterè ceſsit, culpari potius ſiniſter debet euētus, quam induſtria noſtra contēni. Siquidem ſucceſſus fauſtus hominis non eſt in manu: quæ verò rectè aut ſecus adhibita eſt in poteſtate nr̄a fuit ipſa ſedulitas. In cuius nimirū rei obeundo munere, tam te circunſpectè ac vigilanter video eſſe verſatū: nulla vt tibi ſit oſcitantię ſubeūda ſuſpicio, aut liuidi animi calumnia pertimeſcenda. Nam de perfecta imperfectaq; Iuſtitia, de ſua cuiuſq; cognitione, de ſummi Dei adoratione & pio cultu, deque gratitudine animi, qua maieſtatis illius diuino ac ſummo Numini homines ſumus obſtricti, quę ab illo accepimus, aſsiduèque percipimus, bona conſiderantes: de charitate mutua, qua naturæ quodam vinculo inter nos omnes debemus eſſe reuincti, tā à te nō exactè ſolū, verū etiā piè ac ſanctè dicta ſunt cūcta: vt ne inuidiæ quidem ipſi vllus ad detractionē locus relictus, aut ad ſubſannationē peruius factus eſſe merito videatur. Quocirca, eò maiore (vt opinio mea fert) ad ea quæ reſtāt, fiducia animi poteris accingi: quo minor à te eſt ad vellicationem liuori anſa tributa. PHIL. Conſilio igitur, authoritatique tuæ, quæ erga me ſemper valent plurimum, iam nunc libenter parens: fortitudinis cauſa in eum locum reiecta, quæ inſtituti noſtri rationi longè accommodatior eſt: frugalitatis in pręſentia & laudes, & bona exequar.

SEQVITVR ego vt de Temperantia tractemus, in qua moralis virtutis ſplēdor maximus ineſt. Eſt autem Temperantia (vt finitore Tullio vtar) rationis in libidinem, atque alios non rectos impetus animi, firma & moderata dominatio. Virtutis verò huius munus illud eſt proprium (quēadmodum à Plotino philoſopho memoriæ proditum eſt) nihil appetere pœnitendum: nulla in re metam moderationis excedere: & ſub iugo rationis cupiditatem frænare. Erit igitur hic (iudicio meo) temperans: qui eſca, potione ac Venere, & vitioſo ab omni abhorens corporis cultu: frugalitate animi ſola gaudet: ac nimiū nihil auidè inquirit: quiq; dictorū atq; factorū vitę ſuę ipſo in curriculo memor (opportunè tāquā equū qui fręno, regit aſsignata pauſę accuratè inſpiciēs loca, modeſtię pręſcriptos limites, nefas ducit excedere. Atq; ille etiā ſuo quodā iure tēperans eſſe dicetur, quem rerum eiuſcemodi appetione noxia tempeſtiuè neglecta flagitiorū pœnitet: diſſolutioniſq; priſtinę piget pudetque: quique à voluptate turpi ſobrius iam recedit, & in electione eiuſdem nō perſiſtit, exceſſu non lętatur, ſed ad mediocritatem, virtutēq; ipſam mentis aciē dirigit: ſtudioſè in omnibus anteactę vitæ turpi more reiecto.

VERVM enimuero, cum Temperantię virtus in eo pręcipuè eluceat, vt nobis ipſi moderemur: necubi nimia cupiditate elati, animi abutamur imperio, quid enim Temperantia eſt aliud, rectè ſi aduertere libeat, quā voluptatū abactio, noxiorumq; affectuum tempeſtiua cohibitio? De voluptate fugienda

da nobis inſtituendus eſt ſermo. Nam de ſedandis affectibus & ratione ſubdendis pro ingenioli noſtri paruitate non omnino (vt ſpero) inutiliter paulo ante à nobis eſt dictum. Vilitate ſiquidem huius cognita, quanti ſit temperantia æſtimanda multo conſtabit facilius. quæ rectè à Menādro penu virtutis eſt dicta. Vnde & illud pariter laudari vulgò cæptum, Frugi hominem omnia rectè facere. Probitas, integritas, grauitas, virtus, fides: quæ in humanæ ſocietatis fœdere ſanctiſsimè conſtituendo roboris non minus habēt quam ponderis: quæque ad ipſa rerum commercia, propter vitæ neceſſarios vſus vita hominum maximè deſiderat. Hæc omnia comitantur profectò vitam ſobriam atque frugalem: cum intemperantia & luxu hoſpitij ius nullū, cōmercijq; nihil habēt. Quocirca de hac tā inſigni virtute meritò erit dicēdū.

SED ET VOLVPTAS Ipſa qualis ſit, paucis primùm conſtituendum eſt, ne in eam cuius vim & poteſtatem nondum præfiniuerimus, temere videamur innecti. Id enim oportere fieri, neceſſarium eſſe omnino ſtatuo. Dicimus itaque, quam Græci. ἡδονὴν appellant, à nobis voluptatem intelligi: cui quidem verbo (vt Cicerone vtar interprete) omnes qui vbique ſunt, qui latinè ſciunt, duas res ſubijciūt: lætitiam in animo, cōmotionem ſuauē iucunditatis in corpore. Differt tamen à lætitia & gaudio, quod hæc nō dicātur in corpore: in eo autē voluptas omnium latinè loquentiū more ponitur, cum percipitur ea quæ ſenſum aliquem moueat iucunditatis. Quapropter Cyrenaicus Ariſtippus ſummum bonum voluptate dimetiens: voluptatē eam eſſe dixit, qua ſenſus dulciter ac iucunde mouetur. Quę hominis ſententia vſque eo placuit voluptatis aſſertori Epicuro, vt ne ſuſpicari quidē valeat ſeiūctum aliquod bonū ab Ariſtippeo hoc genere voluptatis. At verò Stoici viri maximè frugales, à quibus contra Epicureos virtutis ſunt atque honeſtatis patrocinia ſuſcepta: etiam in animo voluptatem hanc, rem quādam aſſerunt eſſe vitioſam. Sic enim illam definiunt, Sublationem animi ſine ratione opinantis ſe magno bono frui. Ex quo, qualis ſit voluptas æſtimanda, cenſere facillimū eſt.

SED NVNC ad Ariſtippum reuertendum eſt, ex cuius verbis illud mihi videor poſſe colligi. Nihil aliud eſſe voluptatem, quam iucundam quampiam ſenſuum in corpore cōmotionem. Huius porrò raptari ſeruidè impulſu, impetuq; temerario moueri: quā ſit hominis dignitate indignū declarare quid conuenit? Cum facile quiſque perſpiciat, incolumitatem animi ex ſynceritate pendere rationis; nec ibi huius præſidia valere poſſe, vbi velis remiſque (quod aiunt) in voluptatem animus temere inſilit, ſeque ei fœdè regendum, tractandumque permittit. Iam verò, ſi animi bene conſtituti probeque affecti munus eſt, rationi ſemper parere & obſequi quī fieri poteſt, vt ſuo is munere ritè fungatur, qui peſsimarum voluptatum irrequieto ac ſæuo turbine ſecum ipſe digladietur: nec conquieſcat vnquam, indomitos libidinum fluctus aſſiduè pectore voluēs? Quid? quod perturbatus animus, mentis aciem (cuius ductu regendus eſt) perſpicere nō valet: ad idque ſe temerè applicat, quod obiectum eſt rationem reſpectans parum? Vndè ceu agmine facto, magno impetu proruunt morborum vitioſa genera animum infeſtantiū miſere, ac veluti exedentium. Hinc ſtupra, adulteria, inceſtus, voluptate corrupti ardor animi excitat, ſeque ipſe non capit: teterrimi vitij ſtimulis vndique ſodicantibus.

NEC VERO pernicioſa hæc libidinoſorum voluptas ſcelerum animi habitum corrumpit ſolum (quod prudenti viro dolendum eſt maximè) ſed & corporis quoque robur omne proſternit: formæque & decus & gratiam ſpoliat ſenſim, tandemq; deuaſtat turpiter amaſio necem inferens. Vt obiter intelligas, malorum amicitiam, amatori altoriq; ſuo exitioſam plurimum eſſe. Quocirca, non hercle abſurdè, etiam ab his qui voluptariam vitam ſecuti ſunt, præcipi ſolet, voluptates ipſas parcè eſſe ſumendas; quò videlicet diutius frui poſsis. Immodica enim voluptas (vt lurcones quidam plaga domeſtica edocti, medicique teſtantur) cauſam accelerat mortis: Harmoniamq; partium corporis peſſima quadā inuidia ita elidit ac veluti effaſcinat, breui, vt homo gratum amittat aſpectum, ſpirituque omni vitę orbatus ad extremum exareſcat.

Purpureus veluti cum flos ſucciſus aratro
Langueſcit moriens: laſſoq; papauera collo
Demiſere caput, pluuia cum fortè grauantur.

Adeo, vt nullorū magis voluptatibus abſtinere, aut modicè vti referat: quā illorum, quibus vt maximè contingant, cura atq; ſtudium eſt. Immodicè enim vtendo (vt egregie Plutarchus air) id agitur, ne diutius frui poſsis: temperatè, vt perdiu. Sed quis ſceleri præſcribit modum: ac non potius improbum & funeſtum vitium à cōmunione hominum longè propellit? Vt enim corporis

illa membra, quæ vi morbi corrupta ſuo de-
ſierunt munere fungi: ſecerni à corpore pa-
timur; ne pernicioſo affrictu partibus no-
ceant reliquis: Sic titillatio hæc voluptaria
ſenſuum ſegreganda eſt; proculque amo-
uenda ne (vt guſtanti faui Perſidos exi-
tiales eſſe feruntur) ſuauitate noxia alumno
inferat mortem, mentis ve acumini obſit;
vnde conſilia & facta germinant pulcherri-
ma: virtutiſque verus honos emergit. Nam
ſi dulcedo quæritur, quæ maior quã animi
rectè compoſiti, ſynceri ac ſibi cõpotis inue
niri poteſt? Sin vtilitas indagatur, ea eſt ab
animi integritate petẽda: aut quoquo pacto
reiectanda, quùm à virtute ſeiũgitur: dulce
ſiquidem nihil eſt, quod paratam habet in-
famiam. Nec vtile porrò, quod turpidine
ac ſcelere paritur. Qua ex re illud efficitur,
vt eiuſmodi voluptatis emolumentum vel
ſuauitas, proculdubio nulla ſit: cùm non tu
multuanti ab animo ea ſint homini pręſidia
expectanda, vel premia quærenda. Quæ au
tem animi cæco impetu nobis obueniunt
commoda, talia ſunt profectò vt opinione
magis, quam re, lęta ſint & fructuoſa: De-
clarat hoc ipſarum exitus voluptatum, qui
ſemper eſſe triſtiſsimus ſolet: ac pœnitentia
maximè plenus.

S e d d e h o c toto genere voluptatis egre-
giè .M. Cicero in libris de finibus diſputat.
Quum enim à .L. Torquato, omni doctrina
erudito viro, accuratè eſſet de voluptate E-
picuri defenſa ſententia: cuius & verba & de
fenſionis capita, oratione perpetua eiuſdẽ
operis libro primo complexa ſunt omnia: in
ſecundo verò M. Tullius facundia mira, ar
gumentiſque vſus optimis Torquatum ip-
ſum dogmata ſectantem Epicurea iure car-
pit: diſciplinæque huius authorem non tan-
tum leuitatis atque inſcitiæ redarguit, ſed
manifeſti etiam conuincit ſceleris: totãq;
hominis profeſsionem præter animi corrup-
telam docere nihil, probè oſtendit. Cuius ſi
ad plenum vellem vti ſententijs, quam ſit &
fugienda & execrãda voluptas, facile perſua
dere poſſem. Sed mihi ſatis fuerit, digitum
(quod aiunt) ad ipſos intendiſſe fontes, rei-
que huius turpitudini inueſtigandæ viá an-
te communiuiſſe. Verum enim verò, ne ſub
aridum atque frigidulum orationis genus
videar ingreſſus, adnotabo ſtrictim aliquid.
Nam ex aliorum recte factis ſubtiliterque
inuentis (pręſertim cum vſus poſcat) nihil
delibare vel decerpere fructus velle, ineptiſ-
ſimum eſt: meęque adeò naturæ cõtrarium.
Quę ex monumentis literarum pręſtantium
ingenio virorum expiſcari ſemper amat ali-
quid, quod vtiliter poſt edere poſsit in pu-
blicum.

O r a t i g i t v r dicto loco Torquatum
Cicero, quando ea definitioni ſubiecta vis
eſt, vt quid quidque ſit aperiat: voluptatem
ipſam definiat, de qua omnis eſt quæſtio
ſuſcepta. Cui ille, Quaſi verò quis (inquit)
ſit, qui quid ſit voluptas neſciat: aut, qui
quo magis id intelligat, diffinitionem aliquã
deſideret. Me ipſum eſſe dicerem, inquam:
niſi mihi viderer habere bene cognitam vo-
luptatem, & ſatis firme conceptam animo
atque comprehenſam. Nunc autem dico ip
ſum Epicurũ neſcire, & in eo nutare: eum-
que, qui crebro dicat diligenter oportere ex
primi, quę vis ſubiecta ſit vocibus: non in-
telligere interdũ quid ſonet hæc vox volup-
tatis: id eſt, quę res huic voci ſubijciatur.
Tunc ille ridens, Hoc verò (inquit) optimũ
vt is, qui finem rerum expetendarum volup
tatem eſſe dicat: id extremum, id vltimum
bonorũ: id ipſum quid ſit, quale ſit neſciat.
Atque inquam, aut Epicurus quid ſit volup
tas, aut omnes mortales, qui vbique ſunt,
neſciunt. Quonam (inquit) modo? quia
voluptatẽ hanc eſſe ſentiunt omnes: quã ſen
ſus accipiens mouetur: & iucũditate quadã
perfunditur. Quid ergo (inquit) iſtam vo-
luptatem Epicurus ignorat? Non ſemper ıń
quam: nam interdũ nimis etiam nouit: quip
pe qui teſtificetur, ne intelligere quidem
ſe poſſe, vbi ſit aut quid ſit vllum bonum:
præter illud, quod cibo aut potione, & au-
rium delectatione, & obſcęna voluptate ca-
piatur, an hæc ab eo non dicuntur? Hacte-
nus, M. Tullius: quæ à me idcirco recitata
ſunt, vt nemo non intelligere queat, cuiuſ-
modi hæc omnis voluptas ſit, quam Epicu-
reorum greges ſectantur, & ſine fine defen-
dũt. Ne honeſtę alicuius voluptatis (quod
falſo quidam aſſerere nituntur) ab eiuſmo-
di gente patrocinia credantur eſſe ſuſcepta.
Si tamen voluptatis nomen (cuius ter & am
plius à nobis ſignificanter eſt expreſſa ac de-
finita natura) ad honeſtatem vel virtutem,
quarum tantopere aduerſaria eſt & inimica
naturæ, honeſtè adaptari vel accommodari
poteſt.

A g e v e r o Epicurea iſta voluptas, cuius
tã ſignificanter, bellè ac graphicè depicta ſpe
cies eſt à Tullio, ab Epicuroq; ipſo ob oculos
nobis obiecta: quàm ſit nobili viro digna
conſideremus. Quid enim habet pulchri In
gluuies, Ingurgitatio, inanis auriũ delecta
tiuncula: voluptatiſq; fœdę vel ſumma frui
tio?

tio? Quarũ omnium rerũ eiuſmodi natura eſt, vt animum ſemper infeſtet: ſedeque illum ſua atque ſtatione deturbet. Vnde Spartanus ille iure laudatur, qui Aſiatico dicente omnia in vita voluptatis cauſâ facienda eſſe: eam vocem negauit eſſe hominis, ſed bruti cuiuſdam & ratione carentis animantis. Nec minus doctè philoſophus Antiſthenes, cum fortè intereſſet cuiuſdam ſermoni, delicias & voluptates ſupramodum commendantis, è veſtigio Deos precatus dicitur, vt hominis vota hoſtibus euenirent. Nouerat (opinor) vir ſapiens Tarentini vocẽ Architę, nullam peſtem capitaliorem hominibus à natura datam quam voluptatem, cenſentis. Propterea quod quicquid eſt in hominum vita ſcelerum & calamitatum ex hoc ſemper fonte prodeat ac pullulet: id quod, ne Lyſimacho quidẽ illi Plautino obſcurum erat, qui ſenex ipſe in Mercatore ſic ſenem reprehendit amantem,

Demipho, Sapientum illud dictum te audiſſe reor ſepius.
Voluptas eſt malorum eſca. Quòd ea non minus homines,
Quam hamo capiuntur piſces. Hæc quon fugiant ſenes,
Tu tamen ſenectuti gratiam non habeas: quoniam hæc tibi
Non abſtulit modò, ſed in amorẽ coniecit fortiur,
Quo te, conſiliumq; tuum atq; mentem perdit funditus.
Atq; oculorum tibi præſtringit aciem: me quoq;
In magnum coniecisti malum: nec quid faciam ſcio.

Ergo hęc quę in theatro plauſu excipiunt vulgi: ad erudiendamque plebem, & à turpi rerum ſtudio auocandam probè dicta creduntur: in vitæ ratione ineunda prorſus ignorabuntur, reiectabunturq; fœdè? Atqui, ſummæ eſt profectò dementiæ, quod magna cum laude publicè probes, priuatim velle contemnere? Perinde quaſi alia in Circo, alia domi honeſtatis natura ſit: aliud profeſſione, aliud vita genus ſit honeſti probãdũ? Ac non potius; quę in foro vel amphytheatro dignè ſuſpicias, laudare eadem etiam domeſticos intra parietes, omnino debeas. Neq; enim oblectationis gratia, vt à Mimo in ſcœna geſtus: ſic à poeta humanarũ rerum perito, ſummèque diſerto, ſententię proferuntur: ſed inſtituendæ erudiendæq; vitæ, quaſi fundamenta iaciuntur. Vt tanquã propria in perſona qui in alio perpenſus & reprehenſus eſt error, flagitia doceat eſſe fugiẽda: ſimul & amplectenda fideliter admonẽtium conſilia ſalutaria. Teſtatur hoc tragœdiæ princeps Euripides: is enim rogatus aliquãdo ab Athenięſi populo vt ex Tragędia quapiam ſententiam quandam aliter enunciaret, vel tolleret: negaſſe fertur, quæ ad diſciplinam morum literarum monumentis publicè conſignaſſet in ipſorum ſe gratiam eſſe immutaturum. Idque verum eſſe declarat Theophraſti diſcipulus nobilis, Comicus poeta Menander, cuius in ſcriptis (teſte Fabio) imago vitæ omnis, graphicè expreſſa eſt. Hoc nobis non indocti comici ſerui innuũt, Philoſophicis monitis heriles filios ab inſani amoris flamma auocare cupientes. Significant & hoc prudentes ac cauti ſenes, Iuuenilis ętatis ſtudia, in ęquali ſuo culpantes: dictis grauibus: ab intempeſtiuo calore ipſos retrahentes. Quæ dum ſcribunt poetæ, ac populo exhibent: quid aliud creduntur agere, quam circunlata tabella, virtutis & vitij omnium oculis imaginẽ repręſentare: quarum rerum, illa, dignitate ſua ſpectantium oculos ad ſe conuertat, ſuauiterq; retineat fœditate altera (quaſi incuſſo verbere) auertat & retrahat? Vt enim amabilis virtus natura eſt: ſic & vitiũ contrà, execrabile. Sed mihi inſtitutus de voluptate ſermo repetendus eſt: ne his videar verbis ſenſim diuertiſſe à cauſa.

SAMIVS igitur ille Pythagoras, qui primus eſt mortalium philoſophus dictus, voluptatem hanc republica omni volens exigere, dicere ſolitus fertur, in ciuitates primùm irrepſiſſe delicias, mox ſaturitatẽ, deinde violentiam, poſtremò exitium. Sic antiquus ille legum lator in primis celebris Lycurgus reipublicę ſuæ metuens, quam frugalitatis ſtudio maximè volebat inſtruere: omnium primò voluptatis ſeminaria reiecit Sparta, auri & argenti abrogato vſu, ferrea tantum, eaq; viliſsima, moneta excuſa. Veritus, ne auri & argẽti contactus, ac pecuniæ (quę voluptates ſuppeditare creditur) & facilitatem rei cuiuſq; potiendæ, immenſa cupiditas ciuium ſuorũ animos emaſcularet, ad fœdarũq; voluptatum amorem illectamentis traduceret. Vnde & exquiſitiores epulas atq; lautitias: eoſq; (quorum condiuntur ingenio) coquos atque dulciarios aliò gentium ablegauit: phiditijs inſtitutis, conuiuij ſcilicet, vt à nobis antea dictum eſt, genere frugaliſſimo. Præclarè ille profectò: improbandæ enim illæ ſunt artes, quæ miniſtræ tantùm ſunt voluptatis. Cætarij, Lanij, coqui, fartores, piſcatores, vt ait Terentius, quibus vnguẽtarios, ſaltatores, totumque, vt exiſtimat Cicero, Ludum talarium haud male ſapiens

piens adiunxerit. Quin & muliebrem vetuit fucari faciem: corporei cultus ac veſtium impendijs quoque contractis. Quo factũ eſt, vt dũ ſobrijs Lycurgi legibus Sparta eſt vſa: ne tenuiſsimum quidẽ voluptatis veſtigium repertũ ſit vllũ. Quapropter Ageſilai reſpõſio laudari ſolet: interrogatus enim quid ipſe eum ciuibus ex Lycurgi legibus cepiſſet fructus: reſpondiſſe dicitur, contemptũ voluptatis. Inſinuans interim ad corrumpendas ciuium mentes nullũ eſſe venenum præſentius, nullum efficacius philtrum, quam voluptatẽ. Spartana quippe gens ſanctę huius inſtitutionis legitimo iure fundata, adeo in omni virtutũ genere profecit breui, vt nulla vnquam natio tam fuerit voluptati, delicijſq; infeſta. Ita vt ventris ac gutturis vitia, quæ promiſcuè apud alios quotidiano in vſu ſunt poſita: Fortuna in ampla, ipſaque aula regũ prorſus ignorarentur. Nam & eius gentis principem Ageſilaum tã fuiſſe ſobriũ legimus, & à cultu omni alienum diſſoluto, vt ſaturitatis & crapulæ in totum foret abſtinens: ſomno aliquid nocturno impenderet, quo liberius interdiu negotijs vacare poſſet. Veſtium porrò eiuſmodi illi erat vſus, vt ſolis ac frigoris vim vnis arceret veſtibus: quibus laudatiſsimus princeps, vere, ęſtate, autumno, hyeme: quatuor videlicet anni temporibus ſemper vtebatur. Iam verò expeditionis tẽpore tanta erat modeſtia, vt quum in tentorijs ageret, à gregarijs ferè militibus nihil differret: militare ſagulum, ſtragulas, operimentaq; cętera, vilia ęquè atque è numero quilibet, ipſe quoq; haberet: ſubinde repetens illud, principis eſſe non mollitie, delicijs ve, ſed animi temperantia & fortitudine priuatis hominibus antecellere. Quo factum eſt, vt peregrino cuidam apud ſe demiranti tantam in rege & ciuibus veſtitus & cibi frugalitatem, Ageſilaus reſpõderit, pro hac tanta frugalitate ò hoſpes, opimã meſſem metimus: libertatem. Prudenter admonẽs, ſapientibus & ingenuis viris omnium dulciſsimam voluptatem, libertatem eſſe. Nec ibi eam valere poſſe diutius, vbi luxus ſit in pretio. Præclarè profectò Socrates, nullos fœdiorem, miſerioremque ſeruitutem ſeruire credebat, quam qui & animo & corpore ſeruirent voluptatibus. Itaq; abſurdum eſſe ac turpe dicebat, ſi voluptatibus aliquis ſe ſe vltro mancipans, talem ſe exhibeat ac prębeat, qualem ne domi quidem ſuæ perpeti vellet ſeruum. Huiuſmodique hominis ſalutem prorſus eſſe deſperandam: niſi forte pro eo precatores accedant, exorantes Deos, vt bonos ei dominos liceat nãciſci: quãdo omnino ſeruire deliberatũ eſt. Recte mediusfidius Socrates: nã quis non videat, voluptate iactari: affectu vel animi cæco impetu ferri, ſemper eſſe miſerrimum. Philoſophus quidam non ignobilis, quum in dominum quendam, ſeruum ſuum aſperius peſſundantem incidiſſet: Non deſines (inquit) ſeruo tuo te nobis viliorem oſtendere? Volẽs (opinor) innuere: peſsima illum ſeruitute vexari, qui in corrigendo ſeruo, irę non poſſet animi reſiſtere. Sic nimirum voluptas, animi aciem hebetat: & ad omnẽ honeſtam functionem, inutilem prorſus hominem efficit.

QVAS OBRES, præclarũ illud eſt quod à Iulio Cæſare de Gallis in commentarijs traditur. Scribit enim Belgas, gentẽ Gallicam, interdictis cauere ſolitos, ne ad ſe mercatores commeent merces adſerentes exoticas, aurum, oſtrum ac purpurã: quæ ve ad effœminandos hominum animos pertinent. Vt enim ętate noſtra libidinum illecebræ & irritamenta veneris extremis ab Indis nauibus aduehuntur: ſic illis quoque tẽporibus: mercatorum adnauigatio delicijs erat eiuſmodi referta. Timebãt igitur meritiſsimò ne cõmercia nauticà moribus ſuę gentis obeſſent. Nihil enim præclari, nihil honeſti ac pulchri ab ijs amplius geri poteſt, qui ſeſe ſemel voluptatibus dediderunt. Quod cum intelligeret Perſarum Rex nobilis Artaxerxes Babylonijs qui à ſe crebrò deſciuerant ſuccenſens (vbi eos tandem ditioni ſubiecit ſuæ) vſu interdixit armorum: & manicatis, ſinuoſiſque veſtibus in poſterũ vti pręcepit: quin etiam iuſsit, vt Chelibus, lyris, ac Citharis, pſalterijs & tibijs, varioq; cantu aſsiduè ductantes choreas, animos oblectarent, cauponas exercerent, & ſcorta publicè alerent. Idque cõſilio eo, vt voluptatibus euirati, emaſculatique delicijs, defectionem non iam denuo molirentur. Sic & Agrigentinus Phalaris Leontinis Siciliæ populis bellica virtute ſubactis, rebellionem veritus, adẽptis armis, compotationibus & voluptatibus latius indulgere permiſit, atque adeò accuratè conſuluit. Quæ profectò mirabili commento excogitata ſunt, ad indomitæ gentis ferociã eludendam. Eſt enim voluptatis eiuſmodi vis, vt ſuauiflua ſenſus permeans tabe, priſtinæ virtutis ac roboris immemores homines faciat: & ad animi egregia facinora mirè torpidos. Hoc nobis Homericæ loti dulcedo: hoc Circes pocula ſubindicant, in belluas, ſpurcoſque ſues Vlyſsis ſocios vertentis. Præclarè

clarè igitur de hac peſte Valerius, Blandum, inquit, malum luxuria quam accuſare aliquanto facilius eſt, quam vitare, operi noſtro inſeratur: non quidem vt vllum honorem recipiat: ſed vt ſeipſa recognoſcens, ad pœnitentiam impelli poſsit. Iungatur illi libido, quoniam ex ijſdem vitiorum principijs oritur: neque aut reprehenſione, aut emendatione ſeparentur gemino mentis errore connexæ. Vbi poſteaquàm exemplis multis probauit, quàm homini exitioſum malum ſit luxuria, atque animi libido ſordida: ad extremum illud adiecit, At, Campana luxuria perquam vtilis ciuitati noſtræ fuit. Inuictum enim armis Hannibalem illecebris ſuis complexa, vincendum Romano militi tribuit. Illa vigilantiſsimum ducem, illa exercitum acerrimũ dapibus largis, abundanti vino, vnguentorum fragrantia, Veneris vſu laſciuiore, ad ſomnũ & delicias euocauit. Ac tunc demum fracta & contuſa Punica feritas eſt, cum Seplaſia ei, & Albana, caſtra eſſe cœperunt. Quid ergo his vitijs teterius, quid damnoſius, quid fœdius? Quibus virtus atteritur, victoriæ langueſcunt, ſopita gloria in infamiam conuertitur: animiq; pariter & corporis vires expugnant. Adeò vt neſcias ab hoſtibus ne, an ab illis capi perniciosius ſit.

Bene igit Socrates, ei qui properat, vt virtutem veluti patriam conſpiciat: non aliter quam Syrenas voluptates eſſe prætereundas admonebat, ad Vlyſſeum (niſi fallor) alludens exemplum: quem obturatis cera auribus præternauigaſſe Syrenas: & illarum exitioſa ſuauiloquia ſimili prudentiæ commẽto tutum euaſiſſe Homerus eſt author. Sed & diuus ipſe Hieronymus ſanctitate animi ac doctrina vir inclytus, Socraticam mutuatus ſententiam: Nos autem (ait) ad patriam feſtinantes mortiferos Syrenarum cantus ſurda debemus aure tranſire. Vnde in libris de conſolatione, ſucata ſpecie blandientes benè Boethius reijcit voluptates. Abite (ait) Syrenes vſque in exitiũ dulces. Quo in loco Horatiani Eutrapili factum referre haud erit (vt arbitror) infructuoſum. Is enĩ cum compertum haberet, vt cibariæ ſic & veſtiariæ rei benigniorem vſum, licentiorẽque omnem corporis cultũ moribus obeſſe quã maximè: ijs, quos inſenſè oderat (pulcherrimo quodam vindictæ vſus ſtratagemate) operoſas atque ſplendidas veſtes dare ſolitus dicitur. Quod carminibus his Flaccus egregiè teſtatur,

. . . *Eutrapelus cuicunq; nocere volebat,*
Veſtimenta dabat pretioſa, beatus enim iam.
Cum pulchris tunicis ſumet noua conſilia, & ſpes,
Dormiet in lucem, ſcorto poſt ponet honeſtum.
Officium: nummos alienos poſcet: ad imum
Thrax erit, aut olitoris aget mercede caballum.

Rectè ergo temperantiæ ille ſtudioſus Antiſthenes, hoſtium filijs in delicijs ętatem agere exitij loco precatus eſt. Vt enim Cretenſes (quemadmodum eſt à Maximo Valerio ſcriptum) cum acerbiſsima execratione aduerſus eos, quos vehementer oderunt, vti volunt: vt mala conſuetudine delectentur optãtes, modeſtoque voti genere, efficaciſsimum vltionis euentum reperiunt: ſic vir ſapiens Antiſthenes, voluptatem (quam pro ſummo multi bono amplexantur) teterrimę vice peſtis inimicis eſt prudẽter imprecatus. Inutiliter enim aliquid cõcupiſcere & in eo perſeueranter morari: exitio ea dulcedo vicina eſt. Tiberius Cæſar, cum audiſſet Attilium Buttam prætorium virum per luxũ & ignauiam ad mendicitatem eſſe redactum; iamq; palã non ſine lachrymis & miſeriã & paupertatẽ ſuam publicè fateri: ſerò (inquit) experrectus es ô Attili. Obiter inſinuans, homines voluptati & ventri deditos, non tam viuere, quam dormire. Prudenter ille quidem, nã ſi iuxta hiſtorici Plinij ſententiam, Vita, vigilia eſt, Non viuit certe, qui humanæ conditionis immemor, ac veræ dignitatis oblitus, eſcę atque potioni intentus, ad naturam pecudis ſeſe turpiter inflectens, à ſeque ipſo degenerans, capite ceu ad terram incuruo, viri munia deſerit.

Synopensis ille Diogenes, cuius Cynica libertas dictis ac factis multum quondam nobilitata eſt, voluptariorum hominum vitam reprehendens; dicere ſolitus eſt: eos, qui per luxum in coquos, nepotes, ſcorta & adulatores facultates ſuas prodigerent, arboribus per pręcipitia naſcentibus ſimiles eſſe. Quarum cum homo non guſtet fructus, à vulturibus tamen, coruiſque eduntur. Ambage hac innuens, vocabulo hominis indignos eos eſſe, qui ventri & gulæ ſeruirent. Vt enim caprificus ac ſycomorus: arboreſque fatuæ cęterę, nõ ſolum fructu inutiles ſunt, verum altoribus ſuis etiam pernicioſę; nam muris adnaſcẽtes & mœnibus, validius actis radicibus quàmlibet fortes parietes vi diſrũpunt ac diruunt: ſic voluptas educatoribus ſuis peſsimam eſt gratiam referre ſolita: patrimonio ac rebus abſumptis, corpori morbos, & vitæ relinquens infamiam. Quocirca Lacedęmones dum adhuc Lycurgicam illam legum ſeueritatẽ ſpirarent, adoleſcentẽ quempiam

piam acriter obiurgauerunt, quod in Tyleam Arcadiæ vrbẽ delicijs eiuſmodi infectam, peregrino mõſtraſſet viã. Interpretabãtur enim, non ſine patriæ ſuæ probro eſſe, ſi Spartani pueri noſſent, quà vulgò iter fieret in ciuitatem corruptã. Ac nemo tandẽ ſapientiæ eſt gloria potitus, quin ſibi & ſuis à voluptate vſq; metuerit. Vnde Demetrius Phalereus philoſophus non incelebris, cũ adoleſcentẽ quẽpiam intẽperantem habuiſſet obuiũ. En, inquit, quadratũ Mercuriũ, habentẽ Syrma, ventrem, pudenda, & barbam: alludens interim ad Mercurialem ſtatuam: quæ vijs olim vmbilico tenus indicis ergo ſolebat apponi: ſimul & declarans præter communẽ ſpeciẽ eum nihil habere hominis: qui tam delicioſam & turpem, conditioniſq; humanæ dignitate indignam, vitam eſſet amplexus.

PRAEPOSTERVM hunc vitæ morẽ vẽtri ac voluptati ſeruientiũ carpere volens Stratonicus, Cytharœdus ille quidẽ ſed Athenienſis, dictorũq; argutia & ſale laudatiſsimo cuiq; philoſopho conferẽdus, quũ Rhodos vrbem intraſſet, operoſa, ſumptuque nimio magnifica ædificia nõ ſine admiratione luſtraſſet, vbi ciuiũ luxus, deliciaſq; perſpexit: abiens dicebat, Rhodios non ſecus atq; immortales ędificare: obſonare tñ tanquam poſtridie morituros. Salſè Stratonicus. Gens ſiquidem illa ineũdis conuiuijs, eſculentis & poculentis pretij maximi apparandis (dum genio tantùm indulget) plurimum erat intenta: eoque vno ſtudio maximè ducebatur. Quod de ciuibus quoq; ſuis dixiſſe narrãt Empedoclẽ. Nã & vitæ hoc genere Agrigentini etiã multũ quondã delectati feruntur. Fuere & Heracleotæ voluptaria morũ licentia diſſolutiſsimi. Etenim memoriæ proditũ eſt, nobilẽ illum Cytharœdũ Stratonicum, cuius modò mentionem feci, Heracleã egreſſurum Arcadiæ, portas ac mœnia circunſpexiſſe tandiu, quoad à prętereũte quodam, quid circunſpiceret ſibi obiectum eſt: illumq; è veſtigio reſpondiſſe: pudet eheu, ne è lupanari ipſe cuipiam videar egredi. Hãc motum turpitudinem, vt doceret eſſe fugiendam Scythes Anacharſis, nõ aliter vel ſtatuas vel imagines collocari ſibi paſſus eſt, quam elogio pręſcriptas eiuſmodi, αἰδοίων κρατεῖν, quo ſignificari volebat, linguę, vẽtri, & pudendis eſſe temperandum. Quod intelligens Epictetus, clarus & ipſe philoſophus: quę homines infeſtarẽt, vitia duo, multo omniũ grauiſsima ac teterrima eſſe dicebat, intolerantiam & incontinentiam. Cum aut iniurias, quę ſunt ferẽdæ, nõ toleramus: aut à quibus rebus voluptatibuſq; nos tenere debemus, nõ tenemus. Vnde philoſophię eius, cui accurate ipſe operam dabat, duabus his voculis ſummam claudere ſolitus eſt, ἀνέχου, ἀπέχου. quarũ altera monet, loco omni intolerantiæ diligenter occludendas eſſe fores: altera verò incontinentiæ vbiq; acriter eſſe obſiſtendum. Itaq; eos, qui aduerſus mala hęc circũſpectè, & vigilanter vſq; quaq; ſibi frenos iniecisſent, exiſtimare ſe ad ple raq; impeccabiles fore: tranquilliſsimamq; vitam eſſe victuros. Sapienter ille quidem: pulchrum enim perturbationum euerriculum in ſe habet, quæ ad hunc eſt modũ hominis mens affecta. Patereq; idcirco peccato vix ianua poteſt, vbi offendiculis morum opportunè ſubtractis, tã mirifica pacis cautio noſtrum pectus obſepſit.

SALAMINIVS ille Solon, quem legis latorem cordatiſsimũ fœlices olim ſortitæ ſunt Athenæ: voluptatem exoſus, hoc nomine damnabat opulẽtiam, quod ſaturitatis eſſet mater: ferociæ ac violentię ſaturitas. Hinc internecînam ciuiũ ſuboriri peſtem dicebat. Quocirca Heraclytus Epheſi⁹, philoſophus non ignobilis: qui, vt ait Cicero, de natura ſcribens, obſcurè memorauit, ob affectatam que ex induſtria ſtyli obſcuritatem tenebricoſus à Latinis, à Græcis eſt dictus σκοτεινὸς, rogatus aliquando vt ſeditione factioſa ęſtuantem populum, diſcordiaq; tumultuantem plebem mitigaret, habita oratione, qua ciues doceret, quantum ſit bonum pacis: & qua ratione effici poſſet, vt concordes & vnanimes reliquum poſſent vitæ traducere. Pro concione adſtans, frigida plenum aqua fictilę vaſculum ſibi dari petijt. Quod vbi eſt allatum, actutùm de glecone admiſcuit, hoc eſt, vel ſylueſtris pulegij, vel viliſsimum aliud genus Leguminis; orique admoto poculo, nullo alio apparatu vel conditura, protinus totum ebibit: è veſtigioq; diſceſsit, verbo nullo facto. Exemplo hoc ſignificans, ita demum plebis diſcordiam ceſſaturam: ſi delicijs ac luxu poſt habitis, aſſueſcerent paruo contenti viuere. Sed inuoluntè nimium, ne ſuæ videretur immemor eſſe naturæ. Hinc Thebanus Crates, amator nõn vilis ſapientiæ, cum exiſtimaret (vt in libro de tuenda bona valetudine ſcriptum eſt à Plutarcho) in ciuitatibus ſeditiones ac Tyrannides è delicijs & luxu potiſsimum naſci, per iocum admonuit: ne præ lenticula ſemper augens patina, in ſeditionem nos conijcias: ſed ſe ipſum adhortaretur quiſque, ne ſemper

prę ſente augens patinam: ne vè modis omnibus prętcrito naſturcio & olea, ad ſarcimē & piſcem deſciſcens, ex repletione corpori ſeditionem concitet, & tumultum ac perluuium. Nam cibi viliores, appetentiam intra naturæ modum cohibēt. Cęterùm artes iſtorum, qui obſoniorum ſunt opifices atq; architecti, & operoſæ iſtæ cupediæ, neque nō ingenioſa cōdimēta: ſemper (vt ait Comic⁹) voluptatis fines longius promouēt: ac vitiāt vtilitātē: rectè ſanè Cheroneus Plutarchus.

ILLVD fortaſſe nō abſurde mirabitur quiſpiā: quid ſit cauſæ, quod piſcium eſum philoſophus damnauerit: cùm eiuſmodi cibus ætate noſtra frugalitatis ſit ſanctimonięque index. Huic igitur primum occurrendū eſt, dicendumq; etiam inter lautiores cibos ac delicatiores epulas piſces quondam fuiſſe habitos: & in conuiuijs diuitum exhiberi, atque apponi ſolitos. Vnde & hi infami à Græcis olim dicti ſunt nomine opſophagi, qui delicijs eiuſmodi plurimum adſueſcerent. Qua in re adeo eſt Lurconum progreſſum ingluuie, vt nummum ſex millibus mulus piſcis ſit emptitatus. ex quo, ſenior ille Cato ſæpe numero dicebat vehementer ſe mirari qui ea ciuitas ſalua eſſe poſſet, in qua minoris ęſtimaretur bos, quam piſcis. Citticus Zeno quum auerſaretur intemperantiam, inuitatus aliquando ſortè accidit, vt medio in conuiuio Iuuenem procul aſpiceret tartarea quadam ingluuie ſiccis vſque faucibus obſonijs inhiantem, atq; omnia in menſa vndique detergentem: adeo vt proximè accumbentibus nihil penè reliquum faceret, ſcilicet vt in cibo capiendo cum Aſtydama Mileſio certare poſſet, quem ferūt à Perſa Ariobarzane inuitatum, deuoraſſe vnum, quicquid alijs eſſet in conuiuio præparatū. Hîc Zeno procacia atq; impudentia tanta adoleſcentis motus: grandem piſcem (qui commodum apponebatur) confeſtim arripuit, ſolus tanquam deuoraturus. Cumq; importunus ille Helluo, communis obſoniorum abraſor, toruum quiddam intuens, impudētiā veluti exprobraret philoſopho: obiurgādi nactus occaſionem Zeno, quid (inquit) putas conuictoribus tuis accidere quotidie ſi meam obſophagiam ferre non potes? Admonens interim gula perditum iuuenem, quam hominem deceat ſobrietatis & temperantiæ vbique eſſe amatorem: multoq; id in viſceratione publica atque epulo ſeruandum eſſe maximè: quo in loco (propter diſciplinam ſalutaris exempli) non tam appetentiæ, quam frugalitatis ac moderationis ratio ſit in primis habenda.

EXTAT in veterum annalibus tam apud priſcos Romanos intemperantiam inuiſam fuiſſe, vt nimis obeſsis, corpulentiſq; equitibus ignominiæ cauſa equi ſint à cenſoribus adempti. Interpretabantur enim, dignitate equitis indignos eſſe, qui per luxum & ſecordiam corpus reddidiſſent habitius. Vnde Romanorum ille ſapientiſsimus. M. Cato (cuius à me eſt paulo ante mentio facta) eiuſmodi hominibus per omnem vitam ſemper inſenſus fuit: qua propter Lurconi cuidam inter eius amicos aſcribi peroptanti Cato dixit, ſibi cum eo amicitiæ ius conſtare non poſſe, qui plus ſaperet palato quā corde. Cumque obambulans aliquando fortè incidiſſet in quempiam, cuius præpeditum ſagina corpus miraculi inſtar viſebatur, negauit ſcire ſe, cuinam vſui homo ille reipublicæ eſſe poſſet, cuius inter inguem & guttur omnia vēter occuparet. Quid Thebanus ille dux inclytus Epaminundas? qui & ipſe tam habebat militum corpulentiam deſpicatam atque inuiſam, vt vehementer obeſum militē ab acie reiecerit dicens, illius ventri cōtegēdo Clypeos tres vix poſſe ſufficere. Deteſtabatur nimirū vir ſapiens in milite crimen: q̄ ipſe in vita peſsimum eſſe duxiſſet. Fuit nanq; victu tā tenui ſemper Epaminundas, vt ad cœnam ab amico inuitatus: magnifico apparatu nimioque ſumptu offenſus, bellarijs, obſonijſque ſimul perſpectis, iratus diſceſſerit dictitans: equidem ſacrificare te, non deliciari opinabar, vel illudere. Nam Deorum quondam ſacrificia minimo conſtabant impendio, cum facile vnicuique eſſet perſuaſum, nulla re magis quā temperantia & frugalitate delectari Numē.

SPARTAE populi abſtinentiæ haud ſecus atque honeſtiſsimæ diſciplinæ, virtutiſque amiciſsimæ operam nauabant ſedulo: habitiores iuuenes inedia macerabant: taliq; curatura bello ac rebus Martijs reddebant idoneos. Quin etiam gentis huius nobilem legiſlatorem Lycurgum docuiſſe ſæpe perhibent, potione ac cibo ad ſitim famemque depellendam dumtaxat vtendum eſſe: pro libidine neque expedire, neque hominum eſſe. Non enim homini (quod de ſuillo genere dixit Varro ei animantium generi ad epulandum animam datam fuiſſe) præſtantia animi tributa eſt, vt pecuinis hiſce voluptatibus ineſcaretur. Quin potius vt ad volandum aues, ad nandum piſces, ad indagādū canes, ad curſum equi, ad opificium mellis apes, ad aratrū bos: ſic homo ad aliquid agen-

agendum ac meditandum natus eſt: quemadmodum ab Ariſtotele præclarè eſt literis traditum. Ex quo fit, vt nihil tam ab eius abhorreat dignitate, quam voluptati, ventri, ac gulæ (bruti inſtar animantis) fœdè ſeruire. Hæc enim deflexo ad terram turpiter homine ac veluti demerſo, vigore animi deuaſtato improbè, mentis aciem obſcurare conſueuerunt.

HINC viri ſapientia præſtantes, ab omni abhorrētes ingluuie: tenuem ſemper vitæ cultum atq; victum adamarunt. Etenim Porus Indorum rex, cuius prudentiam animi ſatis arguit hoc dictum: qui ab Alexandro deuictus, atque rogatus, ecquid in ſe dignum eſſet ſtatui: intrepidè reſpondit: quod hic tibi ſuadet dies, in quo expert' es, quàm ſit mortalium caduca fœlicitas, & Fortuna omnis ſub cœlo viuentis infida. Hic inquam Porus rex cum eſſet, pane & aqua contentus vixit, delicias nihil moratus aulicas. Rex etiam Numidarū Maſiniſſa ſemel omnino, idq; ſtans, comedebat in die: obſonio abſq; & pulmento: victuq; delectatus huiuſmodi, nonageſimum ad annum, ætatemq; decrepitā corpus attulit robuſtum & firmum. Neque adduci vnquam potuit, vt ſenior factus cibis indulgeret lautioribus. Quid? ꝙ pedibus iter ingreſſus, equum nolebat conſcendere? Apertoque gradiens capite, ſubdio vel æſtu flagrante pileum non aſſumebat: Iuuenilis ceu ætatis vbique exercens munia? quorum in homine bonorum mater erat frugalitas. Fertur & Perſarum rex Cyrus abſtinentia cibi fuiſſe tāta, vt ab hoſpite rogatus, quid ſibi in prandiū apparari iuberet: nihil aliud quā panem reſponderit: nam ſpero (inquit) ad Crini ripam me hodie cænaturum eſſe. Sic opulentiſſimus princeps pane pro obſonio contentus, ſitis ſpem extinguendæ, æquo in cœnam animo differebat.

FVIT & Spartæ princeps Ageſilaus tam ab omni lautiore dape alienus, vt facile præ ſe ferret legis latoris in ſchola Lycurgi nō ſine fructu multum, & diu ſe fuiſſe verſatum. Cum enim Thaſiorum regionem (quæ bonitate cœli ac ſoli fertilitate rerū fermè omnium copia luxuriabat, adeo vt illius incolæ voluptatibus & cupedijs præcipuè laſciuirent, ac ſuum quiſque animū turpiter oblectantes, genio affatim indulgerent) cum exercitu peragraret: honoris ergo Ageſilao Thaſij miſere xenia: anſeres ſaginatos videlicet, bellaria, & ex melle cōdita liba, ſarinas etiam, deliciaſque item cæteras, delicatioris, operoſiorisque gulæ. Quæ vbi vidit Ageſilaus, noxio tanquam attactu abſtinuit: perque eos qui attulerant, domum protinus curauit referri, perinde atq; Lacedæmonijs viris indigna. Verùm, cùm xeniorum miniſtri verbis multis orarent, ne oblata cōtemneret munera: ne vè ſe apud illum cum ſuo munuſculo turpiter dari pateretur, faſtiditi muneris notam inurens ipſorum patriæ: oratione hac victus, partiri inter ſe ea iuſsit Helotes: quo hominum genere Spartani tunc ruſtico operi faciundo pro ſeruis vtebantur. Cuius rei cùm à Thaſijs quæſita eſſet cauſa, Ageſilaus reſpondit: non decere, qui virtutis ac fortitudinis amore tenerentur: id genus delicias, cupediaſque recipere: propterea quod iſtius modi res (quibus ineſcarentur ingenio ſeruili nati) oporteret à liberis procul abeſſe. Thaſiorum obiter acriter taxans mores, qui voluptatum ſtudio ex ingenuis & liberis, viles ſeſe & ſeruos reddidiſſent. Neque enim abiectius aut ſeruilius eſt quicquam, quàm ventris & gulæ fœdis voluptatibus hominem obnoxium viuere: id quod philoſophorum principi Socrati pariter viſum fuiſſe, ſupra oſtenſum eſt.

SED vt regijs Cæſarea addamus exempla Octauius accedat Auguſtus, quem amicorum precibus victum: ſic ad comeſſandum ſolitū ferunt accedere, vbi multa conuiuis miniſtrata eſſent fercula: mediaſque ad epulas acceſsiſſe nō contentus, omnium primus ſurgebat è menſa. Aiunt etiam Caium Iulium & eſculentis & poculentis parcè ac ſobriè ſemper vſum: quod vel inimici teſtimonio comprobatum eſt. Dicunt enim. M. Catonē illud de Caio Iulio habuiſſe in ore crebrò: Vnum ex omnibus Caium Cæſarē ad euertendam rempublicā ſobrium acceſsiſſe. Sed diuertamus ad alios, ne auguſta vel regia tātum (ſanciendi cauſa exempli) protuliſſe nomina videamur. Anchimolus & Moſchus Elyenſes ſophiſtæ tam fuiſſe ſobrio victu dicuntur, vt aridis veſcerentur ficis, ac vini odio Abſthemij vitam egerint, aquæ potu cōtenti. Scythæ Anacharſidi Cicero ſcribit pulmentum famem fuiſſe: cubile, ſolum: veſtē, Scythicum tegmen. Perſarum Magos tanta fuiſſe parſimonia cibi chronographi tradūt, vt præter farinā & olera nihil guſtarēt aliud. Ægyptij quoque ſacerdotes memorantur, vſque adeo parco quondam vixiſſe victu vt perfuſis oleo caulibus dumtaxat, veſcerentur, vini & carnium eſu faſtidito.

SED QVEM AD FINEM ſingulorum hominum & ſapientia & fama celebrium in cibo capiendo ſtylo conſequor

moderationem : cum hoc idem barbaras apud gentes norimus factitatum ? Quæ vel legibus fundatæ, vel à natura inſtructæ, vel vſu longo perdoctæ ſobrietate aſsidua, temperantia, ac frugalitate gaudẽt. In Iugurthino bello Saluſtius eſt author, lacte & farina tantum ſolitos veſci Numidas : & neque ſalem, neque alia gulæ irritamenta quærere. Aduerſus famem enim atque ſitim illis cibum eſſe, non libidini neque luxuriæ. Myſi populi, lacte, caſeo, & melle contenti, eſitandis carnibus abſtinent. Epyzephyreis Locris guſtare vinum mortalium nulli fas eſt. Liberior compotatio, licet qui bibit excuſet valetudinem (ſi modò medico inconſulto facta eſt)non ſecus atque grande aliquod & capitale flagitium morte ſolet expiari. Adeò genti huic inuiſa omnis eſt crapula! Ac, ſi vera ea ſunt; quæ de victu & cultu Romanorum à clariſsimis hominibus memoriæ mandata extant, Latiæ Romanæquè genti hoc idem fuiſſe quondam gentilitium in dubium verti non poteſt. Scribit enim Atticis in noctibus Gellius, Romæ & in Latio mulieres omnes ætatem egiſſe abſtemias, hoc eſt Hydropotas & à vini vſu alienas. Quod enim nunc vinum dicitur, id priſca Romanorum lingua, temetum eſt appellatum. Cœptumque propterea ſalutationis vice ſuis quemque cognatis libare oſcula perhibent, quò graueolentis animæ vinoſam exhalationem impreſſo oſculo explorare poſſent: ſimul & reprehendere. Tantaque hoc in crimine ſeueritate vetuſtis eſt tẽporibus animaduerſum, vt par adulterio crimen, ea ſit res paſsim exiſtimata. In cuius rei fidem locupletiſsimo teſte Gellius vtitur. M. Catone, quem authorem laudat ea in oratione quæ ab ipſo inſcripta eſt de dote. Vbi præter alia, deprehenſas in adulterio vxores, maritis necare ius fuiſſe tradit. Adiũgitque illud: Si quid peruerſè, tetreque factum eſt à muliere, mulctatur, ſi vinum bibit: ſi cum alieno viro probri quid fecit, cõdemnatur. Ex quo perſpicuum eſt, non minus hauſti, epotique vini, quam adulterij conuictam, capitali tunc ſupplicio plexam eſſe. Neque id ſane immerito, vt enim præclarè Valerius ait, vini vſus olim Romanis fœminis ignotus fuit, ne ſcilicet in aliquod dedecus prolaberentur: quia proximus à Libero patre intemperantiæ gradus ad incõceſſam Venerem eſſe conſueuit. Ab hac igitur teterrimi ſuſpicione criminis, quæ ex vinolentia naſci conſueuit: cùm ignominiæ fugiendæ: tum verò conſeruandæ cauſa caſtitatis: publica Romanæ gentis frugalitate alita, ſeueritas illa ingenij horridioris eſt orta: qua aduerſus vxorem patritij virum ſanguinis Egnatium Metellum fuiſſe vſum Valerius perhibet. Is enim illam, quod vinum bibiſſet, fuſte percuſſam interemit. Idque factum non accuſatore ſolum, ſed etiam reprehenſore caruit. Vnò quoq; exiſtimante optimo illam exemplo violatæ ſobrietatis pœnas pependiſſe. Et ſanè, quæcũq; fœmina vini vſum immoderatè appetit, & virtutibus omnib' ianuã claudit: & delictis aperit. Dum ergo pudicitiæ ſeruiunt, & tori maritalis ſynceritati: nulla ſibi viſa eſt in muliebre genus crapulariæ legis admodum pœna grauis. Fuere item & alij temperantiæ fama illuſtres quondam populi: inter quos naſcenti Phœbo natio proxima Seres, præcipue commendari ſolent.

AT VERO, quamquàm bene moratis gentibus, & ſapientibus viris delectamento ſemper frugalitás vna fuerit: videre tamen contrà non paucos licet, quibus eſcaria iſta voluptas (quæ corporis & animi incolumitati plurimum obeſt)vehementer ſit cordi. Itaque miſeros ob gulam captiuos trahi ſæpe videas: & quaſi è flãma (quod dici ſolet)petentes cibum: genus nullum recuſare vel duriſsimæ ſeruitutis; dummodo ſplendidæ cœnæ intereſſe liceat. Quos ego ceu nouercante natura, haud ſecus ac pecuinum genus corpori non animo genitos, opinor, fuiſſe. Adeo actio omnis illorum vel fœdè humi ſerpit: vel auribus pernicioſe blanditur. Quo in gènere facile primas tenent paraſiti moriones, ſcurræ, blaterones, nebuloneſque vanidici cum aſſentatorum reliquá turba. Quibus nec tempeſtatis horrida vis, nec irruentis licèntia ferri impedimẽto eſt, quo minus diuitum inter menſas oberrẽt. Quin ridiculi potius fiunt, dicteria in omnes temere ſæpe iacientes: patientes interim plagas, quæ à diuitibus incutiuntur. Quorum illi lautioris gratia cibi improbitati abiectiſſimè ſeruiunt: ineptijs doctè fauentes. Ex illorum ſe vultu componunt, ſedulo præuolántes illuc, quo inclinare ſentẽtijs altores ſuos vidẽt. Itaq; vanitati horũ perinde atq; ineſcato hamo attractus piſcis, opiparę nidore cœnæ, fautor paraſitus accedit. Quod in glorioſo milite egregiè Plautus oſtẽdit, vbi Artotrogus paraſitus, ne dẽtes dẽtiant, quicquid Pyrgopolynices perditus iactãtia miles mentiri audet, impudenter ipſe verbis cõfirmat, amplificans. Sed operæ pretium erit, vtrumque iam audire loquentem.

Curate vt ſplendor meo ſit Clypeo clarior,
Quam Solis radij eſſe olim, cum ſudū eſt, ſolent.
Vt vti vſus veniat, contrà conſerta manu
Oculorum preſtringat aciem in acie hoſtibus.
Nam ego hanc macheram mihi conſolari volo,
Ne lamentetur, ne ve animum deſpondeat,
Quia ſe iam pridem feriatam geſtitem.
Quæ miſera geſtitet fractum facere ex hoſtibus.
Sed vbi Artotrogus?
AR. *Hic eſt, ſtat propter virum*
Fortem, atq; fortunatum, & forma regia,
Cum quo bellator Mars haud auſit dicere,
Neq; æquiparare ſuas virtutes ad tuas.
P. *Quem ne ego ſeruaui in campis Curculionijs,*
Vbi Bombomachides Cluniſtatides Archides
Erat Imperator ſummus Neptuni nepos?
A. *Memini: nempe illum dicis, cum armis aureis*
Quoius tu legiones diffflauiſti ſpiritu,
Quaſi ventus folia, aut peniculum tectorium.
P. *Iſthuc quidem ædepol nihil eſt.* A. *nihil hercle hoc quidem,*
Pre vt alia dicam. Tu que nunquam feceris.
Periuriorem hoc homine ſiquis viderit
Aut gloriarum pleniorem, quam illic eſt,
Me ſibi habeto: & ego me illi mancupi dabo,
Si vnum Epytirum edam apud illum eſuriens inſanè.
P. *Vbi tu es?* A. *eccum ædepol. elephanto in India*
Quo pacto pugno perfregiſti brachium.
P. *Quid, brachium?* A. *illud dicere volui, femur.*
At, diligenter hic eram. pol ſiquidem
Connixus eſſes, per corium, per viſcera,
Perq; os elephanti, brachium tranſmitteres.
P. *Nolo iſthæc hic nunc.* A. *ne hercle operæpretiũ quidem.*
Mihi id enarrare, tuas qui virtutes ſciam.
Venter creat omnes has ærumnas, auribus
Peraudienda ſunt: ne dentes dentiant.
Et aſſentandum eſt, quicquid hic mentibitur.
P. *Quid illhuc quod dico?* A. *heu ſcio quid vis dicere:*
Factũ hercle, memini fieri. P. *quid id eſt?* A. *quicquid eſt.*
P. *Habes tabellas?* A. *vis rogare? habeo & ſtylum.*
P. *Facete aduortis tuum animum ad animam meam.*
A. *Noviſſe mores me tuos meditatè decet.*
Curamq; adhibere, vt præuolet mihi, quô tu velis
P. *Ecquid meminiſti.* A. *memini: centum in Cilicia.*
Et quinquaginta centum in Siclo latrones,
Triginta Sardis, ſexaginta Macedones,
Sunt homines, tu quos occidiſti vno die.
P. *Quanta iſthæc hominum ſumma eſt.* A. *Septem millia.*
P. *Tantum eſſe oportet, rectè rationem tenes.*
A. *At nullos habeo ſcriptos, ſic memini tamen.*
P. *Ædepol memoria optuma eſt.* A. *offa emonet.*
P. *Dum tale facies, quale adhuc, aſſiduò edes,*
Communicabo te ſemper menſa mea.
A. *Quid in Cappadocia, vbi tu quingẽtos ſimul*
Ni hebes machera foret, vno ictu occideres.
At pedites tibi reliquia erant, ſi viuerent.
Quid tibi ego dicã? quod omnes mortales ſciunt,
Pyrgopolynicem te vnum in terra viuere
Virtute, & forma, & factis inuictiſsimis?

Sed perſequi quid plura eſt opus? An eſt illius obſcura ſeruitus, qui culinæ captus ſpe, tam vbiq; mentitur impudenter? tamq; ſe ipſum abijcit atq; proſternit, vt ad turpiſsima queq; preſtet obſequium? Quid? qui libertatẽ rerum omnium dulciſsimam ſponte ipſi contẽnunt atq; faſtidiũt, cibariẽq; voluptati poſt habent: dũ conditionis ſuæ, naturæq; obliti, eſcario vinculo alacres colla ſubdũt: opulentorũ hominũ ineptijs tantiſper applaudẽtes, dum inſtrati lecti ſunt, paratẽq; menſæ? Qua vna nulla eſſe poteſt homini maior infamia. Quid enim ab illo ſperandũ eſt, qui reclamãte animo, qualibetcunque diuiti, cibo captiuus trahitur? Nimirum hoc helluantis hominis inſtitutũ eſt, vniq; tantùm gulæ ſeruientis: qualis Plautinus ille paraſitus Peniculus in Menæphmis nobis à Comico poeta depingitur apud quem ſic ille loquitur.

P. *Iuuentus nomen fecit Peniculo mihi,*
Ideo quia menſam, quando edo, detergeo.
Homines captiuos qui catenis vinciunt,
Et qui fugitiuis ſeruis indunt compedes,
Nimis ſtultè faciunt: mea quidem ſententia.
Nam homini miſero malum ſi accedit ad malum,
Maior lubido eſt fugere: & facere nequiter.
Nam ſe ex catenis eximunt aliquo modo
Tum compediti ianuam lima perterunt:
Aut lapide excutiunt clauum. Nugæ ſunt meræ.
Quem tu aſſeruare rectè, ne aufugiat, voles,
Eſca atq; potione vinciri debet.
Apud menſam plenam homini roſtrum deliges.
Dum tu illi quod edat, & quod potet, præbeas,
Arbitratu ſuo affatim quotidie:
Nunquam ædepol fugiet, tametſi capital fecerit.
Facile aſſeruabis dum illo vinclo vincies.
Ita iſthæc nimis lenta vincla ſunt eſcaria,
Quàm magis extendas, tanto adſtringunt arctius
Nam ego ad Menæphmum nunc eo, quo iamdiu
Sum iudicatus: vltro eo, vt me vinciat.
Nam illhic homo non alit, verùm educat,
Recreatq;. Nullus melius medicinam facit,
Ita eſt adoleſcens ipſus eſcæ maximæ:
Cereales cœnas dat, ita menſas extruit,
Tantas ſtruices concinnat patinarias.
Standum eſt in lecto, ſi quid de ſummo petas.

Quorſum igitur attinet de illorum conditione diutius ambigere, quos cibi gratia alieno videas tã improbè eſſe addictos imperio?

tamq; ardenter cupere eſcarię ſeruitutis nexibus eſſe reuinctos? Nō ergo iniuria celeberrim⁹ ille philoſophādi artifex Socrates eiuſmodi hominibus, quibus cura omnis viuēdi in palato ſita eſſe videtur: ſuauem atque iucundam vitam eſſe ideò exiſtimabat, quò poſſent licentius bibere atque comedere: ſibi contrà, cibi & potus vſum amabilem idcirco videri, vt poſſet liberius, & animi & corporis munia exequi. Quando ita natura comparatū eſſet, vti citra ſubſidia huiuſcemodi, debilitari atq; interire, neceſſe ſit humanum corpus. Vnde neutri vacabat, niſi neceſsitate cogente. Sitiēs enim bibebat: ac niſi famelicus, nūquam veſcebatur. Quas obres à cibis eſſe abſtinendum aſſeuerabat, qui ſemel pranſum actutùm irritarent ad eſum: violentamque famem erigerent: & à potu, qui exſiccato modo calice, ad bibendum prouocaret, ingenioſa ſiti blandiens. Indicans non voluptati ſed neceſsitati ſemper eſſe ſeruiendum. Illud etiam vir ſapiens ſubinde dicebat: condimentum optimum, famem eſſe tum quod nullius impendij, tum quia cuncta efficeret ſapidiora.

Alexander macedo vbi longum vale coquis, dulciàrijs, & aſſentatorib⁹ dixit (nam antea ſi Patritio credimus, adeo luxurioſis indulſit epulis, vt meracæ potationis inter comeſſandum inire ſit certamina ſolitus: ac bibaciſsimo cuique, ceu loco palmæ donare coronam) cùm eſcarijs Xenijs à regina Carum Ada crebrò afficeretur, eiſque coquorum arte & ingenio elaboratiſsimis: renunciari è veſtigio reginæ iuſsit, multo ſe meliores obſōniorum habere artifices, nempe nocturnum ad prandium iter: & ad cœnam tenue prandium. Rectè Alexander, exercitatio ſiquidē ſtomacho prodeſt: innoxiamque cibi appetentiam excitat. Dionyſium tyrannū ferunt, quum audiſſet magno apud Lacedęmonios in pretio eſſe ius, quod illi nigrum appellant, Spartanum ſibi paraſſe coquum: ab eoq; ſtudioſius contendiſſe, vt nullis parcens impendijs ius ſibi eiuſmodi conficeret: quod vbi eſt allatum, expuit tyrannus, diſplicuiſſe ſignificans. Tunc, qui illud coxerat, haud mirādum quidem iſthuc ô rex: condimenta enim defuerunt. Cumque ille rogaſſet, quæ illa tandem condimenta eſſent: in venatu labor, coquus inquit, ſudor, curſus ab Eurota: his eñ rebus Lacedęmoniorum epulas ſolitas eſſe condiri. Nunquam inexercitato corpore cibo eſt Socrates vſus, diutiuſculeq; inambulans aliquando deprehenſus, cauſamque rogatus: Ego (inquit) quo melius cœnem ambulādo mihi obſono famem.

At vero, qui ocioſi & faturi cibaria repetunt, ac nulla mordente fame victum occupant: his non magis ſapiunt ſelectiores epulæ atque lautitiæ: quam aſparragi ægrotanti, & quæ vulgo fatuæ appellantur betæ: quia ſaporis nulla gratia commendantur, ſuntq; potius inſipidæ. Ex quo fit, vt ſi abnuenti ſtomacho ingurgitatum quid eſt: id ſubito inflamateſcat, ac graue protinus fiat. Perit enim natiuus ille, conditura ve factitius ſapor, quoties tempore non ſuo, inq; expetitus cibus ac cerſitur, è contrario autem dulciter à famelico atro cum pane ius heſternum comeditur: idque inoffenſa valetudine, cuius illi aſsiduè ſentiunt iacturam, quorum palato, Tartareæque gulæ explendæ, totum cum terra cœlū, neque ipſum ſatis eſt mare. Nam & piſcium peroſa genus: terræ ſingula peragrat animantia delicatior ingluuies: herbiſque faſtiditis, atque arborū fructibus pręcipuis, nec aereis parcit auibus. Iam ſuaue nectar amatur: iam gratæ (vt Homerus ait) Dijs ambroſiæ quæruntur: Iam rurſus quaſi putere ſint viſæ, ſubitò reijciuntur. Nec potis eſt vllum ſibi modum infamis gula pręſcribere: dum elementa per omnia guſtus indagat exquiſitiores: inuētiſq; ſuis appetitum tentat erigere. Adeo intemperatorum hominum rabida exardeſcit helluatio: in ſeque ipſa furit! Damæ & Rhōbi laudatur eſus, nihilque ſuauius apro videtur. Sed mutatur in horas: nil Rhombus, nil dama ſapit: putere videtur aper, cęcaque ſic hians libido furit: appetita quæ ſunt, breui reiectans: parum vt abſit: quin ſua ipſa obuerſaria orexi maciem contrahat, aut in grauem aliquem repentè morbum incurrat.

Qvo circa cum nulla in terris hominis maior ſit ſanitas atque ea, quæ vitioſum animi explorans ac corrigens habitum, appetitus noxios rationis fræno coercet: videam uſque naturam, eiuſmodi cupedijs, eſcarijſque lautitijs vſque adeo infenſam eſſe, vt negatis non doleat: & perturbetur impenſis (quando paucis parumque pretioſis, imo rem altius ſi ſcruteris, viliſsimis eſt natura contenta) gulæ his irritamentis abdicatis, proculque expulſis: vni eſt temperantiæ vitæ ſeruiendum. Quæ cum corpori amica ſit, ea nanque & vegetari & robuſtum effici, maximè ipſum videmus: intemperantia contrà eneruari, & reddi plęrunq; imbecillius. Profectò ſtultitia erit maxima ab eius bono diſcedere. Quid? quod temperantia in victu omni, non ſolùm corpori vtilis eſt, ſed ipſi in primis animo cōfert, cuius tanto acies intenditur: quanto à gulæ fęce corpus eſt noſtrum defęcatius atq; limpidius

pidius effectum. Nam & corporis haud rarò in animum vitia permeant, quemadmodum ab animi quoque ęgritudine ſępiſsimè corpus afficitur. Quo fit, vt non temere ab animo ſapere illis contingat: qui barathro inex plebili ventris vbique latius indulgent. Brutorum ſiquidem inſtar animantium vtilitatis terminos corpore dimetientes, & blandienti aliquo eſcæ lautioris fructu: quæ verè hominum pręſtantiora ſunt vitæ (etiam ſi antea egregiè illa cognorunt, dum regnat Ceres, furitque Lieus: lippis tanquam oculis ſolent aſpicere. Semper enim nimio potu, multoque cibo venter diſtentus muneribus animi rectè, exequendis haud eſt quidē leui obſtaculo: cùm oppreſſoque iam corpore peſsimi vi morbi, mens ipſa ſepulta, iudicio excidens primum: quæ oblata ſunt, rerum nequit plane diſcrimina internoſcere. Quocirca benè Spartanarū rex Leontichidas ſciſcitanti cuidam cur Spartiatæ tam ſobriè parceque viuerent, ac Cyathis adeo paruis vterentur. Iſthuc quidem ſine cauſa non fit (ait) ô amice: ſed ne cogamur noſtrarum rerum alienos adhibere diſceptatores: ipſiq; potius pro alijs conſultemus, ſiquid erit operæ amicis fortè nauandum.

Nec verò, torpore animi ſtupent, aut intemperie quadam agitantur epulones atque guloſi: ſed ipſa quoque illis habitudo corporis ingraueſcit: muneribuſque & miniſterijs ſuis inutiles eſſe incipit: deſidi torpens ignauia: quin etiam peſtilentes homini morbos ſæpe inuehit. Vnde præclarè Horatius frugalitatis commoda carminibus his, in ſermonibus concelebrat.

Accipe nunc, victus tenuis, quæ quantáq; ſecum
Afferat. In primis valeas bene. Nam variæ res
Vt noceant homini credas, memor illius eſcæ,
Quæ ſimplex olim tibi ſederit. At ſimul aſsis
Miſcueris elixa: ſimul conchylia turdis:
Dulcia ſe in bilem vertent, ſtomachoq; tumultum
Lenta feret pituita. Vides vt pallidus omnis
Cœna deſurgat dubia? Quin corpus onuſtum
Heſternis vitijs animum quoq; pregrauat vnà,
Atq; affigit humo diuinæ particulam auræ.

Quod ſi intemperantiæ tam eſt trux & ſæua vis vt non corpus lædat ſolùm, ſed & animam quoque ad terram det, deprimat atque aggrauet. quantum ſit in frugalitate boni, minus erit dubitandum. Cum pręſertim vel epicurei hominis teſtimonio, id ſit nobis perſpicuum & planum factum, à quo non eſt credibile temperantiam vitæ laudatam eſſe: ſi de ea ipſe aliter iudicaſſet. Quamquam quod ad Horatium attinet, licet aliquandiu Epicuri partes fouerit, inſanientis tamen ſapientiæ (hoc enim nomine Epicureorum ſectam traducit, errore cognito, illorum placitis philoſophorum acceſsit: qui non ſolum de temperantia, omniq; virtute: ſed de Deo etiam atq; eius diuina prouidentia (quod epicurei impiè negare nituntur, egregiè ſunt multa, atq; adeo ſanctè locuti. Qui licet iam in temerè amplexa ſecta perſtitiſſet, poſſet tamen cum magiſtro Epicuro ſobrietatem victus, & vitę tenuitatem laudare: & virtutis encomia ſuſcipere: quod ſectę, inſtitutique ſui oblitus Epicurus fecit etiam non ſemel. Vnde non iniuria Cicero tertio & quinto Tuſculanarū quæſtionum libris, ſuis ipſum Epicurum premēs ſcriptis; vehementer miratur cum ſcholę profeſsione, & vitæ ratione tota, illius toties turpiter dicta pugnare. Negat enim temperātiæ, vlliuſq, virtutis mentionem ab illo fieri poſſe qui corporis voluptate fœda hominis ſit ſummum bonum dimenſus. Itaq; in ſecundo de bonorum ac malorum finibus contra L. Torquatum epicurearum partium perſtudioſum virum: Ariſtippum Socraticum, Epicurum ac Metrodorum, ſtultitiæ, amētiæ, leuitatis atq; inconſtantiæ meritò reprehendit: ſed tamen Epicurum in primis perſequitur, qui ſapientiæ loco, corruptelam ſit vitæ tenaciter amplexus, ac publicè docere orſus: vni ſeſe mancipans voluptati. Quam & ipſam ita interdū extenuat oratione vir temerarius, vt M. Curium loqui putes: ita rurſum laudibus exaggerat, vt ea de vita ſublata: quid in vita ſit bonum ducendum, ignorare ſe omnino fateatur. Quocirca fatuitatem hominis tantam, nunc ſtruentis: nunc diruentis ſcriptis voluptatē: riſu ne an ſtomacho potius digniorem iudicet, vix ipſe Cicero audet aſſerere.

Sed relinqvamvs deprauatæ ſentinam philoſophiæ: noſq; aliquando inſtitutis illorum demus, qui voluptatem ipſam acerrimè perſecuti ſunt, humanæ vitæ perniciosam eſſe dicentes. Hippocrates medica vir ſcientia diuinus, in hac vſque fuiſſe ſententia dicitur, vt exiſtimaret ventri & gulæ deditos homines parum diu eſſe victuros, ac morbis multis obnoxios. Illorumque inſuper animas ſanguine & ſagina multa oppletas haud ſecus impediri, acſi luto demerſæ, inuolutæque forent. Quapropter non eſſe mirandū, ſi eiuſmodi homines nihil intueantur altum, vel celeſte meditentur. Hinc inſignis philoſophus Xenophon haud aliam ob cauſam Perſarum nobis ſignificat victum: niſi vt virtutem animi pariter oſtenderet. Negat enim ad panem præter naſturcium,

eos quidquam adhibere ſolitos: abundè ratus mentis illorum integritatem oſtendiſſe: quos frugalitate tanta delectari docuiſſet. Quamquam declarauit profectò vel in vno Cyro gentis huius principe (quando hinc ſuam ſolent ciues vitam effingere) quid de vniuerſis Perſarũ moribus opinari fas eſſet. Athenarum princeps Timotheus (vt author eſt M. Cicero) fortè accidit aliquando vt cœnaret apud Platonem; conuiuioque illo eſt delectatus admodum. Quem cum poſtridie manè vidiſſet: ſic eſt philoſophũ allocutus. Veſtræ me hercules cœnę ô Plato non ſolum in pręſentiã, ſed poſtero etiã die iucundiſſimę ac gratiſſimę ſunt. Inſinuans obiter Platonis ſobrias dapes lumini mentis nullas poſſe tenebras offundere: atque ideo publicis priuatiſque rebus obeundis perutiles eſſe: cùm è diuerſo illorum corpora qui nimio cibo atque potione complentur, animi munere fungi nequeant. Adeoque ſibi ſæpè ingraueſcant ac decidant: vt nec pes nec mẽs (iuxta Terentianum Chremetem) ſatis ſuum officium faciat. Id quod in Platonis politia declarauit egregiè Socrates. Cũ enim diuinandi rationẽ, quæ per ſomnũ fit, probare vellet, integros ad quietẽ iubet accedere, nõ cibo onuſtos & vino diſtentos, ſed ad exprimendam viri tanti dignè ſentẽtiam Cicerone fungar interprete. Dicit itaque Socrates, Cùm dormientibus ea pars animi, quę mentis & rationis particeps ſit, ſopita langueat: illa autem, in qua feritas quædam ſit, atque agreſtis immanitas, cum ſit immoderato obſtupefacta potu, atq; paſtu, exultare eam in ſomno, immoderatéque iactari. Itaque huic omnia viſa obijciũtur à mente, ac ratione vacua: vt aut cum matre corpus miſcere videamur, aut cum quouis alio vel homine, vel Deo, ſæpe bellua: atque etiam trucidare aliquem, & impurè cruentari, multaque facere impurè, atque tetrè, cum temeritate, atque impudentia. At, qui ſalubri, & moderato cultu, atque victu quieti ſe tradiderit, ea parte animi, quæ mentis & cõſilij eſt, agitata, & erecta, ſaturataque bonarum cogitationum epulis: eaq; parte animi, quæ voluptate alitur, nec inopia enecta, nec ſatietate affluenti, quorum vtrumque pręſtringere aciem mentis ſolet, ſiue deeſt naturæ quippiam, ſiue abundat, atque affluit. Illa etiam tertia parte animi, in qua irarum exiſtit ardor, ſedata atque reſtincta: tum eueniet, duabus animi temerarijs partibus compreſſis, vt illa tertia pars rationis, & mentis eluceat, & ſe vegetam ad ſomniandum, acremque prębeat: tum ei viſa quietis occurrent tranquilla atque veracia. Hæc ille hactenus.

MITTE obſeruationem ſomnij, & ſuperſtitioſum genus augurij: nihil aliud doctiſſimi hominis orationem ſpirare cernes, quam temperantiæ ſummam laudem. Cuius vim tantam vult intelligi, vt non vigilanti modò ſed dormienti quoque ſit vtilis. Quocirca mirari ſatis non queo illorum impudentiam, qui Academiæ principem Platonem, Syracuſanis captum lautitijs bis in Siciliam adnauigaſſe, ſcripſerunt: vnde & à detractoribus opprobratæ illi aliquoties Syculæ ſunt dapes & menſæ. Eſt tamen præclara huius ad Dionis amicos epiſtola, in qua ad hãc eſt ſcriptum ſententiam. Quo cum veniſſem, vita illa beatá (quæ ferebatur) plena Italicarum, Syracuſanarumq; menſarum, nullo modo mihi placuit, bis in die ſaturum fieri: nec vnquam pernoctare ſolum: cæteraque quæ comitantur huic vitæ: in qua ſapiens nemo efficitur vnquam, moderatus verò multo minus. Quibus ex verbis, quàm ab omni ingluuie cibi, & vini ingurgitatione Plato alienus fuerit, haud erit coniectare difficile. Nec verò; malignè vertere in dubium decuit Platonici ſobrietatem victus: cùm tanto illum ſtudio videamus admonentem, ſic ad ſomnum proficiſci affectis corporibus, vt nihil ſit, quod errorem animis, perturbationemq; afferat. Quis enim dubitet eiuſmodi ſermone ad temperantiam & frugalitatem homines edoceri? Quaſi verò parum fuerit Platoni exploratum, illorum quietem inſomniorum varietate perturbari, diſtrahi atque interrumpi ſolere, quorum nimio cibo grauata interdiu, oppreſſaq; fuiſſẽt corpora? Cùm ſub Socratis perſona apertè philoſoph' aiat, craſſas illas ciborũ exhalationes animo ęgro imagines exhibere vel viſu horridas; vel anxietate luctificas: adeo vt parum liberè ſinãt hominem ſopori vacare.

FABAE (ſi vera ſcriptores prodũt) hanc eſſe vim ferunt: vt turgidam aluum efficiat, inflationemque ingeneret. Hinc Pythagoreis (vt de diuinatione primo libro author eſt. M. Cicero) ne fabis veſcerentur, creditur interdictum: Conſtat enim tranquillitatem mentis quęrentibus, cibum hunc, vehementer eſſe contrarium. Quæ omnia eò pertinent, vt ſobrietate contenti, à repletione, ingurgitatione que noxia vbique temperemus. Cuius quidem virtutis à Romanis illis antiquis cultã maximè olim ſtudia fuiſſe, is proculdubio intelliget, qui rebus illorũ legendis tem

poris quidpiam inſumpſerit. Quæ & ipſæ à multis ingenio viris præſtantibus memoriæ ſunt, ac literis proditæ. Nam & Valerius Maximus, qui gentium multarum & dicta & facta inclyta libris eſt decẽ accuratè complexus: quo locó diſputat de modo comedendi antiquorum, priſtinæ Romanorum frugalitatis ad hunc meminit modum: Fuit etiam illa ſimplicitas antiquorum in cibo capiendo humanitatis ſimul & continentiæ certiſsima index. Nam maximis viris prandère & cœnare in propatulo verecundiæ non erat. Nec ſanè vllas epulas habebant, quas populi oculis ſubijcere erubeſcerent. Erant adeo continentiæ intenti, vt frequentior apud eos pultis vſus, quàm panis eſſet. Ideoque in ſacrificijs, mola (quæ vocatur) ex farre & ſale conſtat: exta farre ſparguntur, & pullis, quibus auſpicia petuntur, plus obijcitur. Primitus enim ex libamentis victus ſui Deos eò efficacius, quò ſimplicius placabát. Et paulo poſt, Ceterùm ſalubritatem ſuam induſtriæ certiſsimo ac fideliſsimo monimẽto tuebátur: bonæque valetudinis eorum, quaſi quædam mater erat frugalitas, inimica luxurioſis epulis, & aliena nimiæ vini abundantiæ: & ab omni immoderato veneris vſu auerſa. Quæ cùm ſatyrographo Iuuenali haud quaquam eſſent incognita: quò liberius carpere poſſet Romanorum profundam ingluuiem, & lurconum quorundam extremam helluationem, ſic circa eſculenta, veterum laudat parſimoniam.

Hæc olim noſtri iam luxurioſa Senatus
Cœna fuit Curius paruo quæ legerat horto
Ipſe focis breuibus ponebat holuſcula, quæ nunc
Squalidus in magna faſtidit compede foſſor.

Quæris, quid tandem boni vel frugis attulerit, hæc tam ſobria vitæ ratio, & in cibo capiendo parcitas: atque in omni cultu corporis diligens moderatio? eũdem audi poetam.

Omnia tunc quibus inuideas, ſi liuidulus ſis,
Templorum quoq; maieſtas præſentior: & vox
Nocte ferè media mediamq; audita per vrbem,
Littore ab Oceano Gallis venientibus, & Dijs
Officium vatis peragentibus. His monuit nos,
Hanc rebus Latijs curam præſtare ſolebat
Fictilis, & nullo violatus Iupiter auro.
Illa domi natas, noſtraq; ex arbore menſas
Tempora viderunt.
At nunc, diuitibus cœnandi nulla voluptas.
Nil rhombus, nil dama ſapit, putere videntur
Vnguenta atq; roſæ, latos niſi ſuſtinet orbes
Grande ebur: & magno ſublimis pardus hiatu
Dentibus ex illis quos mittit porta Syenes,
Et Mauri celeres, & mauro obſcurior Indus.
Et quos depoſuit Nabathæo bellua ſaltu,
Iam nimios capitiq; graues: hinc ſurgit orexis,
Hinc ſtomacho bilis.

Quibus in carminibus quid aliud quæſo poeta Satyricus agit, quam vt nos edoceat, operoſas huiuſmodi cupedias, exquiſitaſq; lautitias, non ſolum ſanitati corporis eſſe vitioſas, verùm cordatis viris improbas apprimè videri, & haberi diuis infenſas? fugiendamque idcirco nepotum atque lurconum morboſam ingluuiem eſſe: & vtilem corpori temperantiam ſtudioſe vbiq; ſequendam. Sed & conuiuiorum pompam (quæ perditorum ſubſtantiã abſorbet) remque familiarem nepotinis quibuſdam helluationibus exhaurit, poeta idem præcipit eſſe fugiendam, haud ignarus quàm hæc ſit peſtis patrimoniorum diſſipatrix, & poſſeſsionum ereptrix. Delectant etiam (Cicero inquit) magnifici apparatus, ac vitæ cultus nimia cum elegantia & copia: quibus rebus effectum eſt, vt pecuniæ ſit infinita cupiditas. Pulchrè Tullius, Inſternuntur enim (dum conuiuium initur) lecti elegantiſsimè: magnificis parietes picturis exornantur, aut tapetibus poliuntur, titulis, imaginibus, & maiorum claro ſtémate plenis. Splendent ambitioſiſsimè inſtructi abaci, variè cælato auro & argento ſuperbientes. In apponendis autem cibarijs, miniſtrandiſque ferculis, & raris, & exoticis (de quorum ſapidiori conditura ab obſoniorum artificibus prius fuit pugna non leui certatum) videri vult ditior diues: pauperque contrà quam pro ſorte haberi ſatagit affluentior: dumq; maiorem temere tentat æquare, bonis miſer exuitur. Et meritò quidem hoc illi incommodi accidit. Neque enim eiuſmodi in rebus gliſcenti cupiditati (facultas ſi par non adſit) tam ſunt habenæ temere laxandæ, quàm tempeſtiuè contra fræni inijciendi. Præclare igitur Horatius,

An quodcumq; facit Mecænas, te quoq; verum eſt
Tanto diſsimilem, & tanto certare minorem?

Sed quorſum hæc ambitioſa oſtentatio, & in epulo exhibendo dementia? An tu, barbaricis inſpectis opibus famem poſſe putas increſcere? languidamque excitari ſaturato iam corpore orexim? Atqui opimas inter dapes, varietate ipſa obruta, ſæpe appetentia marceſcit: & quam ingens copia compreſsit auiditatem, exprimit inopia faucibus ſiccis hiantem. Vtque eſt rectiſsimè dictum.

Coquo perito, melius edulcat fames omnia.

Nunquam enim famelicus cibaria vilia faſtidit: tenuemque cœnæ minus conſiderat

apparatum, cui leniendę cauſa famis, veſci tantùm eſt cordi. Quid enim quęſo ſuauitatis habet, humano ſermone canoras aues, pretio emptas maximo deglutire? Quid ſcarorũ iecinora voluptatis afferũt? Quid phaſianorum & pauonum cerebella, phenicopterum linguæ, & à Carpathio vſq; freto per Nauarchios petitæ murenarum lactes? quibus ſuas olim Vitelius placentas conſarciebat? quid quæſo iucunditatis Heliogabali portentoſa conuiuia ferebant? Quid illa demens voluptas & barbara liquefactas aceto margaritas ad palati gloriam ebibere? ac ſuam cuique conuiuæ tali artificio vitiatam, in menſa deuorandã porrigere? Quod ampliſsimis in opibus, ab Æſopo Tragędo patre, Clodium hęredem relictum, à Clodianis temporibus author haud ita diſiunctus, feciſſe tradit Plinius? Cuins, inſanam gulam carpens, ad hunc modum meminit Flaccus,

Filius Æſopi detractum ex aure Metellæ,
Scilicet vt decies ſolidum exorberet, aceto
Diluit inſignem baccam: qui ſanior, ac ſi
Illud idem in rapidum flumẽ, iaceret uel cloacam?

Quid ego iam hîc, poſt obſcuri hominis tam prodigioſas epulas, ſecundas Cleopatra tuas menſas referam? quibus nũmorum vix credibilem ſummam fuiſſe conſtat impenſam. An, ſcilicet magnas inter opes regia enutrita puella, in eſculentis poculẽtiſq; regificè miniſtrãdis, luxu ſe aliquo priuato pateretur euinci, quę eſcariæ ſic inhiaret voluptatis magnificentiæ, vt ea vna in re opulentiam ſuam, regiamque omnem dignitatem, (ambitione vana corrupta) eſſe omnino ſitam duceret? Quid igitur victorem apud Antonium pretioſiſsima illa adſtante ope barbarica, mutuo ex certamine inita conuiuia exequar? Gloriata eſt coram. M. Antonio Cleopatra Ægypti regina nouiſsima, ſe vno ferculo ſecundæ menſę ſexcentis poſſe ſeſtertia conſumere. Fieri poſſe Antonius miratur: ſed cognoſcere tamen admodum cupit. Ad ſponſionem res proceſſerat: de magnificentia conuiuij viribus totis vndique certabatur, in id negotij creato prius iudice. Cum igitur viciſsim exquiſitiſsimis eſſent epulis excepti: ad extremum tandem, barbarici ingenij ſtratagemate vſa callido Cleopatra inuitat Antonium, non opipara & lauta dape (vt ſolebat antea) ſed vulgari hominem Cœna excipit: viciſſe ratus Antonius numerari iubet fercula. Interea per famulum, cui hoc fuerat clanculum demandatum, aureum vas aceto plenum Cleopatra apponi præcipit: Habebat illa vniones duos per Orientalium Regum manus ſibi traditos, & ſingulares, & magnitudine cõſpicuos: in quib⁹ elaborandis natura videbatur ſedulo fuiſſe verſata. His commodum cum ad ornatum auriũ eſſet Cleopatra vſa, arrepto vno aceto illũ immerſit: cuius vi in tabẽ ſubito reſolutam margaritam protinus abſorpſit: cumque facilitate pari alteri manum inijceret, à iudice ne id faceret prohibita, victrix declaratur: irato admodum Antonio, nouitate facti, ceu de manibus extortam ſibi fuiſſe victoriam: & conuiuij palmã ereptam. Sed prodigioſę luxurię miſſa faciamus exempla, quibus Alexandria in ditionem redacta (ſi Plinio credimus) Romanorum menſa turpiſsimè redundauit: adeò vt pretioſi aceto adulterati atqne corrupti lapides in conuiuijs increbreſcerent. Sic rerum ſecundarum affluentia, atque opum magna vis: corporis vigorem, & morũ diſciplinam, frugalitatis à maioribus acceptæ rectiſsimè bono fundatãm (inſolentem proſperitatis ob luxum temperantiæ ſalutari de medio ſublato prę ſidio) miſerabiliter labefacit, diſſipauit, attriuit.

RELINQVAMVS ergò ſpurciſsimi facti barbaram nouitatem, & hominibus ſanis parũ probabiles epulas. Reprehendit enim tam ſtolidas Natura lautitias: quantumque poteſt à ſe ipſa propellit, reſpuit atque faſtidit. At, quam hoc prudenter Euripides. Nam quid (inquit) mortalibus vſui eſt præter duo illa modò: Cereris munus, & dulcis aquę poculũ: quorũ nunquã ſatietas eſt? Luxus autem ſunt cęterarũ rerum indagines. Quam hominis ſententiam à Chryſippo nobili philoſopho perhibẽt ſępe vſurpatam dum cupediarias iſtas irritationes vellet reprehenſas: dicebãt enim non rarò, eiuſmodi cupedias non ex vitæ vſu: ſed ab animi vitiati libidine praua ortas eſſe, tranſuolantis in medio poſita: & fugientia ac difficilia captantis. Quę profectò res cauſam præbuit M. Varroni viro literatiſsimo, vt ea in ſatyra, quæ de peregrinis ciborum generibus, περὶ ἐδεσμάτων inſcripta eſt, genus hoc hominum carperet, eorum notatis edulijs. Idque quò helluones (quorũ profunda inglunies) hæc peſsimè inueſtigauiſſet, in bonorum hominum inuidiam, ſummumque odium adduceret. Nomina autem ſic à Gellio tradũtur, Pauus è Sammo: Phrygia Attagena: Grues Mellicę: Hœdus ex Ambracia: Pelamis Chalcedonia: muræna Tarteſia: Aſelli Peſſinuntij: Oſtrea Tarentina: Pectunculus

lus Chius: Elops Rhodius: Scari Cilices: nuces Thaſiæ: Palma Ægyptia: glās Iberica: Quæ ſcilicet omnia raritate ſumma: vel pretij magnitudine pręcipuè commēdabantur. QVOCIRCA, Patritius nullā voraginem, nullum barathrum eſſe dixit, quod rem familiarē magis pręcipitet, vel abſorbeat, quā gula. Quæ quò maximè impletur, maximè eſurit: quò melius prandet, melius cænare ſtudet. Adeo, vt nullæ diuitię tam ſint amplæ: ſupellex nulla tam præclara: nullæ tam magnæ opes, quæ paruo tēpore in ventrem non demergantur. Vnde, cùm priſcæ illius parſimoniæ, & in cibo potuq; capiendo acceptæ à maioribus frugalitatis tā eſſet Romano in populo diſciplina collapſa: vt iam planè interiſſe & ad nihilum redacta videretur, Lurconum quorundam helluationibus non ferēdis latę leges ſunt, quę profuſiores adipaleſque cœnas coercerent atq; cōſtringerent: impendijs ac ſumptibus prètio præfinito. Vt his ſaltem finibus, qui ex multarum legum pręſcripto, variè conſtituti ſunt: luxurię efferueſcentis ęſtus coerceri ac cōprimi poſſet. Hinc enim Æmilia, Licinia, & præſertim Fania profecta lex eſt. Quibus huic hominum generi adhibita fræna ſunt: & guloſitati modus appenſus. Quod quàm ij grauiter moleſtèq; tulerint, qui ingluuie ſæua gaudent: declarauit Duronius Conſul, turpes ſui animi mores ſaſſus. Eo enim ſuroris adactus eſt, promulgatis eiuſmodi legibus, vt Roſtra non ſit conſcendere veritus, impudenter ſcilicet illa declamaturus: Fræni ſunt iniecti nobis Quirites nullo modo perpetiendi: alligati & conſtricti eſtis amaro vinculo ſeruitutis. Lex enim lata eſt, quæ nos eſſe frugi iubet. Abrogemus igitur iſtud horridæ vetuſtatis rubigine obſitum Imperium. Etenim quid opus eſt libertate: ſi volentibus luxu perire non licet? Peſtilens ſanè oratio, ad corrumpendaſq; hominū mentes ſatis efficax; ni licentia tanta atq́ue morum diſſolutio in ciuitatis Romanę principe viro, cēſoria fuiſſet nota cohibita: ob hanc enim tam inuerecundam effrænemq́ue audaciam. M. Antonio & L. Flacco Cenſoribus Duronius hic ſenatu motus eſt. Ex quo non male Synopenſis Diogenes luxurioſorū ventrem, Charybdim vitę appellare ſolitus eſt: quod omnia deuoret, nec ſatietur vnquam. M. Cato cognomento ſenior, quendam mari finitimos fundos luxu coactum vendere mirari ſe dicebat: potentiorem enim maritimis fluctibus interpretabatur, cui tam eſſet in expedito vorare, quod verbere ſuo nō niſi ſenſim maris vnda comederet. Celebratur & huius in Albidium Lurconem iocus non il;pidus. Is enim cum ſacultates ſuas luxu prodegiſſet & ganeis, ędeſq; etiam deuoraſſet, poſtremò tandem Incendium eſt conſecutū fortuitum: quo quidquid erat reliquū, omne deflagrauit. Quæ cum audiſſet Cato, ita eſt in illum iocatus vt diceret, ab Albidio factam eſſe proteruiam. Id autem erat ſacrificij priſcum genus, in quo ſiquid fortè ſuper fuiſſet, ſeruari non erat fas: quin igni potius confeſtim debebat abſumi. Quo dicto Cato ſignificare volebat, perditiſsimi hominis extremam vitæ diſſolutionem, Fortunam tandem fuiſſe ludificatam.

HOC Comedendi ac bibendi vitio cū Græcia quōdam maximè foret infecta: Anacharſis vir grauis, qui Sapientiæ ergò omnem fermè Græciæ oram peragrauerat, miratus ſępe dicitur, quid eſſet cauſę quod apud Gręcos conuiuiorum principijs vaſculis potaretur minoribus, ſaturis tandem maiora magiſq́ue capacia vaſa apponerentur. Innuens & cibi & potus rationem, ad ſamem ſitimq; leniendam ſemper eſſe accōmodandam: eſſeq; propterea vitioſum & turpe, ſi extincta ſiti, tunc aliquis poculis indulgeret grandioribus. A quo vitio cum homines deterreret: vitem botros tres ſerre, ſæpiſsime dicebat: quorum primum ſpectare ad voluptatem, alterum ad ebrietatem aiebat: tertium verò moleſtiam adducere. Subindicans vini ſobrium vſum quod ſitim ſedet eſſe iucundū, largiorem gignere temulentiā, largiſsimum, rixas, cędes, & morbos. Qua propter rogatus aliquando quaquiſq; arte temulentię vitiū poſſet effugere: hoc (inquit) ille pręſtabit facilè: cui indecōri vinoſorū hominum mores ſemper erunt ob oculos. Proinde Plato temulentiæ deditis ſuaſiſſe dicitur, vt ſeſe ad ſpeculum poti contēplarentur: ita enim futurum, vt turpitudine perſpecta, vitij inſamiam exuerent. Valuit olim permultum ad ſobrietatem Lacedęmoniorum cōſuetudo. Hi enim ciues ſuos ab omni temulentiæ crimine alienos eſſe cupientes, Helotes omnes (qui ruſtico operi faciundo erant intenti) aut vilioribus domus miniſterijs ſeruorum inſtar addicti, mero multo ingurgitatos iuuenum exhibebant conuiuijs, vt adoleſcentes ipſi aliena fruentes inſania, ſimul & deformitatem, præcipitemq́ue furorē cernentes: parce ac ſobriè agere vitam addiſcerent: vnamq́ue ebrietatem, vt rem fœdiſsimam vbique auerſarentur. Pręclarè illi quidem: Quid enim tam ad inſani hominis naturam

ac-

accedit, quã ebriorũ motus omnis & actio?
Vnde acutè Anacharſis, cũ eſſet ab eo quæ-
ſitum, num in Scythia tibiæ forent: ne vites
quidem, reſpondit, ſignificans cum volup-
tates reliquas: tùm verò tumultuoſam iſtam
ſaltationem, quæ non procul diſtat ab inſa-
nia, nulla alia ex re quam è vinolentia naſci
alique. Quod intelligens .M. Cicero, cum
accuſante Catone, Murenam ipſe defende-
ret, hoc illi ab aduerſario vitium impingi,
grauiter viſus eſt ferre. Saltatorem (ait) ap-
pellat.L. Murenam Cato. Maledictum eſt,
ſi verè obijcitur, vehementis accuſatoris:
ſin falſò, maledici cõuiciatoris. Quare cũ iſta
ſis authoritate, non debes.M. Cato arripere
maledictum ex triuio, aut ex ſcurrarum ali-
quo conuicio, neq́ue temere Conſulem po
puli Romani ſaltatorem vocare: ſed conſpi
cere quibus præterea vitijs affectum eſſe ne-
ceſſe ſit eum, cui verè iſtud obijci poſsit. Ne
mo enim fere ſaltat ſobrius, niſi fortè inſanit
neq́ue in ſolitudine, neque in conuiuio mo-
derato atq́ue honeſto. Intempeſtiui conui-
uij, amæni loci, multarum deliciarũ comes
eſt extrema ſaltatio. Rectè nimirum Cice-
ro, laſciuę ſiquidem ſaltationis in Sene, vel
in reipublicę pręfecto nemo vnquã ſan⁹ pro
bauit ſtudiũ, ac ne in iuuene quidẽ: niſi inſa
mi Paridis chely reiecta, ad Achillis lyrã cõcin
nat modos, qua ſtirpe generis inſigni digniſsi
m⁹ Heros, ſe oblectare ſolebat: clarorũ facta
virorũ priſca canens: vſus iuuenis Chirone
magiſtro vt ait Homerus. Vnde præclarè A-
lexander ille Magnus: quũ tranſmiſſo Helleſ-
ponto Troiam inuiſeret, veterum heroum
res geſtas animo reuoluens: cuidam, ſi vel-
let, daturũ ſe illi Paridis lyram pollicenti,
Nihil (inquit) iſthac mihi eſt opus ô hoſ-
pes, cum Achillis lyram domi habeam. Vi-
ſum eſt ſtrenuo iuueni, qui ſe totũ ad Achil
lis normam componebat, vehementer ſibi
ad famam fore ſiniſtrum, ſi fides lyræ eius
attigiſſe videretur, qua Paris ipſe nihil vn-
quam præter laſciuos amores moduloſque
molles ceciniſſet. Qua ex re facile apparet,
ſaltationis eiuſcemodi peritiã minimè graui
bus viris cõuenire. Quod & philoſophus op
timus Antiſthenes dicto hoc aliquando de-
clarauit. Quum enim hominum quorun-
dam cætui intereſſet, Iſmeniã hanc ob cau-
ſam prædicantium, quod optimus eſſet ti-
bicen: nequam (inquit) hominẽ eſſe opor-
tet, nam ſi bonæ frugis eſſet, non eſſet egre
gius tibicen. Obiter inſinuans, pro bonis vi
ris habendos non eſſe, qui Dionyſiacis, Di
tirambiciſq́ue artibus diligentiæ tantum at-
q́ue operæ impendiſſent: ex quibus præter
voluptatem inanẽ, nil quicquam fructus ad
vitam q́ueat decerpi. Cuius rei quàm ſit vi-
lipendenda & faſtidienda peritia, vel ſenio-
ris hoc Dionyſij commento eſſe nequibit
obſcurum. Extat in veterum Collectaneis,
Syracuſarum Tyrannum Dionyſium cele-
berrimi cuiuſdam Citharœdi excitũ fama,
magnificis pollicitationibus ad ſe hominem
pellexiſſe, pacta illi mercede, ſi è veſtigio
quàm optimè caneret. Nam quò citius mu
ſico ſeſe labori accinxiſſet, eò maiora premia
cantus illum eſſe laturum, Tyrannus ſigni
ficauerat. Hic cantor dulciloquam arripiẽs
Chelym per dies aliquot melos cecinit arti-
ficioſum, dum ſe fidium peritia regijs oculis
commendari ſtudet maximè. Cumque fidi
bus tractãdis defeſſus, Citharam, Chelym,
lyram, ac muſicum tandem inſtrumentum
omne deponeret (in quibus tota ex arte ac-
curatè cecinerat) pollicitationum ſecurum
principem promiſsi lyricen admonuit, cui
ille, mercedem pactã bona iam fide à ſe di-
xit eſſe ſolutam. Et quonam pacto, muſi-
cus (ait) ô Dionyſi, cum ne teruncius qui-
dem mihi ſit laboris impenſus? Tum rex, ve
terator & callidus, dedi, ait, pro voluptate
voluptatem. Neq́ue enim minus te ego de-
lectaui ſpe: quam tu me cantu. Quæ Ty-
ranni verba ſi quis altius ſcrutetur, eò nem-
pe redeunt, vt à futilium rerum ſtudio, glo
riæ auidum virum, & honeſtatis atq́ue vir-
tutis amantem abalienẽt, atq́ue deterreant.
Socraticis etiam imbutus præceptis Alcibia
des, (cuius à latere puer nunquam diſceſſe
rat, voluptates omnes, indecôraſque artes
aſpernatus dicitur. Lyram argumento hoc
detrectabat, ꝙ humanã vocẽ ęmularet̃, ple-
ctrũ, ꝙ habitũ, formamq; liberalẽ mutaret
in illiberalem. Nã & tibiam duplici de cauſa
execrabatur, cum quia oris habitum in eam
formam traduceret, vt vix ab amiciſsimis di
gnoſceretur, qui eas inflaret: tum quia vocis
munere tantiſper priuaret, dum ea quiſque
canens vteretur: idque propterea ab eo ſæ-
pius auditum eſt: tibijs canant Thebanorũ
filij: loqui enim neſciunt. Nobis verò Athe-
nienſibus gentis noſtræ & Apollo præſes
& princeps eſt Pallas, quorum hæc confre-
git fiſtulam: ille verò tibicinem excoriauit.
Quocirca laudari à Plutarcho Agathon iu
re ſolet, quod tibias è conuiuio reiecerit: ſa-
tis ſuperque ad delectationem animi atque
iucunditatem ratus, illorum eſſe qui epulis
accumberent doctam confabulationem. Sa
pientis enĩ ſermone viri ad vitæ laudẽ perue

nire cupienti, nulla debet muſica videri præſtantior. Pulchrius nanque homini eſt, animi fidibus ſcire: quam inſtrumenti muſici doctè fila tractare. Et quamuis (iuxta Flacci præceptum) diſciplina vitæ non ſit è Sympoſio petenda, Sic enim ille ait,

Diſcite non inter lances, menſaſq; nitentes,
Cum ſtupet inſanis acies fulgoribus, & cum
Acclinis falſis animus, meliora recuſat:
Verùm hic impranſi mecum diſquirite, cur hoc?
Dicam ſi potero. malè verum examinat omnis
Corruptus iudex.

Philoſophorum tamen conuiuales epulæ (vt à nobis ſignificatum eſt antea) eiuſmodi ſunt: vt acumini mẽtis nihil ſint vnquam impedimenti, vel obſtaculi allaturæ. Ex horum itaque menſa, in qua & fercula frugi, & cyathi ſobrij atq; breues conſpiciuntur, non minus ſalutaria audiri vitæ monita, quã diſciplina morũ vtilis hauriri poteſt. Quorum enim ſedationi famis ſeruiunt cibi: ad extinguendamq; ſitim pocula porriguntur: horum profectò etiam cum epulis vacant pulchra dicta cuncta, honeſtaq; facta ſunt: ipſiq́ue vitæ noſtræ, vel fructuoſa maximè: Pulchrum eſt enim, honeſtiqui emolumenti plenum opus, clarorum virorum & dictis & factis; ad ſobrietatem victus atq; morum temperantiam, homines erudiri. Sed ad ſaltationẽm ipſam veneream, Dionyſiacaſq́ue artes reuertamur. Quæ in procerum epulis vbi non tam de naturæ neceſsitate ſatisfacienda, quam de guture & ventre improbè explendo aſsiduè agitur, inuerecundè ſæpe ſpectari ſolent. Quæ iudicio meo eiuſmodi ſunt, vt inſidioſo quodam nimiſque fallaci aſtutiæ commento, ad expugnandam pudicitiã excogitatæ eſſe merito videantur; Rectè igitur Philippus Macedo, cum audiſſet loco quodam Alexandrum eius filium ſcitè admodũ cecinisſe, ciuiliter obiurgauit: & non te tui (inquit) pudet: qui noris tam belle canere.

SED REVERTAMVR illuc, vnde diuertimus. Perhibent ij, quibus diſciplinas honeſtas poſteris prodere ſtudium fuit: inter alias Solonis leges (qui Athenienſibus quõdam iura ſanxit) hanc tunc ab illo ſcriptam eſſe. Vt quicumq́ue princeps ebrius deprehenderetur, capitis è veſtigio ſupplicio plecteretur. Exiſtimabat enim vir ſapiens, vilium hominum infame vitium, eo in viro in quem omnium eſſent & oculi & ora cõuerſa, vita eſſe mulctandum. Ne vinoſa peſtis progreſſa latius, fomitemque nacta potentiæ: vel orbi exitium, vel ditioni ſaltem ipſius, miſeriæ cladem aliquam, aut vaſtationem afferret. Huius rei non ignarus, vir ſapiẽtia clarus Androcides cum ebrietatem audiſſet Alexandri, ad eum his verbis dedit epiſtolam. Memento Rex inclyte, cum vinum potas, terræ te haurire ſanguinem: quod quidem præſentius atq; efficacius virus eſt, quam peſsima herbarum omnium cicuta. Sic & Athenienſis Phocíon, cum forte vidiſſet Philippum Macedonem multo vino prolutum, contra, quam tantum principem deceret, cum familiaribus indecôre ſaltantem per mediam captiuorum turbam, illis interim captiuitatis exprobrantem ſortem infœlicem, ira incandens Phocion, ô Rex (inquit) cum Fortuna tibi Agamemnonis perſonam impoſuerit, ecquid te pudet factis Therſitem agere? quæ hominis tam libera vox, temulentiæ vitium actutùm regi excuſsit: amatumque vitæ genus ſobrietate mutauit. Accidit nimirum regi, quod perditiſsimo iuueni Polemoni Xenocratis philoſophi ſcholã ebrio ingredienti, diximus vſu veniſſe. Qui, cum de temperãtia ſanctiſſimè diſſerentem, eximium virum audiſſet, vitæ conſciẽtia tactus: frugalitate deinceps amata, luxuriæ poſuit amorem: tam acriter virtuti deſudans, vt ſcholæ ſucceſſor haberi meruerit. Similiter Philippus Phocionis reuerentia motus, cuius integritatem animi nouerat, cupiditatem vini penitus euulſit animo.

TRADVNT annales temporum, Philippi regis ætate, Athenarum populum nobilium copia oratorum maximè viguiſſe: inter quos præcipuè florebat cum Demade Phocion. De quibus ſic à Plutarcho atque veteribus proditum: multiloquum illum; Laconiſmo hunc contra delectatum, parco vſque fuiſſe eloquio: improuiſum illum; imparatumq; ſæpe dixiſſe: hunc rurſus dixiſſe vnquã nihil immeditatum: Pecuniæ negligentem Phocionem, Demadẽ è diuerſo nimis amantem ac ſordidum. Vnde Antipatrum regem ſolitum ferunt dicere, cum duos Athenis haberet amicos, neque Phocioni vnquam perſuaſiſſe, vt acciperet: neq; Demadẽ aliquando largitione expleuiſſe. Luxus inſuper amicus erat Demades, ac ventris ſtudioſus: Phocion eiuſmodi rerum acerrimus hoſtis. Euẽnit igitur, vt à Phocione Demades conuiuio exciperetur: apud hũc Demades cum accumbit, tenuem videns apparatum: Admiror te ô Phocion (inquit) qui ſæpe rempublicam geras, cum ad iſtum modũ cœnare ſuſtineas? Sententia non ſemel aberrans in vna, &

quod

quod pro vectigali & quęſtu rēpublicā eſſe crederet obeundam: & quod voluptatis luxū in viro publicis curis atque negotijs diſtricto probaſſet. cui vel omnium maximè expediret eſſe ſobrium. Sed imparilitatem hanc naturæ relinquamus: noſtraq; ſe illuc, vnde eſt deflexa, protinus oratio conferat. Androcidis & Phocionis libertatem ſucceſſu diſpari imitatus Praxaſpes, Perſarum regem Cambyſem admonuit, vt mero parcius vteretur: eſſe enim regi turpem ebrietatem, in quem omnium oculi conijcerétur. Iratus Rex, declarabo, ait, quam mihi ipſe conſtem, qui tibi videor ebrius. Quo dicto, ſolito largius bibit: ſimul & Praxaſpis filiū coram iuſſit accerſi, quod vbi eſt factum: ſiniſtram in caput ei manum imperat alleuari: incuruatoque (quem iam acceperat) arcu: ſagittam in cor vibrat adoleſcentis, dextraque certa transfigit: reſecatoque pectore, ſpiculo transfixum cor miſero tradit parēti: & ecquid parum certus ebrij ictus, rogat, extiterit? At ille infœlicitatem ſortis diſsimulans, ac premens acceptam cladem: potuiſſe negat mitti certius ab Apolline. Quod tam barbarum & immane Regis factum ſatis arguit, quam non ſit tutum principibus viris vitia obiectare: vel ſalubria interdum conſilia dare. Nam quis non intelligat Praxaſpis admonitionem premio non ſupplicio fuiſſe digniſsimam? Cum præſertim & vini & cibi profuſior vſus culpatiſsimus ſit in principe: cuius eò maior debet eſſe frugalitas: quo & vita notior, & dignitas eſt illuſtrior. Romanorum Cæſaris Octauij à veteribus ſolita eſt laudari ſobrietas. Vnde Romano populo de vinariæ annonæ ſummo pretio & caritate conquerenti quandoque acriter dixit, ſatis prouiſum eſſe à genero ſuo Agripa (tot in vrbem ductis aquis) ne homines ſitire poſſent. Celebratur & Veſpaſiani in cibo capiendo parcitas, quèm valetudinis cauſa (eſt enim ipſa cibi deductio morborum omni generi apprime ſalutaris) primo quoque menſe inediam & famem diei vnius ſibi ferunt indixiſſe. Fuit & temperans notus virtute bellica Scipio: quò factum eſt, vt à luxu omni, cupediarijſque lautitijs quam maximè abhorreret: Accidit ergò, vt per lōgum temporis ſpatiū abeſſet à caſtris, in quæ cum eſſet tandem reuerſus, licentiam militum, & cum ſuperſtitione ac luxu laſciuiam magná reperit. Corruptæ itaque diſciplinæ dolens: Augures, coniectores, ſacrificuloſque omnes cum lenonibus caſtris exegit. Corinthia vaſa & Thericlea pocula amoueri iuſsit, relicta coquendis carnibus olla, vel in igni verſandis veru, ſimul & fictili vaſculo: vetuit & balneis vti: interdixit etiam ſeſe vngentibus, vt non ab alijs, ſed ſe fricaret quiſque, beſtijs dictitans neceſſariam eſſe fricantis operam, quod eiuſmodi miniſterio inutiles manus haberent. Quin etiam edicto cauit, vt ſedenti nulli capere obſonium liceret: ſed cibis vterentur ſtantes: cœnare tamen iuſſit diſcumbentes vel panem, vel ſolam pultem: aſſas elixas ve carnes: ipſe interim vili coopertus ſagulo colluſtrabat exercitum, dicens ſe lugere exercitus ſui dedecora. Declarauit & Thebanorum dux egregius Epaminundas, quàm ab omni intemperantia abhorreret ipſe: omnemque oporteret alienum eſſe principem. Cum enim celebri quadam feſtiuitate genialis ageretur dies: ac compotationibus omnes, libidinique vacarent: forte accidit, vt vni è familiaribus Epaminundas factus ſit obuiam, cogitabundus & ſqualidus: qui cum hoc inſolitum in duce tāto miraretur, ſolenni pręſertim die: cauſamque rogaret, cur ſic affectus eo temporis articulo ambularet: vt vobis (inquit) ebrijs eſſe liceat atque ſecordibus. Significans, tūc demum maximè principi eſſe animo excubandum: cum plebs temere genio indulget, ſeq; in turpitudines laxat ebria. Vſu quippe non rarò venit, vt ciuium animis per crapulam & ingluuiem ſepultis, inexpugnabiles alioqui capiantur vrbes, hoſtiumque libidini ludibrio ſint, & reges ipſi captiui trahantur, vnde rectè Vergilius ait, Inuadunt vrbē vino ſomnoque ſepultam. Ex quo fit, vt nulli non mortalium ipſa ſit intemperantia fugienda. Vnde de temperantia diſputans, haud male ſic in quinto de inſtitutione reipublicæ Patritius inquit: Viuat vir ciuilis moderatè admodum, eiuſque ſit menſa frugi, ac temperata. Intemperantia enim & ingluuies corpus debilitat, & animum frangit. Nam ſicut temperantia longam Iuuentutē facit, valetudinem & honeſtum corporis habitum conſeruat: ſic hæc præcipitem ſenectutem, inualidum corpus, & faciem ſqualidam ac fœdam pręſtat. Verum nanque eſt quod à medicis vſurpari ſolet, videlicet longè plures eſſe, quos ingluuies ac crapula perimit: quam quos enſis & inedia. Neque hoc tantum dixiſſe contentus eſt: ſed in ſexto mox de regno ad hunc modum diſſerit. Hęc ſobrietatis virtus valetudinem noſtram conſeruat, & vitam diuturniorem, ſalubrioremque reddit: quin etiam corporis animiq; ſenſus ad vltimum vſque vitæ noſtræ finē perducit

ducit integros atque incolumes. Qui verò vino ciboq; ſe immergunt: ſtolidi, ignaui, obtuſiq; fiunt: raro longęui ſunt: facile ęgrotant: magna cum difficultate curantur: ac corporis viribus, animique virtute quam primum deſtituũtur: fiuntque deliri, atque omnibus contemptui, ludibrioque ſunt. Adeo, vt neceſſarij omnes ac familiares eis interitũ optent. Bene igitur Socrates eiuſmodi rerum noxiam appetitionem ſenſim domabat, accuratèque vincebat. Vbi enim palęſtrico ſeſe certamine exercuerat, domũ feſſus repetens, potui nõ indulgebat (quod palæſtritæ cæteri crebrò factitabant) ſed fami ſitique prementibus animum pręſtabat inſuperabilem, præſenti veluti malo reluctans. Huius tantæ conſtantiæ cauſam ſciſcitantibus, Ego (inquit) hoc facio ne affectibus obſequi aſſueſcam. Docens non libidini effræni, appetitui ve vaganti: ſed rationi ſemper eſſe parendum. Dicebat etiam & illud, eos qui ſe ad continentiam ac frugalitatem exercuiſſent, longè plus habere voluptatis, & minus dolorum: quam qui oblectamentis parandis ſumma ope adniterétur. Quòd voluptates intemperantium præter animi ſibi male conſcij cruciatum, præter paupertatẽ & infamiam: etiam corpori moleſtię plus, quam delectationis afferant. Semper enim quæ optima ſunt, iucundiſsima fieri: modò aliquis aſſueuerit. Rectè Socrates. Sed & vetuſtiſsimus author Hermes Ægyptius (qui ob eximiam pręſtantiſsimarum rerum ſcientiã Triſmegiſtus eſt ab antiquis appellatus) veri & germani boni notitiam adipiſci cupienti, luxuriæ peſtem præcipit eſſe fugiendam. Sic enim in Pymandro loquitur. Fugiendum in primis malum eſt, ventris luxus: malorum omniũ fomes. Hinc error, hinc boni priuatio. Sapienter me hercules dictum: intemperantia quippe (iniuſtitiæ inſtar) vtramque ſanitatis rationem peruertit atque peſſundat; ęgritudines miſeras inuehens animo: & moleſtis corpora morbis affigens. Nullo ſiquidem pacto valetudini cum intemperantia conuenire poteſt: ſiue tu hominem exterius, ſiue interius potius ſpectes. Malorum nanque cunctorum ipſa eſt ſeminatrix, & altrix intemperantia: perturbationumque omnum mater. Ex qua ceu ex fonte, vitiorum & animi & corporis ſcaturigines pruriunt: vt Pythagoras, Plato, & cum Galeno Hippòcrates (cuius in re medica pro oraculo verba ſumuntur) memoriæ prodiderunt.

NVNC VERO quoniam intemperantiæ ris vitæ viam ingreſſos mala plura ſequũtur: ac reuera inſtitui id genus ſequutos, laſciuiæ quodam verbere Venereus furor ſolicitat (ſemper enim potione ac cibo completos laſciuus amor occupat: quod vel vino madidus Terentianus ille Chremes ſenſit, cum ait,

Sine Cerere & Libero, friget Venus.)

De fugiendo amore, Venereque vitanda (quando hæc voluptatis pars multo teterrima, humanum genus diſcruciat, ſtimuliſque exercet maximè) breuiter dicendum eſt.

NICETES.

NAE TV optime Philemon, diſputandi quodam amore, eò ſenſim raperis: vt tacenti mihi difficilius eſſe nihil videatur, quam dictioni tuæ finem imponere: & modum orationi pręſcribere. Ita enim ferris in altum (dũ perſcrutanda exactius quędam ducis) vt nihil omnino relinquas intactum. Quæ vbi tacitus contemplor animo, & cogitatione ſingula luſtro: illud profectò mihi venit in mẽtem quod à maximis ſolet oratoribus & pręcepti loco poni, & moneri diligentius. Scilicet, ea quæ ad euincendas cauſas neceſſaria admodum non ſunt, taciturnitate tegenda eſſe: & in id cõtrà pectore toto incumbendũ; quod obtinendæ cauſæ, habere opis plurimum, firmamentique videbitur. Eſt enim accuratè elaborandum, ad cauſæ merita atque exitum reſpicienti, faſtidio ne iudici ſimus: cuiuſquidem religio, pręclara eſt aliqua argumentatione offirmanda, & roboranda ratione: non leuibus dictis atque friuolis peruellenda. Tũ etiam diſſerenti tibi id in primis reſpiciendũ eſt: vt lineæ & clepſydrę memor ſis: quorum alterum huc ſpectat vt digreſsiunculis quibuſdam haud ita propoſito congruentibus, poſthac vtare parcius. Alterum eò pertinet, vt temporis (cuius iuxta Theophraſtum pretioſiſsimus eſt ſumptus) rationem vbique diligenter putes habendam. Eleganter ſanè Plato, prolixius aliquando diſſerentem Antiſthenem verbis his commonere viſus eſt. Videris (inquit) ignorare quod orationis modus non eſt is qui dicit: ſed is qui audit. Sic & Carneades, cum eſſet in diſſerendo vocalior, admonitus eſt à gymnaſij principe, vt vocem moderatius promeret. Sed quum ille à gymnaſiarcha peteret, vt ſibi pręſcriberet modum: ſanè quam appoſitè reſpondit. Iſthuc, quod à me petis: rectius ſumes ab auditoribus. Huc etiam haud inconcinne Apellis illud de Protogene dictum nobile poteſt deflecti. Is enim cum Protogenis opus, laboris ac curæ ſupra modum anxiæ, miraretur, dixiſſe

xiſſe fertur, omnia ſibi cum illo paria eſſe, aut illi meliora: ſed vno ſe prętare, quod manum ille de tabula neſciret tollere: memorabili præcepto (vt Plinius ait) nocere, ſępe nimiam diligentiã. Nec verò aliorſum pertinere crediderim, Scauri illud nobile elogium celebratum à Seneca: hic enim dicere ſolebat, oratoris non vltimam laudem eſſe, ſcire deſinere. Nam ſint licet hæc præclara, ac ſuo penè genere perfecta: tamen vel faſtidioſa poterunt, vel nõ neceſſaria videri, cũ tam longo orationis filo ducuntur, ac ceu ambitioſo ad pompam ambitu poliuntur, àteque tot verbis ornantur. Quapropter amabo te mi Philemon, breui hoc expedi de voluptate quod reſtat. Quippe, vbi ſemel eris ardore progreſſus in altum, tabificã amoris ſtylo enucleans cladem: timeo ſanè, ne vel ęgrè (quod aiunt) ad portum ſis appulſurus: vel quod tempeſtiue tibi animo debes proponere, hoſpitium tardè viſurus. Atq; vtinam meis tantum auribus eſſet ſeruiendum, ſed (vt vides) neque ex auiditate animi tui: vel cupitate noſtra, diſcendorum tibi eſt regula conſtituenda: ſerijſq; iam de rebus oratio auſpicanda. PHIL. Enitar ſedulo ſatis, vt tibi faciam: ſed & orationi itidem cauebo meę, cuius neque velim moleſtam eſſe longinquitatem: neque breuitatem, plus iuſto compendioſam, videri doctis abſurdam. Quis enim non videat, ſtultam eſſe orationem: quę breuitatis ſtudio neceſſaria prætereat? Nam que ego ſic ſtatuò, magnis de rebus ſilere omnino turpe eſſe: rurſumq; ſuſceptas tractare parum dignè, viri munus infantis. Quamquam, quod ad me attinet, non video cur hæc ocioſa dici poſsint, atq; vacantia, quæ à ſuſcepti operis inſtituto neq́ue abhorrẽt; neque præſcripta ſua, aut ſepta legitima egreſſa, hincinde temere errant. Sequar igitur quod propoſitum eſt, dabiſq́ue bonus veniam. Nam Athenienſis Plato, qui & dicendi & tacẽdi leges egregiè callult: prudentis vim oſtendens orationis, ridiculum exiſtimauit: ſtudio aliquo breuitatis neceſſaria prætermittere. NIC. DO, medio critatis aureę, dum mòdò memor ſis. Etenim non orationis ſolum, cuius modus ſemper eſt optimus: ſed & cæterarum rerum ita ſeries tẽperanda eſt, Vt nequid Nimis. Quocirca ſapienter multis ſentire viſus eſt Flaccus dum ait,

Inſani ſapiens nomen ferat, æquus iniqui:
Vltra quam ſatis eſt, virtutem ſi petat ipſam.

Proin tu, dum ſuauitate orationis, ac dulcedine rerum captus, dicendo ferris in altum; vide, vt,

Sapienter idem
Contrahas vento nimium ſecundo
Turgida vela.

PHIL. Tentabo: tu tamen ſilentium tene: Hinc enim ſuſceptam rem iam auſpicabor. SCRIBVNT Arabes: Hi enim præter cęteros libidinoſo hoc de Amore multa ſunt pulchrè locuti, Amoris ęgritudinem nihil aliud eſſe, quàm nimium quendam animi affectum atrę bili affinem atq; conſimilem: qui mentem aſsiduè agitans perurit ex imagine & forma alicuius pulchritudinis: quæ oculis & animo amantis inſidẽs, incumbit. Is autem (vt optimè tradit Crinitus) magis ſubinde inardeſcit, in ſiti deſiderij ſomentis accenſus: donec votum conſequi valeat. Ex quo, cuiuſmodi ſit laſciui amoris exiſtimanda natura, cognoſcere promptum eſt. Eos porrò morbus hic pręcipuè inuadit, atque macerat, quorum res omnes ſunt proſperæ, atque iucundæ, & à negotijs ſerijs alienus ac liber animus. Nam negotiorum turbine diſtrictos, pauprie preſſos, triſtis ve Fortunę calamitate fractos peruicax hic affectus non torquet. Vnde, facete Diogenes, rogatus quid Amor eſſet: ocioſorum hominum negotium eſſe reſpondit. Quod & Menedemus ille ſe ipſum ob filij crucians diſceſſum ſenſit, cum vicino Chremeti (ea in comędia cui ipſius labos nomen indidit) laboris ſui cauſam explicat: & filij enarrat fugiẽtis amores: ſic enim ait,

Eſt è Corintho hic aduena anus paupercula,
Eius filiam ille amare cœpit perditè,
Prope iam vt pro vxore haberet: hæc clam me omnia.
Vbi rem reſciui, cœpi non humanitus,
Neq́; vt animum decuit ægrotum adoleſcentuli
Tractare: ſed vi & via peruolgata patrum:
Quotidie accuſabam: Heu, tibi ne hæc diutius
Licere ſperas facere me viuo patre,
Amicam vt habeas prope iam vxoris loco?
Erras, ſi id credis, & me ignoras Clinia,
Ego te meum eſſe dici tantiſper volo
Dum quod te dignum eſt, facies: ſed ſi id non faxis,
Ego quod me in te ſit facere dignum, inuenero.
Nulla adeo ex re iſthuc fit, niſi ex nimio ocio.
Ego iſthuc ætatis non amori operam dabam,
Sed in Aſiam hinc abij propter pauperiem, atq́; ibi
Simul rem & gloriam armis belli reperi.

Nimirum ergo ocioſa vita, amoris illiciũ eſt. Rectèque Ouidius ablato ocio, Cupidinis arcus perire cenſet. Vtinam tamen Me-

nede-

nedem illa ſalutaris ac ſapiens amantem in filium aſperitas, nõ tam facile corruiſſet, affectu emollita paterno, longe enim melius ſeueritatis priſtina ſentẽtia manẽte & ſuis & filij rebus ab illo eſſet conſultũ. Sed dũ non nimis aſper pater videri cupit, iuſtæ irę pœnitẽtia parum ſobria erranti iuueni ad peccãdum fecit animos, audaciã enutriuit, inſanoq; liberius dedit amore frui. Quocirca acriter vſq; contendendũ eſt animo,. ſummaq; ope enitendũ: vt in exequendo debitę virtutis officio, mollitudine nulla victi vſq; quaq; perſeuerem⁹. Ne, qui imperio noſtro ſunt regendi, & exẽplo firmãdi, ad ſolutionis vitę pernicioſam licentiã, dũ ingenij noſtri facilitate nimia liberius abutũtur, patefactã ſibi impunè ad nequiter agendũ feneſtrã arbitrẽtur. Sed ſuſcepti interrupta fila penſi tẽpeſtiuè repetamus, ne propoſiti noſtri nimiũ videamur obliti.

AMORIS igitur fomitẽ nimio ex ocio, latè vndiq; fumicantẽ, ac veluti flammeſcẽtẽ vel extinguamus quã primũ: vel tempeſtiuè adobruam⁹. Labefactat enim peſtis hęc ſtatũ mentis: cui Imperiũ animi à natura datũ eſt. Vnde annominatio illa apud rhetores in primis celebris, laudari ſolet. Vt omnes ſunt amẽtes amãtes! Quod & vetus parœmia docet, qua aiũt, amare & ſapere vix à Deo eſſe cõceſſum. Quę enim inſania certior, aut quę maior cæcitas mẽtis excogitari poteſt, quã illa Terẽtiana in Eunucho, amãtis Phœdrię: triduũ ab amicę cõſpectu abeſſe meditãtis, vixq; morã tantã, aiebat vt ipſe, ferre ſuſtinẽtis? Sic enim Parmenonẽ ſeruũ alloquitur,

Phed Ego rus ibo, *atq; ibi manebo. Par. cenſeo.*
Phed. Sed
Heus tu. P. Quid vis? Phed. cenſen poſſe me obfirmare, &
PerPeti, ne redeam interea. P: te, ne: non hercle arbitror,
Nam aut iã reuertere: aut mox noctu te adigẽt horſum inſomnia.
Ph. Op⁹ faciã, vt defatiger vſq; ingratis vt domiã.
P. Vigilabis laſſus, hoc plus facies. Ph. Abi ſis. Nihil dicis Parmeno. (*dulgeo*
Eijciũda hercle haec mollities animi eſt nimis mi in
Tandem ego non illa caream ſi ſit opus, vel totum triduum?
Par. Hui?
Vniuerſum triduum? vide quid agas? Ph. ſtat ſententia.
Par. Dij boni! Quid hoc morbi eſt? Adeon homines immutarier
Ex amore vt non cognoſcas eundem eſſe? Hoc nemo fuit
minus ineptus, magis ſeuerus quiſquam, nec magis continens!

Quis igitur hinc amantiũ non perſpiciat inſaniam, cũ hunc tã ineptire vbiq; videat? At, cuiuſmodi Phædria fuerit anteaquã ſe amori dicarit, graphicè ſatis ſeruus ipſe depinxit. Qualis autem præ amore ſit redditus, delirantis Phædriæ facile verba indicant. Nam quis neſciat, ſuã cuiuſq; orationẽ, vitę ſpeculũ: atq; animi verũ organũ eſſe? Neruorũq; inſtar in fidibus ita ſonare (quemadmodũ ſupra docuimus) vt à motu animi ſit pulſa: raroque ideo aliter quemquam loqui poſſe (niſi iam nimium peruerſè ac malicioſe ſit callidus) quam animo ſit affectus.

SED NIMIRVM amantium impotentiã rimari, dum cæco hinc inde furore trahuntur, operępretium eſt: ſtultiloquentiamq; audire non iniucundum. Non ne animi pendens, ſolicitudine mira angitur Plautinus Alceſimarchus, quod dies ſex in villa per patrem ſit ab amica ſeparari coactus? ſuoſque interim cruciatus memorat, quaſi planè iam ſit ſibi amore moriendum: ſic quippe ait

Credo ego Amorem primum apud homines carnificinam commentum.
Hanc de me conie cturã domi facio, ne foris quærã:
Qui omnes homines ſupero, atq; antideo cruciabilitatibus.
Iactor, crucior, agitor, ſtimulor verſor in Amoris rota: miſer
Exanimor, feror, differor, diſtrahor, diripior, ita
Nullam mentem animi habeo. Vbi ſum, ibi nõ ſum: vbi non
Sum, ibi eſt animus.
Ita mihi ingenia ſunt quod lubet non lubet iam id continuo:
Ita me Amor lapſum animi ludificat: fugat, agit, appetit:
Raptat, retinet, lactat, largitur: quod dat, non dat eludit.
Modo q ſuaſit, diſſuadet: quod diſſuaſit, id oſtẽtat.
Maritum is mõribus mecum experitur, ita meum
Frangit amãtem animum: neq; niſi quia miſer ne ea poſſum,
Mihi vlla abeſt iam perdito pernicies. Ita pater
Apud villam detinuit me hoſce ſex dies ruri
Continuos, neq; licitũ interea eſt meã amicã viſere:
Eſt ne hoc miſerum memoratu?

Quid hoc? nimirum labaſcunt victi furore ſenſus: nec ſe iam ipſi audiunt amãtes? Ita vſq; & ſtulta & inania crepant? Incerte errat animus, pręter propter vitã viuitur: trãquillitas nulla animo adeſt, ferue tq; moleſta cupidine pectus: ipſaq; interim vſq; adeo morbigliſcit inſania, mala vt appetat ſua, ac modũ

tenere non valeat. Nam quis putet cladém nó ſentire ſuam, qui tam examuſsim ſui vim eloquitur mali? miſeriaſque omnes ſigillatim amoris recenſet? Sed vadit in præceps mens, intelle ctaque damna corrupto in pectore condit. Quo fit, vt exiſtimẽ nihil aliud eſſe libidinoſum hunc, laſciuumque amorem, quam ex aliena pulchritudine conceptam, animi impotentiam quandam in certa cognitaque pericula irruentis: gradum ſed retro non valentis conuertere. Videre ſiqui dẽ ſæpenumero eſt, eos, qui eiuſmodi ſint furore animi ac morbo correpti, ſana cognoſcere monita, & honeſta laudare conſilia nec poſſe tamen ſalubria dicta capeſſere: ec quid aliud, quęſo, meritricios mores & thechnas à ſeruo edocti Phœdriæ illa nobis ſignificat nobilis acclamatio?

O indignum facinus! nunc ego &
Illam ſceleſtam eſſe, & me miſerum ſentio!
Et tædet, & Amore ardeo: & prudens, ſciens,
Viuus, videnſq; pereo: nec quid agam ſcio!

Certe, quamuis amore captus, ſuum ſentit errorem: eſſe tamen, quo miſer corripitur furori nequit remedio: aut ſaltem id curat parum. Quocirca haud ineptus mihi videri ſolet, quiſquis illud cecinit,

Heu, Heu malum exitioſum nunc mortalibus,
Vt quis ſciat, tamen non vſurpet bonum!

Sophocles. Immedicabile vtique hoc eſt, & malũ rationi prorſus repugnans (Plutarchus ait) vt ne etiam dicam miſerum: ſi hoc noſti, quod eſt melius: & ad vitæ intemperantiam, atq; mollitiẽ ſummi dedecoris prolabare. Quid enim turpius, quam cum id quod deceat pernoris, in contrarium velle niti, à teque ipſo diſcedere? Scribit Cicero, dum Athenis quondam agerentur Panathænea Atticum ſenem à ſuis fuiſſe ciuibus ludibrio habitũ: ſtantem enim tanquam ſeſſum recepturi loco inuitabant, venientem rurſum aſpernabantur, dictiſque ſalſis propellebant, credulitatem hominis irridentes. Qui vbi diu, hinc inde ſpe eſt loci fruſtratus à ſuis, ad Lacedæmoniorum (qui forte aderant) legatos non ſine pudore peruenit. Hîc Lacedæmonij omnes ſimul aſſurgentes, ſenem loco receperunt, honeſtaque in ſede locarunt. Delectatus hac re Athenienſis populus cum eſſet, multaque geſtuum ſignificatione lætitię plauſum dediſſet: Spartanus doctè ait; Abſurdum eſt, cum recta & honeſta noris: factis nolle præſtare. Vnde non ſine cauſa Citieus Zeno, multorum encomijs decantatã Heſiodi ſententiam, qua volebat illum optimũ eſſe cui quæ agẽda eſſent, per ſe ipſum facile occurrerent, cumq; proximè accedere, qui aliorũ ſapienter inuẽtis animũ obſequẽtẽ pręſtaret (ſic enim dicebat Heſiodus)

Optimus ille quidem eſt, ex ſe ſe qui omnia nouit:
Is rurſus bonus eſt paret qui recta monenti.

Ordine ſemper pronuntiabat inuerſo, carminaque ad hunc modum efficta canebat,

Optimus ille quidem, qui paret recta monenti:
Sed probus ille quoq; eſt, qui nouerit omnia per ſe.

Cauſam porro cur ita exiſtimaret, eſſe illã aiebat: quod qui ex ſe noſſent omnia, pręter intelligentiam aliud haberẽt nihil. At verò, qui rectè monẽti obtẽperent, nó intelligẽtiã habere ſolũ, ſed ipſum etiã effectũ. Qui vnus in conſilijs capiẽdis (cum intelligentia non deſit) ſemper abeſt amãti. An nouercæ phædræ priuigni Hippolyti amore inſano flagrãti, turpitudinis ſuę dicemus ſcientiã defuiſſe cũ à nefanda flãma deterrẽti nutrici, ſceleris nó ignara ſui argutè Phędra reſpódeat? ſed prius ipſa nutricis monita audiam*, dicẽtis:

Theſea coniux, clara progenies Iouis,
Nefanda caſto pectore exturba ocyus,
Extingue flammas: ne ve te diræ ſpei
Præbe obſequentem Quiſquis in primis obſtitit
Pepulitq; Amorem, tutus, ac victor fuit:
Qui blandiendo dulce nutriuit malum,
Sero recuſat ferre, quod ſubijt iugum:
Nec me fugit, quam durus, & verè inſolens
Ad recta flecti regius nolit tumor.
Quemcunq; dederit exitum caſus, feram.
Fortem facit vicina libertas ſenem:
Obſtare primum eſt, velle nec labi via,
Pudor eſt ſecundus, noſſe peccandi modum
Quo miſera pergis? quid domum infamem grauas
Superaſq; matrem? maius eſt monſtro Nefas:
Nam monſtra Fato, moribus ſcelera imputes:
Si, quod maritus ſupera non cernit loca,
Tutum eſſe facinus credis, & vacuum metu,
Erras: tamen tu crede Lethæo abditum
Theſea profundo ferre perpetuam Stygem
Quid ille, lato maria qui regno premit,
Populiſq; reddit iura centenis pater,
Latere tantum facinus, occultum ſinet?
Sagax parentum eſt cura, credamus tamen
Aſtu, doloq; tegere nos tantum nefas.
Quid ille, rebus lumen infundens ſuum
Matris parens? Quid ille qui mundum quatit
Vibrans coruſcat fulmen Ætnæum manu
Sator Deorum? Credis hoc poſſe effici
Inter videntes omnia, vt lateas, auos?
Sed vt ſecundus numinum abſcondat fauor
Coitus nefandos, vtq; contingat ſtupro
Negata magnis ſceleribus ſemper fides,
Quid pœna præſens, conſciæ noctis pauor?
Animuſq; culpa plenus, & ſe met timens?

Scelus

Sceleris aliquis tutum: nulla ſecurum tulit.
Compeſce amoris impij flammas precor,
Nefaſq́; quod non vlla Tellus barbara
Commiſit vnquam, non vagus campis Geta:
Nec inhoſpitalis Taurus, aut ſparſus Scythes.
Memorq́; matris metue concubitus nouos.
Miſcere thalamos patris, & gnati apparas
Vteroq́; prolem capere confuſam impio:
Perge, & nefandis verte naturam ignibus.
Cur monſtra ceſſant? Aula cur fratris vacat?
Prodigia toties Orbis inſueta audiet.
Natura toties legibus cedet ſuis,
Quoties amabit Creſſa.

Non ne tam acris & aculeata Nutricis oratio, vel rabidas (ſi modò vocis fructum ſentire humanæ poſſent) Venereque furentes Tygrides molliret, nedum alumnæ pectora? At, illa libidinis nefandæ furore percita, incepto nequit deſiſtere: & quæ vera ducit monita, ſtimulis acta Veneris, capere potis non eſt: ſic nanque reſpondet,

Phe. *Quæ memoras ſcio*
Vera eſſe nutrix: ſed furor cogit ſequi
Peiora, vadit animus in præceps ſciens
Remeatq́; fruſtra ſana conſilia appetens.
Sic cum grauatam nauita aduerſa ratem
Propellit vnda, cedit in vanum labor
Et victa prono puppis aufertur vado.
Quod ratio poſcit, vincit, ac regnat furor.
Potenſq́; tota mente dominatur Deus.
Hic volucer omni regnat in terra potens,
Ipſumq́; flammis torret indomitis Iouem,
Gradiuus iſtas belliger ſenſit faces
Opifex triſulci fulminis ſenſit Deus:
Et qui furentes ſemper Æthneis iugis
Verſat caminos, igne tam paruo calet.
Ipſumq́; Phœbum, tela qui neruo regit,
Figit ſagitta certior miſſa puer:
Volitatq́; Cœlo pariter & terris grauis.

Tendit ergo manifeſta in pericula ſciens, ſuæque non neſcia cladis, impotentiam animi ſanis opponit conſilijs, vimque falſo cauſat Numinis: cuius cæco dicit impulſu Deos, inſano ſæpe percaluiſſe igne. Quaſi iam non ſit mirandum, Amoris flamma fœminam eſſe peruſtam, cum hęc eadem magnos quoque cœlites inflammauerit, ac diuos incenderit? falſaque ſub imagine luſtrare terras fecerit? Sed quoto cuique Veneris, Amoriſque vis incognita eſt? quorum de potentia ſic apud Senecam loquitur Chorus,

Diua non miti generata Ponto,
Quam vocat matrem geminus Cupido
Impotens flammis, ſimul & ſagittis:
Iſte laſciuus puer acre nitens,
Tela quàm certo iaculatur arcu!
Labitur totas furor in medullas:
Igne furtiuo populante venas:
Non habet latam data plaga frontem
Sed vorat tectas penitus medullas.
Nulla pax iſti puero per Orbem
Spargit effuſas agilis ſagittas:
Quæq́; naſcentem videt ora Solem
Quæq́; ad occaſus iacet ora ſeros,
Siqua feruenti ſubiecta Cancro eſt,
Siqua maioris glacialis Vrſæ
Semper errantes patitur colonos,
Nouit hos æſtus. Iuuenum feroces
Concitat flammas, ſenibuſq́; feſſis
Rurſus extinctos reuocat calores,
Virginum ignoto ferit igne pectus:
Et iubet Cœlo ſuperos relicto
Vultibus falſis habitare terras.
Theſſali Phœbus pecoris magiſter
Egit armentum: poſitoq́; plectro
Impari tauros calamo vocauit.
Induit formas quoties minores
Ipſe, qui cœlum, nebulaſq́; ducit?
Candidus ales modo mouit alas,
Dulcior vocem moriente Cygno.
Fronte nunc torua petulans iuuencus
Virginum ſtrauit ſua terga ludo,
Perq́; fraternos mala regna fluctus,
Vngula lentos imitante remos,
Pectore aduerſo domuit profundum,
Pro ſua victor timidus rapina.
Arſit obſcuri Dea clara mundi
Nocte deſerta, nitidoſq́; fratri
Tradidit currus aliter regendos.
Ille nocturnas agitare bigas
Diſcit, & gyro breuiore flecti.
Nec ſuum tempus tenuere noctes,
Et dies tardo remeauit ortu
Dum tremunt axes grauiore curru.
Natus Alcmena poſuit pharetram,
Et minax vaſti ſpolium Leonis,
Paſſus aptari digitis Smaragdos
Et dari legem rudibus capillis,
Crura diſtincto religauit auro
Luteo plantas cohibente ſocco.
Et manu, clauam modo qua gerebat,
Fila deduxit properante fuſo.
Vidit Perſes, Ditiſq́; ferax
Lidia regni deiecta feri
Terga Leonis, humeriſq́; quibus
Sederat alti regia Cœli
Tenuem ſyrio ſtamine pallam.
Sacer eſt ignis, credite læſis,
Nimiumq́; potens, qua terras mari
Cingitur alto, quaq́; ætherio
Candida mundo Sydera currunt.
Hæc regna tenet puer immitis,
Spicula cuius ſentit in imis

Cærulus vndis grex Nereidum,
Flammamq́; nequit eleuare mari.
Venere inſtincti quàm magna gerunt
Grege pro toto bella Iuuenci,
Si coniugio timuere ſuo;
Poſcunt timidi prælia cerui,
Et mugitus dant, concepti
Signa furoris. Tunc virgatas
India Tigres decolor horret.
Tunc vulnificos acuit dentes
Aper, & toto eſt ſpumeus ore.
Pœni quatiunt colla leones,
Cum mouit Amor. tum ſylua gemit
Murmure ſæuo. Amat inſani
Bellua Ponti, Lucæq́; boues:
Vendicat omnes natura ſibi,
Nihil immune eſt, odiumq́; perit,
Cum iuſsit Amor: Veteres cedant
Ignibus iræ. Quid plura canam?
Vincit ſæuas cura nouercas.

Eiuſmodi ergo poetarum fabulis ducta Phædra, quibus Cœleſtis Chorus omnis prauis indulget amoribus, ſceleris neſandi turpes excuſat flamas: vimque cæci furoris minuit atq́ue eleuat: & cœpta emollit inſana. Ideoque non veris confirmata exemplis nutricis cōſilia probat: ſed audacter reſpuit, ad ea ſe ſe impotentis Dei raptari affectu dictitans, quæ deteriora ſunt: furore huius illi ſubactos paſsim Deos obiectans. Cui illa ſic contra paucis.

Ah, quanto ſatius eſt, te id operam dare,
Qui iſtum amorem ex animo amoueas tuo: quam
id loqui,
Quo magis libido fruſtra incendatur tua.

Sapienter illa quidem. Nam neque inſani corruptorum hominum affectioni vacaſſe Diuos credendum eſt. Neque labe aliqua ignobilioris vitæ, vitioſè deprimi atque pollui potuiſſe. Ac, ſi exactè quod verum eſt, cupis noſſe: nullum vnquam numen Amoris fuit. Quippe, vt idem tragicus doctè ait,

Deum eſſe Amorem, turpiter vitio fauens
Finxit libido, quoq; liberior foret,
Titulum furori Numinis falſi addidit.
Natum per omnes ſcilicet terras vagum
Erycina mittit. Ille per cœlum volans
Proterua tenera tela molitur manu,
Regnumque tantum minimus in ſuperos
habet.
Vana iſta demēs animus aſciuit ſibi,
Venerisq; Numen finxit, atq; arcus Dei.

Vt illa doctè labefactat ſtulta hominum perſuaſione inueteratam de Amore ſententiam! dicti vulgaris fidem atque opinionē eneruans. Sed videamus quando doctis his carminibus orationem non finit ſuam, eſſe quid dicat Amorem. Vnde hic vulgo creditus Deus, pectoribus noſtris emergat,

Quis quis ſecundis rebus exultat nimis,
Fluitq; luxu, ſemper inſolita appetens:
Hunc illa magnæ dira Fortunæ comes
Subit libido. Non placent ſuetæ dapes:
Non tecta ſani moris, aut vilis cibus.
Cur in penates rarius tenues ſubit
Hæc delicatas eligens peſtis domos?
Cur ſancta paruis habitat in tectis Venus?
Et ſe coercent modica?

Præclarè nutrix amantium communem arguit dementiam, exitioſi mali veram declarans originē. Id quod in Tragœdia Octauia demōſtrarat idem Seneca, dum Octauiæ vxoris repudium in Nerone carpit; & malè expetitos Pop[pææ] Hymeneos reprehendit, cuius amore captum, hæc Neronem inducit loquentem.

Ne. *Omnes in vnam contulit laudes Deus,*
Talemq́; naſci Fata voluerunt mihi.
Cui ille,
Se. *Recedat à te, temere ne credas, Amor.*

Sed nimirum, furoris libidine incenſus Nero, Amoris irrefragabile Numen opponit. Deorum interim amatorias fabulas reſerens: ſic enim reſpondet,

Ne. *Quem ſubmouere fulminis dominus nequit*
Cœli Tyrannum, ſæua qui penetrat freta:
Ditiſq́; regna, detrahit ſuperos polo?

Defenſam proculdubio vult poeticis fabulamentis ſuam amantis inſaniam. Quaſi fieri non poſsit, quin eo igni flammeſcat, cui mare, cui Tellus, cui pareat arduus æther, regioque abſtruſa Inferùm. Hanc porrò tam longè lateq́ue patentem amoris poteſtatem: tamque iam perſuaſione deprauata hominum, ac gentium diffuſam vndique, [fer]endam eſſe ſapiens præceptor non ducit, [ac] hunc q́ue modum de Amore doctè diſſerit,

Se. *Volucrem eſſe Amorem fingit immitem*
Deum
Mortalis error, armat & telis manus,
Arcuſq; ſacros inſtruit ſæua face:
Genitumq́; credit Venere, Vulcano ſatum.
Vis magna mentis, blandus atq; animi calor
Amor eſt: iuuenta gignitur luxu, & ocio
Nutritur inter læta Fortunæ bona.
Quem ſi fouere atq; alere deſiſtas, cadit.
Breuiq; vires perdit extinctus ſuas.

Hæc de Amore tam vera (propter humanarum rerum eximiam cognitionem, &

perſpi-

peeſpicere & proſerre Seneca valuit facilè: ob imperitiam autem & impotentiam corruptiſac vitioſi animi, ne ſentire quidem potuit Nero.

Hvnc igitur tam immitem & crudelem Deum ſecundis affluens rebus, affectionique prauæ ſuccumbẽs mortalium ſibi quiſque excitat, armiſque ſæuis inſtruit, vt lædere poſsit ocyus. At fallaces pectore ſi excutias blanditias, ſubrepenſque ocium expellas grauibus intentus ſtudijs: amatoria hæc lues (cui Numen falſo aſcribitue) animum nequibit peruincere, de ſtatu ve ſuo mentem deturbare. Semper enim ocioſos, luxuque affluentes occupat; cæteros ne audet quidem aſpicere: tantum abeſt, vt pertingere tentet. Quò factum eſt, vt veteres legum latores: eos homines, qui ſegniter admodũ degenere ocio obliteſcerent, & puniuerint acriter, & inter viles infameſque cẽſuerint. Vnde & illud à Solone ſcriptum in legibus eſt,

Qui deſidiam ſectatus eſt,
Is accuſantibus obnoxius eſto.

Sic & Spartanus Herondas, cùm fortè eſſet Athenis, eaque in vrbe otij quendam damnatum eſſe reſciret: eum ſibi quàm primum iuſsit oſtendi: qui liberali fuiſſet in cauſa conuictus. Quas obres bene de ocioſis in Tragœdia Iphigenia. Q. Ennius ſcribit cum ait,

Ocio qui neſcit vti, plus negotij habet,
quam cum eſt negotium in negotio.
Nam, cui quod agat inſtitutum eſt, nullo negotio
Id agit, ſtudet ibi, mentem atque animum delectat ſuum.
Ocioſo initio animus neſcit quid velit.
Hoc idem eſt, neque domi nunc nos, nec militiæ ſumus.
Imus huc, hinc illuc: cum illuc ventum eſt, ire illinc lubet,
Incerte errat animus, præter propter vitam viuitur.

Quæ animi intemperies vt ocioſos, itidem & vexat amantes. Quo circa Lacedæmonius ille Lycurgus non ſolum ocioſorum turbam exegit Sparta, verum eos quoque vrbis viſu prohibuit, qui ſedentarias artes exercebant. Ne diutina illa longaque adſeſsio animis conciliaret marcorem. Scimus etiam & à doctis viris illud eſſe præceptum. Ne cis functiones, vel munera publica mandarentur, quorum turpi, vel inhoneſto ocio domi induſtria hebeſceret. Hæc ſiquidem hominum factio, cum nulla æque hominibus noceat induſtrijs, beneque moratis: haud ſecus atque morboſi corporis contagia, è republica ſtirpitus euellenda eſt, vel amouenda procul, alioque gentium ablegandа. Hinc enim peſsimæ illæ Amoris emicant ſcintillæ, quæ curis animum pernicioſis exedunt: & quamuis inani, ſolicita tamen cogitatione diſtrahunt atque peſſundant. Quæ vitæ conditio & turpis & amara eſt, vixque homine libero digna (ſi modò vllus eſt liber amans) quis enim amat liber? cum eum ſit affectionis prauæ ſeruum effici manifeſtum, qui ſe ſe dedit amori? animumque huic ſemel permiſit furori? An eſt vlla maior ſeruitus, quam ea quæ non ſolum corpus, ſed & animum etiam, fœdis dum ſeruit affectibus, miſere captiuum trahit, & ſui prorſus immemorem?

Non igitur iniuria adoleſcens cordatus Lyſiteles Plautina in Trinumo æqualem ſuum Leſbonicum reprehendit turpibus flagrantem amoribus: quantumque poteſt ab inſana flamma nititur retrahere. Audiamus ergo, quæ inter ſe hi ambo dicta conferant.

Lyſ. Sta illico. noli aduerſari; neque te occultaſſis mihi. Le. potin
Vt me ire, quo profectus ſum, ſinas? Ly. ſi in rem tuam
Leſbonice eſſe videtur, gloriæ, aut famæ, ſinã. Le. quod eſt
Facillimum, facis. Ly. quid id eſt? Le. amico iniuriam.
Lyſ. Neque meum eſt, neq; facere didici. Le. Indoctus quam doctè facis!
Quid faceres, ſi quis docuiſſet te, vt ſic odio eſſes mihi,
Qui bene cum ſimulas facere mihi, te, male facis, male conſulis.
Lyſ. Ego ne? Le. tu ne. Ly. quid malefacio. Le. quod ego nolo,
Id quod facis. Ly. tuæ rei benè conſulere cupio Le. Tu mihi
Es melior, quam ego met mihi? ſat ſapio ſatis in rem quæ
Sint meam ego conſpicio mihi. Ly. An id eſt ſapere, vt qui
Beneficium beneuolente repudies? Le. nullum beneficium
Eſſe duco, id, quod quoi facias, non placet. Ly. ſcio ego, &
Sentio ipſe quid agam, neque à me officium migrat:
Nec tuis depellar dictis, quin rumori ſeruiam. Le. quid ais?
Lyſ. Nam retineri nequeo, quin dicam, ea, quæ promeres.

Ita ne tandem maiores famam tradiderunt tibi tui,
Vt virtute eorum ante parta, per flagitium perderes?
Atque honori poſterorum tuorum vt vindex fieres?
Tibi paterque, auoſque facilem fecit & planam viam
Ad quærendum honorem tu feciſti, vt difficilius foret;
Culpa maximè & deſidia: tuiſque ſtultis moribus præoptauiſti,
Amorem tuum vti virtuti præponeres: nunc te hoc pacto.
Credis poſſe obtegere errata. Le. ah non ita eſt. Ly. cape ſis
Virtutem animo, & corde expelle deſidiam tuo, in foro operam
Amicis da, haud in lecto amicæ, vt ſolitus es. Atq; ego iſtum
Agrum tibi relinqui ob eam rem enixè expeto, vt tibi ſit, qui te
Corrigere poſsis, ne omnino inopiam ciues obiectare poſsint tibi,
Quos tu inimicos habes. Le. Omnia ego iſthæc quæ tu dixiſti, ſcio:
Vel exſignauero, vt rem patriam, & gloriam maiorum
Fœdarim meum: ſciebam vt eſſe me deceret, facere non
Quibam miſer. Ita vi Veneris victus, ocio captus in fraudem
Incidi! & tibi nunc, perinde ac merere, ſummas, Habeo gratias.
Ly. At operam perire meam ſic, & te hæc dicta corde ſpernere
Perpeti nequeo, ſimul me piget, parum pudere te.
Et poſtremo, niſi me auſcultas, atque hoc, vt dico, facis
Tute pone te latebis facilè, ne inueniat te honor:
In occulto iacebis, quom te maximè clarum voles Pernoui
Equidem Leſbonice imperitum tuum ingenium admodum,
Scio te ſponte non tuapte erraſſe, ſed amorem tibi
Pectus obſcuraſſe. Atq; ipſe Amoris teneo omnes vias.
Ita eſt Amor, balliſta vt iacitur, nihil ſic celere eſt, neque volat,
Atque is mores hominum moros, & moroſos efficit.
Minus placet magis quod ſuadetur: quod diſſuadetur, placet
Quom inopia eſt, cupias: quãdo eius copia eſt, tum non velis.
Ille qui aſpellit, is compellit: ille qui non ſuadet, vetat.
Inſanu eſt, & malum & inhoſpitium deuorti ad Cupidinem!

PROFECTO tam docta de Amore fugiendo conſilia ſenilis ſunt, non florentis ætatis. Haud temereque (ſi mores hominum in præſentia perſpicias) animi ſapientiam tantam in ſenibus ipſe reperias, ſunt enim non pauci, quorum cum annis haud quaquam moleſtæ huius & ſpurcæ prauitatis libido, cupiditaſque deferbuit. Sed nimirum præcepta hæc, eo prorſus digna ſunt adoleſcente: qui Herculis inſtar Xenophontij (vt Sophiſta Prodicus eſt autor) multum & diu ſecum ipſe dubitauerit; voluptatis ne homini melius eſſet, an virtutis ingredi viã. Nam hæc ratiocinantem, animoque voluentem, Lyſitelem hunc ea in comœdia (quæ à me eſt modo citata) nobis Plautus induxit, cuius ita habent apud comicum verba.

Multas res ſimul in meo corde vorſo, multum in cogitando
Dolorem indipiſcor, egomet me concoquo, & macero & defatigor:
Magiſter mihi exercitor animus hinc eſt, ſed hoc non liquet:
Nec ſatis cogitatum, vtram potius harum mihi artem expeteſſem.
Vtram ætati agundæ arbitrer firmiorem, amori ne an rei
Obſequi potius par ſiet: vtra in parte plus voluptatis ſit vitæ,
Ad ætatem agundam, de hac re mihi ſatis haud liquet, niſi hoc
Sic faciam, opinor vtranq; rem ſimul exputem. Iudex ſim, reuſve
Ad eam rem: ita faciam, ita placet. Omnium primum
Amoris artes eloquar, quemadmodum expediant, nunquam
Amor quemquam niſi cupidum hominem poſtulat: ſe in plagas
Conijcere eos cupit, eos conſectatur, ſubdole blanditur, abre
Conſulit, blandiloquentulus, Harpago, mendax, cuppes, auarus,
Elegans, deſpoliator, latebricolarum hominum corruptor,
Blandus, inops, celati indagator, nunquã ad quos clamat,
Quàm extemplo ſæuis ſegittis percuſſus eſt, ilico res foras
Labitur, liquitur. Da mihi hoc, mel meum, ſi me amas, ſi audes.

Ibi ille cucullus, ocelle mi, fiat: & iſthuc; & ſi amplius vis dari,
Dabitur. Ibi illa pendētem ferit, iam amplius orat, non ſat
Id eſt mali, ni amplius etiam, quod bibit, quod comeſt,
Quod facit ſumpti, nox datur, ducitur familia tota
Veſticipij vnctor, auri cuſtos, flabelliferæ, ſandaligerulæ,
Cantrices, Ciſtellatrices, nuntij, renuntij, raptores panis & peni.
Fit ipſe, dum illis comis eſt, inops amator. Hæc ego quom ego cum
meo animo, & recolo: vbi qui eget quam pretij ſit parui, Apagete
Amor, non places, nihil te vtor, quanquam illud eſt dulce, eſſe & bibere.
Amor amara dat ſibi ſatis quod ægrè ſit, fugit forum:
Fugat vos cognatos, fugat ipſe ſe à ſuo contuitu.
Neq; enim eum ſibi amicum volunt dici: mille modis Amor
Ignorandum eſt: procul adhibendus eſt, atque abſtinendum.
Nam qui in Amore præcipitauit, peius perit, quam ſi ſaxo ſaliat.
Apage ſis amor, tuas res tibi habe: Amor mihi amicus ne fuas vnquam.
Sunt tamen quos miſeros, maleque habeas, quos tibi obnoxios
Fecisti certū eſt ad frugem applicare animum: quā quam ibi animo
Labos grandis capitur, boni ſibi hæc expetunt, rē, fidem, honorem,
Gloriam, & gratiam, hoc probis pretiū eſt, eò mihi magis lubet
Cum probis potius, quam cum improbis viuere vanidicis.

HIS NEMPE verbis agundæ ætatis ratione probè ſubducta, ab Amore ſibi opportuno cauit Lyſiteles: quodque ad vitam expertus eſt fuiſſe optimum: rationis; conſilijque egenti amico ſuadet. Ne, grandi cum malo; rei, exiſtimationis, & famæ: turpiter ſine fine delicias pergat, omnibus ſe inde efficiēs inuiſum, ac deſpicabilem. Odioſi enim ſunt venerei iſti, laſciuique amatores: pretij nullius cenſentur: à boniſque ſæpe viris haud iniuria faſtidiuntur. Congreſſus illorum à ſapiente ſpernitur: vitatur aditus: ipſaque illorum verba, tanquam à parum ſanis prolata, vel mouent leuius, vel negligentius aduertuntur. Quo circa, vſque adeò venereā hanc voluptatem execrabatur Antiſthenes vt illud ſit crebro ſolitus dicere. Vtinam inſania corripiar potius, quam vt fœda vnquā voluptate capiar. Mirabaturque non ſemel tantam hominum fuiſſe impudentiam, inſcitiam tantā atque dementiam, vt abſurda quadam ac prorſus repugnante ratione coloratiorem vitijs prætextum aucupantes, diuinitatem ignominioſam auſi eſſent comminiſci. & vltores criminum Deos, ac impudentiæ ſummos vindices, flagitijs id genus præficere: laſciuiæ illos præſides deputantes: quam profectò neceſſe eſt punire incipiant, ſi verè eſſe cœperint qui perhibentur: vocantur nanque Dij. Non igitur ille iniuria Veneris & Cupidinis Numen irridere ſolebat: quorum poteſtas omnis eſt dicata ſceleribus. Vnde ſic interdum dicebat. Ego ſi Venerem mihi capere liceat, iaculis nihil moratus transfigam: quando hæc nobis honeſtas probaſque mulieres vna corrumpit. Nam Cupidinem illum (qui vulgo putatur Deus) naturæ idem vitium ſemper appellabat: cui ſtulti, miſerique homines mentis torpore deſidi (eleuare crimen prætextu tali rati) improbè ſubcumbētes: coacti pro Deo colerent. Quod veriſsimum profectò eſſe; facile intelliget is, qui Bizantij Maruli, elegantiſsimi, emunctiſsimique poetæ epigramma hoc, quo libidinoſi huius Amoris naturam, vimque omnem graphicè nimis expreſsit, contemplari volet,

Quis puer hic? Veneris. Plenæ quæ cauſa pharetræ?
Non bene prouiſis, certa quod arma mouet.
Cur ſine veſte Deus? mollis puer odit opertum.
Vnde puer? pueros quod facit ipſe ſenes.
Qui pennas humeris dedit? inconſtantia. Quare?
Nulla Deo frons eſt? ſigna inimica fugit.
Quæ ſors eripuit lucem? Immoderata libido.
Cur macies? vigilis cura, dolorque facit.
Quis ſecum præit? ebrietas, ſopor, ocia, luxus.
Qui comites? rixæ, bella, odia, opprobrium.
Qui Cœlo dignati? homines. Quæ cauſa coegit?
Mitior authore credita culpa Deo.
Heu cæcum genus, & veri corda inſcia! quo lus
Fasque! ſcelus miſeri ſi ſcelere abluimus!

Bene igitur. M. Cicero Tuſculanarum. 4. vanitatem amantium, & Amoris falſum numen irridet. Totus verò (ait) iſte, qui vulgo appellatur Amor (nec hercle inuenio quo nomine alio poſsit appellari) tantę leuitatis eſt, vt nihil videam, quod putem conferendum. Quem Cæcilius,

Deum qui non ſummum putet,
Aut ſtultum, aut rerum eſſe imperitum exiſtimet.
Cui in manu ſit quem eſſe dementem velit:
Quem ſapere, quem inſanire, quē in morbū inijci.

Quem contra amari: quem acceſſiri, quẽ expeti.

O præclaram emendatricem vitæ poeticã? quæ amorem flagitij, leuitatis authorem, in concilio Deorum collocandum putet? de comœdia loquor: quæ, ſi hæc flagitia non probaremus, nulla eſſet omnino. Quid autem ex tragœdia princeps ille Argonautarũ?

Tu me Amoris magis, quã honoris ſeruaſti gratia.

Quid ergo hic Amor Medeæ? quanta miſeriarũ incendia excitauit? Atque ea tamen apud alium poetam, patri dicere audet, ſe coniugem habuiſſe

Illum Amor quem dederat, qui plus pollet, potiorq; eſt patre.

Sed poetas ludere ſinamus: quorum fabulis in hoc flagitio verſari ipſum videmus Iouem. Ad magiſtros virtutis philoſophos veniamus: qui Amorem negant ſtupri eſſe, & in eo litigãt cum Epicuro, non multum, (vt opinio mea fert) mentiente. Quis eſt enim amor iſte amicitiæ? cur neque deformem adoleſcentem quiſquam amat? neque formoſum ſenem? Mihi quidẽ hæc in Græcorum gymnaſijs nata conſuetudo videtur; in quibus iſti liberi, & cõceſſi ſunt Amores; Bene igitur Ennius.

Flagitij principiũ eſt, nudare inter ciues corpora.

Qui vt ſint, ſicut fieri poſſe video, pudici: ſoliciti tamen & anxij ſunt: eòq; magis, quòd ſe ipſi continent, & coercent. Atque vt muliebres Amores omittã: quibus maiorem licentiam natura conceſſit. Quis aut de Ganymedis raptu dubitat, quid poetæ velint? aut non intelligit, quid apud Euripidẽ & loquat & cupiat Laius? Quid denique homines doctiſſimi, & ſummi poetæ de ſe ipſis & carminibus edãt, & cãtibus? fortis vir in ſumma republica cognit⁹, quæ de iuuenũ amore ſcripſit Alcæus? Nam Anacreontis quidem tota poeſis eſt amatoria. maximè verò omnium flagraſſe amore Rheginũ Ibicum apparet ex ſcriptis: atque horum omnium libidinoſos eſſe Amores videmus. Philoſophi ſumus exorti, & authore quidẽ noſtro Platone (quem non iniuria Dicæarchus accuſat) qui amori authoritatẽ tribueremus. Stoici verò & ſapientem amaturum eſſe dicunt; & amorem ipſum, conatum amicitiæ faciũdæ ex pulchritudinis ſpecie diffiniunt. Qui ſi quis eſt in rerum natura ſine ſolicitudine, ſine deſiderio, ſine cura, ſine ſuſpirio, ſit ſane. Vacat enim omni libidine. Hæc autem de libidine oratio eſt. Sin autem eſt aliquis amor, vt eſt certe, qui nihil abſit, aut non multum ab inſania, qualis in Leucadia eſt.

Siquidem ſit quiſquam Deus, cui ego ſim curæ.

At, id erat Deis omnibus curandum, quemadmodum hic frueretur voluptate amatoria.

Heu me infœlicem!

nihil verius: probè & ille.

Sanus ne es? qui temere lamentere.

Sic inſanus ſuis etiam videtur. At, quas tragœdias efficit!

Et Apollo ſancte fer opem: teq; omnipotens Neptune inuoco,

Voſq; adeo venti!

Mundum totum ſe ad amorem ſuũ ſubleuandum conuerſurum putat. Venerem vnam excludit, vt iniquam.

Nam quid ego te appellem Venus?

Eam præ libidine negat curare quicquã. Quaſi vero ipſe non propter libidinem tanta flagitia & faciat, & dicat. Sic igitur affecto hæc adhibenda curatio eſt, vt & illud quod cupiat oſtendat quàm leue, quam cõtemnẽdum, quam nihil ſit omnino: quàm facile vel aliunde, vel alio modo perfici, vel omnino negligi poſſit. Adducendus eſt etiam nõ nũquam ad alia ſtudia, ſolicitudines, curas, negotia: loci denique mutatione tanquam ægroti non conualeſcentis, ſæpe curandus eſt. Etiam nouo quodam amore veterẽ amorem, tanquam clauum clauo eijciendum putant.

HAEC Cicero de amantium inſania Amoriſque fugiendi remedio: quorum in extremo excripſiſſe mihi videtur Titi Lucretij carmina, quibus ille ad hunc modum Amorem cenſet abolendum,

Sed fugitare decet ſimulachra, & pabula Amoris
Abſterrere ſibi, atque alio conuertere mentem.
Et iacere humorem collectũ in corpora quæque.
Nec retinere ſemel conceptum vnius Amore,
Et ſeruare ſibi curam, certamque dolorem:
Vlcus enim viueſcit, & inueteraſcit alendo.
Inque dies gliſcit furor, atq; ærumna graueſcit,
Si non prima nouis conturbes vulnera plagis:
Volgiuagaque vagus venere ante recentia cures
Vt alio poſſis animi traducere motus.
Nec Veneris fructu caret is qui vitat Amorem,
Sed potius quæ ſunt ſine pœna commoda ſumit.

His Lucretius carminibus extremis maximè ac primis, facile quod præſtantius erat attigiſſet, ni crebro concubitu, & vulgari congreſſu, Amoris cladem diſsipandam cenſuiſſet. Quis enim non videat, vitioſum eſſe remedium quod turpem obtinet ſanationem aliamque adiunctam infamiam, eamque libidinis non expertem? Præclarè hoc profecto adoleſcens ille inclytus, qui non ſolum ingenij inſigni laude præcelluit: verum etiã

caſti-

caſtitatis gloria ſumma floruit,

Promittunt medici coitu mihi Paule ſalutem,
Non tanti mihi certa paranda ſalus.

Iure igitur optimo ætatis in lubrico conſtituti, tam pia mentis affectio, præſtantium ingenio virorum teſtimonio vocis ornari, & laudari ſummè debuit. Multi enim egregium hoc factum illius, ad memoriam hominum ſempiternam luculento ſunt carmine perſecuti. Vnde epitaphio à claro quodā poeta eius morte deſcripto, honoſtatis ſummæ ſtudio ſpontanea vitæ diſceſsio, acceſſione annorum longa præſtantior eſt, illuſtriorque effecta. Epithaphium autem erat eiuſmodi,

Sola Venus poterat lento ſuccurrere morbo:
Ne ſe pollueret maluit ille mori.

Vitio igitur animi honeſtè medendum eſt, non corruptelę indulgendum, vel aſſentiendum affectui, & flagitioſo aliquo obſequio libidinoſo furori turpiter applaudendum. Eſt enim noxia & vicioſa ſemper diſſolutionis libido animi: nec prætexere vnquam tegmen id curationis improbæ poterit, vt honeſta fuiſſe videatur: quæ tam ſit ſaluti animi contraria, & pudori inimica. Quinam que ita excuſanti veniam dandam exiſtimet? Peccaui in illa, ne tentigine rumperer (vt inuerecūdius dixit Flaccus) ne ve Amore, quo ā ſibi acerrimè carpebar, ipſe conficerer. Certe talis (fręnare animi cupiditatem improbam diligenter cum oporteat) in delictis non placet excuſatio. Cur non potius animi expellebas ignauiam, deſidiā abijciebas, atq; improbi otij noxias vndiq; anſulas abſcindebas, atq; ipſe dira cogitatione mulctabas, aliq mentē ablegans? Aut arare, aut fodere, aut caſtum imitatus Hippolytum, feras lā montibus cauibus poteras inſequi. Vel honeſtis contrà ſtudijs obſequi, & curis diſtringi publica tractans negotia. Quid? quod Socraticis inhærere chartis, ac doctis liberum erat libris addici. Vnde exitioſa poſſet extingui penitus flamma: aut noxius ille libidinis ardor, ex lectione docta, turpi ſenſim omoriente face, magna ex parte leniri? Inuiſere quin etiam (quod eiuſcemodi in morbo præſentiſsimum remedium eſt) ſacra Diuūm tēpla debebas, ſummi Numinis opem expoſcens, vt Deus miſeratus egentem, veſani caloris clade dolentis mentem eximeret: tempeſtiuèq; ęgrotantem, ſubduceret morbo, ac te tibi reſtitueret. At Thebanus Crates rogatus, qui euitari Amoris trux impetus poſſet: non volgiuaga turpiter Venere (vti Epicureus ille Lucretius cuius memini paulo ante) ſed fame: tempore: vel ad extremū laqueo cenſuit diſsipandum. Amorem (inquit) ſedat fames, ſin minus tempus: quod ſi è duobus alterum morbi inclementiæ non ſufficit: laqueus petendus eſt. Quaſi dicat, ei cui certa remedia parum opis attulerint, reliquam eſſe deſperationem, qua tandem mala finiat: ſiue id iocans, ſiue Cynica libertate exiſtimās fortè: ſecutus in hoc magiſtri Antiſthenis placitum, qui Cynicam primus ſectā inſtituit, diuque in illa princeps floruit. Is enim ſæpiſsimè illud aiebat, oportere nos aut mentem, aut reſtim comparare. Tyrtei vatis nobilitatum verſiculum repetens,

Mentis quam mortis meta tenenda prior.

Conſtatque hoc vel maximè, Amantes omnes eſſe prorſus amentes.

QVAM autem laſciui huius libidinoſique Amoris peſtilens ſit affectio: quamque ea ſemper alte inſideat animo, vbi ſemel occuparit Stoicus declarat Panętius, dum ab hoc contagio longè cenſet abſtinendum. Minimè (inquit) committendum eſt, vt in rem commotam incidamus, vt pote alteri emancipatā, vilem ſibi. Si enim nos reſpicit quod amatur, humanitate eius irritamur: ſin contemnit, ſuperbia accendimur. Æquè facilitas erroris ac difficultas nocet. Facilitate capimur, cum difficultate certamus. Itaque qui ſuę imbecillitatis cōſcius eſt, is, moneo, vt quieſcat. Vt cæcū hoc, atque inextricabile malum eſt? Lernęoque mōnſtro par cuius ab alterutra parte ſemper ſit anceps futura victoria? promptum tibi, paratumque exitium! Quis igitur non ab eo ſe timendū ſibi, & fugiendum videat, cuius non minus atque aſperitas, vſque quaq; ſit lenitas efferā? Adde, quod Amoris (quę longè grauiſſima animi & vehementiſsima affectio eſt) origo è viſu naſcitur: ſic, vt amans diffluat & [illegible]tur quoties formoſam ſpectat, velut in illam commigrās. Quare mirabitur quis, arbitror (vt Cheroneus Plutarchus ait) non abs re iſtos qui lædi hominem & affligi ex obtutu rentur: nec tamen eam vim exercere poſſe, aut incōmodare mutuus ille aſpectus eorum, qui in ętatis flore exiſtunt: & quod ex oculis emanat, ſiue illud lumen, ſiue fluxum dicemus, amantes conficit, atque interimit cum voluptate dolori permixta, quam inde ipſi illi, γλυκύπικρον, quaſi dulce amarū, nuncupant. Qui tangunt, qui audiunt, non perinde vulnerantur, afficiuntur ve: vt ij qui fixis oculis ſpectantur, & vicißim ſpectant. Tanta enim ex obtutu in intima viſcera penetratio, tantus ardor naſcitur, vt prorſus

S s. impe

imperiti amorũ cenſendi ſint: qui Naphte, quod bituminis genus è Media affertur, admiratione capiuntur, quod ex aliquãto ſpatio ignem corripiat. Formoſorum nanque aſpectus, quantum vis in oculos procul illabatur, inteſtinum in amantium animis ignẽ ſuccẽdit. Sapuit ergo philoſophus inclytus Zeno, cum enim vna cum Cleanthe Chœremonidæ aſsideret (cuius erat mirandum in modum forma conſpicua) vbi Amoris igne artus ſenſit incaleſcere, præcordia torrert, pectuſque cremari perſpexit: ſimul & furere vidit venis cæcum affectũ protinus aſſurgit, factum etiam ſocio demirante: cui ille, à medicis non ignauis didici (ait) aduerſus inflãmationes remedium optimum eſſe quietem. Maluit vir ſapiẽs ſubtractione ſui, morbo adnaſcenti intercedere, quam inueterato quærere medicinam. Gnarus quantum ſit altius iam radices agenti malo, vel adhibere remedium graue: vel inuenire, difficile. Cum præſertim monſtri tam perplexi naturæ omnis ſit medicina fomentum: poſtea quam ea eſt tabe latè pectus infectũ: animuſque ipſe corruptus. Hebeſcunt enim ad curationem ſenſus: menſque ęgra remedia parũ ſentit: nec rarò in ipſius morbi conuertit perniciem: dictis præpoſterè audiens, & in ſe ipſa rebellis. Nam quod exagitatum ventorum pelagus turbine, tam varios alternat fluctus? aut qui polypus tam ad ſubiecti ſpeciem vſque reddit variatum colorem, vt amantis animus: qui de amore ſolicitus, noua ſemper cogitatione mœret, ſeque ipſe non capit? Vnde turſus mortalium cuiquã, mentis adeſt tanta perplexitas: quanta aſsiduè vexat amantes? Omnia diſplicent: iam rurſus placent: hoc culpatur, actutum laudatur & expetitur: vitat illud ſtudioſè, verſa vice ambitur ſedulo. Quid, ꝙ gratũ eſt, ꝙ obeſt, quodq; [illegible] eſt inuiſum. Quapropter egregiè Patritius quarto de regno & regis inſtitutione, ſic de amore loquitur. Ego autem is ſum, qui cum illis ſentiam, qui amorem dicũt, inſatiabilem cupiditatem ac libidinem eſſe: qua cum primum potiti expletique ſumus, in pœnitentiam quãdam incidimus, quæ quam primum decidit: rurſuſque animus libidine accenditur, idq; facere quęrimus, quod cum fecerimus, iterum feciſſe pœniteat.

OBVERSARIVM HOC QVIDEM eſt, ac prorſus repugnãs, vt ſuis quiſq; momento vno & doleat, & gaudeat factis, vnis præſertim, atque eiſdem: Nam ſi diuerſitas adſit, bene conſtituto in homine, varie pro rebus animi eſſe accommodandũ aſſenſum, nemo inficias fuerit. Eiſdem autem rebus temere nunc contrahi animo, inani nunc contra lætitia diffundi, hominis eſt vitæ ordinem atque modum ignorantis, prorſuſque furentis. Atqui, hoc in amante mirari non conuenit, cuius eſt à corpore alienus abſenſque animus: diuiſa ſegregataq; mens, & intelligentię ipſius functio omnis erepta. Plato enim (ſi ei quem modo citaui credimus Patritio) illius animum qui amore teneretur, mori dixit ſuo corpore, alienoq; viuere. Vnde ſenior ille Cato (Platonem vt auguror ſecutus) amicę illum in ſinu victitare dicebat: atque imo pectore condi. Idcircoque ibi amatoris animum ſemper eſſe quærendum. Id quod longè veriſsimum eſſe Q. Catũlus poeta culto hoc epigrammate teſtatus eſt.

Aufugit mi animus: credo, vt ſolet, ad Theotinũ
Deuenit: ſic eſt perfugium illud habet
Quid ſi non interdixem: ne illum fortiuum
Mitteret ad ſe intrò, ſed magis eiiceret?
Ibimus quæſitum: Verumne ipſi teneamur
Formido, Quid agam? da Venus conſilium.

Qui igitur ſic miſere mancipatus alteri, iuris ſui arbitrijque non eſt, ſeque ipſe quærit alibi, quis hunc vel diffiteatur inſanum, vel neget eſſe dementem. Quid enim ſibi vult præſentia abſens, & abſentia pręſens? An eſt vnquam ſano cuiquã apud alium de conditione ſua, de vitæ ſtatu, deque ſe ipſo ſibi aliquid ſciſcitandum? Quaſi vero de communis intelligentiæ incolumitate (quam ſibi quiſque, Deo auſpice pręſtare debet) adiumenta nobis ſint foris, pręſidia, vel authoramenta quęrenda? Qui igitur mentis ſuæ dominus, atque animi compos non eſt, à ſeque ipſo abeſt: quis hunc eſſe inſanum dubitet? Nam profectò hoc ſemper qui correptus eſt morbo, inſtar habet abſentis. At, reuera ille putabitur abſens, qui à ſuo corpore: quod tanquam peculiare ac proprium animi domicilium natura fabricata eſt, peregrinatur & errat: ſeque ipſe non capit. Eſt ergò omnis amans inſanus. Quid? quod animorum ſanitas omnis in tranquillitate atque conſtantia noſtrę mẽtis poſita eſt? Quibus rebus deſtituta & vacua mens, inſania dicitur. Propterea quod in perturbato animo, ſicut in corpore ſanitas eſſe non poſsit. Vnde & affectio ipſa animi, lumine mentis carens: nunc amentia, nunc dementia à philoſophis (Cicerone teſte) vocatur: quę cũ ita ſint: eamque animi perturbationem, vel maximam eſſe in amante liqueat: efficitur illud profectò, vt amãtium ipſa ſit, vel dux vel comes inſania: eoque malo premantur,

qui

quicumque ſint conſuetudine hac vitæ prauà deuincti, & furore correpti. Porrò, cum animi munus ſit bene vti ratione. Quis non videt, quam ab eo munere amantis ſemper actio omnis abhorreat? Eſt autem perturbatio aliud nihil, quã animi motus vel rationis expers, vel rationem aſpernans, vel rationi non obediẽs. Quas obres, ea ſolicitari amantem perſpicuum eſt: cuius ita perturbatum animum eſſe videmus: vt nihil omnino (eorum quæ facere ipſum oporteat) vel ſciat vel intelligat. Hanc vim tantam egregiè intelligens. M. Cicero, fugiendamque cenſens; Maximè autem (inquit) admonendus, quantus ſit furor amoris. Omnibus enim ex animi perturbationibus, eſt profectò nulla vehementior. Iure Cicero. Nam vt miſſa illa faciamus; libidinem omnem, perturbationemque amãtis animi omnino fœdam eſſe: tamen quis non intelligat, quanta hinc malorum naſcantur incendia? Hic reges eiecit Roma, Decemuiros idem ſuſtulit. Vt enim à Tarquinio iuniore Lucretiæ caſtiſsimę fœminæ illatum ſtuprum regij nominis abrogandi cauſa extitit: ſic ab Appio Claudio Decemuiro Virginiæ attentata temere pudicitia, virorum decem attulit finem, poteſtatiſque huius exitium. Vnde porrò Troię celebratiſsimum vrbis incendium: clarique Priami domus excidium? Vnde Creontis in ſignis aula flãmis abſumpta? Vnde Medeæ ferales illę faces, acerbum odium, & ferarũ omnium immanitatem excedens, execrabilis illa, impiaque ſęuitia? Non ne cuncta ma la hæc libidinoſi huius amoris è furore manarunt? Sapiet ergo quiſquis incommoda hæc rectè permenſus, animo ſuo frænos iniecerit, tutumque ſe eiuſcemodi ab amore pręſtiterit.

NICETES

Vt lętor ad portum (quod optabam) tempeſtiuè appuliſſe te! ne in alto naufragus iactarere. Noui enim quam ipſe rerum ſoleas ſtudio efferueſcere: vt tibi ſit quaſi habenæ neceſſaria cohibitio. Quamquã reuera animo lętabar oppidò, cultam de amore ſententiam mecum contemplans tacitus: gratumque interim erat iam inde ab adoleſcẽtia ſyncerum ab eo vitio ſedulo curaſſe animum: meque mihi (Homerici inſtar Vlyſsis) benè cauiſſe ſemper: dum vitæ ſalo dulcẽ nauigantium pœnam, Venereas iſtas titillationes, maleſana, exitioſaq; gaudia amoliri longe, expeto: & ſuaue noxia ſenſuum à me ipſo abdicare procul tẽto, lenocinia: quib⁹ alios fluere videbam amentes: eo veluti facinore

... i milat ... ...

gloriantes: ſubitoque accurrentes, quodcunque temere, animo eſſet collibitum. PHIL. Sapuiſti: neque enim te ab eius furore extricaſſes facile, ſi teterrima morbi huius affectione ſemel animum imbui ſineres. Eſt igitur quod tibi vere gratulemur: ſi modò qua ille arte cognoſcere, & effugere potuit. *Syrenum voces, & Circes pocula noſti:*

Quæ ſi cum ſocijs ſtultus, cupiduſq; bibiſſet
Sub domina meretrice fuiſſet turpis & excors:
Vixiſſet canis immundus, vel amica luto ſus.

Sed (niſi moleſtum eſt) audi de voluptate quæ reſtant: quando de amore iam diximus. NIC. Pręſtabo libẽs tibi feriatas aures, dum modo quid ipſe dixeris tale, tamque ad virtutem vtile. PHIL. Scribit Gellius quinque eſſe hominum ſenſus, per quos voluptas omnis corpori, aut animo quęritur. Guſtum, tactum, odoratũ, viſum, auditũ. Ex his autem quæ immodice capiatur voluptas, improbam eam: turpemq; eſſe. Sed illam multo magis & infamem, & abſurdã cenſet: quæ ex guſtu nimio, vel tactu naſcitur. Eoſque homines, qui belluinis his deditì ſint voluptatibus, vti veteres cenſuerũt ſapientes à Græcis teterrimi vitij vocabulis, nũc ἀκολάστους, nunc ἀκρατεῖς, quaſi incontinẽtes dicit, vel intẽperãtes appellatos. Has autem voluptates duas, guſtus nimirum & tactus: hoc eſt libidines in cibos ac venerem prodigas, ſolas eſſe homini communes cum beſtijs. Ideoque in ferarum, brutorumq; animalium haberi numero, quicunq; eiuſmodi ſint voluptatibus præuincti. Eamque obrem grauitate orationis inſurgens, à tali ſic pulchre homines voluptate deterret. Quis igitur habens aliquid humani pudoris, voluptatibus iſtis duabus coeundi atque comedendi, quæ ſunt homini cum ſue atq; aſino communes, gaudeat? Sed & Cicero grauis author voluptatũ generi omni acrem ſe inimicum atque hoſtem profeſſus, ita contra voluptates ait; Ab his, qui pecudum ritu ad voluptatem omnia referunt, longè diſſentimus: nec mirum. Nihil enim altum, nihil magnificum, ac diuinũ ſuſpicere poſſunt, qui ſuas omnes cogitationes abiecerũt in rem tam humilem; tamque cõtemptam. Nec verò his tam aculeatè atque acriter dictis voluptariorum hominum temerarios ac furibundos impetus credidit eſſe repreſſos, & pernicioſam animi retuſam audaciã: ni magis veluti ex profeſſo in ſenectutis encomio, veſano illorum furori acrius intercesſiſſet. Nam cum ſenili in ętate eam eſſet accuſationis partem ingreſſus: qua peſſimi

... ... qui

quidam, corruptiq; homines, voluptate eſſ carere dictitant: diuinis ſanctiſq; verbis contra voluptatem perorat. Idque ſub .M. Catonis ſapientiſsimi, continentiſsimique hominis perſona, cuipropter ſenectutis authoritatem eo in opere oratio eſt omnis tributa. SEQVSTVR, ait tertia vituperatio ſenectutis, quod eam carere dicunt voluptatibus. O præclarum munus ętatis: ſiquidem id aufert nobis, quod eſt in adoleſcentia vitioſiſsimum? Accipite enim optimi adoleſcentes, veterem orationem Architę Tarentini, magni in primis & præclari viri: quæ mihi tradita eſt, cum eſſem adoleſcens Tarenti cum. Q. Maximo. nullam capitaliorem peſtem, quam corporis voluptatem hominibus dicebat à natura datam. Cuius voluptatis, auidę libidines temere & effręnate ad potiēdum incitarentur. Hinc patrię proditiones, Hinc rerum publicarum euerſiones: Hinc cum hoſtibus clandeſtina colloquia naſci dicebat. Nullum denique ſcelus, nullum magnum facinus eſſe, ad quod ſuſcipiendum, non libido voluptatis impelleret. Stupra verò, adulteria, & omne tale flagitium nullis alijs illecebris excitari, niſi voluptate. Cumque homini, ſiue natura, ſiue quis Deus, nihil mente pręſtabilius dediſſet: huic diuino muneri, ac dono, nihil tam eſſe inimicum, quā voluptatem. Nec enim libidine dominante temperantiæ locum eſſe omnino: nec in voluptatis regno virtutē poſſe cōſiſtere. quod, quo magis intelligi poſsit, fingere animo aliquē iubebat, incitatum voluptate corporis quanta percipi poſſet maxima. Nemini cenſebat fore dubium, quin tam diu dum ita gauderet, nihil agitare mēte, nihil ratione, nihil cogitatione cōſequi poſſet. Quocirca nihil eſſe tā deteſtabile, tāq; peſtiferū, quā voluptatem. Siquidem ea cum maior eſſet, atque longior, omne animi lumen extingueret. Hæc cū .C. Pontio Samnite, patre eius à quo in Caudino prælio Spurius Poſthumius, & T. Veturius. Coſſ. ſuperati ſunt, locutum Architam Nearchus Tarētinus hoſpes noſter, qui in amicitia populi Romani permanſerat, ſe à maioribus natu accepiſſe dicebat. Cum quidem ei ſermoni interfuiſſet Plato Athenienſis, quem Tarentum veniſſe L. Æmilio, Appio Claudio conſulibus reperio. Quorſum hæc? vt intelligatis ſi voluptatem aſpernari ratione & ſapientia non poſſumus, magnam habendam ſenectuti gratiam quæ effecerit, vt non liberet, quod non oporteret. Impedit enim conſilium voluptas rationi inimica: ac mentis (vt ita dicam) pręſtringit oculos: nec habet vllū cum virtute commercium. Inuitus quidem feci, vt fortiſsimi viri. T. Flaminij fratrem .L. Flaminium à Senatu eijcerē, ſeptem annis poſtquam Conſul fuiſſet. Sed notandam libidinem putaui. Ille enim cum eſſet Conſul in Gallia, exoratus eſt in conuiuio à ſcorto, vt ſecuri feriret aliquem eorum qui in vinculis eſſent damnati rei capitalis. Hic Tito fratre ſuo cenſore, qui proximus ante me fuerat, elapſus eſt. Mihi vero & Flacco neutiquam probari potuit tam flagitioſa, & tam perdita libido: quæ cum probro priuato cōiungeret imperij dedecus. Sępe à maioribus natu audiui, qui ſe porro pueros à ſenibus audiuiſſe dicebant, mirari ſolitum .C. Fimbriam, quod cum apud regem Pyrrhū Legatus eſſet, audiſſet à Theſſalo Cynea, Athenis quendam eſſe, qui ſe ſapientem profiteretur eumque dicere: omnia, quæ faceremus, ad voluptatem eſſe referenda. Quod ex eo audientes, M. Curium, & .T. Coruncanum, optare ſolitos: vt id Sannitibus, ipſiq; Pyrrho perſuaderetur, quo facilius vinci poſſent, cum ſe voluptatibus dedidiſſent. Hactenus apud Ciceronem contra voluptatem diſputat .M. Cato: ex quibus quam inhoneſta, quam fœda & turpis corporis ſit voluptas omnis putanda, vel cæco perſpicuum eſt.

QVAE CVM ITA ſe habeant, pernicioſiſ his ac turpibus libidinoſorum ſcelerum extinctis quam primum facibus, atque abdicatis ſtudijs, vni eſt morum frugalitati, & vitę temperantię ſeruiendum. Cuius quidem virtutis munus illud eſt proprium, motus animi appetentis regere, & ſedare: ſemperque aduerſantem libidini, moderatam in omni re ſeruare conſtantiā. Tanta enim temperantiæ dignitas: tamque eius vbique ſalutaris eſt fructus, vt ſi ab eius ſit munere diſceſſum: ſanitatis ratio verè omnis excluſa, & virtutum omnium deſertum putetur officium: neq; id ſane iniuria. Eiuſcemodi enim rerum functio in temperantię laude haud dubiè omnis eſt poſita. Quæ ſi cupiditate praua huius vitioſe animo abeſſe cæperit, ipſis cum honeſtatis ſtudijs, ſanitatis rationē omnem pariter collabi videas: vtriuſque enim rei temperantia eſt altrix: rectèque idcirco valetudinis vigor, & ſtudia probitatis in eius tutela ſunt poſita. Quanto itaque virtutis huius quiſque expers atque inops eſt magis, tanto eſt verę incolumitatis ēgētior. Eneruí enim atque inualido propter intemperantiam corpore effecto, mens ipſa etiam longè imbecillior efficitur: corrupti corporis tabe exitialiter in eam ſenſim influente.

Nam

Nam cum animi perturbationes(qui turbidi ſunt animorum) concitatique motus, à ratione auerſi, & mentis vitęque tranquillę inimiciſſimi, Specie quidē plures, genere quatuor ſint. Ira videlicet, metus, voluptas, & dolor: quibus ſtatus mentis perturbari, & rationis ſolet vſus impediri. Nulla tamen corporis habitum ſic conuellere, atque animi noſtri lumen ita ſolet extinguere, quam cū pernicioſę ipſi voluptatis admotæ ſunt faces: & laſciuæ huius intemperantię impetus illi feruidi pectus noſtrum adorientes, turpiter ſemel vulneri deſignato iam loco, in eo ſunt tenebrę libidinoſi furoris obortæ. Eripiunt ſiquidem tranquillitatem & conſtantiā: vimque omnem rectę conſtitutionis ipſius labefactant atque ſubuertunt: qua deſtitutus animus, vitiorum genere omni extēplò miſer inficitur: ac luctuoſa maximè tabeſcit ęgritudine: ad officium vere ſuum obeundum, exequendumq; debitum munus haud ſecus calligans, quam ad Solis radios (contuendę inſolentia lucis) nocturnæ ſolēt aues obtorpeſcere. Vnde fuga omnis, deſertioque virtutis exiſtit. Quando quidē ea nihil eſt aliud quam rationis ipſius rectè ſe ſtrenuèque habentis, abſolutio quædam atque perfectio. Quæ vbi prauis ſolicitata cupidinibus, & intemperantiæ victa mollitie, illecebris cœpit cedere venereę petulātię & libidinis ardori ſeruire: officij ſui, decoris, atque honeſtatis oblita, ſecumque iam turpiter ipſa diſſentiens: intellectus imperio longè in fugam actó, claudicare ſubito miſerabiliter incipit: ipſumque è veſtigio animū perturbatio ſumma ſequitur. Neque enim vitiato, corruptoque intellectu, incolumis eſſe animus poteſt, Qua propter benè à quibuſdam philoſophis(in quā opinionem Cicero ipſo conſentit) creditum eſt, pertubationum omnium intemperantiam eſſe fontem. Quę eſt (vt Tuſculanarū quarto ſcribit idem) à tota mente & à recta ratione defectio: ſic auerſa à pręſcriptione rationis, vt nullo modo appetitionęs animi nec regi nec contineri poſsint. Quemadmodum igitur temperantia ſedat appetitiones: & efficit, vt hæ rectę rationi pareant, conſeruatque conſiderata iudicia mentis. Sic huic inimica intemperātia omnē animi ſtatum inflammat, conturbat, incitat. Itaq; & ęgritudines, & metus: & reliquæ perturbationes omnes gignuntur ex ea. Quemadmodū cum ſanguis corruptus eſt, aut pituita redūdat, aut bilis in corpore: morbi, ęgritudineſq; naſcuntur, ſic prauarum opinionum conturbatio, & ipſarum inter ſe repugnantia, ſanitate animum ſpoliat: morbiſque perturbat. Vt enim oculus conturbatus, non eſt probè affectus ad ſuum munus ſungendum: & reliquę partes, totum ve corpus à ſtatu cum eſt motum, deeſt officio ſuo & muneri, ſic conturbatus animus non eſt aptus ad exequendum ſuum munus. Munus autē animi eſt, ratione benè vti. Ex quo fit, vt libidinoſæ voluptatis morſu aſperius ac fœdius nihil, nihilque ſit peius vita intemperantia. Nihil enim animo nocentius, nihil mentis lumini pernicioſius, dignitate hominis nihil indignius, ac nihil tandem rationi ipſi magis infeſtum atque repugnans eſt: nihil ęque inimicum atque aduerſum. Quæ tam peſtilēs plaga animi, ſi virtute ſolet corrigi, & ſanari contraria: continentiæ ſanctę ſtudioſè dantes operam: dictorumq; atq; factorum vbique ſeruantes modum, temperantiæ ſeruiamus oportet. Quæ turpes, & à virtute alienas, ſugiendaſque in primis eſſe voluptates docet. Nam cuius pectori libidinoſæ hæ voluptatis faces admotæ ſunt: quandiu temperantia exulante ab animo, pernicioſo œſtró percitus, ſuribunda morbi rabie affligitur: conſilij ille tandiu, rationiſq; inops, ac mētis planè impos, decôri ab animo modo procul expulſo, rebus in ipſis penſi iam nihil habens: bacchantis more, in vetita temere inſilit, noxio mancipatus affectui: ſicque miſere labefactat cuncta, fœde permiſcet, profanat, peſſundat, ſubuertit, atque deuaſtat. Atque hæc quidem contra voluptatem ſatis dicta ſint.

CAETERVM, cum Iuſtitię atque prudentiæ à nobis expenſæ ſint partes, nunc etiam temperantia diſcuſſa, reſtat, vt fortitudinem quarto à nobis loco aſsiginatā paucis explicemus: exordium (quod factum in cęteris eſt) à diffinitione auſpicātes. Et quoniam in edocendis elucidandiſque virtutibus. Ciceronis iam ſumus verba atque exempla ſecuti: ęquum eſt, hac etiam in virtute (quæ diſceptationis ordine, extremo à nobis loco poſita eſt) eiuſdem hominis vti ſententijs: ne ab ęo temere ac ſine cauſa deſciuiſſe videamur, quem defenſorem tanquam atque patronum ſententiæ noſtræ hactenus ſumus amplexi.

MARCVS igitur Cicero eam ipſam rem (de qua nunc agimus) ad hūc modum definit. Fortitudo eſt conſiderata periculorū ſuſceptio, & laborum perpeſsio. Qua ex diffinitione quæ ſit fortitudinis virtus, ſatis (niſi fallor) elucet. Nam cum huius ipſius virtu

tis

tis illud proprium ſit munus: intrepido animo circa terrores & pericula verſari: eaque omnia (quæ alijs formidoloſa videntur) decoris atque honeſtatis ſtudio, vel minoris animoſe putare, vel omnino parua ducere: ac nullo prorſus mortis timore terreri. Ab hac tanta, tamque præſtabili virtute animi, mortis terrore carentis, & ad verum decus laudemq; anhelantis, procul illi diſiuncti ſunt, qui falſa quadam fortitudinis ſpecie deluſi, nullo ſolidæ laudis ac virtutis reſpectu, cæco quodam impetu rapti, amentes in diſcrimina ruũt, ſeq; ſtultè periculis paſsim obiectant: ac exoſam ceu lucem trahant, quauis occaſione vitam abrúpere geſtiunt. Temerarium nimirum hominum genus: lucis munere indignum: quibus (mortalium rerum pretioſiſsima) vita viliſsima eſt, faſtidioq; habetur. Cum enim rationis vſu inſito, in hoc vel maximè à brutis nos animantibus natura ſecreuerit, vt eius ipſius ductu ac munere nihil inconſideratè aggrediamur, nihil faciamus præcipitanter & temere. Quid eſſe eo poteſt ſtultius, qui nullo honeſtatis, vel virtutis captus amore: vitæ (quæ eſſe homini chariſsima debet) vſurã deſpectui habet, iacturam ardenter experit: Fatoque ipſe ſuo lætus ac libens præcurrit? At fortibus viris periculi magnitudinem animo ante permenſis (cum nihil faciant turbulentè) nec vitam etiam inuiſam, deſpicatam ve habeant, norunt enim quàm non ſit vitæ vſura vaſtãda: ſola, quæ attenditur virtus, ad ſpecioſam mortem animos facit: turpemq; docet, vel eius ipſius pretio: ignominiã ſemper eſſe fugiendam. Forti ſiquidem viro, Iuſtitiæ atque honeſtatis amanti, acerbior omnis videri debet turpitudo: quam ea, quę omnino rebus externis, vel corpori poſsint accidere: quo in genere meta eſt nouiſsima, mors. Quæ quam non ſit fugienda honeſto propoſito fine, vel ethnicis compertum eſt: quibus glorioſum videbatur patriæ vitam impendere, ex quibus ille,

. . . *O terq; quaterq; beati?*
Queis ante ora patrum Troiæ ſub mœnibus altis
Contigit oppetere?

Præclara nimirum mors, quæ ſaluti, libertatique ſuorum ab optimo ciue, patriæ impenditur: propriaque antiquior ducitur incolumitate. Quo in genere mortis, omniũ maximè laudantur Spartiatæ. Ij enim Lycurgi legibus inſtructi, maiorumq; exẽplis edocti, pro libertate patriæ ſanguinẽ ſuum alacriter profuderunt; ſeque non ſemel ſpecioſe vita mulctarunt. Proditum eſt in veterum Annalibus Spartani populi regem Inclytum Leonidam apud Thermopylas Xerxis Perſarum regis quingentis hominũ millibus ferocientis, trecentis cum viris noctu inuaſiſſe Caſtra, hoſtiumque millia viginti animo contrucidaſſe pręſenti: quoad tã longè edita ſtrage, viribus deſtituentibus animum cum ſuis ipſum cadere cõtigit. Quorum ſpecioſiſsima mors Simonidis carmine, quod à Cicerone poſtea latine verſum eſt, ad hunc eſt modum nobilitata.

Dic hoſpes Spartæ, nos te hic vidiſſe iacentes:
Dum ſanctis patriæ legibus obſequimur.

Atquì, Lacedęmoniorum leges præter ignominiæ infamiæque metum, nihil aliud ſupplicij pugnam vel deſerẽti, vel detrectanti prorſus irrogabant. Sed tãti, huius ipſius timor ſtrenuis viris habitus eſt, vt mortem oppetendam, quam infamiæ labem ſubeundam ſatius atque conſultius duxerint. Sed nimirum factum hoc Laconica omnino indole dignũ eſt, quibus in bellũ proficiſcentibus matres ſolebant præcipere: vt victores domum arma referrent, aut mortui contra in eiſdem referrẽtur. His verbis ad gnauiter agendum, ſuos quæq; liberos exhortantes. Vnde illi, qui ignauam operam bello pręſtiterant ſęuiorem hoſte matrem domi aliquoties experti ſunt. Hinc Damatria laudari ſolet, quæ è pręlio redeũtem ignauũ filiũ, ſuis ipſa manibus occidit. Qua de re hoc extat epigramma,

Tranſgreſſum leges mater Damatria natum
Ipſa Lacæna necat non Lacedemonium.

Quę iſta tam barbara immanitas eſt, munere lucis propriam priuare ſobolem? Atquî, ſanciri voluit maſculi roboris fœmina ſanguine filij legem poſteris, qua intelligerent, bonis ac fortibus viris multo pluris honeſtatis quam ſalutis rationem habendam eſſe. Nec eſſe pro liberis habendos, qui à maiorum inſtitutis, virtuteq; patria degenerant. Hoc Damatriæ factum & illa imitata eſt, quæ imbellẽ filium, qui deſerto in acie loco ſalutem fuga quæſierat, vt indignum Lacedęmone interemit: negans ſuum eſſe eiuſmodi germen. Quę quidem res memoriæ hominum tali eſt epigrãmate prodita.

Germen iners abeas ad Tartara, teq; peroſus
Eurotas Ceruis, nec det aquam timidis.
Ignauus catulus, mala ſors, hinc vade ſub orcum
I, Spartæ indignus, quem neq; ego peperi.

Quid illa? quam animoſè, ac iuſto dolore percita? quæ è pręlio incolumẽ conſpicata filiũ, & Ecquid ſalua eſſet patria, percontata: vbi ad vnũ ciues periſſe accepit, læthali vul-

nere

nere laterem contorſit in gnatum, illud ſubinde repetens: te igitur nobis mali miſere nuncium. Sed & hæc quoq; non inſtrenue, quæ è bello filium aufugiſſe audiens, aculeatis literis formidoloſitatis admiſſæ commonuit. Malus (inquit) rumor apud nos de te diſsipatus eſt, hunc dilue: aut ne ſis. Quid? quæ alteri ex filijs, fratris generoſam mortem oratione celebranti, & virtutem animi magnificè efferenti, dixit. Non ne te tui pudet, qui mortis tam glorioſę germani comes eſſe nolueris? Opportunè ſanè atq; prudenter, cupiditatem vitæ nimiam mater in filio carpſit, qui occaſionem mortis honeſtā infami lucis vſuræ viſus eſt nolle pręferre. Bonis etenim fortibuſq; viris acerbior morte omni, ignominiæ metus ſemper debet videri. Naturæ ſiquidem commune debitum mors: infamia, morum eſt crimen.

V T I G I T V R indigna viris etiam à mulieribus culpata formidoloſitas eſt: ſic & ab eiſdem celebrata eſt encomijs animoſitas. Mater enim audiens quam generoſe armis dimicans filius occubuiſſet, tantū abſuit, vt queſtibus Aſtra culparet, aut mœſta ſeſe lachrymis & angoribus dederet, vt illud potius ſibi gratulans dictitaret. Hic nimirum partus meus erat. Sic & alia bello peremptū, flammis imponēs filium, indignis vetulæ eiulatibus, ipſius & vicem & Fortunam complorantis parum commota eſt: quin ad mentionem animata Fortunæ, bonam (inquit) ô mulier arbitror, quando id mihi contigit, quod optabam: nempè vt ex me naſceretur qui pro Sparta libens occumberet. Maius illud, muliebri ex pectore maſculum emicans factum. Spectabat è proximo loco: quinq; (quos habebat) filijs in bellum miſsis, Lacęna, qui ancipitis Martis futurus eſſet euentus: à prętereūnteque quopiam de filiorum ſuorum omnium morte certior facta. Non hoc ignaue percontabar, inquit, Sed quid patria noſtra ageret: quā vbi accepit vicisse patriæ ſeſe victoria cōſolata: nunc (ait) filiorum meorum libenter accipio mortē. Gnara nimirum lugēdos non eſſe, quos clara virtus in Cœlum fama ſuſtulit. Beatiſsimum enim mortis genus Spartani putabant quod eiuſmodi laude niteretur. Quapropter laudatur & illa, quæ humi mandans ſtrenuum filium, nænias, lachrymoſaque iuſta prohibuit, dicens,

Plorentur timidi: mi infletus humabere nate,
Et matre hac verè dignus es, & patria.

V N D E tam rara virtutis indoles muliebri affulſit in corpore: quod molle & tenerum natura finxit: penèque laboris ac doloris impatiens? Aut quæ vlla generoſi, ſtrenuiq; animi virtus putanda eſt: ſi non hęc vera eſt fortitudo dicenda: charitate patriæ affectionem matris poſteriorem ducere: honeſtatis intuitu, nullo indignæ Fortunæ moueri fulmine, nullo ſæuo dolore victā, animo poſſe ſuccumbere? An; & in his minus elaboraſſe naturam putandum eſt (vt ſcilicet ex omni animantium genere Spartiatis tantum fœminis maternos affectus) & dolendi ſenſum adimeret, quæ teneritudine animi quadam molli ſuos cuique liberos docet chariſſimos eſſe? Sed nimirum domeſticis virorū exemplis corroborato iam animo, hanc illis tantam pectoris elationem induere procliue fuit: quibus maiorum ſuorum inclyta virtute animi, diſciplinaq; edoctis, triſtior morte viſa, omnis eſt ſemper infamia: & vitę conditio miſera quę patrię repoſcenti non eſſet libens impenſa. Quocirca Thraſibūli fortiſsimi filij inclytam mortem Tynnichus pater fortiſsimè tulit, vacareque lachrymis iuſsit: in cuius laudem celebratum illud epigramma eſt,

Exanimem Pitanem clypeo Thraſibulus in acri
Confoſſus ſeptem vulneribus redijt:
Paſſus ab Argeuis, quæ tergo nulla gerebat,
Tynnichus hunc igni quum daret, hæc loquitur:
Flere decet timidos: oculis te nate ſepulchro
Condo meum ſiccis, ac Lacedæmonium.

Pręclarè Tynnichus. Quis enim vitæ munere honeſtiſsimè functū, aut complorandum putet, aut omnino lugēdum? cum præſertim eiuſce modi mors totam vitam illuſtret: poſterorumq; digna laude efficiat reuiuiſcentem? Non enim moritur, quiſquis rebus præclaris intentus ſpecioſè vita defungitur. Sic nobilis ille Thebanus Epaminundas læthali traiectus ſpiculo: vbi & clypeum ſuum ſaluum, & victricem patriam accepit: ſtrenui quaſi, arduique laboris magno perfunctus munere: extremoque tanquam in vitæ halitū ſibi gratulans, ad ſuos conuerſus (inquit) Iam verò ô commilitones, non finis vitæ meę, ſed magis initium aduenit. Nunc enim veſter Epaminundas naſcitur: quia ſic moritur. Spartanus Leonidas interrogatus, cur viri fortes honeſtam ad mortē alacres graderentur: quia (inquit) cùm ſtrenuis & ignauis neceſsitas mortis immineat, id ſibi exiſtimant proprium: quod virtute animi geſtum eſt. Moriens Lacon, non tam ſe ęgrè ferre dixit mortem, quam quod nullo adhuc facinore edito, ab imbelli occideretur. Tormēto enim, vel eminus

jacto lapide forte ceciderat à vili intereptus muliercula. Sic & Ariſtides Locrenſis à muſtela Tartelia morſus, cum læthale vulnus cerneret (vt extat apud Ælianum) gratioré ſibi multo mortem futuram fuiſſe, iam iam fugiente anima aſſeuerauit: ſi ex Leonis, vel pardalis morſu è vita diſcedere contigiſſet, quam ab eiuſmodi contempta beſtiola. Prudenter ſanè. Neque enim omnibus vſu venit, vt genus mortis laudabile ſortiantur, interituſq; ſui authorem celebré oſtentare poſsint. Cladem nanque authore poſſe leuare, in beneficij eſt aliqua parte ponendum. Eſt, ſiquidem ad gloriam maximum, preſtãtis alicuius virtute viri dextra cadere. Vnde non ſine cauſa, fortiſsimus ille mortalium Hercules apud Tragicum Senecam grauiter ſtomachatur, quod hominum ac monſtrorú terror & domitor manu muliebri intereat. Sic namque loquitur.

O turpe Fatum, Fœmina Herculeæ necis
Author feretur! Author Alcides quibus
Inuicta ſi me cadere fœminea manu
Vo'uere Fata, perque tam turpes colos
Mea mors cucurrit; cadere potuiſſem mihi
Iunonis odio, fœminæ caderem minis
Sed Cœlum habentis. Sed nimis Superis fuit
Scythico ſub axe genita domuiſſet meas
Vires Amazon. Fœminæ cuius manu
Iunonis hoſtis vincor? Hinc grauior tui
Nouercæ pudor eſt. Quid diem hunc letum
vocas?
Quid tale tellus genuit irata tibi?
Mortalis odia fœmina exceſsit tua.
Adhuc ferebas eſſe te Alcidæ imparem,
Victa es duobus. pudeat irarum Deos.
Vtinam meo cruore ſatiaſſet ſuos
Nemææ rictus peſtis: Aut centum anguibus
Vallatus Hydram tabe pauiſſem mea
Vtinam fuiſſem præda Centauris datus,
Aut inter vmbras victus æterno miſer
Saxo ſederem: Spolia cum traxi vltima
Fato ſtupente. Tunc ab inferna Styge
Lucem recepi, Ditis euici moras:
Vbiq; me mors fugit, vt Letho inclyto
Fortis carerem. Proh feræ victæ, ò Feræ!
Non me triformis Sole conſpecto Canis
Ad Stygæ reduxit. Non ſub Heſperio polo
Ibera vicit turba paſtoris feri,
Non gemina ſerpẽs. Perdidi mortẽ, hei mihi
Toties honeſtam! titulus extremus quis eſt?

Non dolet mortem: ſed magno prognatum Ioue authoris pudet. Mortemque, quá toties honeſtè potuit oppetere, ſibi luget ereptam, incaſſumque ſuos narrat triumphos, cladem exaggerans: inglorio ſub hoſte cadens. quis igitur miretur mortalium fortiſſimo Herculi, terrarũ orbem terrificis monſtris deſęcare ſolito, impatienri animo eam plagam accipi: cum id bellicę laudis cupidis viris, graue ſit ſemper vulnus, atq; intolerabile viſum? Quid? quod voluminibus ſacris non vno loco illud extat ſcriptum, Iſraeliti cùm Regem Abimelechũ in excelſę cuiuſdam arcis oppugnatione, quam inexpugnabilem armis deuaſtare igne decreuerat, molaris ſaxi arrepto fragmento à muliercula de muro fuiſſe percuſſum: qui cum lethale vulnus eſſe perſpiceret, euocato, qui ponè ſequebatur, armigero: diſtricto (ait) cõfeſtim me gladio perime: ne ignobili manu fœminę, rex veſter dicatur occiſus: atque ita infœliciter expirauit. Dignus tali nece profecto, qui cupiditate regnandi ad infame ſaxũ tanti ſceleris conſcium, contra omne fas atque iura pietatis, ſeptuaginta quos habebat fratres atrociſsimo mortis genere peréptos, ſæuus de medio ſuſtulit. Vt intelligas interim imperij vęſana ſitis, propinquitatis tam arcto conſtrictos vinculo, quò interdum furoris ſoleat adigere. At vero, quib⁹ arduis in rebus, vel inimicus acer, vel mors clara propoſita eſt, hoc ipſum, maiori eſt laudi, quod vrget: ſpemque ſolatij præbet, ac modo quodam animos facit: quod quemcumque euentum caſus tulerit: gloriam vident eſſe paratam. His etenim, ſi victos eſſe contingat: haud eſt perinde turpe vinci, quam contendiſſe decorum. Sic ſuperatus ab Hercule, ſucceſſum pugnæ libenter apud Ouidium narrat Achelous, atque ſpecioſè depingit: ſic apud Homerum cum Hectore congreſſurus Aiax, virtutem hoſtis animo permenſus: ſi ſit fortè victus, declarat ſe velle vt ſuum tumulum multis etiam poſt ſęculis pretereuntes, ſic alloquantur,

Hic ſitus eſt vitæ iam pridem lumina linquens,
Qui quondam Hectoreo perculſus, concidit enſe.
Fabitur hoc aliquis: mea ſemper gloria viuet.

Sic nimirum generoſo qui ſunt animo prędití, ſi epitaphium laudis paratũ ac promptum vident, certatim in diſcrimina ruunt, atque alacres ad pericula conuolant. Quapropter merito laudantur Spartani: quum enim à Philippo Macedonicis armis, agri, regioneſque Spartæ finitimæ latę vndique

vaſta

vaſtarentur: eoq; res eſſet adducta diſcriminis, vt iã iam omnibus eſſet moriendũ: regi dicenti, quid nunc agemus ô ſocij? Quid aliud Spartiatę inquiunt, quã quod fortiter moriemur: quãdo nos ſoli pro patria pugnare, ac liberi eſſe: neq; alijs vnquã turpiter parere didicimus. Æquè Leonidas fortiter, Perſę hoſti iactãti, præ iaculis ſuorũ Solẽ obſcurari ſolere: ob hoc, inqt, agem⁹ ardẽtius: ſub vmbra enim pugnabimus. Quid ille alter vitioſis claudicãs pedibus, ſed vere Spartanus Androclidas qui reprehẽſus, quod ad illũ modũ effectus in aciẽ deſcẽderet, animoſè reſpõdit. Pugnare ſibi nõ fugere, eſſe propoſitũ. Hanc tantã animi elationẽ ſola virtus erigit, & veræ gloriæ cupiditas, quę in optimi cuiuſque mentibus acres infigit ſtimulos: dũ ad omne decus, ac laudẽ cõcitat: turpitudiniſq; improbę notam fugiendã eſſe pręſcribit. Hinc enim fortitudini, omnis actio exiſtit, & ſpecioſa geſta ducũtur. Nulla liquidẽ res tãta eſt, quã ſimili virtute pectus affectũ, non vel conficiat fœliciter: vel ſuſcipiat animoſè. Neq; enim metus, qui rei difficultate perpẽſa, etiã animoſis interdũ ſolet obrepere, impedimento eſt quominus res arduas libẽter aggrediantur. Sẽper nanq; huic ſe ſe aduerſus, honeſtus opponit pudor, calcaribus ceu quibuſdã adhibitis animũ ad honeſta cõcitans. Vndẽ ſtatim emergit illud,

Sed pugnare metus: retro pudor ire vetabat.

Inter metũ igitur atq; pudorẽ animus fortis deliberãs, huic ꝗ̃ illi parti mauult acquieſcere, quia honeſtũ & pulchrũ facinus ſuſceptũ animo eſt. Quas obres, haud temere dux ille inclytus Timotheus Gręcos in Perſia ad ſtrenue agẽdũ exhortans: ſic ait, Veneramini ô mihi dilecti cõmilitones pudorem, virtuti bellicæ ſuppetias afferentẽ. Sic fortiſsimus ille Diomedes Gręcis omnibus ob Hectoreũ aduentũ in turpẽ fugam cõuerſis, martij hominis acres ac violentos impetus ſolus ſuſtinuit: Verebatur enim ne apud ſuos Priamides gloriaretur, à ſe cũ reliquis Græcis Diomedem eſſe fugatũ. Itaque iure ait,

Inter enim dicet Troianos optimus Hector
Tydides metuens puppes confugit ad altas.

Maluit ergo vir fortis ſummo in dicrimine de vita dimicare, quã inhoneſti pudoris, vel formidoloſitatis anſam ſuppeditare Troianis apud quos probris omniũ, nomẽ ſuũ (ſi nõ ipſe mãſiſſet) videbat obiectũ iri. Quid? ꝗ Hector ipſe reprehẽſiones veritus Polydamãtis, in ſæui Martis diſcrimina ruit, medioſq; incurrit in hoſtes: rurſus idẽ pugnã per ignauiã detrectãti ingloriã minatur mortẽ: ſic nanq; ait,

Quem procul à pugna trepidantem forte videbo:
Is canibus fiet, fiet quoq; vulturis eſca.

Extrema, quę hoſtilis manus dare nocumẽta poſſet, hęc ſuis egregius minatur Dux: vt omnes intelligãt, nullam vndiq; ſalutis ianuã rimidis eſſe relictã. Quid autẽ fœdius vel atrocius minari poterat, quam vitali munere erepto inhumata corpora, feris atq; auib⁹ per dedec⁹ ſummũ relictã? Sed attẽdamus, ꝗ ijdẽ duces, ſuos interdũ ad laudẽ virtutis allectẽt?

O Lycij, fortes præſtate viros: fuga prorſus
Exulet, hanc ſequatur pudor.

Item & illud

Obuerſet animis pudor, & maledicta virorum
Latrantum: Vis magna furit Martis modo campis.

Quid? cũ etiã fortes, quo magis in hoſtes irritẽt, ignauię ac formidoloſitatis inſimulãt? vt callidus ille apud Sophoclẽ Vlyſſes Achillẽ inſtigãs verbis: quẽ cœnæ gratia negat ſucceſſere. Sed quod ſimulacra, altaq; Troiæ mœnia videret; iam præ metu paueſcere: dictis nãq; irritatũ eiuſmodi, ab nauigãdoq; paratũ, ita à nauibus atque incepto deterret,

Scio quid fugit, non ne quid audias male:
Sed inſtat Hector: Hic manere, haud expedit.

Sic ſua fortibus (quorũ eſt probri natura omnis impatiẽs) generoſa ſtatim animo occurrit affectio: ipſiſq; etiã ignauis timor mortis excutitur: dũ alteros obiurgatio cõtumelioſa excitat ad officiũ: domeſticę alteros pauor pœnę habet ſolicitos, muneriq; iã ſuo eſſe cogit induſtrios. Vtriq; enim in officio manẽt, ne id experiãtur, ꝙ vel turpe ducũt: vel omnino vidẽt, fore calamitoſum. Sed in hoc fortiũ ꝗ̃ cęterorũ cõditio melior, & cauſa nobilior ꝙ ſtrenuos infamiæ timor, gloriæ atq; honeſtatis ſplẽdor ad amplexãdã Virtutẽ inuitat: degeneres cõtra ac pauidos, imminẽtis expectatio anxia & recordatio luctuoſa ſupplicij, ignauos eſſe nõ ſinit. Quæ vbi remota lõge, abeſt peregrè: falſa illa animoſitatis emicãs ſpecies: turpi ſubitò timore victa, cõrabeſcit. Hinc vilis illa & abiecta timidorũ hominũ vox, ô vtinam fugere impunè liceat: aut ignotos inter tutò hoſtes errare!

SED QVO à fortibus decidit oratio, mihi in ignauoſq; in cautè deſſuxit? Pretereũda ergo oblata occaſio nõ eſt, ſuaueluti nobis obiecta ſpõte. Alexãder Macedo, cũ egregijs geſtis nomẽ ſuũ per omnes terrarũ oras latè diſſeminaſſet: propagãdoq; orbis imperio ſemper intentus eſſet: forte accidit, vt de rupe quadam apud Indos audiret, quæ loci natura ita erat in ſublimi atq; edito cõſtituta, vt inacceſſa auibus vulgo crederetur. Hãc cũ ambitioſiſſim⁹ iuuenis capere vellet: percõtat⁹ dicitur quenã mortaliũ eo loco degeret. Vbi verò ac-

cepit meticuloſi domini rupẽ eſſe. Nunc(in
quit) o Socij, expugnatu locus eſt facilis.
Significãs nimirũ munimẽta ſatis nulla timi
dis eſſe. nec tã eſſe muris aut foſsis arcẽ benè
vallatã: quã incolentiũ virtute. Lycurgus ille
Lacedęmonius, interrogatus cur lege vetuiſ
ſet, cingi muris Spartã, negauit eã vrbẽ mu-
ris carere; quæ tot haberet viros animi virtu-
te præſtãtes. Id ipſum Ageſilaus rogatus reſ-
põdiſſe fertur, vrbẽ inclytã ciuiũ virtute ac
robore, nõ mœnibus, aut turribus cinctã eſ-
ſe debere. Quocirca ſapiẽter feciſſe dicitur
Iſæus ille Aſſyri⁹ ſophiſta, qui Spartanis ſum
mo terrore perculſis, & de ciuitate mœnibus
cingẽda conſultantibus, Græcum in hãc ſen
tentiam Homeri cecinit carmen,
Scutum hæſit ſcuto: galeæ galea, atq; viro vir.

Subiungẽs ſtatim & illud. Sic mihi ſtate vi
ri, & muris cincti ſumus. Sic & Pãthoidas cũ
iret legatus in Aſiã Aſiatico cuidã murũ ſor
tiſsimũ oſtẽtãti: & ecquid ſibi videretur quæ
rẽti, bellũ ſibi mulierũ conclaue dixit videri.
Obiter inſinuãs non tã locis quã viris, fidere
tutum eſſe. Quippe perſpicuũ eſt bellica in-
ſtrumenta, decoraq; arma, idq; genus muni-
menta cætera, neq; pectore ignauiã excutere
neq; animo addere virtutẽ poſſe. Pręclarè igi
tur Carthaginienſis Hãnibal, cũ Syriæ rex An
tioch⁹ perditiſsimę homo luxurię, extremæ
q; ignauię, ingẽtes ei in cãpo copias oſtende-
ret, quas bellũ populo Romano facturus cõ
parauerat: flectiq; in orbẽ exercitum inſigni
bus argenteis atq; aureis floridè micantẽ iu-
beret: induciq; etiã currus cũ falcibus, & ele-
phãtos cũ turribus, equitatũq; fręnis, ephip-
pijs, monilibus, phaleris pręfulgẽtem: atq; in
terim rex ſpectaculo tã ornati exercitus, lęti-
tia animi vana geſtiẽs, Hãnibalẽq; aſpiciens
gloriãter diceret, Putas ne cõferri poſſe: ac ſa-
tis eſſe credis Romanis hæc omnia? Tum Pœ
nus eludẽs ignauiã, imbelliãq; militũ eiu⁹ pre
tioſè armatorũ, Satis planè (inquit) ſatis cre-
do eſſe Romanis hęc omnia: etiã ſi Romani
auariſsimi ſint. Nihil prorſus neq; tã lępidè,
neq; tã acerbè dici poteſt. rex (vt Gellius ait)
de numero exercitus ſui, ac de ęquiparatio-
ne ęſtimãda quęſierat: Hãnibal de præda reſ-
pondit. Prudẽter ſane dux egregius, ad hanc
enim formã inſtructus exercitus, tanquã ſpe
cioſa ſupellex (vt rectè Valerius ait) auaro
potius hoſti pręda optabilis, quã ſtrenuo for
tiq; viro ad vincendũ mora vlla eſſe conſue-
uit. Bene igitur Epaminũdas, nunciãti cuidã
in Peloponeſum ab Athenięſib⁹ nouis armis
inſtructũ, eſſe miſſum exercitũ, Nũquid (in-
quit) dolet Antigenidas, quod nouas Tellis
tibias habeat? Erat enim Tellis odioſus tibi-
cen: cum Antigenidas contra ſcitiſsimè ti-
bias inflaret. Dicto hoc indicans, fruſtra no-
uis armis Athenienſes inſtrui, qui eis vti neſ-
cirẽt: parumque antea bellicis rebus aſſueſce
rent. Themiſtoclem ferunt, ita cauillari in
Eretrienſes ſolitum, vt diceret eos ſimiles eſ
ſe piſcium, qui gladioli nuncupantur, quod
gladium quidem haberent: ſed non haberẽt
cor. Sic & Diogenis illud in ignauum homi-
nem celebrari ſolet, qui cum forte incidiſſet
in quendam Leonis exuuio circuntectum,
eã obrẽ ſibi mirificè placentẽ. Quin deſinis
(ait) virtutis ſtragulas pudefacere? Erat ęgrè
non iniuria philoſopho clariſsimo, Herculis
viri fortiſsimi amictum ab imbelli & ignauo
homine fœdiſsimè contrectari. Quis enim
ferret animoſi Achillis loricam à timido ge-
ſtari Therſite? Aut nobilitatam illam mãdibu
lam aſini, qua mille quondam Sanſon Phili-
ſtæos occidit, in gruũ certamina eunte, à ſeſ-
quipedali ingloriè tractari Pygmęo? Aut igi-
tur formidoloſitas, quod ſibi parum conue-
nit tractare delinat: aut virtutem animo ca-
peſſens, pauoreq; turpi procul expulſo, forti
bus deinceps factis aſſueſcat. Eſt ſiquidem
non abſurdum modo, verum etiam temera-
rium, quod parum dignè præſtare queat: ſtu
dioſe quẽpiam velle affectare. Quod enim
temere ſuſceptum eſt onus: ignominioſe
ſemper deſeri ſolet. Quæ igitur meticuloſo
parum apta ſtudia ſunt, fugiat quærere igna-
uus: caueq; ab ijs integer ſedulo temperet,
quæ experto, non tam ſint vſui, quam detri-
mento magno, vel dedecori futura. Sed quid
ego plura de timidis? quorum profunda ho-
minum ignoratione memoria ſepulta, meri
to iacet in tenebris? Quod enim ad diſcipli-
nam morum homini parum eſt vtile, hone-
ſtius multo alto ſilentio premitur, quam ora
tione depromitur. Nam cur ego oratoris De
moſthenis, aut Iambographi Archilochi ti-
miditatem animi, oratione longa conſectet?
quorum hic, quam mori melius eſſe ſcripſit
arma abijcere: ille de in acie commiſſum de-
ſerente locum: Virum qui fugiat, rurſus bel-
lum, dixit, poſſe redintegrare: ſuperſtitioſam
ve Theaginis formidantis cuncta puſillani-
mitatẽ, qui Hecates effigie incõſulta domo
nunquam ſit egredi auſus? Adeo miſer om
nia expaueſcebat? Græcũ quid Artemonem
referam? qui & ipſe miſera formidine mortis
ne domi quidem ſuæ vitã ſecurè trahebat?
Seruos enim habebat, qui ſupra ſuum caput
Clypeum alleuantes, obſeruabant anxiè ne-
quid noxium ſuperne decideret: quod meti
culo

culoſum dominum offendere poſſet. Alterum quid illum commemorem Sycophantam Athenis bene notum Ariſtogitōem? qui cùm mortalium omnium foret ignauiſsimus, omnium maximè bellica recreabatur mentione. Semper enim ſæua prælia, Martéque habebat in labris. Ratus hanc ob cauſam, Martios apud viros principem veluti ſe vnum habitum iri. Vnde, cum & Claſsicum cani, & bellum parari ſentiret, aſtutè belli excogitauit effugium. crure enim faſcia obligato repente prodijt in publicum, claudicationem doctè ſimulans. Cuius ex ignauia cognita vafritie: egregius ille dux Phocion exclamaſſe dicitur. O Dij Immortales vnde nobis repente claudicans Ariſtogiton! Sic & ſemper magna crepans: armorumque in ſermone, gaudens ſtrepitu Campanus ille Taurea, Aſelium Claudium Romanum equitem, quem ad ſingulare certamen vltro prouocauerat, ſæuis exagitans minis: vbi ventum in locum eſt duelo aſsignatum, concitato magno impetu equo, cunctiſque demirantibus repentè fugam arripuit in Capuā tamq; aduerſarium metu, quā ſpectatores omnes cachinnis ſoluit, & riſu. Quid? qui ſiniſtræ manus digitos ſibi præcidit, ne militaret Italico bello, notus ob ignauiam Vacienus? Quid Vlyſſes ille vaferrimus? ſimulata inſania pugnam detrectans: quo ſe vxore, chariſque cum liberis domi oblectare liceret? Si tamen Tragici vera produt, nam apud Homerum authorem optimum nulla talis eſt de Vlyſſe ſuſpicio, ſed tamen inſimulāt eum Tragœdiæ, dementiæ ſimulatione ſubterfugere militiā voluiſſe. Quas ob res hæc in illum ab Aiace dicuntur,

Cuius ipſe princeps iuriſiurandi fuit
Quod omnes ſcitis, ſolus neglexit fidem.
Furere aſſimulauit, ne quò iret, inſtitit.
Quod ni Palamedis perſpicax prudentia,
Iſtius percepiſſet malitioſam audaciam,
Fide ſacrata ius perpetuo falleret.

Sed iam ignauos relinquamus, ipſumque Vlyſſem, ſi tamē inter eos Vlyſſes cenſendus eſt, qui cū res magnas geſſerit armis, cōſilio maiores effecerit? Huius enim inuentis & Troia capta, & Iliū incenſum eſt. Sed reuertamur, inquā, ad fortes: neq; enim de quibus diutius verba fiant ignaui digni ſunt.

LACEDAEMONII, cum ad fortitudinē, bellicamq; virtutē ſuos quōdam erudire vellent, Deorum omnium ſimulacra armis inſtructa colebant. Nam & Venerē ipſam, quā nimio cultu, & corporis laſciuo geſtu, fœdis dumtaxat amoribus vacantem alij fingunt, egregia armatura inſignitā, lanceamq; manu vibrantem, depingebāt. Vnde interrogatus Charillus, cur Deos omnes ſpecie militantiū depingerēt: Ne probra (inquit) quæ ob ignauiam iaciuntur in homines, ad Deos referamus: ne ve inermis armatos Diuos revereri & colere iuuentus audeat. cunctis enim præcipueq; iuuenibus perſuaſum volumus, Dijs ipſis fortitudinem animi gratā eſſe: ignauiā contra odioſam illis, inuiſamq; accidere. Ideoq; quales habere ciues cupimus, tales inducimus Deos. Pulchrè nimirū Charillus. nam cū virtutū omniū, totiuſq; honeſti, Numē ſit archétypus: bellica abeo exorſa precibus virtus eſt, qui armis videtur excellere, & generoſa quadā pectoris alacritate præſtare. Cum præſertim verū ſit, promptos, & ad honeſta diſcrimina accinctos, Diuis ipſis iucūdos & charos eſſe: inuiſos cōtra meticuloſos atq; degeneres. Hoc nāque illud eſt vulgo quod dici ſolet.

Audaces Fortuna iuuat: timidoſq; repellit.

Sic nimirum apud omnes gentes præſtantiſsimi quique viri, qui in magna nominis laude vixerunt,

VIRTVTE DVCE, COMITE FORTVNA ſumma omnia conſecuti ſunt. Cuius rei cū ignarus nō eſſet Epaminūdas, educto in Thebanos ab Spartanis exercitu: dū ſuorum militū animos metu debilitatos cōſpicit, ob oraculorum varia reſponſa: quę nūc victoriā pollicebātur: nunc minabātur excidium. Edixit, vt ad tribunalis dextrā bene promittētia locarentur, contraria ponerentur ad læuam. Quod vbi factū eſt: cōuocatis militibus, pro concioneq; adſtans: ita locutus eſt. Si imperatori acquieſcere volueritis, & præſenti animo in hoſtile agmen irrumpere, hæc vobis oracula ſunt: ſecundioribus oſtenſis. Sin ad conferendas manus tardi meticuloſique fueritis: haud dubie hæc vobis reddita ſunt: mōſtratis improbioribus. Hoc veluti ſtratagemate obiter interpretans, Diuos ſemper fortibus ſecunda promittere, & ignauis inſauſta,

QVOCIRCA benè Lacedæmonij, iam inde ab adoleſcentia arduis, difficilibuſque rebus ſuorum animos aſſueſaciebant: ſeque alacriter ferendis laboribus dabant: fortitudinis vndiq; materiā aucupātes. Quo factū eſt vt cū aliquando armis bello cepiſſent ciuitatem quandā præpotentē, Ephori exclamātes dixerint: Perijt iuuentutis luctamen. Non enim poſthac habebunt aduerſarios. Næ illi ſapienter: qui iuuenibus ſuis virtutis exercendæ materiam, ereptam eſſe dolebāt.

Nec minus hoc prudenter animaduerterũt.
Nam cum ſuæ gentis rex polliceretur æqua
turũ ſolo, funditusq; euerſurũ vrbẽ viris in-
clytã, & militaris rei apprimè peritã hoc præ
textu quod Spartæ aliquoties negotiũ faceſ
ſiſſet, id ſe paſſuros non eſſe Ephori reſpõde
rũt: negantes fas eſſe Iuuẽtutis cotem abole
re, atque ſubuertere (ſic nanq; hoſtilem ciui-
tatẽ, quæ ſtrenuos habebat viros haud teme
re appellabãt, veriti; ne aduerſarijs liberati:
aut ocio turpi, aut fœda inſamiq; ignauia cõ
tabeſcerẽt. Etenim, vt rectè ait Seneca,
Virtus ſine aduerſario marceſcit.

Quas obres. Q. Metelli ſentẽtia laudibus in
cœlũ effertur: quẽ deuicta carthagine ita in
Senatu ad cõſcriptos patres verba feciſſe Ma
ximus Valerius ſcribit. Videlicet, neſcire ſe
victoria illa boni ne plus an mali reipublicæ
eſſet allatũ: quoniã vt pacẽ reſtituẽdo profuiſ
ſet, ita Hãnibalẽ ſubmonẽdo nõnihil nocuiſ
ſet, eius enim trãſitu in Italiã, dormientẽ po-
puli Romani Virtutẽ excitatã eſſe: metuiquẽ
debere, ne acri æmulo liberata, in eundẽ ſom
nũ reuolueretur. In æquo igitur malorũ po-
ſuit (vt rectè ſenſit Maximus) vri tecta, vaſta
ri agros, exhauriri ærarium: & priſci roboris
hebetari neruos.

MAGNA ergo diſciplinę ratio vſq; habẽda
eſt: virtuſq; ne decidat, honeſto labore ful-
ciẽda. Qui profecto optimis viris eſſe debet
ſemper in prõptu ſitus. Quo quidẽ labore tã
fuiſſe vſq; delectatum perhibent Mileſium
Thaletem, vt audita iuuenis voce honeſto
labore ſe gaudere dicentis, ſtatim illi dixerit,
Sanguine præclaro ſatus es, pulcherrime fili!

Rectè ſapiẽs feciſſe dicitur, quis enim neſ-
ciat virtutum omniũ, actionũq; bonarũ du-
cẽ atq; parẽtẽ honeſtũ eſſe laborẽ? Appium
Claudiũ ſapiẽtia virũ celebrẽ, dicere ſolitum
accepimus, negotiũ populo Romano melius
quã ocium committi. Non quod ignoraret,
quã eſſet ſtatus tranquillitatis iucũdus: ſed ꝙ
animaduerteret præpotẽtia imperia agitatio
ne rerũ ad virtutẽ capeſſendã excitari: nimia
quiete in deſidiam reſolui. Et ſanè negotiũ
nomine horridũ ciuitatis Romanę mores in
ſuo ſtatu cõtinuit, blãdę appellationis quies
plurimis vitijs reſperſit. Vt enim dicebat Xe-
nophon illũ eſſe optimũ virum, qui vtilita-
tẽ ſciret ex aduerſarijs capere: vtq; Diogenes
ad vitã optimè atq; honeſtiſsimè degendam
opus eſſe aut amicis cãdidis, aut acrib⁹ inimi
cis, ſic ad verã animi magnitudinẽ, fortitudi-
nẽq; parãdã permagni intereſt, reb⁹ exerceri
arduis, laboribuſq; dedi honeſtis. Dũ enim
quæ ſumma ſunt quærit (vt ait egregius poe
ta) petit ardua virtus. Quo circa, ſtrenue lau-
dari qui optant, vereque fortes haberi: ociũ
turpe auerſantes, quod gloriæ atque hone-
ſtati affine eſt, modis omnibus conuenit aſſe
ctari. Semper enim ad laudem ac gloriam an
helantibus viris difficultatis iter ineundum
eſt: obiectaq; quæ tali in via conficienda ſunt
honeſtatis gratia generoſo ac forti animo pe
ricula tolerantes. Nec committendum eſt,
vt ob ignauiam, fœdamque animi mollitiẽ,
germanæ fortitudinis deſertum putetur offi
cium. Nam cum ea animi elatio, & genero-
ſæ altitudo mentis, qua fortem virum prædi
tũ eſſe cõſtat, arduis laborioſiſq; rebus obeũ
dis maximè ſoleat perſpici: conſentaneũ eſt,
eum qui eiuſmodi gloria alijs cupit excelle-
re, labore nullo debere frangi: ſed ipſa rerũ
difficultate acui ſemper ad veræ laudis &
fortitudinis gloriam: Ratus id quod res ha-
bet, nulli vnquam per ignauiam atque deſi-
diam, clarum aut fortem euadere contigiſ-
ſe. Quippe immortalitas famæ, ac decoris tã
ti celebritas ſtrenuitate animi, inuictoque
robore, ſudore etiam atque adeo ſanguine
emitur: animoſiſq; omnino rebus; id eſt dif-
ficili atque arduo loco. poſitis vere paritur.
Vnde Naſonis merito laudatur ille verſi-
culus,
Ardua per præceps gloria vadit iter.

Fruſtraque idcirco fortis haberi poſtulat,
qui honeſta recuſat adire diſcrimina: ſibique
ignauiter metuens, difficilibus rebus intereſ
ſe non vult. Nõ enim vt agri, peryſtromata,
nummi (quarum plærunque rerum ſine fa-
cto aliquo noſtro, hæreditate, aut lege nobis
poſſeſsio obuenit) ſic & Virtus ſedenti defer
tur: quę operis profectò eſt noſtri, atq; adeo
induſtriæ indiga. Præclare igitur illud à Pla-
tone dictum eſt: nemo vnquam dormiens,
clarus eſt aut immortalis effectus. Eſt nanq;
virtutis via ipſa labore plena & ſudore refer-
ta, vt Aſcreus quondam cecinit vates. Qua
propter, virorum fortium, ac virtute præſtan
tium; meditatio omnis, deſidiæ torpore igna
uo ab animo procul expulſo honeſti ſit labo
ris amica: deq; periculis tali ex cauſa natis,
aut prudẽter regendis, aut ſuſcipiẽdis alacri-
ter, aut ratione propulſandis aut animoſe
ſtrenueque ferẽdis ſemper cogitans, menſ-
que adeo ipſorum ſtudio ſimili vſque ſoli-
cita. Pro ſummi Dei religione, aſſeren-
daque gloria diuinæ maieſtatis ipſius pro
defenſione legum, pro incolumitate prin
cipis, ac ſuorum ciuium ſalute, homini-
buſque iuuandis (ſi caſus tulerit) præſidio vt
illis eſſe, præſtareque opem poſsit; bonus,

gratus, pius, prudens, fortiſque vir appellari qui volet, vitã cupiet impẽdere. Nihil enĩ tã eſt animi abiecti ac timidi, quã eiuſcemodi pro rebus ſanguinẽ nolle profundere. Nam quis ſanę mẽtis, cupiditate vitæ (cuius curriculũ breue, caſibuſq; multis expoſitũ à natura datũ eſt) ſpecioſę mortis turpiter cauſa neglecta in ſempiternũ dedec⁹, & ſamę teterrimã labẽ velit incurrere? Aut periculi tãdẽ de generi aliqua velit fuga cõmittere, vt inuiſus Deo, pernicioſus ſuis, vel inutilis patrię (cui quoad eius fieri poteſt, ornamento eſſe atq; vſui debet) fuiſſe dicatur? cũ præſertim infami & turpi vita hominũ ſit nihil in terris abiectius. Ingrata ſiquidẽ odioſaq; illorũ haud dubie ſolet eſſe memoria, quibus exigui prorogatio tẽporis ad voluptates animi cęcas explẽdas, effrenẽq; libidinẽ animi beſtiarũ more exaturandã, quã honeſtatis eſt potior cõditio viſa & quoquo pacto deniq; viuere maluerunt, quam honeſtè ac glorioſè mori. Sed quid ego de flagitioſis, & ſceleratis loquor hominibus, quorũ vitę turpioris vſura largior, multorũ cũ damno coniũcta, mortaliũ nulli quã ſibi maiori vnquã fuit fraudi? Peſsima eſt homini comes improbitas: Lanienãq; animi verè exercet impietas. Quorũ ſi caſu aliquo tormẽta ceſſant; humana ſubito tela ingruunt. Non ne vides, quàm maledictis, execrationibuſque omnium, & priuatim & publicè vbiq; illi damnentur, qui à patria defecerũt, honeſtaq; illi pręſidia denegarũt? quãtaq; perpetuis iã ſęculis laborẽt infamia perditę & profligatę vitę homines, qui patrię ſuę in re præſenti cõmodare cũ poſſent, proditores repente, vel acerrimi hoſtes ſunt facti? Quis Catilinã atq; Cethegũ ſacrilega in patriã arma ferẽtes: perniciẽ, exitiũ, vaſtationẽ ac cędẽ ſuis temere machinãtes nõ oderit atq; execretur? Quis Laſthenem, Olyntho natali ſolo prodito Macedonũ regi Philippo nõ dãnet, atq; execrationibus voueat? Quis Cilliconẽ Mileſiũ patria Prienẽſibus vẽdita, nõ execretur & culpet? Quis principẽ Spartę Pauſaniã Xerxi Perſarũ regi ciuitatẽ ſuã auro tradentẽ nõ auerſetur atq; refugiat? Quis tãdem Patritium illum, ſed tanto ſplẽdore natalium, & maiorum ſama indignum, Caſsiũ Brutum non furijs deuoueat vltricibus, qui nefaria pecuniæ cupiditate illectus vrbem Romam, terrarum ac gentium principem Latinis prodere voluit? Qui nimirum, præterquam quod parentes ſuos Caſsium videlicet & Ageſilaũ tam improbi facinoris vindices fuere ſeueriſsimos experti: ab ijſdem namque (vt Chæroneus Plutarchus aſſerit) domeſticos intra lares parietibus vndique circumſepti, lenta morte, fame ſunt & inedia confecti, vterque inquam cum reliquis, qui vitæ ſunt ſimile genus amplexi: maledictis probriſq; omniũ in ignominia æterna verſantur. At verò qui egregijs factis illuſtrari cupiẽtes: dũ religionis, legũ, patrięq; tutelæ ſeruiũt: nullũ fortunarũ aut vitæ periculũ recuſarũt: ſeq; alacriter pro incolumitate ac ſalute ſuorũ periculis & laboribus dediderũt, eorũ nomẽ clariſsimũ eſt apud omnes haud iniuria ſemper habitũ. Vnde vita iã diu functi, poſterorũ cõmemoratione iucũda, ſempiterna laude fruũtur. Sic Horatius ille Cocles, ſic plebeij inclyti Decij, ſic rex Atheniẽſium Codrus, ac quicunq; alij periclitãti patriæ repentè ſaluti fuerunt: aut oppetita morte labantẽ diſcrimine liberarũt. Fuere nanq; non pauci quõdam, qui ſalutem patriæ, ſuæ ipſorum vitæ & incolumitati ante tulerunt: quorũ omnium famam claram eſſe, illuſtrẽque videmus. Charis pro Thebis ſe ſe è muro pręcipitẽ dedit Menæceus: pro iuriſdictione Carthaginis Phileni fratres ceciderunt: quodq; maius eſt latiore vt agro patria ipſorum locupletior ac nobilior efficeretur, vitæ terminis de induſtria contractis: ipſo (cui ſeruiebant) ad tam inſignis facti aſpectum populo obſtupeſcẽte, æquiſsimo viui ſunt animo infodi terra paſsi. Victimas ſeſe, vt aiebant ipſæ, immortalibus Dij Ericthei regis filiæ Pandora ac Protogenia pro Athenis obtulerunt. Dedit & ſuas Leos Orphæi filius Theopẽ, Eubolẽ cũ Phaſitea diuis ſacrificandas, bono permotus publico: honeſtoq; eſt filiarũ ſanguine delectatus impẽſè. Herculis etiam filia Macaria animoſe pro incolumitate ſuorũ ſe ſe morti deuouit. Quorũ quidẽ hominũ famã idẽ qui corpora cõtegit tumulus tractu tã lõgo temporis ne tantillũ quidẽ occulere, obſcurare ve potuit, quæ omnia eò nẽpe redeũt, vt honeſtã ad mortẽ (cũ ratio dictarit) bono ac forti viro cũctatio nulla ſit.

Illud autem ratio non patitur, vt quiſque pro ſalute alicuius ſi tamen ſic incolumitas acquiri, aut pari cuiquam ſalus poteſt, mortem ſibi temere conſciſcat. Negat enim magnus ille philoſophus Pythagoras vlli fas eſſe de ſtatione vitæ diſcedere ſine iuſſu & imperio ſummi illius gubernatoris omniũ, ac principis Dei, cuius primum in hanc vitam munere ſummus ingreſsi. Ex quo peſpicuum eſt, etiam ethnicorum prudentium teſtimonio, vim ſibi mortis inferre prorſus licere nulli. Qua in re gentis noſtræ teſtimonijs haud equidem vtar. Superuacaneum

neum eſt enim exēplis id confirmare velle:
ꝙ diuinis oraculis & legibus apud nos ſan-
ctiſsimè cautū, perſuaſum ſit omnibus, atq;
adeo cunctis teſtatū. Nā quis neſciat ſui ipſo
rū occiſores, vitęq; hoſtes propriæ, Iam pri-
mū morte obita ima Tartara petere? dānato
rū ſedes, perpetui luctus, miſeriæq; regionē
incolere? Atq; ideo more inſtitutoq; maio
rū, qui chriſtianæ legis ſanciēdę fundamenta
nobis ſanctiſsimè prudentiſsimèq; iecerūt,
ex diuino perſcripto rōe ſumma obſerua-
tū eſſe, vt tales chriſtianæ careāt honore ſe-
pulturę: ſanctiſsimoq; inſuper Chriſti Opti-
mi Maximi nomine mulctētur: quo ob atro
citatē facti, indigni ſunt prorſus effecti, ma-
nū ſibi temere admoliētes. Diuina ſiquidē
miſericordia prorſus deſtituūtur, qui ſum-
mi Dei ſunt bonitati diffiſi. Nā qui nihil nō
vno ſingultu, ac ſyncero aliquo gemitu ani-
mi, peccata innumerabilia homini cōdona-
re cōſueuit, hoc vnū remittere nō vult: illatā
q; ſibi per ſummū nefas iniuriā tantam im-
punè abire nō patitur: ſed grauiter omnino
moleſteq; fert, & æternę mortis irreparabili
caſu ſeueriſsimè grauiſsimèq; rependit: ſum
mi vt numinis maieſtati In cauſa graui non
eſſe illudendum, mortalis addiſcat,

Gᴙᴀᴠɪᴛᴇʀ inquā, acerbèq; patitur Sū-
mus ille cœli ac terrę arbiter, idemq; creator
Deus: hominem, quem rationis atq; intelle
ctus munere diuinitus à ſe inſtructū, mentiſ
q; præſtantia mirificè ornatū, Superis penè
effinxit parem: tantū ſibi amenter honorem
inuidiſſe, diuinamq; ſtulte legem prçuaricaſ
ſe, & cœleſtis (quod rectè viuēdo aſſequipo
terat, Ius cognationis: diffidētia animi cæco
furore cōciti, perdidiſſe. Qua propter ſpecio
ſę honeſtęq; mortis conditio modis omni-
bus vacare debet eiuſmodi temeritate. Ex-
ploratū quippe, ad vnguemq; perſpectū eſt,
nihil eſſe honeſtū poſſe, quod ſimili eſt ani-
mi dementia ſuſceptū, Qua ex re illud etiam
efficitur, temerariā periculi ſuſceptionē non
ſolum fortitudini aduerſam (vt ex huius ap-
paret virtutis definitione) ſed etiā chriſtianę
pietati vehementer eſſe contrariā: parū enim
eiuſmodi affectio à deſperatione abhorret.
Nam quid huic tam ſimile eſt, quam certam
in mortem homo ſine cauſa irruens? Magna
nimus igitur vir, ac verè fortis, non niſi virtu
tis honeſtatiſq; ratione ſubducta, vitę diſcri
mē adhibit. Eſt autem diſcrimen honeſtum:
quod pro religionis defenſione, protectione
principis atque legum, patriæ incolumitate
atque hominum ſalute tuenda ab optimo
viro ſuſcipitur: quibus in rebus, qui maxi-
mè erit excellere viſus, is proculdubio maxi
mè erit fortis habendus. Nam, qui ambitio-
ne turpi delectati, populari ve aura corrupti
Martis ſe ſe periculis ingerentes, fortes habe
ri ſtudent, inanem gloriam aucupantes: ij ni
mirum laborum, quam optarunt ferentes
mercedem, germanæ fortitudinis gloria, lau
deque vera carent. Itaque audaces tantum
vel impauidi dicuntur, fortes verò nequa-
quam: propterea quod in eiuſmodi animoſi
tatis genere eluceāt modò quædam adum-
brata virtutis imago, effigies vera non inſit.
Quippe excellens illa magnitudo animi vt
veram laudem non contemnit, ſic è contra-
rio vulgarem hanc & falſam omnino parui
ducit: egregieque mauult feciſſe, quam am-
bitioſè laudari. Quanquam quod attinet ad
laudem id eſt profecto difficile, vel inuitā
enim virtutē vociferans ſequitur fama: quo
q; illa magis inclyta facta contegit, tāto hæc
magis retegit, perſpicuaque cunctis facit. At
que hinc fit vt qui minus appetunt famam,
maiorem ſępe ſortiantur.

Sᴇᴅ ᴄᴠᴍ verę fortitudinis triplex ſit om-
nino fons: aut enim in religione tuenda pro
pagādaq; verſatur: aut in conſeruanda patria
hominibuſq; ſeruandis: vt nihil de religione
ipſa dexerim, quæ iure optimo ſummæ lau-
dis arcē occupare, principatumq; ipſum ob-
tinere videtur, bonorū ſiquidē omniū pro-
culdubio dux nobis eſt, origo & cauſa ſalu-
tis, ac verę fœlicitatis auſpiciū, & iuſtitię fun
damētū: qua demedio ſublata, generoſi hāc
pectoris elationem, virtutemq; animi quam
vocamus fortitudinem, conſtat nō poſſe per
ſiſtere. Id quod tot Martyrū pro CHRISTI
ſeruatoris optimi Maximi religione propa-
ganda, & gloria aſſerenda ſanguine teſtatiſsi
mum eſt: qui ſæuos corporis cruciatus ludi-
bria ac verbera, tormentaque omnia robu-
ſti alacritate pectoris, & præſentia quadam
animi mirifica conſtantiſsimè pertulerunt,
veri decoris, ſolideq; laudis ſpecie illecti, ac
dulcedine capti: illa certè videtur illuſtriſsi-
ma, quæ generoſi elatione animi afflictis po
puli rebus ſubuenit, patriæque fert opem pe
riclitanti. Itaque his ipſis viris multū eſt ſem
per laudis atq; honoris impenſum. Ij enim
qui pro patria ſtrenuè pugnātes vita defun-
cti ſunt, in æternū per gloriam viuere intelli
gūtur. Cumq; illi, qui in vrbe Roma tres ha-
bēt incolumes filios, honeſtiſsima triū libe-
rorū iura nāciſcātur, à tutelęq; propterea mu
nere excuſentur, ad illos hoc fauoris iure ad
ampliatū eſt, quorū pro patria liberi cecide
rūt. Nec hoc me hercules iniuria. Tātū enim
quon-

quondam eiuſmodi viris honoris habitum
eſt, vt illorum filij, qui ſanguinem ſuum, pa-
triæ largiti ſunt, apud Athenienſes fuerit le-
ge cautum, vt de publico alerẽtur in Prytha
neo: celebrata prius miris laudibus parẽtum
virtute. Neq; hoc contenti, cum Thebanis
etiam de ſepeliendis militibus leges ſanxe-
runt, quibus duces, qui bello peremptos mi
lites ſepulturæ honore non affeciſſent, capi-
te plectebãtur. Quod nihil erat aliud quã ad
fortitudinẽ ſuos egregiè animare, & ad verũ
decus laudemq; allicere. Hinc præſtantium
fama virorum fertilis ille prouentus, hinc
laudatiſsimi duces, hinc Romanorum atq;
Græcorum fortia facta non ſine admiratio-
ne magna toto orbe leguntur.

BENE IGITVR Solon cum inter certami
num genera (quæ ad acuendas vires multa
olim habita ſunt, quatuor haberentur præci
pua, Olympia, Pythia, Nemea, & Iſthmia,
quorum oleaſter, Laurus, Apium, pinus, pre
mia erant: in quibus quincupliciter certa-
men inibatur. Diſco, haſta, Saltu, lucta, iacu-
latione: in eiſdemque propterea quam maxi
mè erat excellere honorificum: adeo vt par
ille ferme diuis cenſeretur, cui eiuſmodi glo
ria frui contigiſſet: hoc honoris cõtraxit, pre
miaque decreta ijs qui in Olimpijs viciſſent
aut Nemæis, illis adauxit, qui fortiter pro pa
tria mortem oppetiuiſſent. Indicans id ge-
nus coronationis atque luctaminis, patriæ
aut ſępe noxiũ, aut inutile eſſe. Quid enim
habet pulchri à ciue viribus proſterni ciuẽ?
Stultaque virium immanitate, ſine defenſio
ne reipublicæ, hominem ſenſim conſeneſce
re, paulatimq; ſibi deficere? Sed erat inquam
honorificũ quondam, his in rebus excelle-
re. Id quod ita ſe habere Laconis cuiuſdã vo
ce apertiſsime oſtenſum eſt. Nã cum Diago
ras ille Rhodius Olympionices nobilis duos
vno die coronari Olympiæ filios cerneret, ac
ceſsiſſe ad Senem, Lacõ fertur: ac primũ qui-
dem de more gratulatus, dixiſſe illi, morere
ô Diagora, non enim in Cœlũ aſcẽſurus es.
Magnũ hoc Gręci putabant: iſque etiam qui
hoc protulit, omnino exiſtimans clarũ, vna
ex domo tres prodijſſe Olympionicas, diu-
tius in vita cunctari Fortunę obiectũ: inuti-
le putabat ipſi. Quæ ad extremũ mortalium
nulli parte ab omni propitia, non ſemel cla-
ros luctificis funeribus vertit triũphos. Sed
quis nõ videat multo eſſe præſtantius & ad
nominis famam illuſtrius, labantem patriam
armis tutari: quam laurea inſignitũ corona,
virtutẽ animi prædicante pręcone in Olym
pijs coronari? Alexander Macedo, cuius ob
fortitudinẽ, bellicamq; peritiã indoles præ-
clara animi ſcriptis veterũ celebrata diuini-
tus eſt, ſtatuas eorũ, qui in Olympijs ac Py-
thijs vicerãt Mileti conſpicatus, quæ vaſtita
te corporis, vultuſq; ferocia, viriũ pr ſe ferre
videbantur immanitatẽ: vbi (inquit) erant tã
magna corpora, cum ciuitatẽ veſtram Barba
ri vaſtabant? ſtultam illorũ ambitionem ta-
xans, qui robuſta corporis firmitate, magni-
tudineq; elati, atq; viribus gloriãtes: certami
nis ludicri victores ſtatua ob virtutem cõde
coraſſent, cũ in tantis reipublicę malis, com-
muniq; naufragio nemo ſe exhibuiſſet talẽ,
patriæq; opẽ tuliſſet periclitanti. Maximè,
cũ in eo ipſo verę fortitudinis munus, vir-
tuſq; adeo animi illuſtrari ac perſpici ſoleat.
Accifis enim patriæ rebus conſulere, ſtatũ-
q; publicũ inclyta virtute animi (ne corruat)
ſuſtinere labantem: cũ egregium ipſum per
ſe, tum verò magnificũ quiddam, excellens,
præclarum, ac penè diuinum profecto ſem-
per eſt habitum,

SED QVID ego de fortitudine plura? quũ
omnium ætatum memoria apud omnes gẽ
tes atq; nationes, veram animi magnitudinẽ
quam eandem fortitudinẽ appellamus, ſum
mo ſemper in honore habitã liceat animad-
uertere? Declarãt hoc equeſtres ac pedeſtres
ſtatuæ, fortiumq; virorũ imagines, foro quõ
dam, pro Roſtriſque affixę, quarũ nulla nõ
habitu eſt militari depicta: teſtimonio ſunt
etiam ouationes atque triũphi viris Martijs
decreti, vt taceam interim tot illis paſsim ha
bitos honores, decretaque premia: Nauales,
Murales, Caſtrenſes, Ciuicas, & obſidiona-
les coronas, quibus ignauia turpi retuſa, ex-
cellens virtus animi egregiè munerabatur.
Vnde ipſa quoq; fortis animi induſtria creſ-
cebat tantarum rerum cupiditate incenſa.
Sic nimirum illuſtrium factorum ornamen-
ta, inſigniaque adepti: premiaque adeo meri-
ta ferentes, coronis inclytis ornabantur. Sic
nobili cum elogio ad laudẽ illis paſsim ere-
cta trophœa, ſic cõcelebratę victorię: ſic priſ
cis Annalibus, ſic publicis monumẽtis Ado
reæ nobilitatę, & ad gloriam nominis ſempi-
ternam pulcherrimi facti conſecrata memo-
ria eſt. Sic. Q. Fabio Maximo graminea coro
na tributa, quod vrbem obſidione liberaſſet
exultantemque victoria Hannibalem mora
ſapienti fregiſſet, de quo Ennius,

Vnus homo nobis cunctando reſtituit rem.
Non ponebat enim rumores ante ſalutem.
Ergo poſtq; magiſq; viri nunc gloria claret:

Sic &. M. Ciceroni Romanę facundię pa
renti, quod patrię rebus afflictis repẽte ſalu-

tem attulisset, nefaria Catilinæ coniuratione extincta, ciuicam iligneamque coronam in certum virtutis premium dādam eſſe. L. Gellius cenſor iure cenſuit. Erat nimirum quondam hoc vnum gentilitium, virtutem animi ſplendidè ornare: & ignauiam horrido plectere vbique ſupplicio. Sic in meticulosos degeneresque homines turpiſsima ſunt olim probra obiecta: legeſque infames latæ, quæ ignauos eſſe non finerent. Apud Macedones enim lege cautum fuit, vt ij homines capiſtro publicè cingerētur, qui nullum interemiſſent hoſtem. In Scythia ſtatutum eſt, ſolemnibus in conuiuijs circumlatum poculū capere nulli licere, qui aliquot hoſtes antea non obtruncarit. Amazonibus niſi hoſte interempto, nubere fas non eſt. Carthaginienſes pro expeditionū numero, quibus quiſque meruiſſet, anulos geſtabāt. Pugnis bellique tādem natio clariſsima Iberi, tot iuxta ſepulchrum erigunt obeliſcos, quot hoſtes in vita necarunt. Ex quo apparet, gentium omnium communi conſenſu animi fortitudinem honoratam, formidoloſitatem cōtrà deſpectui atque ludibrio ſemper habitam eſſe: neque id ſane iniuria. Hæc enim illa eſt, quæ à viro, generoſam reuera pectoris vim, nomenque adeo ipſum mutuata, propriè dicitur virtus, quod propriū ſit munus viri, nullo terrore perculſum, Iuſtitiæ atque honeſtatis intuitu, laborioſas difficileſq; res animoſe vſque ſuſcipere: & alacritate animi pari ad veram laudem aſpirare, & decus ſummum contendere. Hæc procul dubio inſignis animi elatio plurimas gētes rei bellicæ gloria ad honorum faſtigia ſuſtulit. Hæc geſtarum rerum fama affectione animi ſimili præditos, ipſos ad cœlos euexit. Hæc nēpe illa eſt, inſignis virtus animi, quæ Romano populo dignitatem ac decus vna largita eſt, orbemque terrarum illi parere fecit. Hæc L. Martium genere ortum ignobili clarum & nobilē fecit, collapſam in Hiſpania Romanorum rempublicam erigentem. Hæc M. Marcellum obſcurum hominem, furibūdum Hannibalis impetum docuit primum retundere. Hæc Caium Marium ruſticanum hominem ex Arpinati municipio nullis familię imaginibus, nullo generis ſplēdore, nulla commendatione Maiorum, nullo nobilitati ſanguinis præſidio fultum, propter excelſi generoſitatem ſpiritus, qua bis Italiam obſidione, ſeruitutiſque metu liberauit, triumphis multis condecoratum, ſepties effecit Conſulem. Hæc tādem Cneium Pompeium excelſa magis virtute animi, quā gentilitio aliquo ſtemmate clarum, ob fortiſsimos reges deuictos, victoriaſque partas illuſtres inuidioſo illo Magni cognomento inſigniuit: & in orbis terræ principe ciuitate dignæ ſummo viro genere omni laudis ornauit. Hæc innumerabiles alios (quos recenſere omnes longum ocioſumque ſit) claros ac nobiles fecit. Qui militaris rei peritia & gloria fulti, propagatis imperij finibus, tranquillitatem atque ocium ſuis, poſteris etiam dignitatem & gloriam maximam pepererūt. Hinc & ornamenta honorum, & nobilitatis inſignia ceu ex vero cuncta fonte manarūt. Nam quum ſe quis in bello egregiè gnauiterque præſtiterat, huic imperator geſtare dabat aliquod virtutis inſigne, per quod genus nobilitaret, poſteroſque ſuos eiuſmodi facti memoria ad laudem atque virtutem ab inertia expergefaceret. Quod ſignificare mihi aliquādo eſt viſus virgilianus Helenor,

Enſe leuis nudo, parmaq; inglorius alba.
Mæonio Regi quem ſerua Lycimnia furtim
Suſtulerat, uetitiſq; ad Troiam miſerat armis,

Hinc honoris, nobilitatiſque aſſequendę cupiditate inflammata nouitas, ad virtutem mentem erectans, ſtrenuis factis cœpit inclareſcere: dumque id crebro ſtudioſè ac ſedulo facit, amato facile munere potitur. Sic nimirum magnitudine inuitata premij, & admirabilis cuiuſdam induſtria pectoris alita, vera animi orta nobilitas eſt: quæ mortaliū quorūdam deſidia parentum in ignoratione poſitum inclytū ac celebre nomen efficiens, familię claras imagines peperit, & genus poſteris fecit illuſtre. Quo (generoſitate tantū maiorum inſpecta) ſtulti quidam ac deſides improbè ſuperbientes: cum nihil omnino mente egregium agitent, præclaro nihil dignum ſanguine moliantur, vel animo capeſſant quod accepti à maioribus ſplendoris indolem ſapiat: ita aliorum faſtidiunt ſępe diligentiam, & in re prę̨ſtabili vigilantiam animi, induſtriamque contemnunt: vt ſit nihil auditu grauius, viſu aſperius, & latu intolerabilius. Oportet enim eum qui ſplendore generis præſtantior cupit haberi: virtutis genere omni (vt ait Homerus) αἰὲν ἀριστεύειν, καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων. A. Id eſt, ſēper antecellere: & aliorū principē eſſe.

Sed errant nimirū vehementer, qui aditum virtuti obſtruunt, ianuamq; occludūt induſtriæ. Quæ enim eſt inuidia, quod maioribus ſuis virtutis exordium fuit, & nobilitatis initium, alijs per ſummum nefas interdictum velle temere, aut cupere ereptum? Quaſi verò ipſum illud, clarum celebremq; eſſe, non in ſua cuiuſque induſtria, ſolertia

que animi ac vigilantia ſit poſitum: magis quam inani atque vano aliquo generis titulo ſitū? Sed redeamus eo, vnde diuertimus, quodque de fortitudine reſtat, tandem abſoluamus.

SOLET INTER philoſophos illud in controuerſiam venire; Sintne iræ ſubſidia neceſſaria fortitudini: an potius eiuſmodi affectione vir fortis omnino vacare debeat. Peripateticorum princeps Ariſtoteles eis in libris, qui ab eo ſunt accuratè ſcripti de moribus, maximè naturalem fortitudinē cenſet, quæ ob iram fit, ſine; electioneq; ſumpta. Nam & ad aggredienda pericula vehementiſsimā iram eſſe putat, atque eius impetus omnes acerrimos, teſtimonijs veteris Homericis,

Vires immiſit iræ: & animum ira concitauit.

Item

Et acuta per nares vis, & efferbuit ſanguis.

Quibus ſentire videtur, miniſterio iræ fortitudinem ipſam increſcere. Quo factū eſt, vt inter Stoicos & Peripateticos concertatio anceps de ira exorta ſit. Illi enim eādē maledictis multis lacerant, turpem fugiendamque exiſtimant. Hi contra ſummis laudibus efferunt, modiſque omnibus amplectendam eſſe deliberant, pro rato, ſtatutoq; tenentes, Iræ fomitem ad res pręclarè gerendas efficaciſsimum eſſe. Itaque iracundiam ipſam, fortitudinis cotem ſępe nuncupant: Multoq; in improbum ciuem atq; hoſtem iratorum impetus eſſe aiunt vehemētiores: enerues illorum deliberationes, leueſq; ratiunculas, qui ita dicunt prælium, rectū eſt hoc fieri: cōuenit dimicare pro legibus pro libertate, pro patria. Hæc tandem nullam habere vim, niſi ira excanduit fortitudo. Nec de bellicis ſolum rebus diſputant, ſed addunt etiam: ſeueriora imperia ſine acerbitate aliqua iracundię conſtare nō poſſe. Oratorem præterea, neque defendendo neque accuſando, ſine aculeis iracūdiæ conſtare poſſe. Ac tandem virū videri negant, qui neſciat iraſci. Quod vel gladiatoribus ipſis ſępe perſpectum eſt, qui cum ira efferbuit, ſe tam veluti ſibi promittunt victoriam: vt ille, qui ſic à Lucilio inducitur Pacidianus

Occidam illum equidem, & vincam, ſi id quæritis, inquit.
Verum illud credo fore: in os prius accipiam ipſe
Quam gladium in ſtomacho, ſura ac pulmonibus ſiſto.
Odi hominē: iratus pugno: nec lōgius quicquam
Vobis quam dextræ gladium dū accommodet alter
Vſq; adeo ſtudio, atq; odio illius, efferor ira.

Vides quantos animos ira ſuppeditet? vt nihil faciat, aut dicat ignaue? vt omnia intrepidè ac præfidenter. Sed videamus quęſo, ſitne hæc vel confidentia tuta, vel Peripateticorum omnis vera præceptio? Quid? tātum ne affectioni teterrimę, lumen animi ſępe extinguenti tribuendum eſt, vt præclariſsimas ad res iram ſequamur ducem? Quis fortitudinis munus probare poſsit, vbi nullas ratio partes tenet? Quis aut conſideratam periculi ſuſceptionē, aut in perferendo conſtantiam, vbi miſero omnia furore feruent? Quid tetrius? Quid immanius? Quid turbulentius quam homo? Cum noxius illi animi ardor eripit conſtantiam, mentisq; conſiliaque recta labefactat atque deturbat. An poteſt quicquam beſtiæ magis eſſe conſimile, quam ſtimulis iræ impotentia animi conciti? Imo quæ bellua tam eſt trux, vt contra ſui generis animātes inſurgat, & in cognatorum corpora emortua iræ impetu ſæuiat? Temperat à cognatis maculis fera, iuſtinctu impulſa naturæ: rationis particeps homo, dū in ſuorum cęde bacchatur, vim huius prorſus nequit expendere, ſine cauſa ac temere miſere cuncta deuaſtans. Quid? quod brutæ ipſæ animantes, rationiſque carentes belluæ, nō niſi quò ſe, partuſque ſuos defendant, iras ſuas exercent, ſęuaque prœlia agitant? Idque ita cautè dum ab ijs, quibus ſe viribus impares ſentiunt, temperant: vt hac in parte homines ratione vincere iure credantur: quorum ira omnis & cæca maximè eſt, & ferarū omnium vincit immanitatem? Trahit Hectorē religatū ad currum Achilles, Patrocli mortem vlciſcens: dilaniari eum, ſentireq; ſemel extinctum, triſtioris fati acerbitatem ira cæcus exiſtimat. Caij Marij apud Anienem ſitas reliquias victor Sylla iubet diſsipari: talionemque veritus, è patritijs Cornelijs primus iā iā è vita diſcedens elogio ſancit, flammis ſuum corpus cremari. Conſpuit, occiſi Ciceronis in faciem immitiſsima mulierum Fuluia: neque hoc contenta, euulſam è faucibus linguam, acerrimum orationis genus Philippicas in virum Antonium perorare auſam, acicula crebro transfigit. Præminiſtrati veneni ſuſpicione orta, Iolæ pincernę datū tumulo corpus exſodi imperat Alexandri mater Olympias, & diſcerpi minutatim exſoſſum. Onerat maledictis plurimis Atreum, apud Ennium Thyeſtes: vaſtationis, cladis atque miſeriæ genus omne illi ac ſuis imprecatur, ſęnumq; naufragiū: graue hoc profectò, nimiſq; luctificum in tam immitem crudelemque mortem incurrere: ſed quàm ille inaniter, atq; adeo ſtultè labitur,

dum eũ, quem inſenſè oderat, ad hunc cupit modum occumbere.

Ipſe ſummis ſaxis fixus aſperis
Euiſceratus, latere pendens, ſaxa ſpargens tabo:
Sanie & ſanguine atro.

Quaſi verò aſpere erumpentium ſcopulorum affrictu, ſenſu aliquo mali tãgi cadauer poſſit, ac non potius cum ſaxis ipſis ſentiendi omni prorſus munere vacet? Sunt igitur, quæ ſequuntur perquam inania, ſummèq; ridicula.

Neq; ſepulchrum quo recipiat habeat portum corporis:
Vbi remiſſa humana vita, corpus requieſcat à malis.

Quæ hæc inſcitia eſt, portus inſtar putare ſarcophagum mortuis? In ſepulturaque ſemel extinctum quieſcere poſſe arbitrari? Perinde quaſi, vt Polypus ſaxis, ſic & defunctorum manes ſepulchris adhæreſcãt. Sunt ergo iratorum hominũ & dicta omnia ſtulta, & cæca maximè facta. Sed attendamus paulisper quæſo, quònam Atreum in Thieſtem fratrem, dum pœnæ genus nouum excogitat, veterem quà vlciſcatur iniuriam, Iræ æſtus adegerit: quàm de vltione ſumenda, meditatione praua animi anxiè ſit ſolicitus, ſic enim ait,

Maior mihi moles, maius miſcendum eſt malum:
Qui illius acerbum cor contundam, & comprimam.

Quæ igitur tandem iſtæ futuræ ſint moles, ipſum audiamus Thyeſtem,

Impius hortatur me frater, vt meos malis miſer
manderem natos.

Quid quæris? confectos in fruſta liberos, dilaniatos filiorũ artus, ipſaq; pro epulis gnatorũ viſcera infœlici ac miſero, cladiſq; tãtæ inſcio patri comedenda apponit, ſuneſtaq; dape paſto acciſorum reliquias miſeras ora manuſque porrigit. Quod deeſt comediſti (ait) hæc nunc, ſi placet, itidem ventri mandato. O luctifici ferculi feralẽ atq; incredibilẽ tęchnam? O barbarã & inauditam flagitij nouitatem? O vindictę genus horrificum?

Natis ſepulchrum, miſer factus eſt parens.

An eſt aliud, quò cęcę temeritatis furor, dum ſimultatis odia reſeruat, progredi poſſit vlterius? certè hęc doli meditatio eiuſmodi eſt, vt atrocitate rei, factiq; teterrimi ſęuitia, ferarum immanem rabiem interuallo magno vincat. Quæ, quia rationis vſu deſtitutæ orbatæq; ſunt (etiam ſi ſanguine gaudeant) ad crudelitatis id genus aſtutias, intelligentiæ munere, vel conſilij ratione aliqua abuti non poſſunt. Hæc igitur iratorũ ſunt hominum facta, in quibus nullum humanitatis veſtigium, ſed potius cæca ac feralis quędam brutorum apparet immanitas: Cum tamen qui talia machinãtur, præſtantia rationis, & cognitione Iuſtitię, à ſupremo rerum Artifice, ex omni animantium genere ſe tãtùm ornatos fuiſſe ſtultiſsimè atque impudentiſsimè ſæpe numero glorientur. Præclare igitur Heſiodus.

Piſcibus atq; feris liceat gentiq; volucrum
Graſſari in ſeſe, ratio queis abdita ruſti:
Aſt homini fas ſit, leges & iura vereri.

Sed quid ego quaſi de re ignota, de ira tam diu diſputo? Nonne Seruidus hic iræ ſtimulus Pſyllos populos Claſsicum canere ventis impulit ſumptiſq́ue armis auſtrum bello laceſſere? Iam verò quid hîc Pygmęos referam, perexigui corporis gentem, vixq; gruum imbecillarum auium certamine probatam? quos perhibent tamẽ ira olim incenſos dormienti Alcidæ necẽ inferre tentaſſe? An poteſt horum omniũ ira quicquam eſſe dementius? Quis enim ſanus ceu iam corporeo alicui, viuoque hoſti manus iniiciat, in corpoream in rem decernere ferro appareti? Ecquis porro rectum animi ſeruans, cum ſuam ipſe perſpiciat infirmitatem, eum ſibi hoſtem vltro prouocet, qui fortiſsimis hominibus, terribilibuſq; monſtris formidinẽ ſemper incuſſerit? Non tanta profectò gygantum temeritas fuit, qui Immortalibus Dijs bella intuliſſe dicuntur. Nam, quãuis mortalis conatus omnis in Deum ſemper ſit irritus: immanitate tamen virium (quibus longè cæteris hominibus antecellere putabantur) ſuo quodã iure videri poſſent tamen tię tantum animo induiſſe: rati forſan Deorum vires humanis pares, aut non multo hominum eſſe maiores (id quod nec mirum debet nec nouum videri.) SEMPER enim membrorum nimio robore vigor mentis hebeſcit. In quo tamen egregie decepti ſunt, de cœlo tacti Iouis fulmine ſubitò conflagrantes. Sed ad Pygmęos vt reuertar, ſi illorum pro corpore ęſtimandum robur erat, quis neſciat pedale eſſe, aut ſi iam multum ſuæ gentis communes metas excederet, ſeſquipedale futurum? Sed hoc quantulum quęſo eſt ad Herculis vaſtitatem, ſiue corpus ſiue vires inſpicias, vtroque certè vaſti atque terribilis? An eſſe ergo quicquã ęquè ſimile poteſt dementiæ atque Ira? quam, bene Ennius, initiũ dixit inſaniæ. Color, vox, oculi, ſpiritus, impotentia dictorum atque factorũ, quam partem habent ſanitatis? Nũ eſſe vlla fortitudo poteſt, quæ rationis ſit ex

perſ

perſ? Nonne huius ipſius virtutis munia omnia ratione ſumma conſtant, prudentiaq; ſemper perſtãt, ſtabilita, à quibus cum cęco aliquo animi rapiente impetu quaſi vi aliqua tempeſtatis à ſuo ſunt cardine diuulſa, germanam ſuam vim, nomenq; propriũ amittũt, adeo, vt Iuſtitię loco temere in animã concitatiori aliquo affectu erumpente, generoſitatis ipſius ablatus ſplendor, enectus atq; extinctus ſit vigor: & fortitudinis ab animo omne decus ereptum? Non igitur iracundiam fortitudo deſiderat aduocatam: quippe cuius neq; auxilio quidem vnquam indiget, neque gaudet contubernio, AT VEHEMENTISSIMA eſt, inquies: Martiſque cupidine ira pectus incendit? Eſt fateor: ſed pręceps, quod impetu ipſo liquet: ſed noxia, quod & exitus ipſe ſępe declarat. At verò, ſi præcipitem impetum, temerariumq; cõnatum, vt ſtrenuitatis affinem, fortitudiniſq; cognatum laudare licet: nulla eſt cauſa quin toto ore vinolentiam inſaniamque laudemus, his enim rebus affectos, ſui immemores, vitęque prodigos ruere videmus in diſcrimina promptos: interdumque aliquid laude dignum efficere. Si tamẽ eiuſmodi morbo correptis eſſe poteſt quicquam cum laude commune. Sed certè aliquoties multa eoſdem facere videmus animoſè, quæ proculdubio à dignitate virtutis plurimũ abhorrent, longèq; diſtant. Mens ſiquidem & ratio verſari debet in factis, vt animo forti geſta fuiſſe probentur,

Semper Aiax fortis, fortiſſimus tamen in furore
Nam facinus fecit maximũ, cũ Danais inclinantibus
Summam rem perfecit manus, prælium cum reſtituit inſaniens.

Hos tamẽ tam generoſos pectoris orſus, in gloriæ ſucceſſu pari, debito laudis fructu penuria mentis orbauit. Non enim ſapientũ iudicio inter viri ſummas laudes, hæc illius eſt adnumerata victoria. Idque certè haud immerito. Nam ſi, vt rectè apud Ciceronẽ Spherus inquit, quem egregium definiendi artificem putant Stoici, fortitudo eſt animi affectio legi ſummæ in perpetiendis rebus obtẽperans: vel cõſeruatio ſtabilis iudicij, in eis rebus, quæ formidoloſæ videntur, ſubeundis & repellẽdis: vel formidoloſarum, contrariarumque rerum ſcientia: aut omnino negligendarum, conſeruans earum rerũ, ſtabile iudicium, aut, vt vult Chryſipus, ſcientia perferendarum rerum, vel affectio animi in patiendo ac perferendo ſummæ legi parens ſine timore: quàm ab hac fortitudine, vitio animi concepti, iraque perciti homines (qui ad res arduas atq; difficiles impetu cæco rapiuntur,) alieni diſiũctique ſint, ſatis perſpicuum eſt. Perturbato enim ob iram, vel ob aliud vitium ſimile, rationis imperio, non magis haberi poterunt fortes, quam ſapiens demens, vel ſtultus cordatus. Quid? quod ab Stoicę ſectæ principibus iure traditũ eſt, veram animi fortitudinem ęquitatis propugnatricẽ, & Iuſtitię comitem eſſe debere? Apparet ergo, fortitudinem ipſam iracundiæ ſatellitio haud quaquam indigam eſſe. Nam, quod aiũt, leues illorum eſſe ratiunculas, qui dicunt, pręliũ hoc, rectum eſt fieri, pro religione, pro legibus, pro libertate, pro patria dimicare cõuenit: niſi ira excanduit fortitudo: omnia hęc nullius ponderis eſſe, paruique momenti, in hoc certe haud dubie hallucinantur, opinioneq; vel maxime fallũtur, neq; enim aut ad ſuadendã pacẽ, bellumve indicẽdũ hebetioris aliquẽ ingenij virũ, ſtultumq; præficiũt, ſed eum bene morata recteque inſtituta in republica de rebus ſerijs diſputatorem eligere mos eſt, qui ſapientiæ magis opib' quã corporis viribus multis anteſtet: & facũdia præſtet cæteris. Cui adductis rationibus facillimum erit, vel ad iuſtum bellum ſalutis cauſa multorum, ciues exhortari: vel factioſo ęſtu temere diſsidentes à facinore dehortari: & ad populare, dulceque pacis nomen (reipublicæ vtilitate perſpecta) ſingulorum mentes allicere. Magna eſt enim prudentis facundique hominis in oratione authoritas, magna dignitas: magna in dicendo libertas: & in monendo etiam (ſi quærimus) cum imperij dulci quadam ſuauitate permixta, permouendi animos ſumma vis: Quod egregie Publius Maro carminibus his oſtendit,

Magno (inquit) in populo cum ſæpe coorta eſt
Seditio, ſæuitq; animis ignobile Vulgus
Iamq; faces, & ſaxa volãt: furor arma miniſtrat.
Tum pietate grauem ac meritis ſi forte virum quẽ
Conſpexere ſilent, arrectiſque auribus adſtant:
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Non ergo vir fortis ad ſuſcipienda pericula tam acuitur ira, quam docta oratione incenditur. Neq; tam eget iracundiæ coticulis, quam veræ virtutis illecebris: quarum ex docti hominis verbis amore inflammatus, prius mortem oppetet, quam ob periculi timorem aliquem, rem honeſtam deſerat. Sed quid opus eſt ad ſingula reſpondere: ex his paucis illorum rationem totam infirmare cum liceat? Satis enim inſtructa, ſatis parata, armataque per ſe fortitudo eſt, nullisq; plane eget adminiculis iracundiæ. Quod intel

ligens

ligens Homerus, ſingulari certamine ab Hectore prouocatum Aiacem (alioqui iraſci promptum) nó illum ira percitum inducit: non hac rabie furentem Hectorem, ſed iam iam conferturos manus, medioque in conflictu, blandè inter ſe, comiterque dicit eſſe locutos. Sic & Tragicus Sophocles, cum Neoptolemũ Eurypilumque armaſſet,

Torſere (inquit) tela ſine conuitijs,
Armorum in orbes æreorum.

Aſt alij hoſtem maledictis exagitant: Barbari quin etiam venenis arma tingunt. Verum enim vero, neque ira aut omnino tinctura vlla fortitudo indiget: ſatis enim à ratione tincta eſt. Siquidem quod ira aut furore corruptum eſt, id nimirum putre eſt, citoque frangi ſolet. Vnde Plutarchus, ad deponendam iram, commotionemque animi mitigandã, in prælia euntes Lacedæmonios tubarum dicit clangore vſos. Eam etiam obrẽ expeditioni accinctos, ſacrificare Muſis ſcribit ſolitos, vt dictorum atque factorũ ſemper ſibi ratio conſtaret: Adeo iram habebãt exoſam? Ac, ne perſequebantur quidem actum infugam hoſtem: ſed iram reprimebãt: quippe reuocari eadem facile ſolet. Vlciſcendi nanque libido (quæ eadem rectè ira dicitur) ante vindictam multis haud raro fuit exitio. Sic Thebanus Pelopidas, ſic Perſes cecidit Cyrus: ipſeque qui bello multa geſsit, Macedoniciſque armis domuit orbẽ Alexander, hanc vnam domare non potuit. Amicum enim præceptoremq; Calliſthenẽ, & nutritium fratrem Clitum correptus ira ſuſtulit. Quapropter actione rerum ab omni ſegreganda procul omnis ira eſt: nam neque eſt fortitudini vtilis, aut vitæ commercij idonea, aut fructuoſa altori, ſed potius poſſeſſori ſuo exitioſa plerumque. Et, qui ira perciti pugnant, non ob honeſtatem, neque vt ratio præcipit (quod eſt fortitudinis proprium) ſed magis ob affectum pugnare creduntur. Itaque tales pugnaces non fortes ab Ariſtotele etiã eſſe dicuntur. Ex quo fit, vt ſi Martis alea fœliciter ceſſerit; negotiũq; ira ſuſceptũ ſortitum fuerit ſecũdum euentum; eiuſmodi homines aſſequentur quidem fortitudinis quãdam ſpeciẽ: huius autem virtutis ſynceram germanamque laudem, omnino conſequi nequeant. Quamquam enim ira conciti homines, doloreque affecti acrius interdum dimicare cernantur: vt Lacedæmonius Braſidas, qui lancea, qua erat graui vulnere affectus, eadem protinus ipſum occidit vulneratorem: vtque Furius Camillus Romanę ſalutis aſſertor, qui à Volſcis grauiter vulneratus in coxa, acrius dimicare non deſijt: vt etiam Macedonum Rex Antigonus, qui ex oculis altero, telo traiecto, nó prius euelli ſibi eſt ſpiculum paſſus, quam vulneratorem ſua vidit manu eſſe diſcerptum: Tamen hæc omnia virtutis huius laude vera carent, quicquid enim honeſti conſilij nulla ſubducta ratione, intelligẽtię nullis opibus fultum, perturbatione aliqua fit animi: non ignominiæ cauſa fugiendæ, aut turpitudinis gratia vitandę, aut certo aliquo virtutis ſtudio: id proculdubio germanę fortitudinis nomine honeſtari nó debet. Alioqui veram fortitudinis rationem feris aſsignaremus. Tygres enim ereptis catulis præ ira ferociunt ſęuius. Vulneris dolore inſtimulati Leones, acrius in perſecutores inſurgunt. Ex quo fit, vt procul iracundię ablegato contubernio, nó niſi certo animi conſilio, moderationeq; mẽtis ſtabili vſa, ob virtutis, honeſtatiſq; amorem, fortitudo vera animi res ſuſcipiat formidoloſas, & magnas: dumque talia hominum oculis ſpectacula præbere, vel pręſtare facta poſsit, formidinem mortis omnem contemnat, & ab animo honeſta in cauſa victore, procul aſpellat, dimoueat longè, ſtrenue atque animoſè reijciat.

RESTAT extremum illud, vt quando hæc philoſophorum omnium opinio eſt: vnitas inter ſe, concatenataſque omnes virtutes ſic eſſe vt omnibus carere videatur, qui vnius tantum ſit expers: noſque quatuor his de virtutibus (quæ vulgo cardinales vocantur) quod ceu bifores cardo, vitam hominum moderentur ac regant, & ad actiones optimas allectent ac dirigant) ſummi Dei diuino munere, ac benignitate hacten⁹ multa iã diximus, fœdus earum atque vinculum aſſignemus: ſigillatim loco hoc vnius cuiuſq; officium verum, munus proprium, atq; partes explicantes. Quod profecto non erit nimis arduum indagare, vel pręſtare difficile, ſimodò intellexerimus laudabiles has actionum noſtrarũ moderatrices ad ęquitatem quandam naturalis Iuſtitiæ, mutuęque inter ipſos hominum charitatis, & ſocietatis humanę ius accommodari ſemper ac referri debere. Quod nimirum in recti pręſcriptione poſitum, calliditate omni fraudis excluſa, & violentiæ exitiali ac perfido mucrone retuſo: humanũ genus ingenij praua quadã affectione mutabile in officio continet. Nam cum ſic generata hominis natura ſit (quemadmodum à M. Cicerone loco quodam eſt dictum) vt habeat quoddam innatum quaſi

ciui-

ciuile atque populare, quod Græci πολιτείαν,
vocant, quicquid aget quæque virtus, id à
communitate, & ea quam poſui charitate ac
ſocietate humana non abhorrebit, viciſsim
que Iuſtitiæ, vt ipſa ſe fundet vſu in cęteras
virtutes, ſic illas expetet. Seruari enim Iuſti
tia niſi à forti viro, niſi à ſapiente nó poteſt.
qualis eſt igitur omnis hęc quam dico con
ſpiratio, conſenſuſque virtutum, tale eſt il-
lud ipſum honeſtum. Quandoquidem ho
neſtum aut ipſa virtus eſt, aut res geſta vir-
tute. Quibus in rebus vita conſentiens, vir-
tutibuſque reſpondens, recta, & honeſta,
& conſtans, & naturæ congruens exiſtimari
N. poteſt. Atqꝫ hæc coniunctio confuſioque
virtutum, tamen à philoſophis ratione qua
1. dam diſtinguitur. Nam cú ita copulatę con-
2. nexęque ſint, vt omnes omnium participes
3. ſint: neque alia ab alia poſsit ſeparari, tamen
4. proprium ſuum cuiuſque munus eſt, vt for
titudo in laboribus periculiſque cernatur:
Temperantia in prætermittendis voluptati-
bus: prudentia in delectu bonorum atq; ma
lorum: Iuſtitia in ſuo cuiq; tribuendo. Hęc
ille hactenus. Sic nimirú facultatis propriæ
peculiari quodam diſcrimine commodè re
bus adhibitæ: quæ ad informádas actiones,
tutelamque noſtram, ſummi Dei ſingulari
quodam ac diuino munere nobis data ſunt
bona, in commune etiam vſibus hominum
proſpicere, & humanæ naturæ ſeruire de-
bent. Alioqui offendendi alios anſa non mi
nor, quam occaſio rectè viuendi ab illis in-
terdum proculdubio ſumeretur: ſiquidem
perperam vtenti, abſolute atque perfecte bo
num nihil eſſe, vita communis indicat. Ad
ſummum enim hominis progreſſa atq; eue-
cta natura corruptelæ ſi forte aliquo ob inge
nij deprauationem vitio infecta eſt, pręſtan
tia mentis abuſa, quæ ad vtilitatem accepit
ſubſidia in multorum ſæpe damna pernicio
ſe illa conuertit. Sic mortalium mens rationi
ipſi temere infeſta, dotibuſque ſuis minus
acquieſcens: quæ parum ſano pectore flagi-
tia concepit, progreſsione quadam ipſius nó
minus impudenti quam audaci ſuſcipit ani-
mo, ſuſceptaque peragit. Ita nimirum ſe res
habet, quæ turbidorum affectuú medicina
eſſe ratio ſolet: indignum ad hoſpitium ap-
pulſa, turpem apud animum dux eſſe ſcele-
ris cogitur, conſilijque improbi auſpicium.
Cuius rei facile fidem facient Atreus atque
Medea, quorum impias manus ad turpiſsi-
ma facinora patranda, peruerſæ cuiuſdam ra
tionis artificioſa quædam inſtruxit, armauit,
atque impulit calliditas. Sed reuertamur eò,
vnde paulatim, ſenſimq; deflex imus. Quis
enim neſciat, Fortitudinem, Temperantiá,
Prudentiam, atque Iuſtitiam quatuor eſſe
ſorores mutuis hinc inde amicitiæ nexibus
ſic colligatas atque reuinctas: vt ſeparari vix
queant? Quarum ſi pręſidio atque admini-
culis aliqua careat, quælibet inchoata, im-
perfecta, omninoque máca iure videri poſ-
ſit. Vt enim rectè, quinto de inſtitutione
reipublicæ, ſentit Patricius, Fortitudo ſine
prudétia, temeritas eſt. Prudentia ſine Iuſti-
tia, calliditas ac praua quædá malitia. Tem-
perantia ſine fortitudine ignauia: Iuſtitia ſi-
ne temperantia crudelitas. Ex quo Ennij il-
lud factum eſt iam tritum ſermone prouer-
bium,

Summum Ius, ſumma iniuria.

Concordare igitur inter ſe quatuor hę vir
tutes debent: & perinde atq; in cantu, fidi
buſq; videmus, legitimam quandam harmo
niam, concentumq; ſuauem: actione praua
omni vitę de medio ſublata, noſtris in re-
bus efficere.

NICETES.

SI vera, & ab animo proficiſcens gratula-
tio laudari magis ob officium, quam aſſenta
tionis nomine culpari, reprehendiq; debet:
aut tanquam turpi aliqua captatoriæ gratiæ
ſimulatione infringi ob emerendum fauo-
rem: gratuler tibi neceſſe eſt mi Philemon,
quando tuo eſt hodie munere effectum, vt
virtutum illarum notitiam ſine quarum præ
ſidio hominum vita traduci recte non po-
teſt, parum ſanis quorundam contentioni-
bus procul abiectis perſpectam vere, atq; co
gnitam haberemus. Tibi igitur gratulor, ac
mihi gaudeo: communiq; ſtudioſorum no
mine gratiam habeo maximam. Nam quis
ingenij aciem ſolertiam mentis, intellectus
acumen, & pręſtantiam animi tantam, pari
coniunctam virtute, inſigni aliqua gratia-
rum actione non celebret: & lætitiæ (ſi mo-
do id effici poſsit) indice voce beatorum ſe-
des in ipſas, debitæ laudis iuſtis encomijs ef
ferat? Equidem, quæ abs te hactenus diſpu
tata ſunt, mente colluſtrans ſingula, ſic exi
ſtimo: peſsime illum humanis de rebus me
riturum, qui teſtimonio vocis ornare tam
pręſtabilem dignitatem ingenij: aut iam ab
ſolute initam atq; ſuſceptam virtutum diſ-
putationem auarus ipſe noluerit? Sed neq;
tu is es, qui cum rectè facias tibi blandiens,
appetas ſummo opere laudari: aut ego ille,
qui rectè facta hominú ſermone dimetiens,
vel omnino vulgari laude, munere fungar
indiſerti vel ſtulti laudatoris. Nam morta-

lium ingenia conſiderans: & quam ſint rara valde premia delata virtuti neque ſuccẽſendum arbitror ſi opinione ſalſa hominum habeatur in laude qui non ſit promeritus: neque dolendum puto ſi cui probe facienti, pręconio parum contigit debitæ laudis ornari. Quanquam id videam modo quodam interesse virtutis, quæ multos gloria ad verum decus allicit atque excitat: cum exploratum habeam atque perſpectum, ipſam ſpecioſi facti, virtutiſq; memoriam laudabilem prorſus, glorioſamque futuram: etiam ſi nemo laudet. Premio quippe virtus contenta ſuo, non illa quidem indiget laudatore: quemadmodum nec vino vendibili hedera quicquã eſt opus. Sed communi in cauſa bonorum, non tibi gratulari, ſi non iam ingrati animi, certe inſolentis eſt viſum. Quocirca lętor medius fidius, tam præclare te partes obijſſe virtutum, & declaraſſe naturam, vt honestę gloriæ non ſis expers vnquam futurus. Atq; vtinam eiuſmodi fercula ſi non primis Regum menſis, ſaltem apponantur ſecundis: tam ſuauemque harmoniam atque concentum efficiát in republica principes: tam amœnum, nectareumque melos vbiq; Proceres concinant. Sed quidam dignitate ſtupefacti, regio alij elati titulo: non tã bono communis vitæ gaudent, præſidioque virtutum vtuntur, quam dignitatis maieſtate: facultateq; potentiæ ad exequendum illud ſtatim, quodcumque animo vel temere ſit collibitum. Hinc rerum publicarũ naufragia: hinc prouinciarum defectiones hinc exitioſa, funeſta atq; omnino luctifica inter ciues ipſos rerum nouarum molitio: quę magnos etiam principes angunt, ſolicitant, atq; diſcruciant. Quapropter vehementer ex te audire aueo illam ipſam de imperio partẽ: quam tu iam dudum (dum cardinalium virtutum dignitatem, naturamque declaras) reliquiſti imperfectam ac veluti inchoatã. Docere enim cęperas, Beatum ne eſſet & fœlix imperio potiri; an verò contra putandum. Quod eſt illud quidem ſemel atq; iterum ſignificatũ à te antea, omni tamen ex parte non eſt huc vſque declaratum atq; deciſum: id igitur, ſi graue non eſt, breui velim enarres.

PHIL. QVASI VERO moleſtũ ſit promiſſi mei rudẽ perpolire partẽ, inſtitutamq; abſoluere: aut mihi quidpiam accidere poſſit optatius, quam hortatu tuo vel omnino auſpicari non cępta, vel inchoata perficere. Cum pręſertim è re mea, atque id quod ſapienter mones, nihil magis futurum ſit. Eſt enim periculũ ne quod certo conſilio huic reſeruatum eſt loco, vel inſcitia omiſſum putetur: vel delertum aliqua animi fuiſſe deſidia. Quæ cum ſint ipſa ſemper fœda per ſe: magnis de rebus dicere pollicito ignominioſa ſunt profecto, & turpiſsima putanda. Accingar igitur diſſerendo, ne diſceptationis noſtrę pars multo pręſtantiſsima, aut mutila poſſit aut imperfecta videri. Sed antea quam de hac re dicere quæ reſtant incipio: velim memor ſis mi Nicete, huius diſputationis ſummam ad Reges modo & Tyrannos eſſe redactam. Quorum inter nos miſeros eſſe alteros, alteros beatos atq; fœlices iure cõuenerat. Quod horum nominũ, breui orationis gyro ob oculos & potentia ſubiecta & oſtenſa natura, liquere potuit. Nam neque bonorum parum ſecundos ſucceſſus, neque malorum euentus fœlices, miſerum aut beatum quemquam efficere poſſe docuimus. Cum verè omnis ab animo vel fœlicitas ſit hominis, vel miſeria petenda, nunquamque ſint graui & ſapienti viro humanarum rerum ab euentu iudicia confirmanda. Quod ſi iudicij temeritate aliqua aliter fiat, in multis nos turpiter opinione falli ac decipi, ſit neceſſe. Subeſſe enim mortalium rebus, naturæ ſecretas cauſas: prouidentiæ diuinę conſilio ſtatutas, nimiſque prudenter inſpectas, quas nulli hominum indagare ſit fas: ob quas & malis bene, & bonis male in vita interdum eueniat. Nam cum extincto deletoque terreno hoc & mortali corpore, ſuperſtes ſit anima ipſa futura: indulgentia illa malorum hominum mollis, & cõceſſa ad tempus longum Fortunæ ſecunda fruitio (diuino tandem ferente ſententiam iudice) ſupplicijs atq; cruciatibus penditur ęternis: bonorum contra infeſtatio omnis acerba, indignaque calamitas in ſempiternum vertitur fœlicitatis gaudium, perenniſque adauctam gloriæ mercedem. Vt enim probaret, dominus afflictionem dedit: premioq; probatos afficeret. Hinc fit, vt neq; proſper malus beatus cenſendus ſit: neq; bonus afflictus, miſer. Quapropter ſapientum illud elogium merito celebratũ eſt, quo volunt neque ob fortunam triſtem bono viro inſultandum eſſe: neque propter ſecundam improbo temere applaudẽdum. Hoc illud eſt quod Pitacus ſenſit, cum ait:

Demens ſuperbis inuidet fœlicibus.

Sapienter ille quidem ac verè. Cito enim improborum læta in perniciẽ cadunt. Eſt que reuera eiuſcemodi hominum (vt rectè arbitratus eſt Seneca) momentanea omnis putriſque fœlicitas. Ex quo fit, vt qui verè

Reges

Reges ſunt, ſemper ſint beati putandi: infœlices è diuerſo Tyranni. Quid enim aut fœlicius aut beatius (ſi humana in vita inſpicienda magis quam in alia omnino expectanda vlla beatitudo eſt, quanquam id quidem etiam ad futuram, rectè cum imperium geritur ponderis multum habet) illo viro eſſe poteſt: qui, cum dignitate, gloria, virtutis fama, atq; imperio cunctis emineat, vnuſq; in terris autoritate ſit ſuperis penè par: publicis commodis, ſeruandiſq; hominibus intētus: charitate multorum ſeptus, ac rectè factorū conſcientia munitus: Iuſtitiæ viuit laude ſola contentus? Deum Optimum Maximum, à quo imperium accepit ſupliciter vbiq; timens, reuerenter adorans, & in omnibus etiā geſtiens ęmulari? Vt diuinæ illius gratiæ particeps factus, cuius in ſtabiliendo regno munere fungitur: vita tādē innocētiſsimè ac laudatiſsimè acta amari, gratèq; ſuſcipi mereatur ab illo, qui mortalium ipſum rebus præfecit. Iam verò, ſi, quò Deo quiſq; propior eſt, eo debet fœlicior, beatiorq; cenſeri: nullaq; ipſi ſimilior ſit imago, quam optimi vita principis, cuius autoritatem ad diuinam propè maieſtatem hic videmus accedere. Quis ſummi Dei, diuinæ legis, virtutis, atq; honeſtatis amantem, tuitoremq; ſuorum ciuium principem, non & fœlicem & beatum exiſtimet? Rurſus quum tyrannica effigie nulla ſit à diuina diſiunctior & dictis & factis ſpurcis atq; improbis: quis ab archetypo omnis & beatitudinis & fœlicitatis quam maximè abhorrentem, non & miſerum cenſeat, atq; etiam infœlicem? Quæ enim maior eſſe infœlicitas poteſt, atq; illa, quæ vitiorum nos pelago immergens, auertit à Deo, nihilque cum eo habere commune ſinit: vnde fœlicitas omnis, beatitudoq; vera deſcendit? Quæ cum ita ſint: & Regum ſtatus beatus, & Tyrannorum omnium miſera eſt conditio vitę putanda.

ATQVE HAEC cum ita ſe habeant, multi tamen bene imperandi difficultatē animo permenſi (eſt enim iuxta Diocletiani Imperatoris ſententiam, è rebus mortalium nihil difficilius, quemadmodum à nobis antea dictum eſt) dignitatem regni & imperij maieſtatem, ceu rem aſperam, difficilem, multiſque laboribus anxiam vel omnino refugerunt, vel capeſſerunt inuiti. Tyberius enim Cæſar Romanorum imperium inuitè reluctanterq; adijt: amiciſq; quinetiā adminiſtrationem reipublicæ capeſſere ſuadentibus. Neſcitis (ait) ô Quirites, quàm magna bellua ſit imperium. Cumq; diu cunctabundus, deliberantis ſpeciem præ ſe ferre videretur: publicè teſtatus eſt, ſe auribus tenere Lupum. Sed & Senatu, à quo ad imperium ſuppliciter petebatur, ambiguis varijſq; reſpōſis fruſtrato diutius, iactatum illud in eum eſt: Cæteros homines, quæ pollicentur, præſtare tarde: Tyberium, quod præſtat, tarde polliceri: Idcircoq; aut adiret tandem rempublicam, aut omnino curare deſineret. Cneius ille Pōpeius, qui Magnus eſt ob virtutem cognomento dictus, vbi ex ſenatus literis intellexit & curiatis populi Comitijs, & centuriatis diuitū, rerū ſummā ſibi vni cōmiſſam eſſe, impacta manu femori, &, próh nūquā finienda pericula (inquit) quanto ſatius erat obſcurū naſci, ſi à rei bellicę curis atq; laboribus nunquam feriari dabitur! nec licebit inuidia hac exuto, dulci cum vxore ruri vitam agere? Caius Iulius Cæſar apud Romanos rerum potitus (cū initio imperij premeretur Gallico tumultu) dicere ſolitus fertur: Nihil ſe amplius propter Cæſaris dignitatem ſuiſſe conſecutum, quam vt occupatus viueret. Auguſtus ille Cæſar, cum ob imperij ingentes curas, quibus ſemper infeſtabatur, noctes plurimum ageret inſomnes: vbi equitis Romani proximè vita defuncti alienum æs grande emerſiſſe comperit: è rebus, quæ venum expoſitæ iuſtis pretijs in auctione addicebantur, dum nominibus creditoribuſq; fit ſatis, culcitram ſibi iuſsit emi: quæ vbi primū eſt allata, cunctis factum demirantibus, Hæc mihi (inquit) erit ad quieſcēdum vtilis, in qua ille tanto ære oppreſſus, ſomnos carpere poterat. Sapienter feciſſe dicitur magnus ille Aſiæ Rex Antiochus, qui à Lucio Scipione deuictus, Tauroq; tenus regnare iuſſus, Aſia omni Romanis adiudicata, gratias è veſtigio egit Romano populo, quod magna per eos liberatus eſſet curarum parte. Modicis enim contentus finibus: nimis magna imperij procuratione leuari, placidè ac iucundè ferebat. Rex Seleucus Regni curas & ſolicitudines auerſatus dicere crebro ſolebat: ſi multi ſcirent, quantū ſit negotij vel tot epiſtolas ſcribere: ne humi quidem proiectum diadema attollerent. Clarus ille itidem ſapientia Rex, cuius temporis iniuria intercidit nomē: qui traditum ſibi diadema contemplans, manuque tractans aliquandiu, in hanc tandem vocem erupit: ó nobilem magis quam fœlicem pannum, quem ſiquis penitus cognoſcat, quàm multis periculis, ſolicitudinibus ac laboribus ſit refertus, ne humi quidem iacentem tollere dignetur? Rectè illi quidem: nā quis tam eſt humanarū rerum ignarus, qui

non

non videat etiam bonos principes in ſummo rerum ac vitæ verſari diſcrimine? innocentibuſque ſæpe plebis furias, ciuiumque licentiam omnino timendam eſſe? & malorum hominum vitandas inſidias? Vt taceam interim quàm ſit graue & omnino difficile temerarios ſedare tumultus, factiones dirimere atque ſopire, & concordi pace ligare: diſcordias compeſcere, ac tandem aut prouinciarũ componere defectiones: aut hoſtium arcere impetum, & propulſare inuaſionem. Quæ omnia proborum Regum, bonorumq; principum animos ſolicitudine ſæua conſauciãt: & varia mentem cogitatione perturbant. Hinc Imperator Diocletianus regni ſatiatus curis, priuati perſona deſumpta ſe abdicauit imperio in Salonaſque Dalmatiæ vrbem ſeceſsit honeſto conſeneſcens ocio. Neq; Romanorum vnquam precibus adduci potuit, vt depoſitam imperij dignitatẽ reſumeret: quin ad hoc hortantibus, literiſque ſubinde inuitantibus adhunc modum reſcripſit. Vtinam vobis ô Romani, manu noſtra conſitos holeribus hortos videre contingat: haud enim iſtud tentare conaremini. Quid Saturninus Auguſtus, nonne & ipſe de Imperatorum periculis atque diſcrimine, graui oratione diſſeruit? Eiuſcemodique honorem haud ſecus atque præſentiſsimam peſtem ſummè refugit? Sic enim cum purpura, cæteroque ornatu regio inſigniebatur ad amicos locutus dicitur. Neſcitis amici, quid mali ſit imperare. Nam & gladij, & tela noſtris ceruicibus impendent: imminent haſtæ: vndique ſpicula: ipſi cuſtodes timentur: ipſi comites formidãtur. Non cibus pro voluptate, nõ iter pro autoritate, non bella pro iudicio, non arma pro ſtudio. Huc accedit, quod omnis in imperio ætas reprehenditur. Senex eſt quiſpiã, inhabilis inutiliſque videtur: ſi iuuenis ineſt furor. Nam quod imperatorem me cupitis, in mortis neceſsitatẽ me trahitis: ſed habeo ſolatium hoc mortis, ſolus perire non potero. Hactenus Saturninus, ex quibus quàm non ſit temere imperij appetenda maieſtas vel cæco perſpicuum eſt. Iam vero quid de Agamemnone dicam? qui, cũ egregius dux eſſet, regnatorque probus (vt dixit Homerus) multis tamen imperare omnino putabat acerbum: ſic enim de ſe loquitur.

Noueris Atridẽ Agamemnona, quem ſuper omnes
Iupiter exercet, grauibuſq; laboribus angit.

Item & illud.

Iupiter implicuit grauibus me ſortibus ingens.

Et ô fœlices ac beatos, qui procul omni diſcrimine, ignobiles, inglorij, hac vita defuncti ſunt? Cui è noſtris adſtipulatur, qui meritò eſt ſapiens cognomento dictus, Rex Aragoniæ Alfonſus. Is enim cum à familiaribus iter facienti ſibi quaſi ignauiæ exemplum, ruſticus eſſet demonſtratus, qui humi porrectus vuis veſcebatur: conſpecto homine Rex dixit: Vtinam ſic mihi per ocium comedere, datum eſſet à Superis, declarans & ipſe quanta omni in regno ſemper ſit animi ſolicitudo: quãta colluuies & turba malorũ. Sed quid neceſſe eſt, rem quæ perſpicua admodum facta eſt, longam facere exẽplis. Legat ſiquis volet ſcriptis noſtris parum eſſe contentus, Luciani dialogum, qui Gallus inſcribitur, facile ex eo intelliget aſsiduorũ, diuitumq; hominum ac Regum vita quantis ſit & expoſita caſibus & ęrumnis obnoxia: quàm è diuerſo expedita res paupertas hilaris, ſuaque ſorte contenta. Ac neſcio, cũ multa ibi ſub perſona eius, qui incantationibus quibuſdam magicis, ſi credere dignum eſt, ex Rege Gallus effectus apud pauperem viuebat Sutorem, præclarè multa dicantur, audire ſit moleſtum quæ mihi legenti ſunt iucundiſsima viſa, & ſcitu digniſsima. Referã tamen humanitate fretus illorum, qui læpidis fructuoſiſq; hiſtorijs cupidiſsimo ac placidiſsimo animo duci conſueuerunt. Nam tibi ea res ne ingrata vel iniucunda poſsit accidere, non verebor: cum ea, quæ vitæ hominum vſui eſſe poſsint, tam vbiq; ſtudioſè, diligenter atque auidè, ſemper inquiras. Sic igitur apud Lucianum, Gallũ ſuum Mycillus herus alloquitur. Dic mihi Galle: tu quum Rex eſſes, nam ais te Regem quoq; fuiſſe, cuiuſmodi tandem id vitæ genus experiebaris? Mirum ni tum fœlix eras, quandoquidem id quod eſt bonorum omnium caput poſſidebas. GAL. Ne mihi in memoriam regeras, ô Mycille, vſq; adeo ſupra modum infœlix tum eram. Nam quo ad res externas, quemadmodum dixiſti, planè fortunatus eſſe videbar: at intus innumerabilibus curis diſtringebar. MYC. Quibus tãdem curis? nam rem prorſus abſurdam, neq; credibilem narras. GAL. Equidẽ imperabam regioni neutiquam exiguæ Mycille, omnijugarum rerum feraci, tum incolarum frequẽtia, neque non vrbium pulchritudine cum primis admirãdæ: præterea fluminibus nauigabilibus, ac mari portuoſo commodè. Adhæc exercitus ingens, equitatus ſpectatiſsimus atque excellens, ſatellitium haud exiguum, triremes, pecuniarum vis maior, quam vt poſſet numerari, vaſorum aureorũ plurima copia, reliquaque omnis illa principatus tragœdia,

ſtrepi-

ſtrepituſque & apparatus ſupra quam credi queat, extructus atque accumulatus. Itaque cum prodirem, plerique adorabant, Deum quempiam intueri ſeſe rati: aliique trudentes alios concurrebant, quo me conſpicerét: nonnulli conſcenſis tectis, magni æſtimabát, ſi planè contéplari licuiſſet quadrigá, ſtragulá diadema: Tú anteâbulones, & eos, qui à tergo comitabantur. Ego inter hæc mihi cõſcius, quantę me res diſcruciarent, verſarentque: illos quidem propter inſcitiam venia dignos iudicabam: at mei ipſius miſerebat, qui prægrandibus illis Coloſsis viderer per ſimilis: quales vel Phidias, vel Myron, vel Praxiteles fabricatus eſt. Etenim illorum quiſque quo ad ea, quæ foris apparent, Neptunus ipſe eſt, aut Iupiter, mirificè decorus auro, eboreque compactus: & aut fulmen, aut fulgur, aut tridentem fuſcinam dextra ſuſtinet. Cæterùm ſi immiſſo capite quæ ſunt intus inſpicias, videbis vectes quoſdam, paxillos, & clauos introrſum prominentes, neque non vimina; cuneoſque & picem ſublitam, & aliam item id genus deformitatem intrinſecus inhiantem. Omitto recenſere muſcarum, muſtelarumque vim, quæ non nunquam in eis manſitant. Huiuſmodi quædam res nimirum regnum quoque videtur. MIC. Nondú explicuiſti lutum, & clauos, & vectes, qui nam fuerint in imperio, neq; fœditatem illam plurimam quæ nam ſit: nam iſtum ad modum vectari, tam multis imperare mortalibus, ac numinis inſtar adorari, hactenus quidem cum Coloſsi exemplo quadrat. Siquidem hoc quoque diuinum quiddam, & admirandum. Nunc autem quæ ſint intra Coloſſum exponito. GAL. Quid tibi primo loco referam Micylle, vtrùm metus, curas mordaces, ſuſpiciones, odium, quoſregem perſequuntur ij, qui cum illo viuunt: inſidias, atque eas ob res ſomnum rarum, & hunc ipſum pertenuem, ac plena tumultus inſomnia, cogitationes perplexas, ſpes ſemper improbas: an ocij penuriam, & occupationes, iudicia, expeditiones, edicta, fœdera, conſultationes? Quibus rebus ſit, vt ne per ſomniú quidem aliqua re ſuaui frui liceat, Verùm vt omnibus de rebus ſolus diſpiciat neceſſe eſt, milleq; negotia ſuſtineat.

Quippe nec Atridem Agamemnona dulcis habebat
Somnus, multigenas verſantem pectore curas.

Idque cum reliqui omnes Achiui ſtertcrent. Adde, quod Lydium illum diſcruciat filius mutus. Perſam verò, Clearchus ad Cyrum deſciſcens. Atque alium quempiam Dion cum Syracuſanis nonnullis ad aurem communicans. Rurſum alium quédam vrit Parmenion collaudatus. Item Perdicam Ptolemæus, Ptolemæum Seleucus. Quin illa quoque moleſtiam adferunt: Amaſius per vim non ſponte conueniens, concubina alio gaudens, tum ſi qui defectionem parare dicuntur: aut duo quatuor ve Satellites inter ſe ſe conſuſurrantes. Porrò (quod omnium grauiſsimum) amiciſsimi quoque vel maximè ſunt formidandi: ſemperque metuendum, nequid mali magni ab illis exoriatur. Nam alius à filio veneno necatus eſt, alius item ab Amaſio. Alium ſimile quoddam fortaſsis mortis genus eripuit. MIC. Apageſis: atrocia, miraque ſunt iſta quæ narras ó Galle. Mihi igitur multo ſit tutius operæ cerdonicæ pronum incumbere, quam ex aurea bibero phiala comiter delatum hauſtum: cæterùm cicuta, aconitoque temperatum. Nam mihi quidem hoc vnum eſt periculi: vt ſi parum aberret Smilion, deflectatque à recta inciſione, ſummum ſecátis digitum exiguo ſanguine tingat. At iſti, quemadmodum narras, lethifera agunt conuiuia, atque id innumerabilibus in malis conſtituti. Deinde vbi conſederint, perſimiles eſſe videntur tragœdiarum hiſtrionibus. Nam multi ſicut videre licet, quoad Cecropes ſunt ſcilicet, aut Siſyphi, aut Telephi diadęmata geſtát, argenteiſque capulis gladios, comamque ventilantem, & auro intertextam Chlamydem, quòd ſi quis (qualia nimirum permulta ſolent accidere,) impulſos illos media in ſcæna præcipites dei, riſum profectò moueant ſpectatoribus: videlicet perſona vnà cum ipſo diademate contrita, vero autem actoris capite luxato, cruribuſque maxima ex parte renudatis, vt iam interioris amictus, quàm miſeri ſint panni fiat perſpicuum: ac cothurnorum quos pedibus induxerant, appareat deformitas, haud quaquam ad pedis modum reſpondentium. Vide vt me iam ſimilitudines con ferre docueris optime Galle. Cæterum Tyránis talis res tibi viſa eſt eſſe. Hæc Lucianus hactenus. Neq; enim liber perſequi plura, cú ex his paucis, ipſa Regni imago facile cerni poſsit, non imperitè, nec incurioſè depicta. Nam quis non intelligat, niſi animus ſit ſapientia excultus, virtutibuſq; adeo ornatus cæteris, imperij adminiſtrationem omnem periculoſam valde eſſe, multumque difficilem? Multis enim calamitatibus atq; miſerijs obnoxia eſt vita principis, quæ & ipſa moderatione animi, quoad res feret ſuſtinenda tolerandaque ſunt. Occulta quippe multorum odia imminent: & clandeſti-

næ interdum non externorum tantum, ſed domeſticorum etiam inſidiæ beatorũ principum ceruicibus impendent: adeò vt nulli penè fidere tutum ſit. Dion ille, qui Dionyſij Tyrannide vrbem Siracuſas eripuit: vbi à Calippone, cui amicorum maximè fauerat, parari ſibi reſciuit inſidias, ſuſpicionis illum conuincere noluit, ſatius eſſe dictitans mori quam ita viuere: ſi nõ ab hoſtibus ſolum verùm ab amicis etiam cauendum eſſet. Pulchrum igitur, ſcitumq; in primis poetę illud eſt Accij,

Multi iniqui atque infideles regno: pauci ſunt boni.

Quis igitur, qui tanto in periculo verſentur, neget miſeros eſſe? etiam ſi palponum exitiali ſubſcribente choro, opinione falſa hominum beatiſsimi prædicentur? N I C. Tu certè mi Philemon, facundia iſta, qua plurimum polles, eò me reluctantem adigis, vt è ſententia ſæpe deturbes. Nam cum ex oratione tua illud mihi viderer poſſe pro rato defendere: bonos principes ſemper eſſe beatos atque fœlices: infœlices contrà Tyrannos; nunc ex tuis verbis mutare iudicium cogor ſententiæque penè diffidere. Ais enim, omnes & Reges & principes in communi verſari miſeria: eſſeque nihil magis periculoſum quam rerum clauum tractare, imperijque habenas ſuſcipere. Id quod, tot tamq; egregijs exemplis corroboraſti, ac veluti ſulciuiſti: vt ille prorſus facere videatur ſtultè, qui ad regnum vel imperium gerendum animum ſuũ inducit. Quid enim aut ſtultius eſſe, aut amẽtius poteſt, quam votis quemquàm conquirere, quod ſibi moleſtum iam ſit, exitioſum etiam, & omnino calamitoſum: periculique adeo nunquam expers futurum?

PHILEMON.

Vtinam facundia orationis valerem tanta: quanta tu amore ductus, præſtare me ſæpe cenſes. Non vt ſapientem virum verborum Lenocinio aliquo deturbare ſententia moliar, aut propoſito auertere præſertim in tali cauſa (quod planè exiſtimo nefas) ſed vt prę ſcriptas ſemel partes, pro officio tractare contingit: quod mihi ipſe diffidens, ne præſtare non poſsim ſubuereri interdũ incipio. Enitar tamen ſedulò (diuûm bonitate) ne omnino infœliciter parte hac extrema imperij, videar fuiſſe verſatus. Quod igitur ais verborum meorum cauſa de ſententia deturbatum, te iam penè eidem diffidere: nihil eſt, quod tam cito vir ipſe ſapiens ſententiam mutes (quæ eiuſmodi viris firma eſſe ſemper, atq; ſtabilis debet) nam ſi ad rationem noſtram rectè intendiſti animum, ijs demũ imperij adminiſtrationem, & difficilem & periculoſam eſſe reperies, qui virtutum præſidio nullo fulti, ad imperia ſtultè conuolant: alijs non item. Licet enim improborum odia bonis ſæpe perpetienda ſint principibus, inſidiæque vel innocenti timendæ: cõſiderandum eſt tamen, hæc omnia vel prudentia procul aſpelli, vel cautione aliqua rectè poſſe vitari. Et quando ita natura comparatum eſt, vt quæ optima ſunt, ſine periculi difficultate aliqua præſtari nequeant (ſemper quippe difficilia, quæ pulchra) ſumma ope nitẽdum eſt & cura elaborandum, ne egregij atque honeſti labores, turpi aliqua formidine abiecti, vel ignauia animi omiſsi eſſe videantur. Nam ſi è rebus mortalium nihil eſt regni dignitate ſublimius, nihil imperij recti adminiſtratione præſtantius: nihil hoc vno munere difficilius, nihil laborioſius eſſe, dicendum eſt. Cum autem vigilantia animi, cura & labor, certiſsimi ſint virtutis comites: rebus ſi amplis ſplendidiſque aſpiras, atque aliqua duceris laude, aut hi quidem amplectendi tibi labores ſunt: aut virtus ipſa deſerenda eſt. Præclarè hoc. M. Cicero, quòd ſi curam fugimus, & virtus fugienda eſt: quæ neceſſe eſt, vt cum aliqua cura res ſibi contrarias aſpernetur atque oderit, vt bonitas malitiam, Temperantia, libidinem: ignauiam fortitudo. Ex quo fit, vt eiuſcemodi curarum fluctus: moleſtiarũ turbines: difficultatũ ęſtus atque procellæ, & imperij labores, non tam viro bono, honeſtatis ac laudis cupido refugiendi ſint, quam ſolertia quadam animi, ac prudentia moderandi. Honeſti ſiquidem fuga laboris, degeneris indicium eſt animi. Nemo ſiquidem vnquam (vt à Caio Mario rectiſsime dictum eſt) ignauia immortalis eſt factus. Quacumque autem in vitæ conditione nihil ſentire moleſtiæ, difficultatis atque laboris: diuinitatis magis quam humanitatis eſt. Humanæ quippe natura fortis voluptatem labore condit, & doloris aliqua parte compenſat: obuerſariaque miſtura cuncta ſub Sole temperat. Qua ex re illud efficitur, vt præclari negotij ſuſceptio, magnarumque rerum molitio difficultate cum aliqua ſemper coniũcta ſit. Quæ cum ita ſe habeant: moleſta multa, acerba & grauia imperio ſubeſſe mirandũ nõ eſt. Quæ & ipſa facilia debent leuiaq; videri cũ ob dignitatẽ tãtã ab homine ſuſcipiunt. Magnitudine enim hono-

honoris, partem oneris imminui, ac leuari ſolere, dubium atque obſcurum non eſt. Nam quod ad inſidias, malorumque odia pertinet, licet ob peruerſa quorundam ingenia, quorum animis vt conſuetudinis, ſic & prauitatis callum vetuſtas obduxit, ſimili infortunio non ſemper vacet optimi vita principis, id quidem eiuſmodi eſt, vt Tyrannos & malos principes plurimum infeſtet: temperantes & iuſtos Reges vix lædere poſsit, qui Diuûm vbique numine defenduntur. Atq; hoc quidem illud eſt, quod ſcriptum reliquit poeta Sapiens Homerus, ſub Iouis Clypeo & Patrocinio Reges verſari cenſens. Addens illud etiam, mortalium vitæ præſtãtiorem nullam armaturã eſſe virtute. Quod ne illi quidem Regi obſcurum fuit, qui monitus à quodam vt domeſtica caueret pericula, negauit hactenus à ſe ſic fuiſſe cultos Deos, vt cuiuſquam inſidias magnopere pertimeſceret. Ratus nimirum vitæ innocentię, fauorem Numinis ſemper eſſe præſentem. Id quod diuinus etiam cecinit vates, dicens: Super Aſpidem & Baſiliſcum deambulabis, & conculcabis Leonem & Draconem. Cui ex ethnicis quoque adſtipulari Flaccus videtur, aſſerens & ipſe Virum bonum vbique locorum diuina prouidentia exactiſsimè regi, atque adeo communiri. Sic enim ait:

Integer vitæ, ſceleriſq; purus
Non eget Mauri iaculis, nec arcu
Nec venenatis grauida ſagittis
Fuſce pharetra.
Siue per Syrtes iter æſtuoſas,
Siue facturus per inhoſpitalem
Caucaſum, vel quæ loca fabuloſus
Lambit Hydaſpes.

Cuius rei facile fidem fecerit, quæ apud Timoclem Pelei extat hiſtoria. Is enim cum ingenui cuiuſdam pudoris, & continentiæ gloria floreret: Ab Aſtydamia vxore Regis Acaſti adamatus dicitur fuiſſe. Sed cùm blanditijs nullis caſtus iuuenis animus ad adulterij infamiam ſubeundam, tetrumque deſignandum flagitium pacto vllo allici poſſet: queſta eſt apud virum peſsima mulier, impudenter ſibi vim Peleum inferre tentaſſe. Quod cum reſciſſet Acaſtus (nec vxorijs calumnijs temere parte ex omni putaret eſſe credendum) comprehendi hominem iubet & vaſtam in ſolitudinem pertrahi, atque armis ſpoliari, ibique relinqui: fore dicens, ſi iuſtus eſſet, vt è periculo euaderet. Cum autem in eum Feræ pararent impetum facere, ab immortalibus Dijs, eius caſum miſerantibus, miſſum illi per Mercurium enſem perhibent à Vulcano fabrefactum: ſicque Inſontem Peleum periculo liberatum. Pulchra nimirum hiſtoria, quæ bonis, iuſtiſque viris in diſcrimine poſitis ſummi Dei fauorem docet eſſe præſentem. Neque enim credere fas eſt ſapienter vt Plato ait, bonum virum à Deo vnquam poſſe negligi. Magnum proculdubio ſecuritatis telum eſt, conſcientia bona: immunitatiſque apud omnes paratum habet Aſylum. Non igitur iniuria eiuſcemodi mentis candorem, muri inſtar homini eſſe arbitratus eſt Flaccus: quem (quòd inexpugnabilis ſit) appellauit Aëneum. Quod cum ita ſe habeat, aduerſus improborum temeritatem, & auxilio diuino, & conſcientia rectè factorum, boni principis vitam ſeptam vndique egregiè: mirificèque circumuallatam eſſe, iure fatendum eſt. Qui ergo ad hunc modum affectus, & præclaræ mentis robore inſtructus, intus ac foris emtet: communituſque eſt armorum illo genere optimo, quod in honeſti tutela poſitum, Homerus celebrans dixit, Virtutis armatura, quam Vulcanijs armis longè melius homines communiri: hic profectò periculi caſu omni maior ac valentior effectus, nulla de ſalute ſua ſolicitudine anxius viuat neceſſe eſt. Quòd ſi quando vlla tangi, aut affici dabitur, quicquid illud erit moleſtiæ, non ſui cauſa ſeruandi: ſed ob incolumitatem, conſeruationemque ſuorum, naſcatur oportet. Ijs etenim pro rebus anxiè premi, ægrè affici, & morderi animo principes, honeſtiſsimum eſt, ac maximè glorioſum. Pulchrum enim angoris genus eſt, quod ob ſubditorum tutelam, cuſtodiam hominum, & multorum ſalutem ſuſcipitur. Idque verè eſt imperare & regere, rectores vrbium, populorumque præfectos (dum ſaluti & commodis illorum, qui fidei ſuæ crediti commiſsique ſunt, late vndique proſpiciunt: ſuaque opera ſedulo impartiunt, quoſcumque vident opis egere) ſolicitudine aliqua mentis affici, & cura diſtringi. Hoc enim in negotio bonorum principum ſincere partes maximè, & verſari conuenit munus. Eſtque (iudicio meo) vigilantia animi, ſolicitudo & cura, optimum regni præludium: deliciari enim, ſegnique ocio torpeſcere, vel infami luxu diffluere, non eſt Regum. Qui verò ab hoc tam præclaro munere, negotioque abhorrenti & ſolicitudinem animi, curamque auerſati, laborem honeſtum refugiunt, vano nominis fulgore capti, & ſpecie poteſtatis illecti: his cum in Regni imperijque

legitima & vera ratione dormitare ſæpe tur-
piter, ac claudicare interdum non leuiter
ſubditis videantur, & metus ineſt, & nocet
aliquoties dolor cócitę plebis: quæ túc exaſ
peratur ſęuius cú ad hanc ignominiá comes
accedit iniuria. Cuius ſanè rei locupletiſsi-
mi ſunt teſtes Agrigentinus Phalaris, Diony
ſius Iunior, & Superbus ille Tarquinius, quo
rú iam ante ſucceſſus vitæ diximus. Quocir
ca ſapiés ille Macedonię Rex Antigonus, có-
ſpiciens filiú, eos in quos habebat imperiú,
ferocius aſperiuſq; tractanté: grauiter incre-
puit. An ignoras (inquit) ô fili regnum no-
ſtrú ſplendidam quandam ſeruitutem eſſe?
Enim verò nihil dici potuit, neq; prudéti⁹,
neq; ſignificantius. Nã quis non videat, eos
qui benè adminiſtrati regni gloriá nanciſci
apud poſteros cupiunt nomenq; ſuú titulo
hoc immortalitati conſecrare ſtudent, non
minus populo obſeruire debere, quá princi
pi ipſum populú? Neç magis à Rege diſtare
Tyrannú, quã hac & declaratione animi, &
vitę profeſsione?

Spartae, cuius maximè quondá imperiú
celebre fuit, illud legimus factitatum: vt nul
li, qui parére neſciret, populi deferretur im
perium. Hinc factum eſt, vt gentis hujus
nobilis princeps Ageſilaus, filios ſuos, quos
alebat imperio (à Xenophonte præſtabili ſa-
piétia viro, qué penes ſe habebat) omniú pri
mò curaret imbuédos arte omniú optima,
ſcientia videlicet obſequendi atq; imperan-
di. Cuius qui foret præſidio deſtitutus, inu-
tilis putabatur imperio. Sic, cum idem Age
ſilaus forte eſſet interrogatus, quid eſſet
cauſæ quam obrem ſecunda rerum geſtarú
fama vbique terrarum Spartanum floreret
Imperium? Quoniam (inquit) plus cæteris
in hoc ſeſe exercent, vt pariter & imperare
& parere diſcant. Quæ duæ res, ciuium om
ni ſeditione excluſa: commune ocium, tran
quillitatem, pacem, concordiamque tuen-
tur. Agis etiam, qui primus huius nominis
Spartanum Regnú tenuit, ad Athenienſem
ſciſcitanté quę ſcientia maximè vigeret Spar
tę: reſpondiſſe dicitur: eam, quæ & impera-
re, & ferre doceret imperium. Apud Perſas
moré eſſe ſcribit Xenophon ſanctiſsime per
manus à maioribus traditum, vt regni hęre-
des futuri iam inde à primis annis ad Iuſtitiá
erudiantur. Plato verò in Alcibiade priori
de natura hominis, dignitate atq; educatio-
ne pręclare multa diſſerens, autor eſt, a deci-
mo quarto ętatis anno, horum curam per
regios magiſtros protinus ſuſcipi: eoſq; nu
mero quatuor eſſe ex omni Perſia delectos

viros: qui, illis ipſis virtutibus, Prudétia,
Iuſtitia, Téperantia, & Fortitudine, de qui-
bus multa iam diximus, plurimum alijs an-
tecellere creduntur. Quibus ex hominibus,
qui primus eſt, magicá docet artem, quæ à
Zoroaſte Oromaſi filio profecta eſt, quę ni
hil eſt aliud quá Deorum cultus: idemq; re-
gia inſtituta tradit. Secundus hortatur & có
monet, vt per totam vitá vná præcipuè colat
Veritaté. Tertius ne quo affectu aut libidi-
ne ſuperetur, ſed vitam liberè agere cóſueſ-
cat: ſibiq; ipſi primum imperare, nec alteri
ſeruire: vt planè aliorú dignus videatur im-
perio, qui ſui ipſe Rex ante ſit factus. Quar-
tus demum, intrepidum illum & impaui-
dum reddit, necubi metuendo ſeruus effi-
ciatur. Hactenus Plato. Ex quibus quanta
ethnicis temporibus in inſtituendo, futuro
reipublicæ principe, habita cura ſit, cognoſ-
cere peruium eſt.

Quas obres modis omnibus laudandi
illi ſunt, qui in re non minus præclara atque
difficili moderanda, plurimum & operæ &
diligentiæ poſuiſſe feruntur. Ne in admini-
ſtratione imperij, aut idonei parum, aut pla-
nè improbi haberi poſſent. Princeps Athena
rum Pericles, quotieſcumque dux belli crea
retur, ſibi adaptans chlamidem, ſic ſecum lo
qui ſolitus fertur. Attende Pericles, quòd
geſturus es imperium in liberos, in Græcos,
atque Athenienſes. Quibus verbis cordatiſ-
ſimus vir ſe ante præmuniebat: necubi prin
cipatu ipſo immoderatè abuteretur. Sapien
tiſsimi principis ſolertiam è Romanis imita-
tus Adrianus, ante imperij ſibi delatas inſu-
las, & in Senatu deinde frequenter, ſe ſic im-
perium geſturum eſſe teſtificatus eſt, vt ſci-
ret rem populi eſſe: nó ſuam priuatam. Quo
dicto Tyrannidis ſuſpicio omnis ſublata vi-
deri poteſt, quæ profectò res ſubditorum
mirificè conciliat voluntatem, ciuiumque
ſtudia tuetur. Nemo enim tam eſt inſigni-
ter malus, quin ad hunc modum affectum
principem & amet, & charum habeat. Nam
quî fieri poteſt, vt ei aliquis ſit infeſtus: aut
inuiſum vel exoſum, eum putet habendum,
quem & in commune conſulere, & pro om-
nium ſalute, alacriter ſemper videt excu-
bare? Adriani præfectus Turbo, cum ob im-
perij publica negotia, quibus indefeſſo ani-
mo vacabat aſsiduè, in febrim ſatis grauem
incidiſſet, admonitus ab Adriano vt ſibi à
negotijs daret vacationem, ſatis laudabi-
liter reſpondit: præfectos Cæſaris ſtantes de-
cere mori. Titus ille Veſpaſianus adeo & ip-
ſe publicis rebus tractandis (imperatorij
memor

memor officij, dicitur delectatus, vt ſalutem
propriam negligeret. Nam cum inteſtinorũ
vitio affligtaretur, nihilominus tamen mune
ribus fungebatur imperatorijs. Legationes
enim lecto decumbens audiebat: cæteraque
imperij munia omnia curabat: vnde amicis
ſuadentibus vt ſibi parceret, reſpondiſſe fer-
tur: Bonum imperatorem mori debere ſtan-
tem. Dionyſius Syracuſanus amico cuidam,
ocioſus nè eſſet ſciſcitãti, abſit, inquit: vt mi
hi vnquam ocioſum eſſe contingat. Decla-
rans obiter, à reipublicæ negotijs feriari, Re-
gi eſſe turpiſsimum. Philippo Macedonum
Regi obequitanti vetula dixit: Audi me ô
Cæſar, cui ille, ſibi id temporis ocium non
eſſe reſpondit. Noli ergo (inquit) imperare.
Innuens & ipſa, bonis principibus ab hone-
ſtis curis nullam prorſus intermiſsionem eſ-
ſe debere. Hæc ſunt bonorum principũ ſtu-
dia: hæ partes, hæc munera. Quæ vt virtute
animi inclyta capeſſuntur: ſic niſi ab optimis
præſtari non poſſunt.

AT AMBITIONE multi praua corrupti,
magnos ſectantur honores: & quos gerere
neſciunt magiſtratus turpiter ambiunt: re-
rum dignitatem nomine tenus ſpectantes.
Ignari interim quãta ſit animi virtus in eiuſ-
modi negotijs ſemper adhibenda. Quod
exemplo quam verbo multo fiet illuſtrius.
Ouinius Camillus Seriatorij vir ordinis, ma
iorumque imaginibus ſatis clarus, ſed af-
fluens homo delicijs, res nouas hoc propo-
ſito moliebatur, vt principatu atque impe-
rio ſolus potiretur. Hoc cùm Alexandro Se-
uero eſſet renunciatum, qui Romanæ rei-
publicæ tractabat clauum, è veſtigio per fa-
mnlnm rogauit, Ouinium, vt in aulam veni-
re vellet. Quem venientem amplexus lauda-
uit, gratias interim agens, quod reipublicæ
curam: quæ bonis viris recuſantibus imponi
ſolet, ſponte ipſe vltroque reciperet: mox tã-
ti ſceleris conſcium præ metu trepidantem,
extremaque omnia timentem duxit in Sena
tum: Regniq; ibi allatis inſignibus, ac melio
ribus etiam quam ipſe vtebatur hominem
condecorauit, imperij appellans conſortem:
profectioniſque paratæ comitem adhibuit.
Cumque imperator ipſe iter pedibus faceret
delicatum hominem Ouinium, delicijſque
aſſuetum ad laborem inuitauit: quem poſt
exiguum tractum reſtitantem: ægrèque tra-
hentem ſpiritum, equo iuſsit ſedere: hunc
quoque poſt bidui iter vix ferentem, ſuis ip
ſe manibus Carpento impoſuit: hoc quoq;
auerſantem, laborumque tædio imperiũ re-
cuſantem ac mori denique paratum dimiſit
ac militibus, quibus Cæſaris ipſius ſalus pre-
cipuè chara erat, commendauit: in villaſque
vbi Ouinius ipſe deliciari conſueuerat, tuto
iuſsit abire. Sicque homini commoſtrauit,
quid ſit imperium gerere. Rem nimirum
neque animi exigui: neque laboris parui.
Quoquidem in facto optimi Regis, lenitate
mira, condîta, prudẽtia apparet maximè: qui
maieſtatis reum, ac Tyrannidis affectatæ
conuictum, ſeueriſsimiſque ideo legum pœ
nis obnoxium, ſat habuit emendatum relin-
quere: correctione pro ſupplcio contentus.
Par lenitatis facinus in Tito Veſpaſiano ſem
per eluxit. Nam cum aliquando à duobus
clariſsimi ordinis viris in ipſum eſſet coniu-
ratum, ac res eò eſſet deducta vt negari non
poſſet: illos ſecum ad ſpectaculum deduxit,
inter amboſque medius conſedit, mirmillio-
numque duobus gladijs ex induſtria petitis,
quaſi exploraturus aciem, ſuum cuique di-
ſtribuit, ceu tacitè ſtimulans ad id quod oc-
culto machinabãtur. Qui cum & conſcien-
tia preſsi; & metu perculſi, animi preſentiam
tantam plurimum mirarentur, hîc Cæſar, vi
detis ne, principatum ſato dari: fruſtraque
tentari facinus, vel potiundi ſpe, vel amitten
di metu? Sic & Domitianum frarrem inſi-
dias ſibi molientem vltus non eſt, ſed hac il-
lum oratione compeſcuit. Quid opus eſt te
parricidio petere, quod me volente obuen-
turum eſt? Imo quod iam habes imperij par-
ticeps? Idem ab amicis admonitus, vt Metij
Pompoſiani caueret inſidias, quod populi eſ
ſet pullulans fama, aliquando hominem im
peraturum: non ſolum non metuit ſibi, ſed
inimicum potius Conſulem fecit. Id familia
ribus demirantibus. Erit (inquit) Cæſar, olim
memor tanri beneficij.

SED VT horum principum ſalus diuini fa-
uoris, quaſi in exemplum mirabile manſue-
tudinis, protectione quadam ſeruata videri
poteſt: ſic haud ſcio, eiuſmodi exempla tam
ne ſint omni ex parte laudanda, quam ſunt
omnino mirabilia. Ego enim in hac ſenten-
tia ſum, vt exiſtimem, eiuſmodi hominum
genus bonis temere principibus exitium
machinantium turpiſsimo atque infami ma
ximè mortis genere penitus eſſe afficiendũ;
& ſalutis ianuam gẽti huic ambitioſè audaci
ac perfidæ, ſemper eſſe occludendam. Quod
hercle factũ quanto magis eſt raritate mirabi
le, tanto minus hic locus egere videtur præ-
ceptione (pauci enim ſunt Reges, qui vitam
ſuam ab alijs opperitam impunè ferant.)
Sed tamen præcipiendum fuit, ne parum
prouidæ rationem lenitatis à me magnopere

probari, ſibi aliquis temerè perſuadeat. Eſt enim ſummè peſtiferum, exemploque ipſo nimis graue, attentatam per ſummum nefas Regis optimi vitam, abſque ſupplicio dimittere. Nec tam debent eſſe philoſophi principes, vt in vitæ ſummo diſcrimine, manſuetudinis cauſa aucupandæ, ad eiuſmodi facta conniueant, & ſua & publica ſalute neglecta. Cum præſertim non minus ſit boni principis in improbos ſæuitiam gerere: quam in bonos lenitatem. Cuius vtriuſque rei per ſummam prudentiam ſemper debet temperari iudicium. Quocirca iure optimo laudatur Archidamas, qui cum fortè vidiſſet quendam multa in Charilli Regis laudem ſine fine prædicantem hoc nomine, quod ſe erga omnes mitem manſuetumque præberet, Et quonam modo (ait) laudetur quiſquam, qui ne in malos quidem ſit aſper? Inſinuans obiter manſuetudinis bonum, iuſtitiæ ſemper eſſe debere coniunctum. Ideoque principis in malos animi lenitatem, nihil aliud eſſe quam crudelitatem in bonos. Sed de hoc hactenus.

ILLVD AVTEM in præſentia conſideremus, Principi beneuolentia nihil magis amandum: offenſione & odio nihil contrà magis eſſe fugiendum. Cum igitur amico bono nulla ſit res in vita præſtantior, quemadmodum eſt à ſapientibus traditum. Neque huius tam ſint aduerſis quam ſecundis rebus neceſſaria præſidia: id quod prudentium ſententia etiam teſtatiſsimum eſt. Nam quæ in ſumma affluentia rerum abundare amicis vita creditur, ea plerumque vero caret monitore. Danda viro principi omnino opera eſt, vt amicorum pretioſiſsimam ſupellectilem ſibi comparet. Stabile enim regnum eſſe non poteſt: vbi veri amici pauci ſunt. Declarauit hoc Darius Perſarum Rex, qui prægrande ſibi oblatum malum punicum aperiens, & rogatus cuius rei tantum vellet habere numerum, quantus illic eſſet granorum: reſpondiſſe dicitur Zopirorum. (Erat autem Zopirus Regis ipſius amicus intimus, conſiliariuſq; fidiſsimus) innuens nullam regno poſſeſsionem eſſe magis vtilem, quam Syncerum amicum. Quod intelligens Syracuſanus ille Dioniſius, filij cubiculum ingreſſus, conſideratis ibi ſolido ex auro & argento varijs cælaturis per ſummam artem elaboratis, vaſculis: indignus es principatu (ait) ô fili: qui tot à me poculis acceptis, neminem tibi amicum paraueris? Alexander Macedo rogatus vbi vellet theſauros ſuos recondi: apud amicos reſpondit. Inſinuans, boni principis eſſe quicquid ciues poſsident amantes: eumq; amorem rectè colligi liberalitate & beneficētia.

AMICIS AVTEM partis, communicanda negotia ſunt, & conſilia illis noſtra aperienda. Quòd ſi tales erunt vt tempore corrumpantur: pro qualitate perſonæ, vel admiſsi grauitate, aut corripiendi ſunt: aut mutandi: communibuſque cōmodis & honeſtati omnino poſthabendi: exemplò Seueri Alexandri, quem in ratione imperij id ipſum cōſtat factitaſſe. Amici etiam perpendere debent, vt honeſta, & vtilia reipublicæ ſemper conſulant: proſpicientes in hoc non minus Regis dignitati, quam ſuo ipſorum honori, & incolumitati: reputantes animo dignas tandē pœnas luere quicumque improbi ſunt, regnoque iniqui. Seianum quippe Tiberij Cæſaris & Amanum Regis Aſſueri ad parem ipſis cum Regibus maieſtatem dignitatis euectos, miſerabiliter de repente legimus concidiſſe: & infami genere mortis affectos: Alioſque etiam multos, qui cùm plurimum apud Reges gratia valuiſſent: Fortunam ſunt ad extremum ludificantem experti. Qui omnes exemplo eſſe poſſunt, ob fauorem principū, turpiter non eſſe animo inſoleſcendū: multoque minus à recti honeſtique præſcripto diſcedendum, aut à viri boni officio declinādum. Nam cui exploratum eſt, quamdiu ſibi ſit principum gratia & viuax & ſalua futura? Vt enim doctè apud Senecam loquitur Chorus.

Nemo tam Diuos habuit fauentes,
Craſtinum vt poſsit ſibi polliceri.

Quod ſi verum eſt, ne ipſis quidem Regū amicis perſpicuum eſſe poteſt, qualis vitæ illorum conditio in poſterum futura ſit. Multa ſiquidem in vita ſæpe accidunt, quæ bene firmatam gratiam ſubitò labefactant, ac repēte conuellunt, inopinatoq; tandē opprimūt atque diſrumpunt. Non igitur illæpidè Artaxerxis Regis gener Orontes, cū ab irato Rege reiectus eſſet, & condemnatus: queādmodum, inquit, ſupputatorum digiti nunc infinitum numerum, nunc vnum tantùm poſſunt ponere: ſic Regum amici, nunc quid vis pollent: nunc quam minimū. Dicto hoc imbecillitatem declarans humani fauoris.

SED REVERTAMVR iam ad ipſos principes, qui populi charitatē ſui, ſubditorum q;, amorem, prudentiæ quodam temperamento opportunè rebus adhibito (ne humanitate ac facilitate nimia imperij imminuta dignitas, vel præcipientis autoritas ad deſpectionem redacta eſſe videatur) per affabilitatem quandam, ſummamq; animi moderationē

atq;

atq; virtutem ſtudioſè ſibi conciliare vſque debent: ipſaſq; adeò mentes hominum redamantis aliquo pignore pectoris deuincire arctius atq; obſtringere. Lacedæmonius Agaſicles rogatus quo pacto quis imperare poſſet nullo ſtipatus ſatellitio; reſpondit, ſi ſic imperet ſuis, quemadmodum pater imperát liberis. Compendio docens ad imperium pacatè tuendum, amore nihil eſſe efficacius: nihil beneuolentia firmius atque præſentius. Bene igitur Antigonus exhortantibus amicis, vt vbi Athenis eſſet potitus, militari munitione vrbem cingeret atq; ſepiret, ne quādo rebellaret (etenim Græciæ fulcimentum omnino eſſe præſidio firmandum, aſſerebāt) hîc Antigonus, ſe in ea ſemper ſententia fuiſſe reſpondit: vt exiſtimaret nullum eſſe regni præſidium firmius, quam ciuium beneuolentiam. Sic & Philippus Macedò Gręcię populis bello deuictis, cū amici autores eſſent, vti ciuitates præſidijs contineret, ne deficerent: malo (inquit) diu bonus & commodus quam breui tempore dominus appellari. Significans, quod amore & rectè factis habetur imperium, eſſe perpetuum: vi autem metuque extortum, vix eſſe diuturnum. Quas obres cum Alexander Seuerus à Mammea matre, vxoreq; Memmia ſemel eſſet reprehenſus, quod nimia ciuilitate poteſtatē redderet minorem: dixit, ſed ſecuriorem atque diuturniorem. Innuens malum eſſe cuſtodē diuturnitatis, metum. Præclarè Ennius.

Quem metuunt, oderunt:
Quem quiſq; odit, periſſe expetit.

Civium ergo beneuolentia atque gratia conciliata: nihil quicquam ciuibus ipſis inconſultis vnquam princeps ſtatuet. Qua in re præſto eſſe debet Antoninus Pius, qui nec bellicis nec ciuilibus in negotijs aliquid agebat, quin ipſum grauibus prius cum viris omnino communicaret: dicens, æquius eſt vt ego tot taliumq; amicorum conſilium ſequar, quam vt tot tales amici meam vnius ſequantur voluntatem. Id quod in omni vita maximè ſeruauit Rex Cypri Euagoras (ſi autori credimus Herodoto) multum in hoc abhorrens à Xerxis temeritate, qui procerum atq; magnatum conuentu pro fuco abutebatur. Græciæ enim bellum indicturus, vniuerſis Aſiæ conuocatis principibus ad hunc modum verba fecit. Ego vos hoc in loco coactos eſſe volui, ne; meo tantùm iudicio bellum hoc ſuſcepiſſe viderer. Verùm enim verò mementote: acquieſcendum mihi magis quam omnino quicquam ſuadendum eſſe. Quo tam immani ac barbaro principis facto nihil magis poteſt eſſe Tyrannicum: Quis enim ſerat, illuſtrem fama virum, Regi reipublicæque ſuæ ſana omnia & honeſta cupientem, turpem in ſententiam coactum pertrahi, per imperatorem ſuum neceſsitate prius parendi impoſita: vt prorſus non ſit diſcedere tutum, vel diſſentire iam fas?

Iure igitur Tyranni inuiſam lucem trahentes, in ſummo terrore verſantur: amicis quippe carent, & inimicis abundant. Nemoque eſt adeo excors, quin occaſionem, facultatemque nactus, trucem perimat belluam. Quocirca Thales ille Mileſius prudenter reſpondiſſe dicitur. Nam cum ex eo quidam ſciſcitaretur, quid in omni vita cēſeret repertu difficillimum; dixiſſe fertur: Senem Tyrannum. neque id ſane iniuria. Nouerat enim vir ſapiens, nihil tam eſſe odio expoſitum, quam Tyrannorum vitam: fierique idcirco non poſſe, vt quem omnes perditum & extinctum vellent: vitæ munere diutius frueretur. Male ſiquidem incolumitas ſeruatur, quoties odioſè viuitur. Nec tam eſt conductitio ſatellitio, potentiæ, vel viribus, quam ciuium amori fidere tutum. Hæc quippe & corrumpuntur interdum: & in loco ſæpe fallunt. Solus vi ſua, qui continet omnia, ſtabilis perſiſtit amor. Quem à boni cuſtodia principis non magis diuellere poſſis, quam irradiante Phœbo, à corpore vmbram. Quo de vita ſublato, quid tam eſt humanis in rebus robuſtum ac firmum, cui periculum non ſit etiam ab inualido? Vnde in Maximini imperatoris ſæuitiam ſanguinolentam, barbaramque immanitatem (qui portentoſis corporis viribus, quibus præditus à natura fuit, cum multa nefariè deſignaret, ſpeciem tamen hominis nihil timentis præ ſe ferre videbatur) non inſcitè verſiculi illi iactati ſunt.

Elephas quidem grandis eſt, & occiditur.
Leo fortis eſt, & tamen occiditur.
Tigris acerrimus eſt, & occiditur:
Et qui ab vno non poteſt occidi, à multis occiditur.
Caue multos, ſi ſingulos non times.

Quibus profectò carminibus improbo principi ſignificare voluit hominū vulgus, nihil prorſus multorum odijs eſſe inexpugnabile. Id ꝙ morte ipſa (quæ breui illū cōſecuta eſt) declarari ſatis poteſt: militari nanq; cū Diadumeno filio proditione perijt. Quo temporis articulo ab vniuerſis militibus conclamatum eſt. Ex peſsimo genere, ne catulum quidem relinquendum eſſe. Quod quidem factum Thaletis ſapientis ſententiam,

veriſsimam aſſe arguit: cęterorumq; ſapientum confirmat elogiū, quibus ſemper perſuaſum fuit: Tyrannos omnes quam rariſsimè ſeneſcere.

SED CVM tyrannorū vita omnis, & breuis & miſera ſit: multi tamen deprauati animi dementia agitati, & ambitione corrupti, tyrannidem ipſam auidiſsimè ſectantur: cuius vt effici queant compotes, diuina & humana iura ſæpe peruertunt: expetitæ potentiæ dūtaxat inhiantes. Caius enim Iulius, qui Romanum populum annuis Conſulibus regi ſolitum, imperio primus coercuit, Græcos de Phæniſsis Euripidis verſus habuiſſe dicitur in ore crebrò: quæ carmina ad hūc habēt modum.

Nam ſi violandum eſt ius, regnandi gratia
Violandum eſt: alijs rebus pietatem colas.

Qui profectò verſus peſtilentiſsimi ſunt. Veri enim legitimiq; imperij firmamētū iuſtitiam, prorſus labefactant, nihilq; aliud pręſe ferūt, quam Tyrannidem meram & regni ardentiſsimam ſitim. Quæ vbi eiuſmodi ardore ad poteſtatis ſummæ faſtigium euecta eſt, flammæ inſtar perurit omnia, latè fædat, ac miſerabiliter vaſtat, turpiq; tandem caſu proſternit. Hac regnandi cupiditate incenſa Neronis mater Agrippina, de filij imperio Chaldęos fertur cōſuluiſſe: cū autē genethliaci promptè reſponderent: filiū quidem imperaturū, ſed matrem occiſurū eſſe: parū territa Agrippina, occidat (inquit) modo imperet. Et quidem ita factum eſt: filij ſiquidem rerū potiti iuſſu mater ipſa perempta eſt. Simili regnādi intemperie Dionyſius inſtimulatus, cum Tyrannidis initio coniuratorum ciuiū obſidione eius ipſius aula vndiq; cingeretur amicis hortantibus vt imperium deponeret: ni mallet turpibus catenis reuinctus indignis modis contrucidari: conſpecto non procul boue, qui certo carnificis ictu ſubitò exanimatus cōciderat, An nō turpe erit (inquit) formidine mortis (quæ adeo breuis eſt) imperiū tantum amittere? non multum abhorrens à Thebani Polynicis ſententia, cuius illud eſt dictum.

Imperia pretio quolibet conſtat benè.

Quicunq; igitur ita animo affecti ſunt, vt rerū omniū perturbatione ſumma, proprio etiā ſanguine atq; cruore, bene emi principatū exiſtiment, pro Tyrannis habendi ſunt. Nihil enim oppreſsione legū: fraude vel ſcelere partum, eſſe poteſt honeſtū. Quæ ſi vna honeſtatis virtus regno abeſt: non magis imperij ratio conſtare poteſt: quàm in male tentis fidibus concentus ſuauitas, legitimumq; melos. Honeſtatis quippe & probitatis, virtutumq; omnium opinio diuturnū præſtat imperium: flagitiorum autem diſſoluta licentia ampliſsimam quamq; ditionē & conſtituit fragilem, & labilem prorſus atq; caducā efficit. Vera nanq; Agamēnonis illa ſentētia eſt.

Violenta nemo imperia continuit diu:
moderata durant.

Porrò quibus tragicum illud cordi eſt,

Oderint, dum metuant.

His nulli magis ſoliciti, perturbatique viuunt. Sēper enim acerbū aliquid illorū impēdet animo, quod mentē ipſam anxiè perurit: vt ne liberè quidē liceat reſpirare. Etenim qui

. . . *Metui cupiunt,*
Metuiq; timent, non nox illis
Alma receſſus præbet tutos:
Non curarum ſomnus domitor
Pectora ſoluit.

Quod in omni Tyrannorū vita veriſsimū eſſe, liquidò perſpici poteſt. Ecquo enim timoris cruciatu Superiorē illū Siciliæ Tyrānū Dionyſiū ſolitū angi credere par eſt: qui cultros metuēs tonſorios, candenti carbone ſibi adurebat capillū? Quid? Alexandrū Phæreū quanta formidinis cura affectum vixiſſe putandū eſt? Qui Thebem etiā vxorē, quam maximè deperibat, maximè habebat ſuſpectam. Ad eam nanque (vt autor eſt M. Cicero) ex epulis in cubiculū veniens, barbarū, & eū quidem compunctū notis Threicijs diſtricto gladio iubebat anteire. Præmittebatque de ſtipatoribus ſuis qui mundos præſcrutarētur muliebres, & ne quod in veſtimētis telū occultaretur exquirerēt. Sed nihil induſtria promouēs, ab ea tandē Tyrānus occiſus eſt. Taceo Tyrannū Ponti Clearchū, qui & ipſe metuens extrema omnia, vixq; ſibi fidēs, incluſus arculę, ſerpentis in morē dormire coactus eſt. Nam de Ariſtodemo Argiuo dicere quid attinet? quē editiori in loco poſitū habitaſſe cōſtat cœnaculū, cui lectica impoſita noctes cum amica ſolebat tranſigere, puellę interim matre ſcalas detrahēte, ſummoque mane rurſus apponente. Quis igitur non intelligat, hunc ſummè refugiſſe palatia, curiā & publicos ludos, qui è cubiculo ſibi carcerē effecerit? Itaq; qui vere Reges ſunr (vt doctè ſentit Plutarchus) timent his, in quos habent imperiū: contra Tyranni eos ipſos metuunt, quos imperij ſæuitia coercēt: proinde metum augenr, aucta potentia. Male enim viuendo, quò pluribus imperant: hoc & plures formidant ſolicitius, & pauent anxius. Nam crudelia ſæuaque imperia; acerba magis quam diuturna ſunt. Neque enim naturā

patitur, vt qui ſe ab omnibus metuendum velit: non in eum item multorum contra formido recidat. Inde fit, vt Tyrannorum vita omnis æterno vſq; quaq; ſit bello & ancipiti ſubiecta. Sic ab eo tandẽ (quẽ miſeri cũcris inijciunt) oppreſsi timore concidunt: ſibique corruũt ipſi, dum quos cæco animi imperio coercent, non tam ſaluos quam cupiũt euerſos. Adeo præter fas, iuſtumque timeri, pernicioſum eſt & amarum viro principi!

SIC IGITVR habendũ eſt, male vim ſuam aliorum contumelijs poteſtatem experiri: nec metu vnquam comparari venerationẽ. Ad obtinẽdũq; quod velis, quã timorẽ, lõgè magis amorem eſſe efficacem. Nulla enim armatura melius armatur princeps, quam animi virtute, & populi charitate: quæ & ipſa ab illa naſcitur. Quod in oratione ad Traianum imperatorẽ optimè ſenſit Plinius. Diſcimus (inquit) experimento fidiſsimam eſſe cuſtodiam principis, ipſius innocentiam: hæc arx inacceſſa: hoc inexpugnabile munimentũ, munimento nõ egere. Fruſtra ſe terrore ſuccinxerit, qui ſeptus charitate non fuerit: armis enim arma irritãtur. Benè ergò egregius poeta Claudianus Honorium Auguſtum admonebat, vt per clementiam & manſuetudinem, omnium ſibi beneuolentiam conciliaret: & à metu haud ſecus ac re plurimum noxia ſibi caueret ſemper. Sic enim ait,

Sis pius in primis: Nam cum vincamur in omni
Munere: ſola Deos æquat Clementia nobis.
Neu dubiè ſuſpectus agas, neu falſus amicis,
Rumorum ve auidus qui talia curat, inanes
Horrebit ſtrepitus, nulla non anxius hora.
NON *ſic excubiæ, nec circunſtantia pila*
Quam tutatur Amor. Non extorquebis amari,
Hoc alterna fides, hoc ſimplex gratia donat.
Non ne vides operum, qui ſe pulcherrimus ipſe
Mundus Amore ligat? nec ve connexa per æuum
Conſpirant elementa ſibi? qui limite Phœbus
Contentus medio, contentus littore Pontus,
Et qui perpetuo terras ambitq; vehitq;
Nec premat incumbens oneri, nec ceſſerit aer.
QVI TERRET, *plus ipſe timet: ſors iſta Tyrannis*
Conuenit, inuideant claris, forteſq; trucident,
Muniti gladijs viuant, ſeptiq; venenis:
Ancipites habeant arces, trepidiq; minentur.
Tu ciuem, patremq; geras: Tu conſule cunctis:
Nec tibi, nec tua te moueant, ſed publica vota.

Eſt ne credibile ſic affectum principem à ſuis non redamari? Certè non minus penes hunc ſuorum ciuium ſemper vigebit amor, quam in Tyrannum odium: quem propter ſcelera omnes cupiunt extinctum, aut inuaſione ipſi curant interimendum. Quemadmodum de Phalari crudeli Tyranno accepimus: qui ob immanem imperij ſæuitiam Agrigẽtinorum omnium in ſe concitato impetu crudeliter perijt.

SED VT IAM Hi, qui timeri ſe ſe quã omnino amari malunt, morte eiuſmodi vacent (quam nemo ferè vnquam effugit) operæ pretium eſt tamen cognoſcere, quàm ſit illorum vita omnis anxia: quàm inſuauis, acerba atque omnino miſera. Idque Tyrannico teſtimonio, ne aliena fides vocetur in dubiũ. Syracuſarum Tyrannus Dionyſius (vti Tuſculanarũ quinto author eſt M. Cicero) cum ab aſſentatore Damocla, propter copias, opes maieſtatem dominatus, rerum abundantiam magnificentiam ædium regiarum, fœlix & beatus crebro ſermone vocaretur: hic Tyrannus, vis ne (inquit) ô Damocle, quoniã hæc te vita delectat: ipſe eandem deguſtare, & fortunam experiri meam? Cum ſe ille cupere dixiſſet: collocari hominẽ iuſsit in aureo lecto ſtrato pulcherrimo, textili ſtragulo, magnificis operibus picto: abacoſque quam plurimos ornauit argento, auroque cælato: tum ad menſam egregia forma delectus pueros iuſsit conſiſtere: eoſque ad nutum illius intuentes diligenter miniſtrare. Aderãt vnguẽta, coronæ: incẽdebantur odores: menſæ conquiſitiſsimis epulis extruebantur. Fortunatus ſibi Damocles videbatur. In hoc medio apparatu fulgentem gladium è lacunari ſeta equina appenſum demitti iuſsit: vt impenderet illius beati ceruicibus. Itaque nec pulchros illos adminiſtratores aſpiciebat, nec plenum artis argentum: nec manum porrigebat in menſam. Iam ipſæ defluebant coronæ: denique exorauit Tyrannum, vt abire liceret: quod iam beatus nollet eſſe. Hactenus cum Damocla apud Ciceronẽ Dionyſius. Ex quibus, quantis ſolicitudinibus ſcateat Tyrannorum vita ſentire procliue eſt: & cognoſceſe promptum. Simul & illud perſpicitur: nil neque fœlix dici, neque haberi rectè beatum poſſe, cui aliquis terror impendeat. Sic etenim affectis hominibus (quod ſolidè atque verè mentem oblectet) voluptati vel gaudio nihil eſſe poteſt. Quod egregiè Horatius ſenſit in Odis, cum ait,

Diſtrictus enſis cui ſuper impia
Ceruice pendet, non Syculæ dapes
Dulcem elaborarunt ſaporem:
Non auium, citharæq; cantus
Somnum reducent.

Miſerrima igitur Tyrannorum vita iure putanda eſt, vt pote quæ multis circumplica-

ta terroribus, nullo ſolido gaudio pectoris, nullo ſuauitatis lenocinio, nullis blandæ voluptatis illecebris vnquam queat ſatis hilareſcere: ſed moroſa ac ſibi ſuſpecta ſemper, mēte veluti præſaga mali aliquid metuat impendens, quod mentem ipſam aſsiduè perurat, conturbet atque deuaſtet: nunquamque ſinat tranquillitate aliqua iucunda quieſcere. Nam quis inſidias, inimicitias, odium, & multorum hominum in ſui exitium, animo perſpiciens alacritatem: aut leni poſsit ocio frui, aut tranquillo & placido animo iocari: aut ſe ſe liberè honeſtis voluptatibus, iucunditatiq; dedere? Quæ vt iam ceſſent omnia (quod fieri certè non poteſt) tamen vt Iuuenalis ait,

. . . *Diri conſcia facti*
mens habet attonitos, & ſurdo verbere cædit
Occultum quatiente animo tortore flagellum.

Vt enim Oreſtem, Alcmæonem, & Athamanta flagitijs nobiles parricidas, ſurore bacchantes nobis Tragici produnt: ſic improbiſſimum quemque ſuorum conſcientia ſcelerum ſanitate mentis ſpoliat, & mœrore quodam triſtiſsimo complet. Quod in oratione contra Lucium Piſonem præclarè oſtendit M. Cicero, Deorum Immortalium dicens in ſceleratos & impios homines, furorem & inſaniam certiſsimas pœnas conſtitutas eſſe: addens & illud, nolite enim putare. P. C. vt in ſcœna videtis, homines conſceleratos impulſu Deorum terreri Furiarum tędis ardētibus. Sua quemque fraus, ſuum facinus, ſuum ſcelus, ſua audacia, de ſanitate ac mente deturbat. Hæ ſunt impiorum furiæ hæ flammæ, hę faces. Sed nimirum iuſto dolore inſtimulati non ſic mortales odia gerunt: vt improbum & crudelem Tyrannum ſolo ſinant mentis angore puniri, & flagitiorum dira conſcientia exagitari. Quamquam enim eiuſmodi pœna ſatis vehemens acerbaque ſit: attamen nimiū lenta, mitiſque ſæpe videtur iniuria preſsis, & reipublicæ vaſtationem, ſuarumq; rerum iacturam conſiderantibus. Rabie ideo atque furore perciti in eoſdem tandem inſiliunt: inuiſumque Tyranni caput turpiſsimæ morti dedunt. Neque in eiuſmodi hominum genus ſæuiunt ſolum, ſed in eos etiam inſurgūt qui Tyrannis ipſis chari, aut iucundi fuerūt. Dionyſij enim filios omnijugi contumeliarum genere excarnificatos, ad extremum tandem igni datis corporibus, in mare cineres legimus fuiſſe ſparſos. Cuius etiam Tyranni vxorem fœdiſsimè accepimus conſtupratam eſſe. Apud Agrigentinos Phalaridis Tyrannide, ſeruituteque miſera liberatos interdictis cautum comperimus: Ne cui cęrulei coloris veſtem geſtare liceret: in Tyranni ipſius odium, cuius ſatellites & cuſtodes corporis concoloribus ſubligaculis plurimum fuiſſe vſos, delectatoſque perſpexerant. Lyſandrū quoque Lacedæmonium Plutarchus ſcribit miſſas ſibi à Dionyſio ad filias pretioſsimas veſtes, omnino recuſauiſſe: dicebat enim vereri ſe ſe ne eiſdem filiæ ſuæ exornatæ, deformes viderentur. Scilicet, adeo quæcunque à Tyrannis fiunt inauſpicata, infauſta, funeſtaque habentur: vt dona etiam inuiſa credantur, quæ eſſe accipientibus ſolent, alioqui gratiſsima

Ex qvo, quanto hominum odio Tyranni obnoxij ſint, perſpicuum & clarū eſt. Vnde, cum in ſumma anxietate atque formidine conſtituti: perpetuaque etiam bonorū in ſimultate poſiti, aſsidue macerentur, affliganturque animo: miſeri & infœlices exiſtimandi haud iniuria ſunt: contrà boni principes cū in amore ſingulari ſuorum, & populi charitate ſumma, mortaliumque omnium mirifica quadam beneuolentia verſentur, neminemque habeant vitæ ſuæ inſidiantem, ſed mirandæ charitatis arctiſsimo vinculo, & laudabiliſſimo fœdere mutui amoris cōſtrictos omnes atque deuinctos, fœlices atque beati prorſus habendi ſunt. Nam quis neſciat, quàm ſit erga bonum principem voluntas noſtra propenſa, populi fauor promptus, atque omniū ſtudia animi peruia? Bactrorum Regem Menandrum, frugi, manſuetūque hominem, in expeditione mortuum, cunctæ ciuitates regni miſerabiliter luxerunt. Iuſtis atque interijs de more ſuperbiſsimè actis. Ortum ob Amorem de reliquijs certamē eſt, quibus potiſsimum commendarentur. Anceps diu, periculoſaque tandem concertatio fuit, donec conſenſione omnium illud conuenit: vt æquè inter ſe defuncti partiti reliquias, iuſtam quiſque æqualemque partem in patriam ſuam referret. Quę ſuis quæque locis per orbem diſtributæ, regalibus fuere ſitæ conditorijs. Ita optimus princeps ad memoriam nominis ſempiternam, beneque adminiſtrati imperij famam: quē ſumma cum laude pacatè rexerat, orbem habuit pro ſarcophago, ſepulturam, niſi fallor, multo illa laudatiorem, quam Cariæ regina Arthomiſia viro erexit Mauſolo. Etenim Mauſoleū illud Halicarnaſsi erectum, totoque orbe viſendum, temporis longinquitas attriuit, ſenſim exedit, conſumpſit, carpſitque vetuſtas: defuncti autem Menandri, virtutis probitatiſque memoriam, ipſis cum cineribus omnes apud gentes ſparſam, nulla imminuere dies, nullus æui longiſsimi tractus obliterare, abo-

lere vel obſcurare potuit: quin potius probatiſsimi regis vita laudatiſsimè acta, vetuſtate eniteſcit, hominumque vſque quaque effloreſcit commemoratione iucunda. Quę profectò res ſatis arguit, quanta ſit amoris vis in benemeritum principem. Perſæ quin etiam ad hunc vſque diē adunco homines naſo & pulcherrimos exiſtimare & amare feruntur, in honorē Cyri, qui cum apud illam nationē Regū omnium habitus ſit maximè popularis, eiuſmodi fuiſſe naribus dicitur. Romani prætereà Auguſti Germanici morte, qui Amoris promerendi, conciliandæque hominum gratiæ efficaciſsimum habuit ſtudium, abundè declararunt, quàm boni principis mors amara ſubditis ſit, & probis etiam grauis, acerba atq; adeo luctuoſa. Tam enim charus ſuis, dum vita manſit, dicitur fuiſſe: vt quum Romam reuerteretur, præ nimia officiorum turba non ſemel adierit vitæ diſcrimen: multitudine ciuiū omnis & ætatis & ſexus ad vigeſimum vſque lapidem obuiam prodeunte. Cuius intellecto obitu, lapidibus Romæ obruta templa, Deorumque aræ ſubuerſæ feruntur. Domeſtici etiam à quibuſdam, proprijque Lares abiecti. Sic præſentis magnitudo doloris, furoris rabie tanta illorum pectora adegit: vt quem inuidiſſe terris Cæſarem videbantur (non iam victimarum nidore aliquo) non propitiantis grata aliqua oblatione ſacrificij: non precum effuſione piarum, ſed vi atque armis à Dijs ipſis (quorum ſanctis puluinaribus ac delubris, vt perſuaſio vana ferebat) exitiale bellum intulerant, repoſcere conarentur. Quid? quod barbarorum Regum, qui Romanum nomen alioqui infenſè oderant ſub tonſore aiunt cecidiſſe barbam; & capita raſitaſſe vxorum (quod apud illos ſummi eſt mœroris atque luctus indicium) Abſtinuit & conuictu atque venatu Parthorū Rex (ſi vera tradit Sabellicus) quod in ea gente fuit inſtar Iuſtitij. Quæ omnia exēpla eò nempe redeunt, vt intelligamus, nihil tam eſſe tutum atque vtile principi quam ab omnibus amari: nihil contrà æque exitioſum & inutile, quam timeri.

Qvo avtem pacto & Amor ciuiū, & ſubditorum beneuolentia parari poſsit, in expedito prorſus ratio conſtabit, ſi Reges ab his rebus cauendum eſſe putauerint: quæ in ipſis Tyrannis maliſque principibus culpari, reprehendique ſolent. Tyranni enim & Regis diſſimili perſona perſpecta, quid odium faciat, quid contrà gignat Amorem: eſſe nequibit obſcurum. Et quando non horum tātum diſcrimen ob oculos poſuimus, ſed de omni etiā virtutum genere, quæ in Reges cenſentur pręcipuæ, affatim (niſi fallor) ſupra diſſeruimus: in earum laudatiſsimo ſtudio, bono principi indeſeſſo erit aſsiduè animo elaborandum. Sapientia enim virtutiſque notitia Reges ipſos magnos facit, & reuerendos. Nam qui nulla legum atque honeſtatis ratione ſubducta prauis indulgent affectibus (ſi verum eſt Socraticum elogium) etiam ſi in regno maximo atque Imperio locati ſint, turpiſsimè tamen ſeruire putantur. Hoc nimirū illud eſt, quod doctis carminib' Claudianus præcipiebat Honorio, ſuadens illud etiam, vel ob hoc omnium optime principi viuendum eſſe quod nullum vel dictum vel factum in Imperio aut diu celari, aut haberi poſsit obſcurum. Sic enim ait,

Tu licet extremos late dominere per Indos,
Te Medus, te mollis Arabs, te Seres adorent:
Si metuis, ſi praua cupis, ſi duceris ira,
Seruitij patiere iugum. Tolerabis iniquas
Interius leges. Tunc omnia Iure tenebis
Cum poteris Rex eſſe tui: procliuior vſus
In peiora datur: ſuadetq; licentia luxum,
Illecebris effræna fouet: tunc viuere caſtè
Aſperius, cum prompta Venus: tunc durius iræ
Conſulimus, cum pœna patet: ſed comprime motus,
Nec tibi quid liceat, ſed quid feciſſe decebit
Occurrat: mentemq; domet reſpectus honeſti.
Hoc te prætereà crebro ſermone monebo,
Vt te totius medio Telluris in Orbe
Viuere cognoſcas: cunctis tua gentibus eſſe
Facta palam. Nec poſſe dari regalibus vſquam
Secretum vitijs. Nam lux altiſsima Fati
Occultum nil eſſe ſinit latebraſq; per omnes
Intrat, & obtruſos implorat fama receſſus.

Possent haec tam egregia vatis carmina huic de imperio quæſtioni haud malè finē imponere: ni & duo adhuc reſtare viderentur quæ hac ipſa in re primas tenere putātur: quod omnium maximè Imperia cuncta ſtabiliant atque confirment. Hæc ſunt animi ſapientia, & erga Deum Religio: quarum altera Summi Præpotentiſque Dei propitiato ritè Numine, atque ideo mentis lumine colluſtrati, protectione diuini fauoris ad aggrediēdas conficiēdaſque fœliciter res ſanèquam ſtrenuè communimur: altera charitate hominum arctè animo conſtringimur, admiratione que omnium ſumma, quaſi opportune aliqua adhibita ope, ipſa in actione iuuamur. Quibus qui præditi eſſe credūtur, hi pręter cęteros & beatè viuūt, & regnāt fœliciſsimè. Quod is intelliget facilè, qui quantas clades, atque miſerias, cùm inſipientia & Impietas priuatorum, tum verò multo magis principum, mortalium rebus inuexerit: cogitare volet. Etenim ſi patris familas inſcitia domeſticos quandoque lares cum omni fa-

ni familia ſubruit. Si ciuis vnius impietas ciuitatem totam ſæpe corrumpit & vaſtat, quis non videat, quãtum ſit mali allatura vita principis, qui ſtultus & impius eſt: quique religionis atque Sapientiæ, nullo neque ſtudio ducitur, neque amore tangitur? Quod ſi verum eſt celebre illud Platonis elogiũ, quales in republica principes, tales ſolere reliquos eſſe ciues: actum profecto fuerit de ciuium cũctorum ſalute: dequo omni reliqua vitæ tradita diſciplina. Mirum eſt enim, quàm & ſerpant latè, & contagioſa ſint, quæ à principibus factitantur! quàm pernicioſo affrictu noceât reliquis liberius, vbi ſemel ſunt vagari & excurrere cœpta! Vnde non ſine cauſa præ cæteris mortalibus exemplo principes peccare credũtur. SAPIENTIAE igitur Religioniſque præſidio principis eſt vita firmanda, ac veluti communiẽda. Nihil eſt enim quod lumine clarior re præſulgeat, quam recta fides in principe. Nihil eſt, quod ita nequeat occaſui ſubiacere quam vera Religio. Tum etiam qui legum tutelæ præficiuntur Magiſtratus, virtute omni animi anteire cæteris debent. Publici enim cõſilij domicilium curia eſt, & quaſi religioſum quoddam phanum ſanctitati morum publicè conſecratum, in quod admitti infami aliqua vitæ labe conſperſum, ſit profecto iniurium, atque valde criminoſum. Eſt itaque de Senatorio conſularique ordine preclara illa Romanorum vetus Lex quæ ait,

Is ordo vitio careto: Cæteris ſpecimen eſto.

Nam cum huius dignitatis tanta eſſet authoritas, vt ei Magiſtratus cæteros (excepto Tribuno qui creatus poſtea eſt, ne tanta in poteſtate tyrannicum quidpiam exiſteret, dicto eſſe oporteret audientes: voluerunt ſapiẽtiſsimi viri, qui tunc rempublicam gerebant, vt qui ob ſummum potentatum, ciuitatis locum principem obtinerent, tam eſſent ab omni vel facto vel dicto turpi longè ac latè diſiũcti, vt eos cæteri tanquam exemplar aliquod virtutis intuerentur: vnde vitam liceret excolere atque animi mores effingere. Pro comperto habentes, quàm illa exitioſa eſſe ſoleant, quæ à capite proficiſcuntur. Ac profecto legis huius eximium fructum altè animo conſideranti, ſapientiſsime vidiſſe Romani videri poterunt: qui nobis rectè viuendi diſciplinã, prudenti lege ſanxerint. Nam quemadmodũ cupiditatibus ac vitijs principum tota ſolet oppleri atque infici ciuitas: ſic corrigi & emendari continentia. Id quod egregiè. M. Cicero vt alia item multa. 3. de legibus lib. ſub his verbis nobis expreſsit. Vir magnus & nobis amicus. L. Lucullus efferebatur quaſi commode reſpondiſſet, cum eſſet obiecta magnificentia villæ Tuſculanæ: duos ſe habere vicinos, ſuperiorem, equitem Romanum, Inferiorem, Libertinum: quorum cum eſſent magnificæ villæ, concedi ſibi oportere, quod his, qui tenuioris ordinis eſſent, liceret. Nonne vides Luculle à te id ipſum natum, vt illi cuperent? quibus id, ſi tu non faceres, non liceret? Quis enim ferret iſtos, cũ videret eorum villas ſignis, & tabulis refertas partim publicis, partim etiam ſacris & religioſis? Quis non frangeret eorum libidines, niſi illi ipſi, qui eas frangere deberent, cupiditatis eiuſdem tenerẽtur. Nec enim tantum mali eſt peccare principes (quã quam eſt hoc magnum per ſe ipſum malum) quantum illud, quod permulti imitatores principum exiſtunt. Nam licet videre, ſi velis replicare memoriam temporum, qualeſcunque ſummi ciuitatis viri fuerunt, talem ciuitatem fuiſſe: quæcunque mutatio morum in principibus extiterit, eandem in populo ſecutam. Idque haud paulo eſt verius, quã quod Platoni noſtro placet, qui muſicorum ait cantibus mutatis, mutari ciuitatum ſtatus. Ego autem nobilium vita, victuque mutato, mores mutari ciuitatum puto. Quo pernicioſius de republica merẽtur vitioſi principes, quod non ſolum vitia concipiunt ipſi, ſed ea infundũt in ciuitatem: Neque ſolum obſunt, quod ipſi corrumpuntur, ſed etiam quod corrumpunt: pluſque exemplo, quã peccato nocent. Hactenus Cicero. Quæ profecto verba ſatis arguũt, quãtopere viri principes ab omni peruerſitate morum abhorrere vſquequaque debeant. Cum nullum ſit ad cladem ac ſummam ciuium internecionem virus præſentius ac magis tabificum: nihil tam vaſtatoriũ ac deſtruens, quam vitioſi atque improbi vita principis. Non igitur iniuria. L. Sulpitium conſulari familia, ſummoque ingenio virum propter exiguam notam libidinoſæ ſuſpicionis temotum è Senatu, multoſque dies habitum in vinculis fuiſſe accepimus: ac tandẽ dignitatis loco pulſum, & exiſtimationis ſama mulctatũ, obiurgatione graui ita fuiſſe dimiſſum. PRAEFECTVM REIPVBLICAE nulla morum labe contaminari ac pollui debere: Romana id publice ad diſciplinam morum cenſente grauitate. Quæ cum ita ſint, ac rectè viuendi magiſtram Sapientiam eſſe conſtet (hæc enim benefactorum atque dictorũ & parens & altrix vera eſt) Sapientia princeps communiri debet, qui bene atque fœliciter regnare volet. Ea porrò nihil eſt aliud, quam diuinarum atque humanarum rerum ſcientia: quæ vbi fuerit à rege perſpecta & cognita,

actu-

aſtutus? nille quidem imperandi ac regendi peritia egregiè erit inſtructus & cumulatus. Nihil quippe appetere pœnitẽdum, aut, ſcilicet turpe poteſt: qui Sapientiæ eſt lumine collustratus. Ita enim affectiones noxias Sapientia coercet, atque animi arbitria cuncta diſponit, vt ab ſtatione ſua mens ipſa ad turpes & inhoneſtas actiones deficere nunquam nequeat: aut pacto aliquo à rationis præſcripto atque orbita veritatis amplius reſilire. Eritque potius Rex ſapiens (quam vt aliqua morum nota turpi corrumpi, vel infici poſsit) ſic meditatus ad vitam: vt ita regnet, vti imperij rationem exacturo Summo Deo aliquando probetur: atque ea cura diſtitutus, vt illas leges roget: quas neque æui tractus longiſsimi, vel iniqui temporis vis abrogare poſsit. Inique enim latas non modo longa exedit ac carpit dies: ſed & breuis ſæpe hora ſubuertit ac diruit. Quæ verò ex rationis ſummæ hauſtæ Archetypo, ad malorum hominum ſupplicia, bonorum laudem, & virtutis premia ſciſcuntur: hæ vetuſtate ipſa illuſtrius ſplendeſcunt, nobiliores etiam, magiſque ratæ, & auguſtiores multo eſſe creduntur: tantum abeſt, vt ſemel latæ intereant breui: ad exiguumque tempus durent. Neque enim lex illa aboleri poteſt, quæ ex norma naturæ ducta, laudabilem illam virtutum atque vitiorum diſtinctionem naturali iure mortalibus cunctis præſcriptam, ſummè homini præcipit eſſe ſeruandam: premijs ad virtutem cohortans, & à vitijs pœnis auocans. Cuiuſmodi erunt omnes, quæ à prudenti Rege feruntur. Nã, quæ rectè lex ſic & poteſt, & debet appellari (vt & Cicero ipſe ſentit) Iuſtorum iniuſtorumque doctrina ſit oportet, ad illam antiquiſsimam, & rerum omnium principem expreſſa naturam: ad quam leges hominum diriguntur, quæ ſupplicio improbos afficiunt: defendunt & tuentur bonos. Huc enim cùm cæterorum principum, tum verò illorum multo magis, qui hoc nomine verè cenſeri, ſeque & ſapientes & Iuſtos haberi volent, ſcita ſpectare debent. Ad hoc etiam omnium aliarum gentium, quæ rectè moratæ & ſapienter inſtitutæ cupiunt exiſtimari: & iuſſa & vetita cuncta conuenit referri. Vt omnes, qua erunt cunque orbis in parte, poſiti, intelligant, in ipſo nomine legis ſanciendo ineſſe vim Iuſti ac Iuris colendi. Quæ vis in eo apparet maximè, cùm ad rectè facta vocantur homines: & à vitijs auocantur: premij meriti ſpe, & Iuſti ſupplicij timore. Ex quo illud intelligi debet, vim omnem optimæ legis in flagitiorum emendatione: commendationeque virtutum oportere ſitam eſſe.

SED PROFECTO ita ſe res habet, vt quoniam vitiorum emendatricem legem eſſe oportet: commendatricemque virtutum, ab ea viuẽdi doctrina ducatur. Ita fit, vt quẽadmodum eleganter primo de legibus docet M. Cicero, vt mater omniũ bonarum artiũ Sapientia ſit, à cuius amore græco verbo philoſophia nomen inuenit: qua nihil à Dijs Immortalibus vberius, nihil florentius, nihil præſtabilius hominum vitæ datum eſt. Hæc enim (inquit) vna nos cum cæteras res omnes, tum quod eſt difficillimum, docuit vt nos metipſos noſceremus. Cuius præcepti tanta vis, tanta ſententia eſt, vt ea non homini cuipiam, ſed Delphico Deo tribueretur. Nam qui ſe ipſe norit, primùm aliquid ſentiet ſe habere diuinum: ingeniumque in ſe ſuum, ſicut ſimulacrum aliquod dedicatum putabit: tantoque munere Deorũ ſemper dignum aliquid & faciet & ſentiet. Et cùm ſe ipſe perſpexerit, totumque tentarit, intelliget quemadmodum à natura ſubornatus in vitam venerit: quantaque inſtrumẽta habeat ad obtinendam, adipiſcendamque ſapientiam: quoniam principio rerum omnium quaſi adumbratas intelligẽtias animo ac mente conceperit; quibus illuſtratus ſapientia duce bonũ, & ob eam ipſam cauſam cernat ſe beatũ fore. Nam cũ animus, cognitis perceptiſque virtutibus à corporis obſequio, indulgentiaque diſceſſerit, voluptatemque ſicut labem aliquam dedecoris oppreſſerit, omnemque mortis doloriſque timorem effugerit, ſocietatemque carnis eiecerit, tum ſuis, omnibuſque natura coniunctos ſuos duxerit: cultúque Deorum, & puram Religionem ſuſceperit, & exacuerit illam, vt oculorum, ſic ingenij aciem ad bona diligenda & reijcienda contraria, quæ virtus ex prouidendo eſt appellata prudentia: quid eo dici, aut excogitari poterit beatius? Idemq; cũ cælũ, terras, maria, omniumque rerum naturam perſpexerit: eaque vnde generata, quo recurrãt, quãdo, quomodo obitura: quid in ijs mortale & caducũ, quid diuinũ æternumq; ſit, viderit, ipſumq; ea moderantem & regentem pene prehenderit, ſeſeque non vnius circumdatum mœnibus popularem alicuius diffiniti loci, ſed ciuem totius mundi, quaſi vnius vrbis, agnouerit: in hac ille magnificentia rerum, atque in hoc conſpectu & cognitione naturæ, Dij immortales, quàm ipſe ſe noſcet, quod Apollo præcepit Pythius! quàm contemnet, quàm

deſpi

deſpiciet, quam pro nihilo putabit ea, quæ vulgo ducuntur ampliſsima! Atque hæc omnia, quaſi ſepimento aliquo, vallabit diſſerendi ratione: veri & falſi iudicio, ſcientia, & arte quadam intelligendi quid quamque rem ſequatur, & quid ſit cuique contrariũ. Cumque ſe ad ciuilem ſocietatem natum ſenſerit, non ſolum illa ſubtili diſputatione ſibi vtendum putabit, ſed etiam fuſa latius perpetua oratione, qua regat populos, qua ſtabiliat leges, qua caſtiget improbos, qua tueatur bonos, qua laudet claros viros, qua præcepta ſalutis, & laudis aptè ad perſuadendum edat ſuis ciuibus: qua hortari ad decus reuocare à flagitio, conſolari poſsit afflictos, factaque & conſilia fortium & ſapientum virorum cum improborum ignominia ſempiternis monumẽtis prodere. Quæ cum tot res, tantęque ſint, quæ ineſſe in homine perſpiciuntur ab ijs, qui ſe ipſi velint noſcere: earum parens eſt educatrixque Sapientia. Hęc Tullius.

Cvm igitvr tot ac tanta homini Sapiẽtia ſuppeditet, mentemque eius ita attollat ad clari decoris gloriam, vt immortalem ſui partem colluſtrare peruidereque poſsit, ſeq; totum excutere: erit ei omnium maximè principi vacandum, diligentiſsimèque ſeruiendum. Nam cum nulla ſit in terris illuſtris conditione fortunæ, commendationeque honoris, quam principis vita præſtantior: ne vllius quidem, Sapientiæ opinione excellentior omnino debet vita cẽſeri. Imò verò, cùm reliqua virtute omni, tum etiam inſigni hac laude prudentiæ tantum Rex debet cæteris anteire: quantum vitæ dignitate atque ordine anteſtat. Neque enim de nihilo eſt, quod princeps ille ingenij & doctrinę Plato tum denique fore beatas reſpublicas putauit, ſi aut docti & ſapiẽtes homines eas regere cœpiſſent: aut qui regerent, omne ſuum ſtudium in doctrina ac ſapientia collocaſſent. Etenim cùm diuina illa mentis acie huc omnia referenda ab ijs, qui alijs pręſunt eſſe peruidiſſet, vt qui eorum in imperio erunt ſalui beatique ſint: exiſtimauit vir ille prudentiſsimus, hanc Sapientiæ & poteſtatis coniunctionem, ciuitatibus ipſis perutilem futuram. Næ ille & rectè. Nihil enim ab eo honeſtè & laudabiliter vel geri, vel regi poteſt: qui aut Sapientiæ eſt expers, aut politicæ artis ignarus. Et ſi ſtultitia, philoſophorum omnium ſchola ſubſcribente, maius eſt malum, quam ſi ex altera parte ponantur, & fortunæ & corporis, cuncta quæ cenſentur aduerſa: quis illum bene putet imperaturum; qui tot aduerſis, malis atque incommodis & dies & noctes iactetur? Certè negabit Platonis Porticus, cui ſemper viſum eſt Imperij ſceptra niſi ſapienti parũ rectè committi. Philippus Macedo cum ex Olympiade vxore Alexandrum ſibi natum eſſe reſciuit, ſcriptis ad Ariſtotelem ipſum literis teſtatus eſt, non tam ſibi gratum iucũdumque eſſe, quod filium haberet, quam quòd illius naſci temporibus contigiſſet, à quo ad tanti habenas imperij ſapienter poſſet atque optimè erudiri. Quin etiam Alexandrum ipſum adhortatus pater crebro dicitur vt diligenter Ariſtoteli auſcultaret: ne (inquit) ea committas, quæ me ſæpe feciſſe pœnituit. Alexander verò nũquam (quę optauit) in vita geſsiſſet tanta, ni & philoſophi optimi præceptis acquieſcẽs aduerſus omnes fortunæ caſus, quos eſt quandoque ſæuiſsimos expertus, Sapientiæ opibus animũ præmuniſſet, de quo grauiſsim⁹ author Plutarchus ſcribit, multum cæteris ante ſe principibus Sapientia præſtitiſſe: cuius rei eſſe illa indicio poteſt epiſtola, qua præceptorem Ariſtotelem Alexander obiurgat, quia ſecretioris philoſophiæ libros inuulgaſſet. Haud rectè feciſti (inquit) quod auſcultatorios libros edideris: In qua enim re à cæteris nos item præſtabimus: ſi diſciplinæ in quibus eruditi ſumus, omnium omnino ſint communes? Equidem malim in rerum vſu optimarum, quàm in facultatibus anteire. Hactenus Alexander. An eſſe ergo dubium poteſt quanti Sapientiam per omnem vitam æſtimauerit, qui tam acerbè traditam ſibi diſciplinam communicari alijs patitur? Quid? quod tam ardenti ad hæc illum ſtudia animo ſcimus fuiſſe, vt quod à bellicis rebus ſibi daretur temporis, id omne in ſtudijs Sapientiæ collocaret, breuiuſcula duntaxat portione nocturnæ quieti deducta, eaque huic ipſi cupiditati ſæpe poſthabita. Nam quid ego de Iulio loquar Cæſare, cuius res omnes proximè ad Alexandri geſta acceſſerunt? quo in homine hæc ipſa diſciplinarũ & Sapientiæ cupiditas altius aliquanto forſitã præuolaſſe, aut par certe videri poteſt. Scribebat enim vir & ingenij & magni animi noctu egregios illos de Gallicis rebus commentarios: militaribus ſiquidem interdiu occupatus munijs, vſuram ſomni nocte eripiebat ſibi: vt inſigne aliquod (quod illi præclarè contigit) Sapientiæ amatæ nobis relinqueret.

Sed qvid ego exemplis hinc inde legendis diutius immoror, cum perſpicuum ſit nemi-

neminem vnquam virum magnum extitiſſe, quin idem ad ſtudia Sapientiæ animo vehementer exarſerit? Hinc gentes quaſdam & fuiſſe ſcimus, & nonnullas adhuc vigere legimus, vbi ex Scientiæ ſola præſtantia Reges futuri ſumantur. Scribit enim Luſitanus Oſorius memoria noſtra vir grauiſsimus & doctiſsimus, Indiæ gentem Sinas (quæ noſtrorum hominum longinqua nauigatione paucis ab hinc annis patefacta & cognita eſt) vſque adeo eſſe Sapientiæ deditam, & bonarum artium ſtudijs amicam, vt non ibi natalibus atque diuitijs, ſed Sapientiæ duntaxat magnitudini ſumma deferantur imperia. Cuius rei tã exactè apud illã nationẽ rationẽ dicit iniri: vt certos quoſdã Iudices habeant, eiuſmodi cauſis diſcernẽdis idoneos, qui & ipſi ob præiudicatam authoritatem, & rerum multarun ſcientiam literatis præſint certaminibus: victorẽ ipſum reipublicæ clauo, & fœlicis imperij palma è veſtigio inſigniturі. Quorum cenſuræ ita diſciplinarum committitur examen, vt intelligant, pro ſcientiæ & eruditionis gradibus, homines eſſe honoribus inſigniẽdos: quoad vir ille tam longè lateque excellens magnitudine doctrinæ reperiatur, qui ſine controuerſia, eruditorum omnium calculis, reipublicæ poſsit ſummæ præfici, & habenas Regni ſuſcipere. Quem omnes protinus adorãt ſupplices, principemque ſalutant. Adeo ſapientem eſſe, regium munus, diuinumque ducitur! Apud Perſas quin etiam in libris de diuinatione Author eſt M. Cicero, nulli licere regnare, qui nõ antea Magorum (quo hominum genere gens illa pro Sapientibus vtitur) inſtitutus ſit & doctus diſciplinis. Ægyptij Reges, vt in libris de inſtitutione reipublicæ tradit Patritius, indigne eum imperare putabant, qui non præter cæteros in aliqua doctrina excelleret, operamque ſuã poſſet compluribus alijs nauare. Itaque longè maiorem diſciplinarum bonarum quam rei bellicæ gloriam eſſe dixerunt. Quo ſtudio inflammatus Ptolomæus Rex, qui cognomento eſt Philadelphus nuncupatus, egregiam illam bibliothecam Alexandriæ erexit omnijugi librorum ſuppellectile refertiſsimam: vt Sapientiæ ſeminarium in poſteros propagaretur, eſſetque ciuium ac peregrinorum vſibus vndique conſultum.

OMNINO igitur, qui benemorati quondam populi ſunt habiti, nihil tam regale eſſe duxerunt, quam ſapere. Neque id me hercules arbitrabantur iniuria. Nam cum viderent priuatos homines propter animi inſipiẽtiam multis ſæpe difficultatibus inuolui, & ſæuo quodam exagitari rerum turbine: facilè exiſtimauerunt, quantum ea res noxia eſſet in principe futura: quem neceſſe eſt negotijs multis, & eis quidem grauiſsimis, ſæpiſsime diſtineri, occupari atque diſtringi. Eſt itaq; Græcorũ illud de illiteratis ſtultiſq; hominibus laudabile inſtitutũ. Nam cũ ab hac gente, Cicerone teſte, Sapientiæ ſtudia & nata & aucta credantur (quanquam à Chaldæis ortas primum literas deinde in Græcos atque alias ſubinde nationes diffuſas verius alij arbitrentur) tam in eiuſmodi hominum genus diſciplinas bonas fugitantium, grauiter ac ſeuerè feruntur, vt prouerbijs paſsim vtentes, infructuoſis arboribus illos dicant eſſe perſimiles. Prudenter illi quidem. Nihil enim eſt homine libero dignius quã diſciplinis optimis atque artibus erudiri. Vnde Ariſtippi illud ſcitum eſt, ac læpidum in primis: quo auarum quendam patrem celebriter eſt vltus. Nam cùm ille ad Ariſtippum philoſophicis præceptis imbuẽdum filium detuliſſet, rogaſſe philoſophum dicitur, quanti doceret: cui Ariſtippus drachmis mille reſpondit. Hîc homo ſordidus magnitudine pretij ſtupefactus, daturum ſe eſſe negauit, quod ſumma illa ſeruum comparare poſſet. Quæ philoſophus excipiens: duos (inquit) habebis ſeruos, & filium, & quẽ mercaberis. Obiter inſinuãs, nihil eſſe tam ſeruile & abiectum, atque eius animum qui nullis ſit Sapientiæ opibus excultus. Quas ob res, minus mirandum eſt, ſi ſapientiſsimus ille Solon lege cauerit, vt ſubſidia vitæ illi denegarentur, qui nulla filium diſciplina curaſſet imbuendum. Lex ad hunc habet modum,

Filius haud quaquam parentem alere cogitor, à quo nullam artem edoctus eſt.

Quod nimium poſſet auſterè, rigide & ſeuere latum videri (eſt enim naturali & rationi & pietati contrarium, cuius inſtinctu vel bruta animantes ipſo cum auium genere cogi ad officia videmus, vt narrant de Ciconijs, quæ parentibus propter ætatis ſenium ad eſcam inertibus, nutricationis officium, acceptamque alimenti vicem gratiſsimè rependunt) poſſet inquam videri crudele ſatis & inhumanum, ni perſuaſum eſſet optimo philoſopho, de ſua illum ſobole peſsimè meritum eſſe: qui circa liberis ſuis tradendas diſciplinas, negligentior fuiſſet habitus. Sic igitur habendum eſt, tantam eſſe Sapientiæ vim: vt ſine ea nihil poſsit, & priuatim & publicè laudabiliter obiri. Hinc, quicunque

olim rerum ſunt Imperio potiti, non ante ſunt gubernacula gẽtium tractare auſi, quã diſciplinam hanc virtutis imbiberunt. Sic Athenarum principem Periclem in omnĩ ſciẽtia Clazomenius inſtruxit Anaxagoras. Ex quo factum eſt, vt doctrina, conſilio, & eloquentia excellens (vt in Oratore ſcribit Cicero) quadraginta per annos vrbanis & bellicis rebus populo Athenienſi præfuerit. Sic Timotheum Iſocrates, Ageſilaum Xenophon, Thebanum Lyſias Epaminundam, & Philolaum Tarentinus Architas: Sic Ariſtoteles Alexandrum: Sandonis filius Athenodorus Octauiũ Auguſtũ Cæſarẽ: ſic tandẽ diuinus Plato Dionem Syracuſiũ in omni expoliuit ſciẽtia, & ad pulcherrimum illud de liberanda patria facinus, impulit, armauit inſtruxit. Poſſetque laudabilſsimi principis obtinere nomen crudeliſsimus Nero, ſi ea, quæ à magiſtro Seneca acceperat, quemadmodũ ad annos paucos expreſsit, tãto in imperio retinere ſemper atq; exequi voluiſſet. NAM QVID EGO de Vlpio loquar Traiano, qui ſi iam & loqui poſsit, & velit vera fateri: peculiaris illius cognominis, quo eſt vulgò optimus dictus, pars maxima in Plutarchum Cheroneum præceptorem ſuum haud dubiè redundauerit? Cuius rei præter alia multa, quæ fidei gratia reſerre poſſem, teſtis mihi erit Plutarchi huius ad Traianũ ipſum epiſtola. Sed quia præclara ſunt, recitabo illius verba. Modeſtiam tuã (inquit) nouerã non appetere principatũ: quẽ tamẽ ſemper morum elegantia mereri ſtuduiſti. Quo quidem tanto dignior iudicaris, quanto à crimine ambitionis videris eſſe remotior: tuæ itaque virtuti congratulor, & Fortunæ meæ; ſi tamen rectè geſſeris, quem probè meruiſti. Alioqui te periculis, & me detrahẽtium linguis ſubiectum iri nó dubito. Quũ & ignauiam Imperatorum Roma non ferat: & ſermo publicus delicta diſcipulorum refundere ſoleat in præceptores. Sic Seneca Neronis ſui culpa detrahentium linguis carpitur. Adoleſcentum ſuorum temeritas in Quintilianum refunditur: & Socrates in pupillum ſuum clementior fuiſſe culpatur. Tu verò quiduis rectiſsimè geres, ſi non receſſeris à te ipſo: ſi primum te compoſueris, ſi omnia diſpoſueris ad virtutẽ, rectè tibi procedent vniuerſa. Ciuitatum conſtitutiones, morumque vires tibi deſcripſi, quibus (ſi vt par eſt obtemperas) Plutarchum viuendi habes autorem: alioqui præſentem epiſtolam teſtem inuoco, quod in perniciem imperij non pergis authore Plutarcho. An poteſt obſcurum eſſe, bonam, magnamque probitatis in hoc principe partem Plutarcho præceptori reſerri oportere acceptam? Qui tam eum & monet ſapienter, & ad virtutem excitat libere? Sit ergo hoc omnibus perſuaſum, regium munus prorſus eſſe ſapientiam. Eoſque de vniuerſo orbe quàm optimè mereri, qui eadem ipſa principes inſtruxerũt. Nam hæc vna virtus Regio aſsiſtens throno, Regem ipſum cũctis charum facit, & authoritate verendum. Hæc ignobiles nobilitat, & magis illuſtrat nobilem: nullique non ad vitam dulciſsimum viaticum præbet: ac tandẽ cœlo collocat. Tantaque eſt non ſapientiæ ſolum (Nam hanc principem eſſe conſtat) ſed & cæterarum etiam artium vis, vt alumnos ſuos ab omni furentis fortunæ inſultu quam maximè tutos efficiat. Quo in loco Catoniani illi verſiculi laudari iure poterunt,

Diſce aliquid. Nam cum ſubitò fortuna recedit:
Ars remanet: vitamq; hominis non deſerit vnquã.

Egregiè M. Cato: pretioſiſsimus eſt enim homini Sapientiæ theſaurus, quippe quem neque lædit Tyrannus, neque carpit dies neque labefactat iniuria, neque eripit caſus, aut vlla poteſt peſſundare vis. Nam cùm cæteræ humanæ res varijs ſæpe caſibus obnoxiæ ſint: ſola virtus Fortunæ ſecura nitet: caſuque omni valentior ſuam vbique Sapientia retinet dignitatem: & ab omnibus magni fit. Id quod verum eſſe Ariſtippus philoſophus vel maximè indicauit. Nam cùm forte ab eo quidam eſſet ſciſcitatus, quanam re ſapiens ab indocto differret: vtrumque (inquit) nudum ad incognitas mitte gentes, ac tunc demum hoc clariſsimè conſpicabere. Significans Sapientem hominem Sapientiæ ſuæ theſauro patefacto, commendationem & honorem facile poſſe nanciſci: inſipientẽ nudum pro inſano rideri: præ fame interim miſerabiliter contabeſcentem. Sed & idem ab alio rogatus, quo equi domiti ab indomitis differunt, hoc ab indoctis doctos differre dixit. Innuẽs, quemadmodũ propter inſcitiam atq; ferociã ad eum vſum, qui ab eo expetitur, indomitus equus haberi ſolet incommodus, & ſeſſori parum aptus: ſic ſtultos & inſipientes homines: qui affectuũ temere impulſu rapiuntur, quos ſola Sapientia regit & domat; ad omnem vitæ functionem prorſus inutiles eſſe.

SED QVANDO ſemel atque iterum dicto ſum Ariſtippi iam vſus, nõ equidem vel tertium grauabor referre: quò hoc, quicquid eſt, quod de Sapientia ſuſcipitur, aliquanto

poſsit conſtare lucidius. Conſcenderat aliquando cum ſocijs nauem Ariſtippus, vbi in altum nauigatione protractus eſt: en immiti ventorum flatu, & aquarum læuis vorticibus fluctuabunda nauis ſubitò eſt periclitari cœpta. Vix igitur ad portum (rerum ſuarum iactu decita prius ſalute) cū amicis philoſophus appulit. Hîc, Ariſtippus cum nauē egrediens, mathematicas figuras arenæ commodùm vidiſſet inſculptas, ad ſocios è veſtigio conuerſus: ſalua (inquit) res eſt ó amici, hominum enim veſtigia conſpicio. Ciuitatemque ingreſſus, Mathematicæ diſciplinæ ſtudioſos dicitur peruestigaſſe: cum quibus ſubtiliter multa de arte diſputauit. Illi, hominis ſapientiam ex ſermone cognoſcentes, per honorificè illum, comiterque tractarunt: & vt diutius apud ſe maneret, precibus impetrauerunt. Atque eius ſocios in patriam redire parantes, ſplendido ſunt viatico proſecuti illi, itineri accincti, quæſiſſe de Ariſtippo dicuntur: velletne, ſuis quidpiam renunciari. Quibus ille, renunciate, ait, ciuibus meis, vti eas ſibi opes acquirant, in quas nihil iuris Fortuna obtineat (vtque ea ſemper bona parare pergant, quæ naui fracta vnà cum domino enatant. Obiter inſinuans, ſapientiam ſolam eſſe quæ infortunio nullo perire: vel ſiniſtro aliquo caſu poſsit auferri. Ac proinde ſapienter illos facere, qui aduerſus eiuſmodi caſus, artis alicuius peritia ſe ipſos curarunt præmuniendos. Senſit hoc vel ſtupidiſsimus ad virtutem Nero, qui cùm ob portentoſa vitæ flagitia, quibus erat coopertus, regnum ſibi aliquando videret ereptum iri: facile ſe illo conſolabatur, quod muſicę artis præſidia (in quam admodum profecerat) quicunque eſſet ſtatus temporum ſecutus, præſto credebat eſſe, & ſalua vſque futura. Itaque quaſi impendentiū malorum certiſsimum leuamentum, Grȩcū illud ſæpiſsime iactabat, τὸ τέχνιον πᾶσα γαῖα τρέφει[a]

[a] id eſt omnis terra alit artem.

RECTE TYRANNVS. Aduerſus enim Fortunæ fulminantis iniuriam ſola eſt ſcientia animi, atque doctrina pręſidio. At, in quem nō ſæuit ipſa fortuna vbi furijs exagitata ſuis retro eſt cœpta conuerti? Hęc enim Perſei Regis legitimū filium ob indignam patris calamitatem, paterno deiectū ſolio, ferrariam artem ad victum tractare compulit: hæc mendicare Beliſariū, ſeruire Hecubam: hęc Achilli chariſsimi occiſori filij ceruicem regiam ſubmittere, incuruare genua, & ſupplices manus tendere, auro dato mortui cadauer dum repetit, ſuperbo antea in loco poſitū, Priamū ipſum coegit. Hæc innumerabiles alios, quorum ſit referre nomina ocioſum, cladibus multis affecit. Hæc ex auito regno iuniorē Dionyſiū paupertatis ergò, literariū ludū Corinthi aperire fecit vt à nobis dictū eſt antea. Vnde egregiè ille, cū in illa fortuna rogaretur, quid ſibi Plato, philoſophiaque profuiſſet: vt tātā, inquit, fortunæ mutationē æquo ferre animo poſsim. Neque enim ſibi mortē conſciuit, vt Scitilſe, cuius eſt à me mentio modò facta, Nero: alijque itē multi, qui vel conſciētia delictorū, vel ſuarū rerū deſperatione, ſimul ac maieſtate priſtina imperij ſunt deiecti: ſuis ipſi manibus carnificis in ſe partes ſunt executi: & magno cū ſpectantium plauſu turpiſsimā vitā vixit. Sed ne ego parū ſapiens, qui ſapientiā ab exēplis cōmēdem: cū nemo tā ſit rerū inſcius quin intelligat, ſapiētia ipſa & diuinas & humanas res vel maximè cōtineri? Nam ſapientiam, rem eſſe omniū maxime diuinā quis dubitet, cū id ipſum fictis etiam fabulis poetæ nobis indicēt, de Iouis cerebro Mineruā ortā eſſe dicentes? de cuius meritiſsimis laudibus plura adhuc dicere poſſem, ni hac in re officiū noſtrum Græcus ſcriptor Aphtonius iādudum occupaſſet, ſic enim in progymnaſmatis ait, vt interpres vertit Rodolphus. SAPIENTIAM adipiſci fœlicitatis eſt: laudare autē pro dignitate ipſam, maius eſt quā vt noſtris id viribus aſſequi poſsimus. Tantū enim illi ſuppetit gloriæ, vt commune quoddam Deorū immortaliū bonū eſſe credatur. Quum enim Deorū vnuſquiſque velut deſcriptā officij ſui tueatur partē, Iuno nuptijs præſit, bellis Mars cum Pallade, Vulcanus inter ignes fabriles ſuas exerceat partes, ducat nauigātes Neptunus, & quiſquis alius aliud ſibi vendicet: Sapientiam in commune ſibi aſſerunt omnes: pręcipuè vero præ omnibus Iupiter, quanto reliquis maior eſt, tāto omniū quoque ſapientiſsimus æſtimatur. Vnaque ſapientia eſt, quæ vel maximè æternam Ioui præſtat poteſtatē. Et Dij quidē natiuā ipſam cognatamque ſibi habent, munere autē ipſorum in terras quoque delata eſt: & Deorū filij, hominum ipſam generi intulerunt. Quamobrem meritò laude proſequendi mihi vidētur poetæ, qui Palamedē Neſtoraque, & ſiquis alius ſapiēs olim fuiſſe canitur, Deorū fuiſſe filios tradiderunt. Non quidē illi vano commēto Deorū naturā velut permutare conati, quā ne Dij quidē ipſi permutare poſſent, ſed generis permixtione cōmunicationē indicātes virtutis: vt qui diuina quadā cæteris admiratione pręſtarēt, Deorū filij crederētur. Nec immeritò illorum in Deos referebāt genus, quorū ſapiētia maior quā humana, originē

videbatur affirmare diuinam. Sola autem ip-
ſa vtroque rerum ſtatu, æquas habet vires.
Nam reliquarum rerum alia bello ſolùm pro
bantur, alia laudamus in pace. Sapientia ve-
rò præcipua eſt vtriuſque temporis modera
trix. Sic in bello verſatur, tanquam prorſus
artium pacis ignara: ſic pacem continet, tan-
quam nunquam agitata ſtrepitu bellorum.
Denique tam aptè vtrique ſeſe accommo-
dat, vt in vtro horum æſtimes, ei ſoli videa-
tur eſſe dicata. Fert pacis temporibus leges,
& omni tranquillitatis vtitur more, in bello
verò victoriam præbet. Neque armis ſolùm
ſuperiorem facit, ſed in concionibus quoq;
præſtat inuictum. Itaque & inter bellantes,
& inter pacatos ſola præcellit, primaſque ſi-
bi vendicat ſapientia. Sola quoque diuinita-
tis proximè exprimit ſimilitudinem. Sola
enim velut Deus futura proſpicit. Quin ip-
ſa quoque terram agricolis attribuit, nauigã
tibus aſsignauit mare: adeò non fruges colli
gere ſine ſapientia, non nauem niſi ſapientis
gubernatoris præſidio freti, conſcendere au
deremus. Itaq; quicquid exhibet mare, quic
quid hominum vſibus terra profert: meritò
ſapientiæ munus cuncta cenſentur. Ne cœ-
lum quidem, & ſiquid ſecretius in ipſo pa-
tet, dimiſit in occulto: quantum ſolis ſe por-
rigit ambitus, quod ſpatium ſtellarum vna-
quæque circunſcribit, ipſa perueſtigauit. De
ſpexit intra terras etiam: & quo pacto vita
defuncti agemus, ipſa nobis aperuit. Troiã,
quam capere temporis diuturnitas non po-
tuit, ſapientiæ aſtus ſubegit: & omnem Perſa
rum potentiam, vnius Cyri conſilium para-
uit. Cyclopis oculus erutus eſt prudenti
Vlyſsis inuento. Sicque quicquid eſt, quo
quiſquam vincat: ab ipſa ſapientia deriuat.
Hæc Aphtonius. Quæ ſi commentitijs ſabu
lis vero ſenſu perceptis, animo altius figan-
tur: ethnicus homo, ſapientiæ ipſius præſtan
tiam (vt opinio mea fert) haud male vidiſſe
putabitur. Pręſtare ergò animi ſapientia Rex
debet: quæ ſola (vt videmus) rectè conficit
cuncta. Diuina enim homini armatura ſapiẽ
tia eſt: & aduerſus omnia, quæ mentem affli-
gere poſſe videntur, inexpugnabile telum.
Inacceſſa enim perturbationibus, illius pror
ſus hominis mens efficitur, cuius ſapientiæ
opibus egregiè eſt pectus excultum. Eſtque
re vera mortalibus pretioſi huius theſauri
poſſeſsio, ſtabilis ſemper & firma: & ad con-
ſequendum ea, quæ maximè concupierunt,
inſtrumentum longè omnium optimum, at
que efficaciſsimum.

IAM VERO ſi Ariſtotelis illud oraculum,
verum eſt: quo ait, vt animantium cunctorũ
longè optimum ac præſtantiſsimum eſt ho-
mo cum rationi obſequitur, mentique paret
ſic è diuerſo abiectiſsimum atq; deterrimũ,
cum ab eius munere, & vera lege deſciſcit.
Quis non videat, quãto ſint illorum res tur-
bine volutaturæ, quarum ſtultus Rex mode
retur ac temperet clauum? Nam quid obſe-
cro in homine eſt ratione diuinius, quæ cũ
adoleuit, perfectaque eſt: vocatur ritè ſapien
tia? Non igitur ſapienti Regi expergefactore
aliquo: non monitore opus erit officij (vt de
Rege Perſarum narrant) quem Plutarchus
in libello, quo diſputat in principe neceſſa-
riam eſſe doctrinam: pro more illius gentis,
cubicularium quẽdam habere dicit, cui hoc
erat negotij demandatum, vt ſimul ac dilu-
culaſſet, ingreſſus illi diceret. Surge Rex, at-
que ea cura negotia; quæ te curare iuſsit Me
ſoromaſdes, ſic enim ſermone patrio Deum
Perſæ appellant. Huic enim cordato princi-
pi, quem ſapientiæ opibus antecellere cæte-
ris debere, opinamur: familiaris ac ſemper
conuiuens ratio, tempeſtiuè cuncta ſugge-
ret, faciendaque præſcribet. Neque ſolũ eo-
rum, quæ opus erunt facto, in expedito erit
opportunè ipſa ratio: ſed ſui etiam & corpo-
ris & animi naturã intueri facillime dabitur.
Quę omnia eò pertinẽt, ne corrumpatur po
tentia: ne ſtulta animi efferatur elatione ob
imperij ditionem vaſtam: ſed ſe hominem
eſſe intelligat, hoc eſt, caducum, mortalem,
& animantium cunctorum (vt rectè Plinius
ait) longe infirmiſsimum. Quod vbi ſecum
ille animo pertractauerit, agitauerit volue-
rit, ſeque inde ortum eſſe vere cognouerit;
quò ſit (vitæ curriculo confecto) ad rationẽ
exactiſsime reddendam neceſſariò redeun-
dum: ô immortales Dii, quàm ille in rebus
vigilanter aget? quàm ſe erga omnes mo-
deſte ſancteque geret? quam ſibi ipſe ne-
cubi excidat, diligenter aſsidue conſulet?
quàm alijs etiam poteſtate ſimili præditis,
ne cæci aliquo animi furore rapti ad iniuſta
prolabantur, ſalutaria hæc ſuggeret monita?
Senecæ illud ſæpe occinens.

Vos, quibus rector maris atq; terræ
Ius dedit magnum necis atq; vitæ,
Ponite inflatos, tumidoſq; vultus:
Quicquid à vobis minor extimeſcit,
Maior hoc vobis dominus minatur.
Omne ſub Regno grauiore Regnum eſt.

Hæc vbi ille cogitatione ſepſerit, ani-
moque luſtrauerit, viuet optime, ac ſubdito
rum nulli iniuriam inferet, ſed ſit iam mo-
dus, neque enim adducenda ſunt cũcta: ſed
è mul-

è multis (quæ præſtantiſsima atque optima ſunt) duntaxat carpenda: ne aut rerum, vt ita dixerim, nimietate graueris ipſe mi Nicete, aut legentium animi offendantur. Cóuer tamq; iam nunc ad illa me potius, quæ de Summi Dei religione, noſtriq; in illum animi pietate mihi videntur reſtare. N I C. Mihi oratio tua moleſta eſſe non poteſt, quæ eſt omnis prudentiſsima viſa nectareoque fuit ſucco longè dulcior. Sed ordire amabò, quæ te exequi velle, dicis. P H I L. Faciam. Sed in primis orandus eſt ille, cuius cultum, ceremonias, myſteriaque ingredimur, totius boni pater: naturæ perennis fons, ſummi regnator Olympi, moderatorq; terrarum: maieſtate ac numine trinus Deus, ſubſtantia & volútate, potentiaque vnus, nobis vt adſit diſſeretibus. N I C. Rectè putas. Decet enim, quę difficilia ſunt & grandia à Deo Optimo Maximo ſemper ordiri. P H I L. An ego de pietate dicturus patum ordirer piè: meq; in hoc ab ethnicis vinci paterer? non faciam: ne peſſimè in illum eſſe ingratus videar, qui de me eſt quam optimè meritus. Etenim, ſi bene atque ſapienter à veteribus quondam inſtitutum eſt, vt quemadmodum rerum agendarum, ita dicendi initium à precationibus caperetur: quòd nihil rite, nihilq; prouidenter homines (vt ad Traianum verè Plinius aiebat) ſine Deorum immortalium ope, conſilio, honore auſpicarentur. Vtque Pythagoras etiam, qui doctiſsimè præcipiebat: Deum Optimum Maximum, qui rerum menſura eſt omnium, pariter & actionum noſtrarum regulam eſſe debere. Quis non videat, ei orationi, quæ de Summi ac veri Dei ſancto & pio cultu à nobis inſtituitur, auguſta piaque magis, & ſanctitatis omni ratione plena, prorſus cóuenire principia? A Supremi igitur rerum omnium opificis, diuinique Numinis ſumma laude, tanquam fœliciter ac fideliter primùm vniuerſi operis iacto fundamento: & capienda primordia, & ſpecioſæ huius telæ nobis contexenda ſunt fila. Ni enim ante mihi ille fauiſſet, hæc ipſa, quæ ſumma tibi ratione à nobis videntur eſſe ſuſcepta, nó herclè vel animo concipere, vel proponere pacto aliquo, aut lingua exequi poſſem. Hunc igitur bonorum fontem omnium, ac ſummum rerum principium cuius vim Numinis expreſsi breui, ter & amplius oro: fœlici vt aliquo gratiæ ſuæ riuulo cœptis aſpiret meis, annuatque iam nunc, vſq; dicturo mihi. Spero enim Dei Optimi Maximi inuocato rite numine, vniuerſa eſſe faciliora multo & apertiora futura. Quare animoſè & intrepidè iam, negotio cuius accingar.

A C P R I M V M, ſi res prorſus digna principe Sapientia eſt, eaq; ipſa in Dei timore maximè cernitur, iuxta celebre illud Salomonis, Initium ſapientiæ, timor domini. Relinquitur, vt ne minimá quidem Sapientiæ poſſit intelligentiam adipiſci, qui religionis negligens eſt, & diuinæ pietatis ignarus. Porrò, ſi eis, qui Summi Dei numen irreuerenter habent, infœliciter cedunt cuncta (pijs quippe iuſtiſq; hominibus ac Deum diligétibus omnia eueniunt proſperè) etiam illa quæ parum dexterè auſpicata primùm eſſe videbantur, ad extremum tamen præclarè illis cadût atq; glorioſè, vt diuini docet vatis oraculum fit cótinuò vt infœliciſsimus ſit Rex ille merito perhibédus; qui vel à Summo ipſo Deo flagitioſè mentem auertit: vel diuinas illius res parum grato ſuſcipit animo. Ex quo efficitur, vt ſapientia atq; fœlicitas cum religionis ratione penitus coniuncta ſint: eaque diuulſa, celeriter collabaſcant. Nam ſapientis mens ex cœleſtium humanarumque etiam rerum contemplatione, non poteſt non diuinitatis aliquam animo arripere notionem: Deumq; eſſe ſentire, cuius numini cuncta pareant. Cum præſertim nemo tanta ſit vel impietate animi, vel impudentia præditus: vt quod natura ipſa duce omniú animis videt infixum, & inſculptum eſſe pectoribus, labefactare ſubitò pernicioſè atq; improbè velit: vel impugnatione temere auſit infringere. Etenim, ſi Deum ex operibus eius agnoſcimus, quemadmodum à M. Cicerone Tuſculanarum primo veriſsimè dictum eſt: quid poteſt eſſe tam apertum, tamq; perſpicuum, quum Cœlum ſuſpeximus, cœleſtiaq; contemplati ſumus, quam eſſe aliquod Numen præſtantiſsimæ mentis, quo hæc regantur? Hinc latè vndiq; promicanté neceſſe eſt fluere Religioné: quæ tátam illam maieſtaté ſanctè homini præcipiat eſſe colendam. Ita fit, vt ex Sapientia animi inclyta, germana emergat pietas, & religio vera deſcendat. Sed relinquá hoc, ne perſpicuitas ipſa orationis (quæ meridiana eſt luce lógè clarior) eleuata à me videatur argumentatione fuiſſe. Neq; enim tam eſt aurhebes quiſquam, aut malitioſè pertinax, vt id aliquando vocare poſsit in dubium. Nunc Religio ipſa vnde ſit dicta meritò eſt videndum. Et certè, conſtat à religando dictam: quòd religionis ipſius arctiſsimo quodam vinculo, & cóiunctionis nouo fœdere conſtringamur tanquam, religemurque Deo. Id quod ſenſiſſe videri poteſt antiquus poeta Lucretius, cú Religionis nodos

velle ſe ſcribit diſſoluere. Licet doctiſsimus alioqui & grauiſsimus author Cicero ſecundo de natura Deorum libro, in hoc ſit deceptus, quod à relegendo deriuatam exiſtimet. Nam quo loco à ſuperſtitione religionem ſeparat, ad hunc modum loquitur. Nō enim philoſophi ſolum, verum etiam maiores noſtri ſuperſtitionē à religione ſeparant. Nam qui totos dies precabantur & immolabant, vt ſibi ſui liberi ſuperſtites eſſent, ſuperſtitioſi ſunt appellati: quod nomen poſteà latius patuit. Qui autem omnia quæ ad cultum Deorum pertinerent, diligenter pertractarent, & tanquam relegerent, ſunt dicti religioſi ex relegendo, vt elegantes, ex eligēdo, tanquam à deligendo deligentes, ex intelligendo intelligentes. Seruius verò Sulpitius, religionē eſſe dictam tradidit, quæ propter ſanctitatem aliquam remota ac ſepoſita à nobis ſit: quaſi à relinquendo dicta, vt à carendo ceremonia. Cuius opinioni Maronis illud videtur valde concinere.

Eſt ingens gelidum Lucus propè Ceritis amnem
Religione patrum latè ſacer:

Moxq, illud adiecit, vt religionis ipſius vim proprietatemq; magis exprimeret.

Vndiq; colles
Incluſere caui, & nigra nemus abiete cingit.

Quod proculdubio, lucum ipſum à conuictu hominum, communioneque populi ſeiunctum maximè, ſecretumque efficiebat. Vt igitur relictum lucum, non adeundi tantum difficultate oſtenderet, ſanctitatem etiam adiecit, dicens.

Siluano, fama eſt, veteres ſacraſſe Pelaſgos
Agrorum pecoriſq; Deo.

Cum igitur Religionis nomen vnde ſit ductum manifeſtum ſit (vt de ſuperſtitione interim taceam) quæ tunc verè dicitur cùm religio falſa colitur: aut in vera, ſibi diuiſq; ipſis non ſatis fidens, cunctabundè aliquis ſcrupuloſeq; verſatur, de pietate, ſanctitate, diuinoq; cultu videtur eſſe dicendū: his enim in rebus vis eſt omnis religionis poſita. Adeo vt religionis cognomine inſigniri ac nobilitari nequeat: qui earundem nâturam, poteſtatē, ac vires neſciat. Sed anteaquam de his dicere incipio: dicam breui quanta diligentia ſolertia, atque induſtria ethnici ipſi diuinas res ſuas, ritus, ac ceremonias quondam procurauerint. Vt illorū in hac parte ſtudio perpenſo, quanta nos & diligentia & animi puritate religionem veram ſuſcipere, ac diuina debeamus tractare myſteria magis in aperto ſit, & cunctis innoteſcat.

PRIMVM omnium, ſacrarum ædium diuinarumq; rerum cura ſacerdotibus ac Pontificibus præcipua erat. In horū collegiū cooptari nemo poterat aut obſcuri generis, aut vitæ diſſolutioris. Nefas enim ducebant niſi lectiſſimos & ſanctiſsimos viros ſacris præfici. Hi conceptis de more verbis cœlitum arcebant iram: & ſalutem populi precabântur. Nulli ſceleris alicuius conſcio ſacris permiſceri licebat, ni ſe prius certa quadam purificationis ceremonia Deo conciliaſſet. Cuius antiqui ſane ritus haud ignarus Publius Maro imaginem nobis expreſsit: apud quem violatum cum ſe noſſet Æneas, & multa cæde pollutum, ait.

Tu genitor cape Sacra manu, patrioſq; Penates.
Me bello è tanto digreſſum, & cæde recenti
Attrectare nefas: donec me flumine viuo
Abluero.

Vnde præclarè Patritius ſexto de regno & Regis inſtitutione libro, proluendas, inquit, & abſtergendas primò culpas ex vetuſtiſsima religione docemur, vt diuinę virtutis munere frui poſsimus. Priſci enim Deo Optimo Maximo rem facturi, profluenti aqua corpus ſuum abluebant: & vbi deeſſet aqua profluens in lebetes, maximaque lauacra, quę in veſtibulis delubrorum patebât, vt deinceps rite fieret. Facere enim nemo poterat, aut diuinam ſortem, reſponſum ve expoſcere, niſi ſe prius diligenter abluiſſet, priſtinaſque culpas omnes pura, vt dicebant, Lympha expiauiſſet. Quæ fortaſſe pro regenerationis lauacro videri dicta poſſint, quo de ipſo à Triſmegiſto Mercurio mentionem ita inuenio factā, vt afferat, ante regenerationis lauacrū ſaluum fieri poſſe neminem. Quod quidē hominis dictū, idq; tam multis ab annis, pro eo ac debet admiratione quadam eximiæ ſapientiæ illius ſtudioſè à nobis ſuſpici amplexariq; debet: quibus ſeruatoris noſtri IESV CHRISTI diuina gratia atq; munere datū eſt, myſterij huius ſancti vim cognoſcere & ſalutarem ſacramenti experiri virtutē. Quo quidem nomine nobis eſt præcipue gaudendum, cū ab illo ſimus edocti, qui ad ſalutem noſtram vere illud inſtituit. Atq; ita nos ſoli ſtabilimēti optimi (quod ſubolfacere quidē illi potuerunt) ſed nec arcanam intelligere vim, nec cōſequi virtutem, vero potimur fructu in Chriſto renaſcētes: pulcherrimo nimirum vitæ genere, ſacramenti tanti autore in ipſo reuiuiſcētes effecti, cuius ſingulari quadam bonitate in terris orti primum, & pretioſo mox ſanguine ſumus redempti, primigenij parētis culpæ veteris amanter nimis ex piata immanitate. Sed quæ ſalutari hac intermiſſa

miſſa digreſsiuncula ſunt, opportunè repetamus.

FVIT ILLVD inquam gentilitiũ apud ethnicos quódam vt immerſione fluminis, vel aquarum infuſione quadam, vti quæ adhęrent corpori abſtergi maculæ ſolét: ſic & ſordes animi (quas rectè culpas vocamus) expiari ac dilui crederent: vnde vitiorum ſentinam olidam, profundamque voraginem, & execrabile cõſcientię cuiuſdam barathrũ (rectè ſi memini) Tibullus volens carpere dixit.

Peccat & hec, peccat: quantum non vltima Thetis,

nec poſsit totus abluere Oceanus.

Itaque aquarum elemento tanquã expiatorio quodã culparũ remedio veteres vtebãtur. Ex quo factum eſt, vt apud multos olim ipſarum etiam ablutio manuum innocétiæ ſit ſymbolum habitum, quorum vel conſuetudini, vel opinioni aſſenſus fuiſſe videri poteſt. Pontius Pilatus. Ille nanque cum ſalutis noſtrę authoré IESVM CHRISTVM ſuſpicione omni criminis vacare, inſontemq; adeo eſſe perſpiceret, cuperetque Iudęorũ non irretiri calumnijs: nec tamen ab illorũ inſanis precibus facile ſibi eſſe cerneret, aut tutum effugium: aqua manibus ſuperinfuſa, Innocens (inquit) ego ſum à ſanguine Iuſti huius: Vos videritis. Argumento hoc inclyto, quaſi ingenui aliqua profeſsione animi, non minus teſtatus quid ipſe ſentiret quàm maleuolētiæ cęcitatis illorũ veſaniam auerſatus. Sed reuertamur ad cępta.

NVNC mirum eſt, quod dicam de Sacerdotum veterum ſanctitate, vt ex Diui Hieronymi autoritate nono de honeſta diſcipli na libro probus ſcriptor Crinitus memoriæ prodidit. Scriptum eſt (inquit) ab Hieronymo, ſacerdotes illos Athenienſium, qui grę cè Hierophantæ appellantur, quò caſtius in ſacris agerent, diuiniſque rebus incumberent, conſueuiſſe ſorbitione cicutę ſe ipſos caſtrare. Vbi verò ad pontificis dignitatem fuerant euecti, viri eſſe deſinebant. Nequid in eis foret, aut ad voluptatem, aut ad turpiorem libidinem. Quę res ad ipſa ętiam Conſtantinorum Auguſtorum permanauit tempora, quemadmodum non contemnendi authores literis tradiderunt. Nam & idem refert Hieronymus de Romana religione, nullum quidem ſacerdoté apud Romanos fuiſſe bigamum: nullum flaminem, bimaritum, Pontifices autem viros & nobiliſsimos & ſanctiſsimos, quorum pręcipua hæc cura & ſtudium fuit, diligenter attendere, nequid contra mores: & religionis cultũ fieret. Itaq; ſic in Pontificalibus ſcriptum.

Ex patrijs ritubus, colunto optimi.

Hactenus ille, ex quibus cernere licet, quãta olim cautione circa res diuinas ab ethnicis ſit prouiſum.

ILLVD quin etiã autores grauiſsimi perhibent: ſacerdotij dignitatem, tam celebrem fuiſſe priſcis temporibus habitam: vt ijdem omnino ſacerdotes, pontifices, Sacrorumque antiſtites forent, qui rerum potirentur. Exiſtimabant enim rationem imperij tumdemum rectiſsimè conſtare, cùm illarum rerum maieſtas regia peritia communitur, quę Deum præſtat placabilem atque propitium. At nulla res magis pręſens, placatumque efficit Numen, quam ſanctitas & vitæ puritas: quibus rebus ſæpiùs atque vallari ſacerdotis conuęnit vitam. Dedecet enim vitiorum maculis deturpari, diuino conuictu & familiaritate fruentem. Ac, ne ſit quidem ſurendum, Immortalis ac Summi Dei hoſpitem inſigni aliqua vitæ labe infici: ac ne turpioris quidem famæ nota leuiſsima. Sed reuertar illo, vnde decidi ſenſim. Hinc igitur apud Hebraicum populum, factum quondam videmus: vt ijdem ſacerdotes forent, qui rerum ſceptra tenerent. Sic diuinus ille vates Moſes, legum lator, Iſraelitici dux populi ac Sacerdos inclytus fuit. Idem apud Ægyptios prudétiſsimam gentem, ſanctiſsime inſtitutum, quam diutiſsimè obſeruatum, retentumque more legimus. Hi enim vt cum Ficino author eſt Plato, ex philoſophorum numero ſacerdotes creare, ex ſacerdotum cœtu Regem eligere ſolebant. Ab hac laudabili conſuetudine Mercurius ille manauit, qui ob eximiam Sapientiæ præſtantiã, qua cæteris Ægyptiacis Regibus anteceſſit, in Deorum eſt numerum relatus: & in veneratione tanta habitus, vt vulgò ac temere propter religionem, eius nomen pronunciari non liceret. Multa itaque illi templa ibi erecta dicataque ſunt, & quidem Auguſtiſsima, vt Marſilius Fiſcinus teſtatur. Hic plurimũ ſalutares ſubditis leges ſanxit. Hic literarum vſum Ægypto antea incognitum, ciues edocuit: non ille quidem literarũ elementis his, quibus & conteſtata & conſignata publicè, Ægyptiorum hodie paſſim monumenta leguntur, ſed brutis animantium figuris, quod ſcriptorum genus ab ipſis eſt appellatum Hieroglyphicum. Hunc Ægyptij Theuth, Græci Triſmegiſtrum appellant: videlicet quod ter maximus fuerit, nempe philoſophus maximus

maximus ſacerdos, ac maximus Rex. Hic de diuina religione, de pietate, de vnius ac veri Dei adoratione & pio cultu tam accurate, prudenterq; diſſeruit: vt mirandum ſit ante Chriſti Optimi Maximi aduentum, hominem ethnicum Sapientię tantum videre vel aſſequi potuiſſe. Multa ſiquidem prophetico velut afflatus ſpiritu, longe ante futura cecinit, quę mirifice mox cóprobauit euentus. Non hic plures (vt cęteri ignobiles) minutiq; philoſophi, ſed vnicum & prępotentem Deum inducit, voluntate ſua cũcta conſtituentem. Cuius ſanctiſsimo verbo creatum eſſe orbem dicit, & elementa mundi ſumpſiſſe principia. Hunc authorem, hunc dominum, hunc rerum omnium moderatorem ſummum eſſe ingenuè fatetur & canit: hunc verè ſempiternum, immortalem atq; ingenitum vocat. Idem abſolutũ perfectũque bonum, vnicum appellat Deum: & duplici cognomine inſignit, boni ſcilicet, & patris: boni, quia vnus vniuerſa porrigat neq; accipiat quicquã: patris, quia gignat omnia. Sed mihi penſum meum conficere atq; exequi eſt propoſitum, non Mecurij laudes canere. Conuertar igitur ad me: ne inſtitutaſe mel, temere abrupiſſe videar.

H Æ C L A V D E Sacerdotij cum regia maieſtate iungendi etiam Romani veteres celebrantur: quemadmodum apud Senenſem Patricium tertio de inſtitutione reipublicę libro extat ſcriptum, cuius verba iam appendam. Principio (inquit) rerum humanarum imperia apud pontifices erant. Regesq; ſacris initiati diuinam & humanam curam gerebant. Nec quempiam cogitare poterant bene imperare poſſe: qui diuinarum rerum expers eſſet, commerciumque cum Deo non haberet. Igitur aut Sacerdotes ipſi imperabant: aut eorum iniuſſu principes nihil agebant. Romulus enim initio vrbis, templorum ſacrorumq, antiſtité Regem appellauit: & quaſi ſocia poteſtate cum regnaret, voluit eum legum, moriſq; patrij eſſe cuſtodem. Nec immeritò, Sacerdotes enim diuino numine afflati, ſanctitatis immortalitatiſque præcepta nos edocent. Hæc ille.

C O G N I T O I G I T V R in ſacrificiorum progreſſu purificationis tenore: & tanquam veterum priſtinarumque culparum expiatione [illegible] & [illegible] candorum ſacerdotum perhonorifica [illegible] conſuetudine perſpecta. De pietate, ſanctitate, diuinoque cultu videtur eſſe dicendum: ſum quippe id paulo ante pollicitu[s]. Eſt itaq; pietas nihil aliud quam Iuſtitia erga Deũ, & Sanctitas, Deum ſcientia colendi: diuinus autem cultus, religionis eſt effectus. Religio enim illa dicitur, quæ Summi ac Prępotentis Dei pio cultu continetur. Quibus intellectis multo iam expeditior atque liberior oratio noſtra volabit: modo aliena, modò noſtratium hominum variè ſacra peragrans. Eruenda enim, exſodiendaq; nobis ſunt, & in lucem tanquam è tenebris vindicanda & aſſerenda, quæ prudenter ab illis tradita, deflecti, deriuarique poterunt, ac veluti detorqueri piè in vſum noſtrum. Nam ex hac multiplici & varia exemplorum, hominum alienorum concinnitate: veritatis, religioniſque noſtrę ſplendor apertius multo, dilucidiuſque conſtabit. Eritq; interim Aurelio Auguſtino ſanctitate vitę, & Sapiẽtia animi viro inclyto, pulchre ſatisfactum: qui inter legendum ea nos potiſsimum cura oportere diſtringi ſępe monebat: nempe vt Lynceis cuncta oculis contemplaremur: ab iniuſtis ceu poſſeſſoribus vindicantes, & in rem noſtrã opportune conuertentes, quę ab ethnicis hominibus aut piè ſunt traditæ aut excogitata prudenter. Recte Aurelius. Nos enim Chriſtianę Fidei laudabili fulti inſtituto, eorum (quæ citra iacturam animæ tolerari poſſunt) faſtidientes nihil: contẽplari exacte, & rimari cuncta debemus: imitarique illa ſedulo vnde fructus aliquid ad vitã queat decerpi: temperantię morum (quod peculiare eſt, noſtręque gentis proprium) ſtudioſe vbiq; ſeruientes. Nihil itaque alienũ nobis debet videri (ſit licet prophanus author) quod Chriſti Optimi Maximi pietati vel fidei congruit. Quæ autem diuinis inſtitutis, Summique Dei pręceptis parte ex aliqua aduerſari, & refragari videbuntur, à quo ſint homine cunque dicta, pro externis, alienis atque impijs meritò habenda ſunt, iuxta illud.

Qui non eſt mecum, contra me eſt. Sed repetam intermiſſum munus.

S I T I G I T V R pio principi perſuaſum, vnũ eſſe Deum, cæli, maris atque terræ: & eorum omnium animantium, quæ diffuſa late in illis eſſe cernuntur, creatorem, ſummumque opificem. Cuius diuina prouidentia cuncta & ſuperne & inferne gubernãtur atque reguntur. Eundemque & bonorum & malorum ſingulariter habere rationem: & aliquando exacturum. Hunc inſuper credat pulchre intueri, quo quiſque animo, qua voluntate & mente, religionem ſuſcipiat & colat. Quid tacitus ſecum optet, quid rei & moliatur & gerat. Vt tandem intelligat mũdano hoc homine externo atq; terreno,

naturæ

naturæ lege ſemel extincto, & in ſuos actus
interno & vero cum illo, qui nũc delitéſcit,
rediuiuo rurſus effecto: à ſummo illo condi-
tore, autoreque mundi Deo, vnius cuiuſque
mortalium vitæ ratione inita, vitijs hominũ
tunc demum inexorabilem veniam fore, &
pœnam iugem: Virtutibus contrà præſenta-
riam laudem, immortalem gloriam, ac ſine
fine perennem beatitudinem. Hæc ſuperbi-
fico in ſolio ſedenti principi cogitatio; ſcep-
tri faſtum leniet (quid cuique paulò poſt,
vſu venturum ſit, altius animo conſideranti.
Ex qua tam pulchra animi meditatione, pro
bitatis & Iuſtitiæ amore non ficto, ille qui-
dem Deum ſibi facile conciliabit, amicum-
que efficiet. Cuius inclyto in cultu (ſancta
hæc conſilia aſsiduè pectore voluens) veræ
laudis auidus, officioſus vſq; perſiſtet. Dum
que ſibi moriẽdum eſſe videt, & vita defun-
cto eum apud iudicem, qui pacto vllo corrũ
pi nequeat, accepti imperij rationẽ eſſe red-
dendam, diligenter animo amoliri conabi-
tur impedimenta virtutis; & quæ nos à Deo
ſeparant ſtudia prauitatis. Quò vitæ in horas
decreſcente via (fœliciter exacto ipſo cum
tractu temporis æui curſu) inſigni aliquo in
cremento honeſtæ actionis coniunctior illi
ac propinquior eſſe factus appareat: cui iam
iam ſperat, & cupit vniri. Sed conferat ſe tan
dem illuc noſtra oratio, vnde paulatim ſen-
ſimq; deflectens, digreſsionem cœpit facere
(vt ſpero) non inutilem.

Sɪᴄ ɪɢɪᴛᴠʀ res ſe habet, vt ſi Pietas eſt
Iuſtitia erga Deum: & Iuſtitiæ munus pro-
prium, ius ſuum vnicuique largiri: nihil tam
ſit pietati conueniẽs, nihil ſanctitati tam ap-
tum & congruens, nihil denique iuſtitię dig
nitati æquè cõſentaneum & concinens, quã
Deum ab homine piè coli, ac ſanctè diligi.
Nam ſi ſummus ille philoſophus Ariſtote-
les (quemadmodum à nobis antea dictum
eſt) apud ſuos ciues media in vrbe Gratiarũ
templum ædificandum cenſuit: quò om-
nes intelligerent, quantum ad officia huma-
nitatis pertineret, gratiam benè merenti ali-
quam referri: quis non videat, quantum om
nium ſalutis interſit: quamque ſit ex iuſtitię
atque ęquitatis officio, cunctarum rerum lar
gitorem, cæli & terræ creatorem, humani ge
neris autorem, ac mũdi ſummum rectorem
Deum, gratiarum aliqua à nobis actione affi
ci: vel honore & reuerentia debita prędicari,
celebrari: ac ſi id quęrimus etiã, extolli? Quis
tam ingratus, vt acceptum reddere dubitet?
Quis tam liuidus, vt inuideat? Quis tam im-
pius tandem, vt ſummè debitum, reddendũ
Deo eſſe neget honorem? Iam verò, ſi duces
in imperio eſſe virtutes debent, quæ impe-
rent: citra quas, principatus ipſe (vti paulò an
te prodidimus) rectè geri non poteſt: cætera
rumque omnium domina eſt, princeps atq;
Regina Iuſtitia: propterea quod non funda-
mẽta ſolum humanæ iaciat ſocietatis, ſed &
pietatem etiam vna contineat, quæ à me eſt
proximè erga Deum dicta iuſtitia: & à Sexto
Empirico colendi Deum ſcientia vocatur:
breui illud haud dubiè collapſurum impe-
rium eſt, quod iuſtitia eiuſmodi vacat. Hæc
enim virtus, diuinum cultum, myſteria, &
ceremonias in primis reſpicit: ſine quarum
profecto ſubſidio, imperium omne fragile
atque caducum eſt, occaſuiq; miſero vel ma
ximè vicinum. Nihil enim ritè, nihil ſanctè,
nihil honeſtè reipublica in illa geri poteſt:
quæ regendi vera ſcientia deſtituta, iuſtitiæ
eſt ſimili laude orbata.

Cᴠᴍ ɪɢɪᴛᴠʀ piæ adorationis cultum
diuinæ maieſtatis Numini, ſummè ab homi
ne deberi liqueat, tantamque eſſe vim pie-
tatis appareat, vt ſine illius fulcimento at-
que adminiculo virtutes omnes facile colla-
baſcant: ipſumque adeo imperium, cuius
omne robur ac decus pietatis & rẹligionis
in vera cuſtodia, quam æreorum armorum
tutela, vel in externa aliqua munitione viri
magis eſt poſitum: ſuppliciter diuinitas ip-
ſa exoranda eſt, vt animos noſtros ſanctiſsi-
ma ſui cognitione imbuat: ne pernicioſo ali-
quo mens noſtra errore vagata, à ſacroſan-
ctæ, Catholicæque fidei dogmate & religio-
ne rebellet atque deſciſcat. Id quod; cùm pri
uato vnicuique: tum verò, multò eſt magis
principi factitandum, propter id quod dixi-
mus, imitationis exemplum. Haud queam
enim dignè fando exequi, quàm eius in hac
parte peccatum miſerabiles ruinas edat, &
quantas excitet clades.

Pʀᴏɪɴᴅᴇ populi princeps futurus, om-
nium maximè Deum ſibi intelligat eſſe co-
lendum. Nihil eſt enim (vt ſignificaui antea)
quod lumine clariore præfulgeat, quam re-
cta fides in principe. Nihil eſt, quod ita ne-
queat occaſui ſubiacere quam vera religio.
Cuius rei benè (quamuis ethnicus) gnarus
Solon, ante omnia Numen venerandum eſ-
ſe monebat. Licet enim priſcis illis, infœli-
cibuſque temporibus (quibus nondum ve-
ræ gratiæ apparuit effectus, qui eſt poſtea
patefactus, germani lucis nouo ſydere re-
naſcente) infimi quidam & abiecti philo-
ſophi non defuerint: qui partim Deos plu-
res eſſe ſentirent: partim nullos, ac nullam

prouidentiam (quorum ab animis excluſa omnis uideri religio poteſt, aut certè mēdax tātum ſuperſtitioſaq; & prorſus falſa relicta) extitere tamen etiam tunc clari ſapientia viri qui docta oratione horum inſaniam conuin cerent, prouidentia Dei, ac diuina oſtenſa na tura: & religionis fructu mirificè patefacto. Quorum ex numero, & facundiæ & ingenij vir maximi Cicero, cū cerneret animo quan tum ei mox orationi, periculum crearetur, quæ de Deorū natura inſtituebatur: quāque id eſſet & religioni & pietati capitale futurū: ſi illorum impudens licentia relinqueretur inulta, hāc potiſsimū, operis huius libro pri mo, ſuſcepit partem: Epicureorum, ipſam cum Dijs religionem ſubuertentiū, argumē tis occurrens. Nam hi, dum quod æternum beatumq; ſit, id neq; negotij ipſum habere quicquam, neq; exhibere alteri, probare ni tuntur: ſi quando Numen negare deſinunt (id enim philoſophiæ neſcio cuius prætex tu perditiſsimi hominum, mortaliumq; om nium lōgè corruptiſsimi tacitè moliebātur) procuratione humanarū rerū Deū uſq; ſepa tantes: via alia in errorē æquè prolapſi, turbā quandam nobis inducūt nihil agentiū, ocio ſorumq; Deorum. Sic igitur Cicero leuiuſcu lis ratiunculis prętermiſsis. Quod verò maxi mè rem (inquit) cauſamq; continet, eſt vtrū nihil agant, nihil moliantur: & ab omni cura tione & adminiſtratione rerum vacent. An contrà ab his & à principio omnia facta, & conſtituta ſint, & ad infinitum tempus regan tur, atq; moueantur: in primiſq; magna diſ ſenſio eſt: eaq; niſi dijudicatur, in ſummo er rore neceſſe eſt homines, atq; in maximarū rerum ignoratione verſari. Sunt enim philo ſophi, & fuerūt, qui omnino nullam habere cenſerent humanarum rerum procurationē Deos. Quorum ſi vera ſententia eſt, quæ po teſt eſſe pietas? quæ ſanctitas? quæ religio? Hæc enim omnia purè, ac caſtè tribuenda Deorum numini ita ſunt, ſi animaduertun tur ab his, & ſi eſt aliquid à Dijs immortali bus hominum generi tributum. Sin autem Dij neque poſſunt nos iuuare, nec volūt, nec curant omnino, nec quid agamus animad uertunt, nec eſt quod ab his ad hominum vi tam permanare poſſit; quid eſt, quod vllos Dijs immortalibus cultus, honores, preces adhibeamus? In ſpecie autem fictę ſimulatio nis, ſicut reliquæ virtutes, ita pietas ineſſe nō poteſt: cum qua ſimul & ſanctitatem, & reli gionē tolli neceſſe eſt. Quibus ſublatis per turbatio vitæ ſequitur, & magna confuſio. Atque haud ſcio, an pietate aduerſus Deos ſublata, fides etiam, & ſocietas humani gene ris, & vna excellētiſsima virtus iuſtitia tolla tur. Sunt autem alij philoſophi, & hi quidem magni atque nobiles, qui Deorum mente, atque ratione omnem mundum adminiſtra ri & regi cenſeant. Neque verò id ſolum, ſed etiam ab iiſdem vitæ hominum conſuli & prouideri. Hactenus Cicero. Sed haud eſt ne ceſſe ad ſingula (quod aiunt) reſtitantes: pe dem figere. Patefactus namque, dum Fortu næ temeritatem oſtendimus, de diuina eſt prouidentia locus: ac ridiculum illud & nu meroſum Deorum agmen excluſum. Vni cus enim Deus eſt, vt Ægyptius Hermes, Odriſius Orphæus, Beroſus Chaldæus, So phocles, Plato, & Cicero, nimirum ethnico præſtantiſsimi, & ſapientiſsimi ſenſerunt. Vt interim de Pythagora & Socrate dicā ni hil, quibus id ipſum ſæpiſsimè viſum eſt. Pla to enim in illo colloquio, quod cum hoſpi te & familiari ſuo Critone habuiſſe ſcribit Socratem: dictum ab illo tradit, vnum eſſe re rum omnium inſpectorem Deum. Nam de diuina prouidentia pluribus diſputare quī conuenit, cum id ipſum Sapientiſsimus ille Mercurius aſsiduè vbique decantet? Cuius eſt illud in Aſclepio pulcherrimè dictum, Cœli verò, & ipſius animæ, & omnium quæ in mundo ſunt, ipſe eſt gubernator, qui eſt omnium effector Deus. Quid in Pymandro rurſus? Neque enim (inquit) ignorat Deus hominem, ſed curam eius habet: ab eoque cognoſci ſe vult. Hæc vnica ſalus hominū cognitio Dei: hæc ad Olympum aſcenſio. Et cum in his ſapientiſsimis voluminibus, pieta tem aliud nihil eſſe doceat, quam Dei cogni tionem: eſt illud profectò mirabile, & ad be nè beatèq; viuendum vtile in primis, quod in hac diuina cognitione, vnicam hominis ſa lutem exiſtimat eſſe repoſitam: iterq; ad cæ lum illi per ipſam patere.

SED ME profectò dies deficeret ethni corum hominum exempla proferentem, quibus illorum facile redargui poſsit inſci tia, qui apud eos aliter videntur affecti. Quòd ſi quis fortè obiecerit, cur, ab eis, qui Vnum Deum conſtitutorem omnium no uerant, plurium interdum Deorū mentio ſit temere facta: his reſpōderi poteſt propterea ab illis factū eſſe, quòd ab Hierophantis vel Pon tificibus impietatis pœnas timerent: quia de accepta à patribus religione aliter ſentirēt, at que maiorū more ſibi traditum eſſet. Huius veritatis teſtis mihi erit inclyta illa Platonis ad Dionyſiū epiſtola, quæ à me eſt allata ſu perius: in ea enim Plato ipſe confirmat meū hoc

hoc clariſsimè iudicium. Cum apertè oſtendit, multi ponderis & veritatis epiſtolam, vnius Dei inſcriptione à ſe ſolitam eſſe obſignari: vulgarem contrà ac de rebus nihili quaſi ad imperitam multitudinem inſcriptam, complicari Deorum plurali numero. Accedat etiam ad hanc rem teſtis locuples M.Cicero, qui cum in libro de vniuerſitate diuini Platonis & mentem & verba ſecutus, rerum omnium conditorem Deum, ſummè exiſtimet arduum indagare poſſe dicendo: tum illud parum credit tutum fore, ſemel ſcilicet inuentum, vulgo proponere cognoſcendum. Sic enim ait. Atque illum quidem quaſi parentem huius vniuerſitatis, & inueniri difficile: & cum iam inueneris, indicare in vulgus, nefas. Tanti itaque operis fabricatorem (cum ad plenum tradere non liceret) ſignificari demum à ſe contentus fuit: perti meſcens vulgi corrupta iudicia, & extrema ſui ſupplicia corporis veritus. Sed repetamus interruptum ſermonem: cæptaque ipſa opportunè maturemus.

SOCRATIS diſcipulus Xenophon Iuſtitiæ primum munus, pietatem in Deum eſſe putauit. Qualis autem pietas ipſa omnino cenſenda ſit, pulchè mediusfidius in oratione pro domo ſua Tullius declarauit. Nec eſt vlla (ait) erga Deos pietas, niſi honeſta de numine eorum ac mente opinio ſi quum ex peti nihil ab eis, quod ſit Iniuſtum ac Inhoneſtum arbitrere. Sapientiſsimus ille Græciæ vir Plato, cum in ſuis legibus prudentiæ & Iuſtitiæ vim graphicè ceu penicillo depingeret: in Alcibiade, qui de voto liber inſcribitur, eius honorem & cultum ad hunc retulit modum. Perſpicuum (inquit) eſt: & apud ipſum Deum, & apud ſanæ mentis viros Iuſtitiam atque prudentiam honori præcipuè haberi. Prudentes porrò & iuſti meritò illi vocandi, qui egregiè cognorunt, quæ erga Deum, quæque erga homines, & agere & dicere conueniat. Quæ profectò verba illuc pertinent, vt necubi piè parum fuſis precibus diuûm numina ſolicitemus: contendentes illa, quæ à Deo ſit homini nefas optare. Cũ in eo temporis articulo, ſententiæ veteris, cuius ad Lucilium ſcribens meminit Seneca, maximè oporteat meminiſſe: quæ monet, ſic viuendum cum hominibus, tanquã Deus videat: ſic loquendum cum Deo, tam quàm homines audiant. Cuius ſecunda pars (vt eſt apud Macrobium) abundè ſancit, nequid à Dijs petamus, quod velle nos indecorum ſit. Vnde Perſij illud ad Macrinum laudatur in Satyra,

Funde merum Genio: non tu prece poſcis emaci
Quæ niſi ſeductis nequeas committere Diuis.
At bona pars procerum tacita libauit acerra.

Cui ſententiæ, & Iuuenalis hoc concinit,

Orandum eſt, vt ſit mens ſana in corpore ſano.

Ergo in exorando numine latè vndique diſpiciendum eſt, quid ab illo nos ſit precibus fas contendere. Multi enim conſideratè parum ceu conuicio efflagitare nituntur, quæ petere pudor eſt: & obtinere prorſus iniuſtum. Idque faciunt, nec attendentes cui ſupplicent, nec quid omnino impetrari liceat animo reputantes. Et tamen odioſiſſimi homines, atque animi turbulentia perditiſsimi, ad iniquè poſtulata Deum tanquã ſolicitare non deſinunt, nunc muneris oblatione, nũc pollitationis ingentis, & magnæ conditionis ſpe: parendi velut neceſsitatem imponentes. Perinde quaſi eiuſmodi rebus, ac nõ potius ſynceri animi integritate Deus flectẽdus ſit. Quod ſupplicationis ac muneris genus vt ſuperſtitioſum & maximè iniquum Satyris in ſuis ad hunc modum iure Perſius carpit,

Qua tu (inquit) *mercede Deorum*
Emeris auriculas, pulmone, & lactibus vnctis.

Merito profectò illorum notat vęſaniam qui, quaſi corruptum munere Deum petita turpia præſtare debere, in animum inducerent. Cum illa demum poſtulata Deus audiat: quæ iuſta & honeſta ſunt, & ab animo puro cum deuotione petuntur: nõ illa, quæ à pectore profecta vitioſo, fucata ſunt, captatoria, & hamata: & ad iniuriam aliorum, vel propriam diriguntur. Qua quidem in re verbo, emeris, vtitur lepidiſsimè: ſignificans tam improbæ poſtulationi accedere quempiam non poſſe: niſi qui ad hoc negotij cõductus vel emptus ſit: Vt ij, qui ad falſæ cauſæ victoriam mercenarijs vtuntur teſtibus, aduerſarij adulterantes Iuſtitiam, atque fidẽ eleuantes.

SED NIMIRVM exiſtimant homines, vt in vitæ cõmercijs, quem perditum cupiunt ei ſæpe mala imprecantur: ſic & apud Deũ execrationi proximi patere ianuam: & apertum eſſe aditum maledictis. Cum id Deus nec exorari patiatur: nec fieri permittat apud ſe vnquam: niſi quatenus diræ precationis talio in ipſum recidat, de vindicta ſolliciti caput precantis. Non enim iniuriarum occaſio manare debet ab eo, qui facere prohibuit: quique innocenti iniuriam, vimque aliquam inferri impune non patitur. Videãt ergo in poſterũ illi, quo iam pacto precari audeant illa, quæ vel exaudiri non poſſunt,

vel ſi iam exaudiuntur, in ipſorum debeant exitia conuerti: qui maximè precantur.

SVNT ALII quidem ab hac procul amentia diſiuncti, ſed æquè tamen ſtulti, qui præſcribentes tanquam Deo modum optioni, pro ſalutaribus illa à numine ſæpe expetunt quæ amara valdè ſunt, & exitioſa plærunq;. Quos aculeata & graui oratione reprehendere ſolitus eſt diuini ille ingenij vir Socrates, quemadmodum à Valerio Maximo literis proditum eſt. Sed vtar iam Valerij ipſius verbis, quo id melius poſsit intelligi. Socrates (inquit) humanæ Sapientiæ quaſi quoddam terreſtre oraculum, nihil vltra petendũ à Dijs Immortalibus arbitrabatur: quam vt bona tribuerent: quia ij demum ſcirét, quid vniquique eſſet vtile. Nos autem plærunq; votis id expetere: quod non impetraſſe melius foret. Etenim denſiſsimis tenebris inuoluta mortalium mens, in quàm latè patenté errorem, cæcas precationes tuas ſpargis! diuitias appetis, quæ multis exitio fuerunt? honores concupiſcis, qui complures peſſum dederunt? regna tecum ipſa voluis, quorum exitus ſæpe numero miſerabiles cernuntur? Splendidis coniugijs inijcis manus? At hæc vt aliquando illuſtrant, ita nonnunquã funditus domos euertunt. Deſine igitur ſtulta futuris malorum tuorum cauſis, quaſi fœliciſsimis rebus inhiare: teque totam Cœleſtium arbitrio permitte. Quia qui tribuere bona ex facili ſolent: etiam elargiri aptiſsima poſſunt. Hactenus Socrates, cum ab importunis, odioſis, moleſtis, atque improbis precibus deterreret homines. At enim dices, nihil ergo optabunt homines? Imo id ipſum quod eſſet optandum breui præſcripſit Socrates. Sed ſi cõſilium vis, quod cum Socrate præcepit Iuuenalis,

Permittes ipſis expendere Numinibus quid
Conueniat nobis, rebuſq; ſit vtile noſtris.
Nam pro iucundis aptiſsima quæq; dabunt Dij.
Charior eſt illis homo, quam ſibi. Nos animorum
Impulſu, & cæca magnaq; cupidine ducti
Coniugium petimus, partumq; vxoris. At illis
Notum qui pueri, qualiſq; futura ſit vxor.

Et poſt paulo

Vt tamen & poſcas aliquid, voueaſq; ſacellis:
Orandum eſt, vt ſit mens ſana in corpore ſano.
Fortem poſce animum, mortis terrore carentem
Naturæ: qui ferre queat quoſcunq; labores.
Neſciat iraſci. Cupiat nihil, & potiores
Herculis ærumnas credat, ſæuoſq; labores
Et venere, & cœnis, & plumis Sardanapali.
Monſtro quod ipſe tibi poſsis dare. Semita certè
Tranquillæ per virtutem patet vnica vitæ.

Profectò negari non poteſt, præclara omnia eſſe hæc, quæ ab illis ita dicuntur. Sed tamen è noſtris delibanda atque addncenda ſunt quædam, quibus eſt magis ſtandum. Nam qui melius legitimæ collimare poſsint precationis ſcopum, atque ij, qui verum ac ſupremum Deum egregiè cognorunt: quique germanæ pietatis & religionis diuino ſunt munere peritiam & ſcientiam adepti? Lactantius Firmianus qui maximè accuratos libros ſcriptos reliquit de diuina inſtitutione tractantes: in ſexto huius operis, qui de Dei cultu liber inſcribitur, orandi nos modum edocet, precationis vim breui expediés: quidque preces ipſas antecedere debeat complectens item paucis. Summus (inquit) colendi ritus eſt, ex ore Iuſti hominis ad Deum directa laudatio. Quæ tamen ipſa, vt Deo ſit accepta, & humilitate & timore & deuotione maxima eſt opus: nequis fortè integritatis, & innocentiæ fiduciam gerens, tumoris & arrogantiæ crimen incurrat: eoque facto gratiam virtutis amittat. Sed vt ſit Deo charus, omnique macula careat, miſericordiam Dei ſemper imploret: nihilque aliud precetur, niſi peccatis ſuis veniã licet nulla ſint. Si quid aliud deſiderauit, non eſt opus dicto: ſcienti quid velimus. Si quid ei boni euenerit: gratias agat. Si quid mali, ſatis faciat: & illud ſibi ob peccata ſua fateatur eueniſſe. Nihilominus in malis gratias agat, & in bonis ſatisfaciat, vt idem ſit ſemper & ſtabilis, & inconcuſſus. Nec tantum hoc in templo putet ſibi eſſe faciendum, ſed & domi, & in ipſo etiam cubili ſuo: ſecum denique habeat Deum ſemper in corde ſuo conſecratum: quoniam ipſe eſt Dei templum. Quod ſi Deo patri ac domino hac aſsiduitate, hoc obſequio, hac deuotione ſeruierit: cõſummata & perfecta Iuſtitia eſt. Quam qui tenuerit, hic (vt ante teſtati ſumus) Deo paruit: hic religioni atq; ſuo officio ſatisfecit. Hæc ille hactenus: quorum eſt omnis ſumma diuina.

SED TAMEN illud rogo, quî fieri poſsit delicta vt nulla ſint in hominum terra mortali verſanti? Mihi enim ſanèquã videtur eſſe difficile ſine aliqua vitij contagione hominem vitam agere. Quis enim eſt, cuius non aliquo crimine vita infecta ſit? Prona enim ad malum natura noſtra eſt, & ad peccandum nimis facilis atque procliuis: itaque alius aliò à Iuſto atque vero deficit: vniuerſi tamé (quaſi in lubrico poſiti) ceſpitamus ex facili. Neque eſt qui inoffenſo pede probitatis ſtudio accuratè per omnia ſeruiat: à ratio-

rationis nunquam orbita declinet: vel à vera audeat deſciſcat. Scriptū eſt enim, ſepties in die cadit iuſtus: item & illud, ſi dixerimus quod peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus & veritas nō eſt in nobis. Id quòd vel ex ethnicis etiam ſentire viſus eſt Flaccus, dum ait:

Nam vitijs nemo ſine naſcitur: optimus ille eſt
Qui minimis vrgetur.

Quæ ſententia hoc ſignificat: Mortalium neminem vſque adeo eſſe vitæ inculpatæ poſſe, quin vitiorum labe aliqua tinctus ex parte ſit. Non quia cum vitijs naſcatur, nam anteaquam quis edatur in lucem peccare qui poteſt? Cum ne recens quidem editus peccati particeps ſit; quoad cum ætate temporis ſit nactus ſpatium, in quo crimen ipſum à nobis ſolet admitti, quod ab acceptæ lucis ſeptennio (iuris conſultis quibuſdam de adulterinæ pecuniæ crimine diſſerētibus) viſum eſt poſſe contrahi. Quibus enim hāc metam pertingere datum non eſt, ideo eſſe peccati cenſentur immunes: quia infantilis ętas quod agit neſcit, & quod videt ignorat. Itaque ſuo quodam iure peccare illum minimè crediderunt, qui omni prorſus prauitatis vacaret affectu, qualitatemque delicti necdum poſſet expendere. Eſt enim rationi cōſentaneum, vt criminis expers putetur, qui vim peccati intueri, factaq; ipſe ſua nequit diſcernere. Quo in loco pium cādidumque lectorem admonitū volo: vt cum de actionis prauitate (quam eandem ritè peccatum appello) hæc mihi in præſentia ſit omnis oratio ſuſcepta: intelligat illud etiam, ad arguēdam facti culpam à me pueros vel infantes appellari, quibus nullus adhuc vſus rationis illuxit. Nam qui ea (quantulacunque in ętate) ingenij acie ſunt præditi: vt quam ſe cunque in partem flexerint, facta ipſi ſua rectè ſenſu percipere, vel ratione queant dignoſcere: eos equidem nec vocandos exiſtimo pueros, nec turpiter facti pœna eximendos tanquam culpæ parum affines. Cognitionis vero electioniſque participes (quoad ipſa ferret humanitas) æquum eſt in ipſa ſanctione pœnarum, legum decretis ſubijci. Atque hæc quidem ſententia mea eſt (vt ſpero equidem) pia atque etiam non inutilis. Neque enim eſſe infructuoſum poteſt, quod naturali æquitati congruens, cum aliqua eſt chriſtianæ pietatis ratione & laude coniūctum. Quæ cum ita ſint, ſequitur vt humanæ vitæ vſuram accipiens modo puer, nequeat cum vitijs naſci. Niſi tamen primigeniam illam labem conſideremus (quæ ex protoplaſti parentis culpa dum diuinam legem tranſgreditur nobiſcum ſimul agnaſcitur) quam tamen Horatius hîc neq́ ſuſpicatus eſt, nec intelligere potuit. Impietatem enim gentis ſuæ ſequutus, veritatis huius myſterij aſſequi par non fuit: quod diuina nobis eſt miſericordia atque gratia patefactū. Nos quippe ſoli vere ſcimus ac credimus in Adamo omnium communi parente homines vniuerſos peccaſſe. Miſſumque propterea deſuper Dei filium IESVM cognomine CHRISTVM, qui de virgine matre naſcens, mortalem carnem aſſumeret. Vt verus ab æterno Deus, mirabile dictu, ſalutis noſtræ cauſa homo ex tempore factus, ſub humana deliteſcens figura: Dæmonis conuulſa atq; oppreſſa Tyrannide, ab æternæ nos mortis vinculis aſſereret in libertatem, & vitæ verā lucem. Hic enim eximiæ charitatis exceſſu, ſeruituris longè omnium miſerrimæ atque infœliciſsimæ, quæ terrarum orbem totum funeſta vaſtationis clade ac fœda peruaſerat, vindex factus: deſtructor mortis, & afflictæ ſalutis aſſertor: ne nos vim pateremur pro noſtra omnium ſalute patri ſe Deo victimam ſanctam deuouit, crudelem mortem patiens: mortem autem crucis. Propter quod Deus illum extulit: & dedit illi nomē quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine IESV omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Honoris illa inſuper prærogatiua collata, vt, niſi per IESVM CHRISTVM, cœleſtis aulæ ianua patere nulli ſit fas: & (qua Dei amici potiuntur) vita frui immortali atque beata. Sed reuertamur ad carmen, cuius tantum pars prima à nobis expreſſa eſt: illa enim reſtat,

. . . *Optimus ille eſt,*
Qui minimis vrgetur.

Nos reſpectu mali bonum dicimus: quoties malis (communi quadam interpretatione) atque opinione vulgi, bona præponderant. At germani natura boni, non tam exiguitate praui, vel mali priuatione: quā eius, quod benè, rectè, honeſtè, ſanctè, piè, ac laudabiliter expetas, perfecta atq; abſoluta adeptione, & poſſeſsione conſtanti, cēſenda eſt. Vt enim nihil ſentire incommodi, vel doloris omni moleſtia vacare, quod eſt indolentiæ proprium: ſummi boni naturam non implet (quemadmodum Hieronymi Rhodij opinionem eneruantes libro ſuperiore prodidimus) ſic boni eius, quod in pręſentia exquirimus, veram ſummam, rationemque non perficit moleſtiæ fuga, depulſio acerbitatis, ipſaque adeò mali priuatio. Quæ philoſo-

loſophorũ quorundam honeſtata ſentẽtijs, & celebrata literis: multorum votis expetitur. Germanum autem verumque bonum loco hoc, illud equidem appello maximè, quo fiunt homines beati: quodque nulla eſt prauitatis nebula obductum, vel admiſtione mali permixtum. Quamuis enim mortalium res intuentibus, interpretatione quadam naturæ, priuatione ipſa malorum cenſeri plærunque bona ſoleant humana, non tamen verè bonum dici poteſt, quod lethalis aliquid mali habet admixtum: etiam ſi id eſſe quam minimũ videatur. Id quod diuinitus vt cætera declarauit Triſmegiſtus. Is nãque probare volens quod in ſolo Deo bonum ſit, & non alibi: ſic in Pymandro Aſclepium alloquitur. Bonum ô Æſculapi, in nullo ponitur, niſi in vno Deo: Imò ipſum bonum Deus ipſe ſemper. Quamobrem eſſentiam omnis motionis ac cognitionis, eſſe Deum oportet. Hac eſſentia orbatum nihil: hæc circa ſe ſtabilem actũm nullius egenũ, infinitum ſuperabundanter porrigentem poſsidet. Vnum id vniuerſorum principiũ. Bonum porrigens & effundens bonũ. Quoties nomino bonum: id, quod omnia bona & quod bonum ſemper, intellige. Hoc, vnico Deo adeſt. Hæc ille. Quibus, haud ita lõginquo ſpatio etiam illud adiunxit. In homine inſuper comparatione mali: bonum id quippe quod non nimis malum, quòque minus malum: bonum in hominibus appellamus. Quo fit, vt bonum, quod in hominũ opinione poſitum eſt, nihil aliud ſit, quam mali portio minima. Vnde illud etiam ſequitur, vt bonum huiuſmodi à malo ſeparatum eſſe non poſsit. Inquinatur enim hoc bonũ admixtione malorũ: infectũ verò vlterius bonum non permanet: ſin minimè permanet: malum efficitur. In ſolo igitur Deo ipſum bonum exiſtit. Quare, ſolum boni nomen homini adeſt, ô Æſculapi! natura boni nequaquam: neque enim id capere poteſt materiale corpus, confectum vndique & oppreſſum prauitate, laboribus, doloribus, cupiditatibus iracundia, deceptionibus, ſtultiſque opinionibus ac nugis. Deterrimum tamen omnium id cenſeo Æſculapi, quod vnum quodque eorum quæ dixi: ſummum creditur eſſe bonum, Fugiendum in primis malum eſt, Ventris Luxus: malorum omniũ Fomes. Hinc error, hinc boni priuatio. Equidem ingentes Deo gratias habeo, qui de natura boni cogitanti mihi ſententiam hanc certam infudit, quod in mundo bonum eſſe non poſsit. Siquidem mundus cõgeries eſt malorum. Hactenus Mercurius. Quæ ſi verè ita ſe habeant, mirãdum profecto non eſt: ſi eum optimum Flaccus appellet, qui minimis vrgetur vitijs: cum virtutis & vitij in homine ratione habita, ab ea illũ parte nomina ſortiri ſit cõſentaneum: cuius & particeps magis, & ad quam magis videtur eſſe propenſus. Quia perfectè bonus, terrarum iſto adhuc in orbe manens, eſſe non poſsit. Quis enim eum, qui cadere facile poteſt, gratiamque partam amittere: qui que loco eo poſitus eſt, vbi genuini germanique boni natura verè nulla eſt: abſolute bonum, aut perfectè fœlicem appellet, cum ea res cõditionem facile exuperet, atque excedat humanam? in terriſque agenti mortalium nulli iure poſsit attribui? Societate igitur carnis, & moleſto huius ac graui ergaſtulo corporis exemptus ſit neceſſe eſt, qui germanè poſſit bonus haberi: & beatus tanquam laudari, prædicariq; fœlix. Ex quo efficitur vt mortalium nulli (quandiu in hac miſera caduca & fragili vita manet) ſummi adeptio boni contingere poſsit. Sed alia ſit homini à funere vita expectanda, vbi animus ipſe valẽtior omni caſu, maiorque effectus: fruitione ſola Dei (in quo bonorum ſumma eſt omnium) immortalitatis iam veræ bono ſtabili fultus & diuinitatis compos factus, germana mentis beatitudine gaudeat: nulla iam amplius aduerſi acerbique flatus (quibus in hoc mũdo mortalium mentes variè infeſtati ſolent) verbera pertimeſcens. Nam qui opinione falſa hominum, fœlices vulgo eſſe ac beati creduntur: temeritati caſus variè cum ſint expoſiti, atque ideo fœlici horum cœtui vel intereſſe nequeant, vel aggregari concilio: tã inſigni nec nominis laude afficiendi, nec honoris ſunt prærogatiua honeſtãdi. Cum verò curricula vitæ non tam longinquitate tẽporis quam actionis ſint præſtantia dimetiẽda: ſi quidem mortis ratio ex vitæ filo pendet (vt rectè docet Lactantius) Nunquamq; parumdiu vixiſſe putandus ſit ille: qui virtutis perfectæ perfecto functus eſt munere, erit profecto (vt opinio mea fert) haud dubiè beatus habendus; quiſquis honeſtati atque Iuſtitiæ (quibus officij noſtri benè ſi ſumus memores naſcendo operam damus) ſedulo vitam impendens, ſpecioſe eſt almæ huius, qua fruimur, lucis vſura functus. Sed recipiat ſe noſtra oratio iam illuc, vnde cœpta eſt decidens, euagari.

IGITVR HIC, qui tam paucis, tamque leuibus vitijs infeſtatur & premitur, vt (humano quodam more, nulla poſsit habere videri:

deri : exoret tamen ſuppliciter ven·am deli
ctis,atq; animo pacē.Seruū ſe appellet tardū
& ad ſummi Dei præcepta capeſſenda,& iuſ
ſa obeunda deſidem & ignauum: diuini illa
chrimans ignem expoſcat amoris; quo ho-
neſta ipſius aduſto flāma pectore: mētis acie
ſummo cœlo defixa, mundana atque terre-
na(quæ fragilia & caduca ſunt,& vitæ æter-
næ contraria) amplius iam nequeat concu-
piſcere.Perſeuerātiam deinde in bonis ope-
ribus optet, ne vitioſo aliquo tumore arro-
gantiæ inſolenter elatus, actionum ſuarum
ſibi vni laudem attribuens; virtutis ſubitò
vero à tramite aberret : peccetque ad extre-
mum ridendus,atque Ilia ducat.DEO dig-
num offerat donum: & ſacrificium gratum
exhibeat,perpetuum illud ſit, hoc tempora
rium.Siquidem doni vis (vt Lactantio pla-
cet)in integritate animi poſita eſt:quæ Deo
vſque accuratè debet offerri:ille enim pij &
incorrupti animi candore ſummè duci at-
que affici conſueuit. Nec doni præſtantior
vlla oblatio eſt, quam quæ ſummo Deo pu
ritatem mentis exhibuit. Quam ſi fortè de
medio doni in ipſa oblatione ſuſtuleris:
quid eſt,quod habentis, & elargientis gene
ri hominum municè cuncta Summi Nu-
minis maieſtati à te vnquam ſatis dignè poſ
ſit offerri?Sacrificium,hymnum laudationē
que complectitur: & tanquam aliquam offi
cioſi animi gratiarum actionem. Quæ licet
ipſa ſit temporalis, ab imo tamen pectore
ſemper expromi debet : & cum humilitate
dicari:vt cui offertur placere poſsit : atque
offerens ipſe oblatæ queat laudationis effe-
ctum ſemper adipiſci:id eſt propitium Deū
atque exorabilem.Hæc doni,hæc muneris,
hæc ſacrificij (vt opinio mea fert) legitima
ſumma eſt. Sed quod à Lactantio nominis
diſcrimen apponitur,non tam equidem vel
præfiniendum reſtrictè: vel anxiè arbitror eſ
ſe ſeruandum. Sapientia enim animi excul-
tos,& Romani elegantia ſermonis admodū
claros viros,ac planè ingenio præſtātes: nūc
promiſcuè, nunc contra diſcrimine aliquo
vocis adhibito, rebus his vſos eſſe reperio.
Quamquam apud Triſmegiſtum maximæ
virum ſcientiæ veſtigia non pauca extant,
quibus opinio ipſa Lactantij tanquam ocio
ſa,patumque vera, minus debeat culpari.Si
modo in tranſlatione Græca Pymandri in
terpres Fiſcinus bona eſt fide verſatus, vt
vel ex hac celeberrima gratiarum actione li-
quere poteſt:quæ totis animi viribus, rerū
omnium creatori Summo Deo, ab illo di-
cata eſt. Sic enim in Pymandro loquitur,

SANCTVS DEVS, patet omnium. San-
ctus Deus, cuius voluntas à propijs poteſta
tibus adimpletur.Sanctus Deus, qui ſuis fa-
miliaribus innoteſcit.SANCTVS ES, QVI
VERBO CVNCTA CONSTITVISTI.
Sāctus es,quē nunquam natura creauit.San-
ctus es,omni poteſtate validior.Sanctus es,
omni excellentia maior. Sanctus es, omni
laude melior.Excipe VERBORVM ſacri-
ficia ſancta, ab animo & corde tibi debito
manantia.Ineffabilis: ſolo ſilentio prædican
dus ab eo,qui fallacias veræ cognitioni con
trarias declinauit. Annue:corr·bora me:at-
que huius gratiæ participes effice eos: qui
in ignoratione verſantur:cognatione quidē
mihi fratres:tibi autem filij.Etenim fidem ti
bi præſto: teſtimonium de te perhibeo : in
vitam ac lumen aſſurgo. Ipſe pater es vene-
randus.Homo autem tuus,ſanctitate vnà te
cum potiri deſiderat:cū poteſtatem illi om-
nium, arbitriumque conceſſeris. Hæc ille.
Quo in loco vir ſapientia maximè diuinus,
laudationem inclytam à ſe aſſerendæ fidei,
& teſtificandi cauſa animi Summo Numini
tributam. Sacrificia ſancta verborum appel-
lat: idque in Pymandro mox, atque rurſus
in Aſclepio non ſemel vſurpat: & quidem
clarius.Sed intelligi ſat eſt : confirmari verò
exemplis non oportet (ſi modo vtriuſque
iam eſt vocis ſublatum diſcrimen) id quod
eloquētium hominum teſtimonijs, diutiuſ
culæ ſi moræ ſeruire eſſet animus, probari
facile poſſet.Nā & doni vis illa inclyta, quæ
(vt Lactantio placet) in integritate animi ſi-
ta eſt:à Regio vate Dauide, ſacrificium ap-
pellatur.Dum tribulatione emaceratum ſpi
ritum:& contritione vera animi cor humile
factum, à Deo optimo Maximo deſpectui
nunquam habitum iri : quin potius ſacrifi-
cium illi gratum acceptabileque accidere
planè aſſerit. Quod paulo poſt ſignificātius
equidem atque apertius explicabo.

INSIGNIS ille philoſophus Plato, cuius
& ipſius ſcripta cuncta ob eximiæ cognitio
nem Sapientiæ, vel maximè diuina putātur:
ſignificare volens quinam cultus Deo præ-
cipuè ſit gratus:ebur(inquit) ex inani corpo
re extractum haud ſatis caſtum donū Deo
eſt.Cur hoc bone Plato? Anne, quia ebur-
neus & candidus color inuiſus illi eſt ? Imo
verò(ait)albus color pręcipuè decorus Deo
eſt.Si ig·tur in colore nihil eſt, quod Deum
offendit:quæſo,vbi nam illud ſit:quod non
ſatis caſtum Deo putas haberi ? num quod
ab inani extractum corpore eſt ? & puto ſic
ſe res habet. Nihil enim ex emortuo corpo-
re edu

re eductum, Deo poteſt caſtum munus videri:
qui nihil tabe mortis infectum ſuſcipit
cum omnium vita ſit:nihil extrarium appetit,
cum ſit mens:ſed viuida ſemper expoſcit
& intrana maximè concupiſcit. Candor animi,
ſynceritas mentis, pectoris puritas, compoſitio
morum, integritas vitæ, Summi numinis
aræ congruentia munera ſunt, aptum
que libamen. Indignum quippe Deo eſt,
quicquid auferri, eripi, amittique poteſt. Lógè
igitur illa diuina in Sacrificij grati exhibitione
ſeſe pandant prorſus neceſſe eſt, quibus
Deo ſemper arctè conſtringimur, atque
maximè religamur, nempe:

Compoſitum ius, Faſq; animi, ſanctoſq; receſſus
mentis: & incoctum generoſo pectus honeſto,

De magna quod dare lance, non potuit
quondam (vt Perſius rectiſsimè atque veriſſimè
exiſtimauit) Meſſalæ lippa propago.
His enim rebus perficitur & abſoluitur amicum
illud, gratum, caſtumque Deo donum:
cuius vis omnis in integritate animi ſita
eſt: quemadmodum & Lactantio placere
antea diximus. Hic cultus verus, hoc haud
dubiè Sacrificij genus eſt optimum, in quo
vitiorum labe omni purgata (renum & cordis
ſcrutatori inſpectorique animi Summo
Deo) hominis mens, ſelectæ inſtar victimæ,
oblatione dicatur. Etenim litandi baſis à ſynceri
pectoris ſanitate profecta: Innocentiæ
ſemper fulcris innititur.

DIVINAM IGITVR rem facturi ad ſacra
cum accedimus, vitiorum ſordibus deſęcanda,
& purganda in primis conſcientia noſtra
eſt, quam Deus præuidet, qui, vt verè
Paulus ait) falli non poteſt. Euacuetur itaq;
omni labe prius hominum pectus, vt templum
Dei eſſe poſsit: quod non ſplendor auri,
non eboris nitor, ſed fidei, & caſtitatis ſanctus
fulgor illuſtrat. Nihil enim ſancta & ſingularis
illa maieſtas aliud à nobis deſiderat,
quá purgati pectoris, múdatiq; animi ſolá
innocétiá quá ſi quis obtulerit, Deo ſatis piè
religioſeq; litauit. Homines auté veri iuris,
germanæq; Iuſtitiæ & religionis ignari: cú
ſint (pulchrè vt Lactantius ait) omnibus flagitijs
ac ſceleribus inquinati, religioſos ſe
putant, ſi templa atque aras hoſtiarum ſanguine
cruentauerint: ſi focos adoleuerint, ac
veteris vini perfuſione madefecerint. Quin
etiam ſacras dapes apparant, & exquiſitas
epulas, quaſi aliquid inde libaturi, offerunt.
Quicquid aſpectu rarum, quicquid opere
aut odore precioſum eſt, & hæc grata eſſe
Dijs ſuis, non ex aliqua diuinitatis ratione,
quam neſciunt: ſed ex ſuis cupiditatibus iudicant.
Nec intelligunt, terrenis opibus Deú
non indigere. Nihil enim ſapiunt niſi terram
bonaque & mala ſolius corporis ſenſu, & voluptate
perpendunt. Talia nimirum quondá
veterum ethnicorum ſacra cuncta fuerunt
in quibus ſacrificij ipſius impendia ſi demas
vel muneris raritatem: quid eſt quod, non
dicam laudare, ſed vel ſpectare quidem mēs
ipſa hominis (modo cæca non ſit) æquo animo
ſuſtineat? Sed profecto radix Iuſtitiæ, &
Æquitatis omne fundamentum illud eſt,
VT NVLLI facias, quod pati nolis: ſed alterius
animum de tuo metiaris. Si acerbum
eſt iniuriam ferre, & qui eam fecerit, videtur
Iniuſtus: transfer in alterius perſonam
quod in te ſentis, & in tuam quod de altero
iudicas: & intelliges tam te iniuſtè facere,
ſi alteri noceas: quam alterum, ſi tibi. Hæc ſi
mente voluemus, innocentiam tenebimus,
in qua Iuſtitia velut in primo gradu conſiſtit.
Primus eſt enim nocere nulli: ſecúdus
in quo Iuſtitiæ veræ perfectio ipſa cernitur,
ſplendorque omnis elucet, innocens ipſe
cum ſis: ne cui iniuria fiat exactiſsimè prouidere.
Is ſiquidem illatori proximus eſt, qui
cum prohibere poteſt, iniuriæ non obſiſtit.
Vt igitur neglectis rudibuſque in agris, &
temporis tractu longo quaſi ſitu quodam
Sylueſcentibus: priuſquam terræ ſemina
mandes, ambitioſa luxurie hac atque illac
ocioſè fluentes, inutiles amputandi ſunt rami:
radiceſque illæ extirpandæ: quæ plus iuſto
terram occupantes, in expurgatione aruorum,
paulo poſt naſcituris ſegetibus iter
eſſe obſtructuræ, atque impedituræ videntur.
Sic è noſtris animis extrahenda prius vitia
ſunt, & tunc demum virtutes inſerendæ
de quibus, ſeminatæ per verbum Dei, fruges
immortalitatis naſcátur. Quod quò melius
aſſequi poſsimus, appetitionis noxiæ
animo violentia cú gliſcit pernicioſe erumpentibus,
tempeſtiuè affectibus obſtruendi
ſunt aditus. Tres ſiquidem affectus vel, vt
ita dicam, tres Furiæ ſunt: quæ in animis hominum
tot ac tantas perturbationes concitant:
& interdum ita delictorum iugo turpiſſimo
colla noſtra ſubmittunt ac ſubdúr, vt
nullum periculi reſpectum, nullam famæ rationem,
nullam denique curam noſtri nobis
prorſus habere permittant. Prima eſt quę 1
vindictæ cæca cupiditate mentem inflam- 2
mans: ſtatum ipſius miſere labefactat atque 3
perturbat ira. Secunda, quæ diuitiarum atq;
opum auiditate improba tabeſcit, auaritia.
Tertia libido, mortalium teterrima peſtis.
Quæ voluptatibus fœdiſsimis inhians, cor-

poris

poris atque animi ſunditus vires eneruat:
Senſumque hominem totum ſpolians ſibi,
dignitatem illius ita fœdè deuaſtat & miſera
atque luctifica ſic clade cruentat atque fu-
neſtat, vt non cognoſcas eundem eſſe. Suap
te igitur natura, vindictę cupida eſt, ira, Aua
ritia, opulentiæ, ac diuitiarum amica. Quæ
autem ad Venerem procliuis eſt facta, appe
tens voluptatum libido eſt. His vitijs reſiſtẽ
dum eſt, hæ ſtirpes eruendæ, vt virtutes ſeri
poſsint: quemadmodum Lactãtius ipſe Fir-
mianus pruditer nobis inſinuat. Atque hos
quidem affectus ſtoici amputandos: Peripa-
tetici verò temperandos exiſtimant. Neutri
eorum rectè, quia neque detrahi poſſunt, ſi-
quidem natura inſiti habent certam magnã
que rationem: neque minui, quoniam ſi ma
la ſunt, carendum eſt etiam temperatis, &
mediocribus: ſi bona, integris abutendum
eſt. Nos autem: neque detrahendos, neque
minuendos eſſe dicimus. Non enim per ſe
mala ſunt, quæ Deus homini rationabiliter
inſeruit. Sed cum ſint vtique natura bona,
quoniam ad tuendam vitam ſunt attributa,
male vtendo fiant mala, ſicut ſi fortiſsimè
pro patria dimices, bonum eſt: ſi contra pa-
triam, malum. Sic & affectus, ſi ad vſus bo-
nos habeas, virtutes erunt: ſi ad malos, vitia
dicentur. Ira igitur ad coertionem peccato-
rum, id eſt ad regendam ſubiectorum diſci-
plinam data eſt à Deo: vt metus licentiam
comprimat, & compeſcat audaciam. Et qui
terminos eius ignorat: iraſcitur paribus aut
fortioribus. Inde ad immania facinora proſi
litur: inde ad cædes, inde ad bella conſurgi-
tur. Cupiditas ad deſyderanda, & conquirẽ-
da vitæ neceſſaria tributa eſt. Sed qui neſ-
ciunt fines eius, inſatiabiliter opes congere
re nituntur. Hinc venena, hinc circumſcrip-
tiones, hinc falſa teſtimonia, hinc omnium
fraudum genera erupere. Libidinis autem af
fectus ad procreandos filios inſitus, & inna-
tus eſt: ſed qui limites eius animo non tenẽt
vtuntur eo ad ſolam voluptatem. Inde illici
tæ nuptiæ, inde adulteria & ſtupra, inde om
nes corruptelæ oriũtur. Redigẽdi ergo ſunt
iſti affectus intra fines ſuos, & in viam rectã
dirigendi, in quo etſi ſunt vehementes, cul-
pam tamen habere non poſſunt. Sed cum ſe
minaria actionum eſſe conſtet affectus: perſ
picuumque ſit, ſi praué perperamque vta-
mur, vitia fieri: ſin ſecus, virtutes exiſtere: in
telligendum eſt illud etiam, ſapientiæ verã
rationem non tam in affectuum ipſorum tẽ
perie, quam in illorum cauſis recte moderã-
dis ſitam eſſe. Ideoque potius illud efficere
debemus, vt affectus (quibus prauè atque
male vti vitium eſt) in rectum dirigamus.
Nam illæ concitationes animorum iuncto
currui ſimiles ſunt, in quo rectè moderãdo
ſummum rectoris officium eſt, viam noſſe.
Quam ſi tenebit licet concitatè ierit, non of
fendet. Si autem errauerit licet placidè ac le-
niter eat: aut per confragoſa vexabitur, aut
per præcipitia labetur: aut certè, quò non
opus eſt, deferetur. Sic curſus ille vitæ, qui
affectibus velut equis pernicibus ducitur, ſi
rectam viam teneat, fungetur officio. Nam
qui lætitia nimia non eſſe geſtiendum præ-
cipiunt, ſed modicè ac temperatè: tale quid-
dam facere videntur, ac ſi dicerent, concita-
tè currendum non eſſe: ſed moderate gradiẽ
dum. Quaſi verò & qui graditur errare, &
qui currit, rectam aliquãdo viam tenere nõ
poſsit? Quid enim Firmianus ait, ſi oſtende-
ro eſſe aliquid, vbi non tantum modicum,
ſed vel punctum gaudere vitioſum ſit: &
aliud contra, in quo vel exultare lætitia, mi-
nime criminoſum? Quid tandem nobis iſta
mediocritas proderit? Quæro vtrum ne ſa-
pienti lætandum putent, ſi quid inimico
ſuo mali videt accidere: aut vtrum ne læti-
tiam refrænare debeat, ſi victis hoſtibus, aut
oppreſſo Tyranno, libertas & ſalus ciuibus
parta ſit? Nemo dubitat, quin & in illo exi-
guum lætari: & in hoc parum animo lætitia
diffundi, non recte conſtituti animi ſignum
atque morum ſit crimen maximum? Quis
enim poteſt non dolere, ſi patriam aut peſti-
lentia exhauſerit, aut hoſtis inuaſerit, aut Ty
rannus oppreſſerit? Poteſt aliquis non dole-
re, ſi ſublatam viderit libertatem, ſi proxi-
mos, ſi amicos, ſi bonos viros aut extermina
tos, aut crudeliſsime trucidatos: niſi cuius
mens ita obſtupuerit, vt ſit ei prorſus huma
nitatis ſenſus omnis ereptus? Idem de cæte
ris affectibus licet dicere: quorum in cauſa
pari vel ſimili, eadem omnino eſt formula.
Sed vt dixi, non in his moderandis ſapien-
tiæ ratio verſatur: ſed in cauſis eorum, quo-
niam extrinſecus commouẽtur: nec his po-
tiſsimum fræna imponi oportuit, quoniam
& exigui poſſunt eſſe in maximo crimine:
& ſine vitio eſſe poſſunt maximi. Sed aſsig-
nandi fuerunt certis temporibus, & rebus,
& locis ne vitia ſint, quibus vti recte licet.
Vt enim recte ambulare bonum eſt, errare
autem malum: ſic moueri affectibus in re-
ctum, bonum eſt: ſin prauum malum. Om-
nis igitur illorum ratio, qui de affectibus ac
curate aliquid præcipere nituntur, verſari
in eo debuit, vt quoniam earum rerum im-
petus

petus inhiberi non poteſt nec debet, quia neceſſariò eſt inſitus ad tuenda officia vitæ, dirigeretur potius in viam rectam: vbi etiam curſus offenſione ac periculo caret.

SED NE QVIS fortè arbitretur, arguta concluſione aliqua (vt apud Platonem Socrates facit, qui eos, quos contra diſputat: cogit ea, quæ negauerant confiteri) ſic me mihi diſputationis rapido aliquo & quaſi incauto curſu, eos inieciſſe cancellos, vnde parum rectè, extricari, vel extrahi commodè, aut libere liceat, cùm non vno tantum loco ad rationis quandam Symmetriã eſſe redigẽdos affectus, ſuperius admonuerim: hác qui mihi quaſi palinodiç anſam obiecerit, ſic cogitare debet. Ad rationis æquilibrium caſtigandos affectus, & tanquam temerè exultãtes coercendos eſſe prudenter ac modeſtè cenſuiſſe: quoties extra præſcripta naturæ, vitioſè vagari ſunt cœpti. Quo quidem temporis articulo (rectè vt ſuo munere fungi poſſint, & rationi imperatrici ſeruire) conſtringendi illius tempeſtiuè ſunt fræno, & habena moderandi. Alioqui periculum eſt, ne turbatiori ipſorum impetu, tanquam flatu aliquo vehementiori: præcipitem ad locũ pernicioſe ac turpiter moderatrice deiecta gubernatrix vera vitæ præſtantiorque noſtri pars, ratio: ignominioſæ tempeſtatis horrendas ad Syrtes illiſa, naufragium patiatur (ipſi hominum generi diſciplina morum amiſſa) in primis funeſtum, ac maximè luctificum. Mitigatio enim legitima affectuum, id eſt (vt ego interpretor) ex rationis præſcripto ſedandarum commotionũ opportunè hauſta temperies, pacem animo infert: & claritatis cuiuſdam iucundæ fulgorem menti ſuppeditat. Siquidem vniuerſa ſcelera & flagitia, his commotionibus Temperantiæ virtute ſedatis, ex hominum vita & moribus è veſtigio tolli creduntur. Quæ quidem vitioſe erumpentium commotionum, affectuumq; ſedatio hãc habet rationem, vt omnia recta faciamus.

VT IGITVR reuertamur eò, vnde ſenſim paulatimque decidimus, omne virtutis officium eſt, non peccare. Quo profectò fungi non poteſt, qui Deum neſcit: quoniam ignoratio eius, à quo bona oriuntur, imprudentem impingat in vitia neceſſe eſt. Itaque vt breuius, & ſignificantius vtriuſque rei ſumma officia determinemus: Scientia eſt Deum noſſe, virtus colere. In illo Sapientia, in hoc Iuſtitia continetur: vt diuinarum inſtitutionum libro ſexto dum de vero cultu diſſerit, Lactãtius exiſtimauit. Triſmegiſtus verò Mercurius nihil aliud eſſe pietatem definiuit, quam ſupremi, verique Dei cognitionem. Si ergo pietas eſt cognoſcere Deũ, cuius cognitionis ſumma eſt, vt eum colas: ignorat vtique Iuſtitiam, qui religionem Dei non tenet. Religionis effectus in ſanctitate animi omnis eſt poſitus: qui & ipſe in redditione Iuſtitiæ, quam ſummi Numinis maieſtati pie & caſte præſtare debes, & in diuini cultus exhibitione, qui eadem puritate animi offerendus eſt Deo, vel maxime ſemper elucet: quæ nobis omnia ex diuinorum præceptorum obſeruatione vberrimè ſuppeditantur. Hinc enim & pietatis ſanctio: & ſupremi verique Dei cultus omnis eſt ductus. Quamuis autem pectoris puritas, ſynceritas animi, & mentis integritas ad legitimam veramque exhibitionem doni ſatis ſint: ſtudio tamen acri exquirenda ſunt alia, quæ apud ſummi Numinis maieſtatẽ, oblationem noſtram commendatiorem multo gratioremque efficiunt. Nempe humilitas ſupplex, demiſsio, abiectioque noſtri, & miſericordiæ ſalutaris affectus, qui in exhibendæ opis cauſa ſimili, votis noſtris propẽſum propitiumque delictis Deum ipſum prorſus efficit. Neque enim homine ignobilior eſt Deus, vt de ſe humiliter ſentientem, atq; proximo veniam dantem, ſupercilio aliquo imprudentiæ faſtoſo, deſpiciat atque contemnat: cognatumque ſibi potius nimis amanter ſuſcipit, atque amplexatur affectum. Exaudiri enim prorſus eſt dignus, qui nullius vnquam precibus difficilem aurẽ exhibuit.

INNOCENTIAE apud Deum vim eſſe magnam fateor: cultumque illum verum, in quo mens colentis ſe ipſam Deo immaculatam victimam ſiſtit. Miſericordiæ tamẽ affectio & clementiæ pectus auidum inſontem animum nacta, in ipſa oblatione doni maiori digna ſunt premio: niſi forte quis exiſtimet, inchoatam imperfectamque Iuſtitiam, illa eſſe præſtantiorem habendam, quæ abſoluta ac perfecta ſit, & officij boni viri laude omni cumulata. Innocentia, haud dubiè proxima miſericordiæ eſt: bona illa quidem ſibi vni tantum atque admodum ſalutaris: hæc verò commoda atque vtilis multis, & ſine cuius auxilio, præſidij indiga humanitas, periclitatura ſæpe valde ſit. Illa enim malum non facit, hæc inſuper bonum operatur: ac communis hominum conditionis, fragilitatiſq; memor, periculis eorũ & calamitatibus ſubuenit. Inchoat itaq; illa Iuſtitiam, hæc autem complet: cumque ipſas mortalium res propter imbecillitatem, infir-

mitatem-

mitatemque humanæ naturæ, mutuis auxilijs conſtare intelligat: neceſsitatibus cunctorum expoſita, gratis omnibus officioſa eſſe deſiderat: ſeduloque ſuam opem ſemper quibus poteſt, impartit. Victum indigentibus præbet: potentiorum iniuria preſſos, calumniæ, ac violentiæ ſubducit: peregrinos & pauperes grato excipit hoſpitio: pupillorum, viduarumque tutelam libenter ſuſcipit: captiuos ab hoſte redimit: ægros atque afflictos inuiſit: ſubſidio inopes fouet: inſepultos iacere, non patitur. Longè hæc nimirum, quã nocere nulli, meliora præſtantioraque eſſe, quis neſciat? Circunuenire autem nullum, neminem lædere, alterum non offendere bene conſtituti animi indicia, innocentię ſymbola, viri denique boni inſignia planè ſunt: ſed tamen authorem non excedunt, domeſticis parietibus, & priuatæ arcæ qui talia agunt bonitatis ſuæ diuitias (liberali non admodum officio functi) opeſque recondunt, ſuis tantum vſibus ſeruientes. Illa verò illuſtris haud dubiè, verèque excelſæ mentis, atque ornamenta ſunt laudis, in quibus noſtræ ipſorum vtilitati ſubleuatio multorum comes accedit, reipublicæque adeo ipſius communis adiunctus eſt fructus: quod miſericordiæ opibus pectus inſtructum periclitanti vitæ hominum auxilia præbens, acciſiſque noſtris rebus opportunè fauens atque ſubueniens, ſtudioſè vſque ac benignè factitat. Cuius quidem laudis, nec affines quidem cenſendi, nec participes ſunt appellandi, qui ab inferenda tantum temperantes iniuria, ac ſibi veluti viuentes, innocentia animi ſola gaudent. Hi igitur amici pectoris, ſalutiſque omnium cupidi, induſtria clara aliti: inclyti illi animi ſunt ſtimuli: qui generoſis animis adnaſcentes, ad omnem nos honeſtatem, & laudabilem actionem concitant: hæ optimi ac iuſtiſsimi viri partes: hæc clementiæ munera, hæc tandem miſericordiæ vera officia ſunt: in quibus quæ affligi ac vexari improbe videbatur, erepta periculis: vel ſubleuata, ne corruat, humanitas ipſa eſt. Quæ ſi quis, laudabili opere, penèque diuino perfunctus, re ipſa præſtiterit: verum procuIdubio & acceptum Deo Optimo Maximo ſacrificium immolabit. Hac enim tam inſigni, tamque munifica elatione animi præditum virum miſericors Deus (quia iuſtus eſt) ſua & ipſum lege, ſua & conditione perſequitur. Miſeretur ei, quem viderit miſericordem: inexorabilis eſt ei, quem precantibus cernit immitem.

AD HVNC ITAQVE MODVM eſſe qui ſtudet innocens, vt & alijs pariter ſit beneficus: quam intulit nulli (ab his, quos indignè premi, vel iniuſta aliqua clade affici cernit) ſtudioſè iniuriam propulſans, longèque amoliens: hic profectò Summi Numinis apud aram, oblationis pulchram victimam ſiſtit: non occiſi aliquo cruore atque viſcere animantis (neque enim tali gaudet ſanguine Deus) ſed inculpatæ vitæ, & immaculatæ conſcientiæ oblatione: atque ipſa protectione hominum: quos (ne iniurijs aliorum & violentia oppreſsi, perirent) in tutelam ſuam libens, fidemque ſuſcepit. Quiſquis igitur his omnibus præceptis imbutus, diuinæ iuſtitiæ, & cœleſti voluntati obtemperauit: hic eſt verus Dei cultor habendus: Cuius ſacrificia ſunt manſuetudo animi, & vita innocens atq; actus boni. Summi enim præpotentiſque Dei in ara, quæ (vt Lactantius ipſe Firmianus, veriſsimè ac rectiſsimè exiſtimauit) verè maxima eſt: & quæ in corde hominis collocata coinquinari ſanguine nec poteſt, nec debet: Iuſtitia imponitur, Patientia, Fides, Innocentia, Caſtitas, Abſtinentia, quo genere ſacrificij longè efficacius ac melius, quam operoſo aliquo munere, vel pretioſa victima Deo ipſi litatur. Deus enim non deſiderat victimã, neq; muti animalis, neque mortis ac ſanguinis: ſed hominis vitam. Quod cum ita ſit, illud profectò à veteribus (vt ſcriptis nobis eſt illorum proditum) de malis atq; impijs eſt ſacerdotibus quam rectiſsimè lege cautum.

Impius ne audeto placare donis iram Deorum.

Sancte vota reddunto.

Platonem audiant (inquit Cicero) qui vetat dubitare: qua ſit mente futurus Deus, cum vir nemo bonus ab improbo ſe donari velit. Lacedæmonius Lyſander à Tyranno Dionyſio filijs pretioſiſsimas veſtes miſſas recuſauit. Verebatur enim (vt dicebat ipſe) ne eiuſmodi veſtibus, & à tali potiſsimum miſsis, amictæ ſuæ filiæ, turpiores exiſtimarentur. Scilicet homo cæteris non multo ſapientior ab improbo pretioſa dona accipere noluit: Sapientiæ author Deus, vitiorum labe dona ſordida, hamataque ab improbis munuſcula acceptabit? & qui non tam doni magnitudinem, quam ad ſacra accedentis mentem inſpicere, & offerentis ſolet expendere voluntatem: ab eo ſe facile donari patietur, qui cùm periurijs ſit maximis delibutus: inſidijs, ſcelere, atque fraude coopertus, fraudulenter inſuper cuncta voueat, reddatque ſubdolè, facultatibus

Y tamen

tamen innitens, atque opibus fretus ad ſacrificandum accedit? Atquî hoc ne Didoni quidem mulierculæ obſcurum fuit, cuius laudatur illud in Æneæ fractam fidem, & coniugij pacti deceptam ſpem, vt eſt apud Ouidium.

Pone Deos, & quæ tangendo ſacra profanas
Non benè cæleſtes, impia dextra colit.

Cui affine eſt epigrammatici illud Martialis.

Non quacunq; manu victima cæſa litat.

Quid? quod ſapientiſsimus ille Romanorum Cato, in verſiculis illis de moribus, veræ religionis, & ſacrificij optimi fundamentum, mentis eſt puritatem arbitratus. Sic enim ait.

Si Deus eſt animus (nobis vt carmina dicunt)
Hic tibi præcipuè ſit pura mente colendus.

Non pecudum victimis, nō ſacrificij operoſis ſumptibus, magnis ve impendijs, vt vulgus: ſed ſyncera voluntate animi, & propoſito mentis pio, diuini Numinis fauorem emerendum, Deumque eſſe placandum ſapiens ille videbat. Quid ſi ad illa eſſet protractus tempora, quibus noſtra illa effœta ſenio paupercula nobilitatum illum in Gazophilatium templi obtulit terunculum: qui diuino teſtimonio Crœſsi eſt diuitijs antelatus? nimirum tunc id ei liceret maximè dicere. Rectè igitur à M. Cicerone leges illæ veterum ſapientum de religione ſecundo de legibus libro laudantur.

Ad Diuos adeunto caſtè:
Pietatem adhibento:
Opes amouento:
Qui ſecus faxit, Deus ipſe vindex erit.

Quarum legum quem potius ſequar interpretem, quam illum Ciceronem, qui hæc ipſa è Græcis repetita theſauris, latinis literis illuſtrare primus cæperit? Quid is? Caſtè (inquit) ad Deos adire iubet lex, animo videlicet, in quo ſunt omnia: nec tollit caſtimoniam corporis. Sed hoc oportet intelligi, cū multum animus corpori præſtet, obſerueturque vt caſto corpore adeatur, multo eſſe in animis id ſeruandum magis. Nam illud vel aſperſione aquæ, vel dierum numero tollitur: Animi labes nec diuturnitate vaneſcere, nec manibus vllis elui poteſt. Quod autem pietatem adhiberi, opes amoueri iubet ſignificat probitatem gratam eſſe Deo, ſumptum eſſe remouendum. Quid eſt enim, cum paupertatem diuitijs etiam inter homines eſſe æqualem velimus, cur eam ſumptu ad ſacra adhibito Deorum aditu arceamus? Præiertim cum ipſi Deo nihil minus gratum futurum ſit, quàm non omnibus patere ad ſe placandum viam. Quod autem non iudex, ſed Deus ipſe vindex conſtituitur: præſentis pœnæ metu religio confirmari videtur.

Vides ne, quàm rectè ad libram exacti perfectique iudicij dimenſa, expenſa etiam & examinata ſint cuncta! quàm ſuas obeat generoſè Cicero partes! quamque idem in interpretandis legibus religioſè ac ſanctè munere fungatur interpretis! Caſtè igitur in vouendis ac reddendis Deo votis, verſandum eſt: & in ſacrificijs peragendis exhibenda limpida mens. Grauiter enim ſeuereque vindicat in eiuſmodi rebus ſuſcipiendis impuritatem mentis ſupremus ille Rex, atque hominem ſator Deus. Mileſius Thales, qui inter ſeptem illos ſapientiæ fama nobiles, prudentiſsimus eſt habitus: rogatus à quodam lateret ne Deum homo iniuſtè agens, reſpondit: ne cogitans quidem. Cuius rei haud ignarus Seneca, Summi Dei maieſtatem, prouidentiamque declarans: mirabilem illam meritoque laudatam vocem extulit. Magnum neſcio quid, maiuſque quàm cogitari poteſt, Numen eſt, cui viuendo operam damus: Huic nos approbemus, nam nihil prodeſt incluſam habere conſciētiam: patemus Deo. Ergo ſi nihil Deo celari, vel omnino poteſt abſcondi: mentis integritas, egregius atque animi candor; cùm actionibus vitæ reliquis, tum etiam diuinis rebus cum operam damus, præcipuè adhibenda ſunt: & piè ac ſanctè præſtandum: ſi quid eius maieſtati ſis pollicitus. An ſint pretioſa Dona conſiderat homo, mittentis voluntatem expendit ac ponderat Deus, valorem nihil moratus. Quapropter minus mirandum eſt, ſi victima interdum Deum plecet parua: & Mola ſalſa litent, qui thura non habent. Ab inſpectore ſiquidem rerum omnium Deo, non tam hercle rei ſibi oblatæ magnitudo, quàm offerentis animi vera puritas, & voluntas ponderatur. Innocens enim vita Deum, auguſta ſanctaque mens: non ambitioſi donatoris, vel ſuperbi gaza capit: Vnde pudici ſanctique vatis carmina illa iure laudantur.

Non quantum dederis, ſed qua tu mente dediſti
Penſandum eſt, placat victima parua Deum.

Cui ingenio vir nobilis Actius Sanazarus, nobilitatis & ipſe carminibus ad hunc modum adſtipulatur.

Mentem,

Mentem, animumque Deo: non thura, aut
exta parate:
Has illi pecudum fibras, hæc reddite dona.

David autem ſanctitatis vir maximæ, quale nos ſacrificium Deo Optimo Maximo exhibere debeamus, carminibus ſuis declarauit profectò maximè, Sacrificium (inquit) Deo: ſpiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. Non pretioſam hoſtiam: non diſpendioſam victimam: non ad pompam & inſpectantium plauſum faſtoſo ſupercilio miſſam oblationem: ſed propter offenſionem diuinæ maieſtatis: quam, ob commiſſi culpam peccati, homo ſæpe incurrit: contrahentis, ſeque affligantis miſerè dolorem animi Deo ſignificat & placere, & gratum eſſe: taleque illi ſacrificium (dum à peccato per pœnitentiam verè reſipiſcit) litaturo ab homine omnino impendi debere. Hæ nimirum optimæ ſunt oblationes Deo; quoties ab homine erroris pœnitenti, dolenter petitur venia delictis: & pro acceptis beneficijs Summi Numinis maieſtati ex animo atque vere, gratiarum actiones redduntur. Nam qui ſuſque deque habet muneris impendia ſuperbi: haud faſtidit quidem pias lachrymas, & ſupplicis animi deuotionem. Id quod vel ab ethnicis quandoque fuiſſe perſpectum video: quorum ex numero haberi Ouidius poterit, qui de natura cœlitum pia hæc carmina fudit.

Sæpe leuant pœnas, ereptaque lumina reddunt:
Cum benè peccati pœnituiſſe vident.

Eſt igitur litandi baſis, ab omni vitiorum labe purgata & limpida mens: vel ſe ob priſtini conſcientiam flagitij & peccati recordationem, vita caſtigans perpetim. Vt enim in remedijs vulneri, vel morbo adhibendis, nulla tam facere dolorem ſolent, quam quæ maxime ſunt ſalutaria: ſic nulla perinde medicina, animi ſordes diſcutit & contractiunculas vitiorum eluit, atque mentis ipſius germanus ac verus dolor. Is enim ſacrificio mentem præparat: abalienatumque Deo ob culpam peccati hominem & conciliat: & reſtituit. Ex quo Catonis illud laudatur.

Cum quid peccaris, caſtiga te ipſe ſubinde:
Vulnera dum ſanas, dolor eſt medicina doloris.

Sic nimirum Apoſtolorum ille princeps Petrus (haud enim exemplum hoc verebor afferre, quando ſacra prophanis non tamen irreligioſe permiſcere ſemel inſtitui) Petrus inquam, ſummi futurus clauiger ætheris, ſtupiditatis (qua illius obſtructa mens, quem negabat, & magiſtrum, & hominum, & gentium cunctarum ſeruatorem, nec dum potis erat expendere) cognito errore & praua mentis cæcitate: qua nam quæſo re tantum illud animi vulnus abſterſit, quam iugi animi dolore, & piarum ſemper effuſione lachrymarum ob criminis contracti conſcientiam? Quo de homine illud eſt literis proditum, dum vita manſit, ſub illam bene cognitam negationis horam, ſingulis quibuſque diebus pijs lachrymis ora irrigare, ac plangere fuiſſe ſolitum. Iam verò ex Magdalo illa indyta Maria, quæ peccatrix fuerat vulgari nomine dicta, Nardi ne magis vnguenti pretioſi effuſione, quam fœlici illo & oſculo & fletu ad Seruatoris Optimi Maximi pedes prouoluta tantorum eſt criminum veniam ſortita, & gratiam conſequi merita? Certè pretioſi oblatio munuſculi gratiæ tantum aſſequi non poſſet, ni (pœnitentis animi patefacta culpa dolore) lachrymis fuiſſet obtentum. Sic nimirum pium fletum (quem conſcientia delictorum, mentemque reformans diuinus amor excuſſerat) gratia eſt, flagitia delens, protinus conſecuta. Quid porrò de Dauide nunc dicam? Cuius, ponderis tanti apud Deum, lachrymæ ipſæ fuerunt: vt eis ipſis atrociſſima crimina, nempe adulterium cum homicidio emaculare ſit meritus? Flebat enim inſignis pietate vir, cogitatione vſque mœrens criminum. Haud ignarus peccati medicinam veram, eiuſdem eſſe lachrymoſam confeſſionem. Nullum tam graue animi crimen eſt, quod non vel facile remitti & condonari ſoleat à Deo: præſertim ſiquis ſacerdoti, vero animi dolore mœrens, tanquam CHRISTI in ea parte vicario, pectoris vlcus aperiat. Atque hoc quidem eſt, quod de medicamenti huius pretioſi effectu mirifico differens (vt extat apud Gratianum) pulchrè Auguſtinus aiebat: Lachrymæ purgant delictum, quod pudor eſt confiteri. Reſeratione ergo animi pia (pœnitentes facti ob auerſionem à Deo) teterrimæ acerbitatis virus euacuemus. Nemo flagitiorum ſuorum immani atrocitate deterritus, à Sacramento tali refugiat. Auarè nimis de Summi Dei ſentit bonitate: eſtque impius plane, quiſquis diuini pectoris diuitias in clementiæ ope exhibenda, humana aliqua affectione metitur: ſimilemque ſui

Deum eſſe in delictorum gratia facienda:& in eo, quo ipſe eſt crimine offenſus obliuione delendo:temere exiſtimat. Olidã ergo vitiorum exhauriamus ſentinam: peccatorum graui pondere conſcientiâ exoneremur, pharmaco vtamur ſalutis: renaſcamur vitæ datori. Sit igitur mihi fas aliquando, contractas animi ſordes inculpatis corrigere moribus, pœnitentiaque eluere: liceat ſemel impune peccaſſe.

SIT erranti medicina confeſſio.

SED ſit placidarum aurium, feriati animi, prolixi operis, ocioſique temporis, quæ ſeſe hac in parte nobis exempla offerunt, ad plenum velle perſequi. Eſt igitur ſingultus veri, nou fictarum lachrymarum, & ab imo pectore ducti ſuſpirij magna vis, holocauſtum que illud optimum, in quo deſecata malis offertur Deo mens: vel dum ex animo dolentes ob anteactæ vitæ turpiter inſtitutam rationem, & tot commiſſa piacula ad bonas iam actiones qui reſipiſcunt: boni viri, amãtiſque Dei, rebus in multis negligenter à ſe ſuſceptum, vel planè deſertum fuiſſe querũtur officinm.

CVM ERGO ad hunc modum cuncta ſe habeant, ſitque prorſus obſcurũ nihil Deo, Iſque pium fletum beneficio cnmpẽſet maximo, abolitione peccati videlicet, & amiſſæ inſuper gratiæ inſtauratione: eumque ſacrificij loco optimi, & muneris ingentis acceptet. Intelligendum hinc etiam prudenter eſt illud, Deo optimo Maximo ſupplicanti vel ſacra facienti impiè, fraudulenter, neſariè, aut libidinoſe, nihil eſſe animo moliendum: ſed ab omni improbo, turbatiori ve animi affectu tunc maximè vacandum. Tales enim adoratores cœleſtis quærit pater, qui in ſpiritu adorent: nõ qui ſummum pectore occultantes ſcelus, verbo ſanctitatem vſurpent. Popnlus hic (ait dominus omnipotens) labijs me honorat: cor autem eorum longè eſt à me. Non igitur mirũ ſi cum ſuo munere, vt indigni reijciantur, qui ea ſui procaciter peccant parte: qua ſupplicandum fuit: & apud ſummæ maieſtatis Numen ab homine ſolet potiſſimè litari. Huc accedit, quod omnia perſpicientem vt nulli eſt fallere datum: ſic ne tributum quidem irreligioſe precari abſque ſupplicio. Bene igitur Mileſius ille Thales, cuius à me paulo ante mentio facta eſt, oportere ſæpe dicebat, Homines exiſtimare, Deos omnia cernere: Deorum plena eſſe omnia. Caſtiores enim omnes credebat fore: Ipſamque Immortalium Deorum religionem ſyncerius multo & purius ab illis ſuſceptum iri. Sapientiſſimi huius præcepti inſcius parum Cicero: quaſi is, cui iam perſuaſum eſſet, Diuis & patere & lucida eſſe cuncta. Hunc in libris de natura Deorum, cultum optimum eundemque caſtiſſimum, atque ſanctiſſimum, & pleniſſimum pietatis oſtendit: vt Deo ſemper pura, integra, incorrupta & mente & voce veneremur. Nos autem multitudinis nnmerum (qui Deorum ſignificat confuſionem, chriſtianæ pietati contrariam) è medio tollentes: qui quamobrem ab illo ſæpe adhibitus ſit, iam diximus. Deum vnicum, rerum cunctarum ſummum moderatorem verum opificem atque parentem: enndemqne etiam ipſorum à lapſu hominum reparatorem, ſeruatoremque benigniſſimum: affectione mentis puriſſima & colemus & venerabimur: vbique gratias agentes.

ET QVONIAM ab inſigni viro Pythagora ſapienter illud eſt dictum: tum maximè & pietatem & religionem verſari in animis, cum rebus diuinis operam daremus: Chriſtiani populi princeps, cui ab omnipotenti Deo, imperij poteſtate conceſſa, humanarum ferè rerum tradita gubernacula ſunt ipſiuſque terrarum orbis creditus clauus & cura commiſſa, acceptæ memor dignitatis, & recordatus honoris (eſt enim vt vere Paulns ait poteſtas omnis à Deo,) ſedulo curare debet, vt quam honorificentiſſimo ciuitatis loco templa conſtitnantur: in quibus IESV CHRISTI ſeruatoris Optimi Maximi peractis rite Sacris Numen adoretur: & Deiparæ intemeratæ Virgini reuerentiam atque venerationem accuratè exhibeamus: Tum miſſis à Deo Apoſtolis, Euangelijque ſacri ſcriptoribus: & Chriſtianæ buccinatoribus fidei, id eſt, confeſſoribus atque Martyribus, qui generoſo & infracto animo ludibria, tortores, verbera, & aduerſa cuncta pro CHRISTI aſſerenda fide, & Dei amore ferentes, ac vita tandem innocentiſſimè, pientiſſimeque perfuncti: ſalutis noſtræ apud illum deprecatores ſunt facti. His igitur omnibus delubra ac fana erũt cum effigiebus ac ſimulacris: ad quæ, repræſentationis ergò ſuppliciter procidentes, pias fundemus preces: Cælo interim noſtram mentem alleuantes. Vt, quem induiſſe iam ante animo oportet, acie ipſa mentis (qua ſola Numẽ mortali adhuc corpore ſeptis aſpici fas eſt) Deum poſſimus inſpicere: orationis legitimæ formula, miniſterioque vtentes. Eſt enim oratio vera, vt à Da-

maſceno prudenter eſt dictum, eleuatio mentis in Deum.

ERVNT ad hæc, ex agricolatione, pecudū fructu, agrorumque paſtione certi quidam redditus anniuerſarij: primitiæ rerum, ac decumæ: quæ quotānis publicè dependantur, vnde ſacrificuli ipſi atq; æditui cum cæteris diuinarum rerum miniſtris, quaſi ſacerdotij iure paſcantur. Ne à ſummi Dei religione & cultu ob inopiam retrahātur: ad vitæ neceſſarios vſus profana lucra ſequentes. Tum illud etiam eſt curandum, vt honeſtarum virginum CHRISTI pietati vacantium ſancta ſint in vrbe ſodalitia: & religioſorum virorum (quos monachos vulgus appellat) rectè inſtituta collegia, qui omnes firmitatis, tanquam ciuitatum apud Deum vera vincula, quia ad ſtabilitatem decuſque imperij valde ſunt neceſſarij, non minus neceſsitatis ſalutari quodam nexu, quam pietatis intuitu, miſericordiæ vniuſcuiuſque priuatis obſequijs, congruè ſuſtentandi: vel de publico ſunt alendi. Æquum eſt enim, vt qui partem vitæ amplexantes optimam, diuinæ pietati ſacrati, datorem vitæ pro nobis deprecantur, interdiu ac nocte Hymnos Deo ſanctiſsimè concinentes, aliqua noſtrarum rerum congruenti portione ad vitam reficiantur.

PAVPERES ad extremum non ſunt negligendi. Nullum enim pietatis officium acceptius Deo eſt, quam pauperum ſubleuatio. Nam quid quæſo aliud vniuerſa CHRISTI vita ſonat, quam hoſpitalitatem, clementiam, pietatem, ac miſericordiam, & in fouendis pauperibus animi alacritatem? Mihi feciſtis (inquit omnipotens Dominus) quodcunque illis meo nomine feceritis. Erunt igitur in populo Xenodochia, in paupertatis erecta præſidium: vbi illi recipiantur, qui aliena miſericordia victitant. Ne, qui virium exigui gratia cibi ignota luſtrant limina hoſpitio, (vt fit) ſæpe deſtituti ad ſtercus & rudera ſub dio prouoluantur, rigeſcentes gelu, contabeſcentes fame; aut vi morbi ſæua ingruente, deficientes planè. Quorum in numero & illi ſunt habendi, qui pia & ſancta loca inſpiciendi auidi, peregrè diſcedentes, proculque à patria profecti apud exteros peregrinantur. Quos periculoſo pietatis ergò itinere ſuſcepto, quò longius à ſuis abierunt, eò à nobis & tractari benignius, & hoſpitio excipi humanius par eſt. Ne ſummi Dei Numen experiamur infeſtum: qui, vt in libris de republica prodidit Plato, iniurijs horum vltor aſsiſtit. Conſtituto igitur in calamitoſorum hominum ſubſidia Xenodochio, præficiendus erit, qui pauperum curam habeat: vt ex medicorum præſcripto valetudini neceſſaria, pharmaca ſcilicet & victus illis ſuppeditentur: creandiq; ſunt ex vicinia omni vel tribu honeſtiſsimi homines, qui pietatis munus ſuſcipiant: & bis, ſi fieri poteſt, aut ſemel certè in Hebdomada, ſtipem rogent, ad ægris emenda cum cibis pharmaca, nulli ſi erunt redditus, aut ita tenuis cenſus, vt Xenodochij cura domeſtica parum ſuffectura ſit pauperum neceſsitati. Rotaque per omnium capita id muneris, officijque debet vicatim, tributimque, idoneis ſemper prouincia delegata. Atque circa hæc quidem omnia pietatis officia, religionis amicum, Deique amantem principem, excubare ſemper animo oportet.

SED NE TETRICE agam, exactè ve nimium eiuſmodi rerum rationem à principe videar exigere: quid enim, dicent alij qui, ſi bellicis rebus intentus, & imperij alijs implicitus curis, huic rei vacare nequeat? Ijs quamuis reſponderi poſsit, nullam tantam rem interuenire principi poſſe, quæ charitatem ſummi Dei arceat, & veræ munus pietatis impediat: attamen (ne ſeuerius inquam cum Rege videar de cauſa agere) ſatis erit ſi per præſides, prætores, prouinciarumque præfectos, prouinciam hanc & ſuſcipiendam & expediendam quam optimè curauerit. Curata autem tunc demum præclariſsimè videbitur, ſi præfecturas, magiſtratuſque mandauerit ſapientibus: & non tam diuitiarum cupidis, quam gloriæ laudique feruidantibus, virtutū nimirū amantibus viris. Quibus in ipſis ſimilis laudis affectus ad gloriā, non minus naſci, quam conſpici conſueuit. Neque enim fieri poteſt, vt ad hunc modū diſtributis honoribus, id eſt bene moratis hominibus, in magiſtratu conſtitutis, præclara iſta ſubleuandorum pauperum cura quaſi deſpectui habita, deſidiæ graui culpa aliqua abijcienda, aut ocij prætextu aliquo, turpiter animo exuenda ſit. Cum præſertim, qui elatione animi eiuſcemodi ſunt ornati, egregiè norint quantum ex ſolertia tali, curriculo tandem vitæ decurſo, veri fructus & lucri illorum ſit animis acceſſurum. Sic nimirum tales apud viros facilè princeps inueniet, qui circa hoc negotium obire partes ipſius fideliſsimè ac rectiſsimè poſsint. Quod ſi neglexerit, haud equidem libenter vectigalis huius illi redemptor acceſſerim. Nam & immiſericordes, ſuperbaſque diui-

tias ad ſummam video egeſtatem fuiſſe redactas: & Religionis negligens regnum, diuino iraſcente Numine, in calamitatem verſum, & miſeriam commutatum. Quo ex fonte Ouidianum illud libatum eſt.

Viuit qui quondam miſeris alimenta negarat,
Nunc mendicato paſcitur ille cibo.
Tuba Cæleſtes fieri præconia gaudent,
Vt ſua quid valeant Numina teſte probent.

Cui ſententiæ adaptari non male poterit Æneæ illud ad Turnum, vt eſt apud Maphæum.

Diſce Iouem revereri, & iuſſa faceſſere Diuûm.
Magnum etiam capit ira Iouem: memoresq; malorum
Solicitat vindicta Deos.

Huc etiam pertinet Annæ ſanctiſsimæ fœminæ nobile canticum, ex quo tanquam ab arbore optima, & vitæ hominum fructuoſa maximè, decerptos, ſurculum vnum atq; alterum, verbis ſcriptiſq; noſtris (Deo auſpice) inſeram. Sic enim ait, repleti prius, pro panibus ſe locauerunt: & famelici ſaturati ſunt. Vnde ex tam diuite affluentia rerum, incredibilis iſta penuria, & extrema hominis indigentia? à quo vè rurſum ſubitò profluxit, ex famelica iſta, quam audis, mendicitate viri tanta ſaturitas? Ipſam quæſo, canentem Annam tantiſper auſculta.

Dominus pauperem facit, & ditat: humiliat, & ſublenat.
Suſcitans de puluere egenum: & de ſtercore eleuans pauperem:
Vt ſedeat cum principibus: & ſolium gloriæ teneat. II.

Habes, viciſsitudo iſta rerum ſuperbum hominem, inhoſpitalem inhumanumq; ludificans: à quo ſit fonte profecta: eſt enim ad compeſcendam inſolentiam eorum, qui humanitatis ſenſu omni penitus exciderũt, in terras à Deo vtiliter immiſſa, vt modeſtè ac ſobriè apud eos, quos nimium accisis afflictiſque in rebus, verſari cernunt, agere diſcant. Puſillum enim & magnum Deus facit. Quo in loco mirabilem referam, ſed tamen verã hiſtoriã. Diuus ille Germanus CHRISTI pontifex inclytus (vt in Sanctorum Catalogo extat ſcriptum) Britanniã verſus iter arripuit, diuini verbi gratia ſeminandi, nam id temporis Britãniæ Regnum hæreticis hominibus plurimũ infeſtabatur. Cũ igitur ad principis aulam famelicus, ac de via feſſus peruenisſet, Regemq; ſibi eſſet epulis vacare nunciatum, ſpretus ab aulicis eſt, palatij foribus peſulo obdito, facti huius non ignaro principe. Interea dum hæc geruntur, cùm modùm eſt egreſſus regius quidã paſtor diaria manu portans: qui vbi primùm venerabilem virum, reuerendumq; Antiſtitem pro regijs foribus cum ſocijs vidit aſtantem & fame & frigore enectum: domum ſecum duxit, vbi occiſo vitulo pro conditione Fortunæ, ad ſplendidum focum conuiuio opiparè excepit. Quæ profectò res paſtori illi fœlicitatis initium fuit, & à Deo parati regni auſpiciũ. Nam cùm die poſtero Regem ipſum in via fortè Germanus offendiſſet: Cur, inquit, regiæ valuæ iuſſu tuo mihi heri non patuerũt? Ad quæ dicta cum Rex obmutuiſſet (neque enim habebat, quid reſponderet miſer.) Hîc Germãnus, nunc (ait) & regno decidas oportet: & meliori poſſeſsionem auitæ ditionis cedas omnino neceſſe eſt. Accitoq; ex diuina inſpiratione paſtore, qui miſericordiam fecerat, Regem conſtituit: & in Solio collocauit. Exindeque factum (vti Annales perhibent) vt Britãniæ Reges ex paſtoritia gente deſcendant. Sed de his ſint hactenus dicta ſatis: Nunc pergamus ad reliqua.

HAVD IGITVR mirum eſt, ſi pijs, iuſtiſque hominibus, Deumque timentibus (vti orationis huius principio dixeram) proſpere eueniant cuncta: cum ij, qui circa Dei omnipotentis pietatem negligentiores ſunt habiti, tam infœlices ſucceſſus, & vitæ caſus habeant. Benè itaq; M. Cicero pietatem amanti, & de diuina prouidentia magnificè & præclarè ſentiẽti fauſta omnia futura, cœptaſq; res omnes in maius atq; melius prouehẽdas vſque credebat. Sic enim in oratione de Aruſpicum reſponſis loquitur. Quàm volumus P. C. licet ipſi nos amemus: tamen nec numero Hiſpanos, nec robore Gallos, nec calliditate pœnos, nec artibus Græcos, nec denique hoc ipſo huius gentis ac terræ domeſtico natiuoq; ſenſu Italos ipſos, ac Latinos: ſed pietate ac religione, atq; hac vna ſapientia, quod Deorum immortalium numine omnia regi, gubernarique perſpeximus: omnes gentes, nationeſque ſuperauimus. Sic & de natura Deorum lib. 3. ad diuinum cultũ ſedulò ſuſcipiendum, & huiuſcemodi pietatem auidè amplexandam, hominum animos vehementer exhortãs: diligentius multo Religione vrbem, quã mœnibus cingendã eſſe, prudentiſsimè haud dubiè, ſanctiſsimèq; monebat. Sed quid multis eſt opus? quaſi verò quiſquã ſit, qui ignoret præſtantiſsimã homini armaturã eſſe, diuinæ Religionis acre ſemper, indefeſſumq; ſtudium: & in exhibendo Deo cultum, ſummæ pietatis amorem? Quocirca his armis inſtructus Rex, quocunque vitæ tempore,

pore, ad pugnandum cum acceſſerit: erit inſuperabilis hoſti. Maioremque multo (vt opinio mea fert) hoſtilis exercitus princeps ille edet ſtragem, qui iam iam conferturus manu, Religionis veræ Clypeo pectus ſuũ ſtuduit communiri: quam qui propria animi virtute fidens, Vulcanijs ſe hinc inde armis circumtexit ac cinxit. Pia enim ſanctaque mentis affectione pollens Rex, potentiæque ſuæ faſtu nullo correptus, vni, cui fidit, Deo in primis adhærens: aduerſus omne hoſtium genus inexpugnabilis erit: ſicque tandem bonitate Dei, omnium victor effectus, etiam in terris degens (quorum eſt vitę veſtigia ſectatus) ſuperis per gloriam par caput attollet.

CVM IGITVR diuinæ Religionis tam ſalutaris ſit, tamque illuſtris effectus: cordatus princeps, qui imperandi, vetandi, permittendi, atq; puniẽdi ius haber in terris, dabit operam vt ſanctiſsimas ferat leges. De Summi ac Præpotentis Dei Religione inuiolatè ſeruanda: prauaque omni impietate plectenda. Qualis illa, quę de Summa Trinitate & fide Catholica à Gratiano, Valẽtiniano & Theodoſio Auguſtis principibus, ad Conſtantinopolitanæ vrbis populum miſſa eſt, cuius verba ſic habent.

CVNCTOS populos (quos clementiæ noſtræ regit imperium) in tali volumus Religione verſari: quam diuinum Petrum Apoſtolum tradidiſſe Romanis, Religio vſque adhuc ab ipſo inſinuata declarat. Quamque Pontificem Damaſum ſequi claret: & Petrũ Alexandriæ Epiſcopum, virum Apoſtolicæ ſanctitatis: hoc eſt, vt ſecundum apoſtolicã diſciplinam, euangelicamq; doctrinam, Patris & Filij & Spiritus ſancti: vnam Deitatem ſub pari maieſtate, & ſub pia Trinitate credamus. Hinc legem ſequentes, Chriſtianorum Catholicorum nomen iubemus amplecti: Reliquos verò dementes veſanoſque iudicantes, hæretici dogmatis infamiã ſuſtinere. Diuina primùm vindicta, poſt etiam motus animi noſtri, quem ex cœleſti arbitrio ſumpſerimus vltione plectendos.

VIDETIS ne, quàm Religioni & pietati conſona, quam Summi Dei inſtitutis & voluntati amica ſint omnia? quàm, quæ diuina hac lege exarata expreſſaque ſunt, veri principis dignitati omni ex parte cuncta reſpondeant? Ad hoc igitur diuinum legis ẽxẽplar reſpiciat moneo, quiſquis rectè iura ſancire fœliciter viuere, regnareq; optat: imperijque tandem, veroq; vitæ munere functus, Cœlo addi, iũgi Diuis, & in quo bonorum omniũ eſt ſumma poſita, ac cumulus ſitus, cunctarum rerum opifice, Diuûm hominumq; parente, Deo ipſo frui volet. Nam ab improbo illatam iniuriam tibi, irrogatam vt temere ignominiam, facilè vlciſci cum poſsis: generoſi profectò eſt animi velle contemnere. Quæ autem ſummo Deo ab impudenti & impio contumelia eſt facta, diſsimulanda non eſt, præſertim à principe, qui negotio nullo punire potuit ac debuit. Ideo enim Faſces accepit & geſtat, vt ab improborum iniuria iam tutis, planèq; ſecuris (innocentiæ veluti opportunè affulgente præſidio) parata bonis ſint præmia: & ſupplicij terror malis (prauitatis tanquam vltore apparente gladio) pauorque mortis immineat.

EX HOC igitur tam præclaro fidei noſtræ Symbolo, de Religione ſunt legum omniũ formulæ nobis hauriendæ. Quarum ſcopus illuc tendat, vt qui legis huius vim labefactãdo impugnauerit, ſanctorum patrum de hac re decretis optimi intercedens, & Romanorum pontificum authoritate firmatis concilijs obſiſtens, CHRISTI inſpectante populo, incendio actutùm viuus abſumatur. Vt ſeueritate exempli diſciplina morum roboretur: & Dei Optimi Maximi Sanctiſsima Fides publice ſanciatur. Sicq; tãdem quos terror diuinæ vindictę à tam obſtinata & impia mentis prauitate non retrahit: coerceat taltẽ imminens pœna, & metus humani ſupplicij: nam flammitis, ſubiectiſq; ignibus torreri, & cremari impios crudele nulli, aut nouum debet videri. Factitatum eſt enim, & ab ethnicis vſurpatum. Abderites enim Prothagoras Sophiſtes temporibus illis vel maximus (vt in primo de natura Deorum author eſt M. Cicero) cum in principio libri ſui poſuiſſet. De Dijs neq; vt ſint, neq; vt non ſint, habeo dicere. Athenienſium iuſſu vrbe atque agro exterminatus eſt, libriq; eius in concione combuſti. Scilicet pia parum addubitatio exiſtimatione, vrbe, atq; agro mulctata eſt, & igni conſumpti codices: impia nihilo ſeuerius aſſertio puniretur? Atqui, certè credo, ſi palam hoc dicere fuiſſet auſus: incendio ſibi confeſtim fuiſſe moriendũ. Hoc illi in ſuperſtitioſa religione, fucata, & ſubdola faciebãt: nos in vera, atq; optima dormitabimus Dei amicam lenitatẽ prætexentes? Nolo in re etiã bono viro minimè diſsimulãda, intẽpeſtiuè philoſophãtem principem: & ad turpiſsima ſcelera punienda vel tardum, vel conniuentem. Verendum eſt enim ne hæc ſemper lenitas, Chriſti Optimi Maximi Religionem labefactet ſenſim, peſſundet, atque ſubuer-

tat. Quanquam haud conniuebit opinor, cum eius rem agi planè videat, cuius Religione ſancta tenetur obſtrictus. Cum præſertim Deum intelligat iuſtos ſemper Numine ſuo protecturum: & vbique affuturum pijs. Neque enim piam ille vnquam mentem deſerit, ſed in primis fouet: inque omni illi diſcrimine ſuppetias fert. Quam profectò rem Triſmegiſtus ille Mercurius, de quo ſupra memoraui, declarauit in Aſclepio: ſic enim ſcribit. Iuſto homini in Dei religione, & in ſumma pietate animi abundè magnum præſidium eſt: Deus enim tales ab omnibus tutatur malis. Expertus hoc in ſe fuit pientiſsimæ legis author, & diuinæ ſummus amicus religionis princeps Theodoſius in inſigni illa mirabilique victoria, quam parua manu adeptus eſt aduerſus Eugenium Gallorum Regem numeroſiſsimo exercitu atque inſtructiſsimo ferocientem. Nam diuino nutu ſubitò oborta tempeſtas aduerſarij maritimam claſſem obſorpſit, & naualem diſsipauit exercitum. Quo in prælio illud mirabile accidit, vt cum conſerta vtrinque acriter manus foret, in ſæuo ventorum turbine Theodoſij naues quam minimum periclitarentur, & ab hoſtibus contorta tela in ipſa mittentium capita ſummè infeſta reciderent: Theodoſij cauſam Numine peragente. Id quod in rei geſtæ fidem egregijs carminibus ad hunc modum poſteritati mandauit Claudianus inſignis poeta.

Te propter gelidis Aquilo de monte procellis
Obruit aduerſas acies, reuolutaq; tela
Vertit in authores, & turbine repulit haſtas.
O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Æolus armatas hyemes, cui militat æther,
Et coniurati veniunt ad Claſsica venti!

Quo igitur pacto eſſe poterit in impios mitis, & ad diuinæ dormitare Religionis defenſionem, qui pietati tam videat in ſummo rerum diſcrimine Diuos eſſe præſentes? Ergo pro Dei Optimi Maximi ſtabiliẽda Religione, & ab impia hæreticorum conſpiratione aſſerenda, immuniq; præſtanda, pius princeps (fretus Deo) adibit extrema cuncta: & quos ſimili vſpiam viderit graſſari veſania, igni protinus curabit abſumendos.

REGNVM quinetiam ab omni ſuperſtitione vndiq, emaculabit. Amputanda enim delictis eſt anſa, & vitijs materia ſubtrahenda, ne in ciuium animos ſenſim illapſa peſtis, quam latiſsimè proſerpat, incurabili contagione cuncta inficiens, miſerabiliterque deuaſtans. Proinde ſumma ope nitetur, vti ijs (qui ſcientiam aliquam profitentur, quã ipſe intelligit ſuſpicioſam eſſe, & Chriſtianę pietati contrariam) nullus ſit in republica locus. Non iudiciarię peritiam Aſtrologię probabit: non ſomniorum declaratores audiet, non ſortilegos admittet ineptientes: ac tandem vt ait Ennius.

Non vicanos Aruſpices, non de Circo Aſtrologos:
Non Iſiacos Coniectores, non interpretes ſomniũm.
Non enim ſunt ij aut ſcientia aut arte diuini,
Sed ſuperſtitioſi vates, impudenteſque Harioli:
Aut inertes, aut inſani, aut quibus egeſtas imperat.
Qui ſibi ſemitam non ſapiunt, alteri monſtrant viam.
Quibus diuitias pollicentur, ab ijs drachmam ipſi petunt.
De his diuitijs ſibi deducant drachmam, reddant cætera.

Perſpicitis ne, quàm ille Æruſcatorum Sycophantias, ſcientiamque falſam reiecerit? Quid ille alter, qui in fabula Chryſe à Pacuuio phyſicus inducitur?

Nam iſtos (inquit) qui linguam auium intelligunt,
Pluſq; ex alieno iecore ſapiunt quam ſuo,
Magis audiendum, quam auſcultandum cenſeo.

Quid Tragici illud Accij, parum ne apertè indicat eiuſmodi ſcientiæ, nullam prorſus fidem habendam eſſe?

Nihil (ait) credo Auguribus: qui aures verbis ditant
Alienas: ſuas vt auro locupletent domos.

Sed quò feror imprudens? vel quò delabor inſcius? Quaſi vero hiſce vanitatibus dicam ac ſtultiloquentijs veræ Chriſtianorum aures aut patuerint vnquam, aut patere debeant? Ac non potius hæc omnia ſummè ſemper, ſtudioſèque refugerint? Verum eſt. Sed tamen admonere quid obeſt? Vt, ſi quãdo in id genus ineptias atque præſtigias (inſanientis alicuius opera) forte inciderimus: impoſturam præſentiamus: fugiendamque eſſe norimus. Cum ne eis quidem ſatis hæc vnquam probari potuiſſe doceamus, qui & vtebantur ſæpe, & obſeruabant maximè, & pepererunt primi.

NAM de Aruſpicinæ ſcientia, deque omni augurandi diſciplina, quid Cicero ſentiat, hoc magis operæpretium eſt ſcire, quod in ſecundo de legibus augurem ſe ſcribat ipſe fuiſſe: & in Aruſpicũ collegium à peritis cooptatum. Itaque cum in ſecundo de diui-

natione

natione cõtra Aruſpices ipſos præclarè multa diſſeruiſſet, docens quamobrem nunquã illis credendum eſſe putaret, ad extremum illud appendit. Sed quid plura? Ortum videamus Aruſpicinæ: ſic facillimè quid habeat authoritatis, iudicabimus. Tages quidam dicitur in agro Tarquinienſi, cũ terra araretur, & ſulcus altius eſſet impreſſus, extitiſſe repēte, & eum affatus eſſe, qui arabat. Is autem Tages (vt in libris eſt Etruſcorũ) pueriliſpecie dicitur viſus, ſed ſenili fuiſſe prudentia. Eius aſpectu cum obſtupuiſſet bubulcus, clamoremque maiorem cum admiratione edidiſſet, concurſum eſſe factum totamque breui tempore in eum locũ Etruriam conueniſſe: tum illum plura locutum multis audientibus, qui omnia eius verba exceperint, literiſque mandauerint. Omnẽ autem orationem fuiſſe eam, qua Aruſpicinæ diſciplina contineretur. Eam poſtea creuiſſe rebus nobis cognoſcendis, & ad eadem illa principia referendis. Hæc accepimus ab ipſis: hæc ſcripta conſeruant: hunc fontem habẽt diſciplinæ. Num ergo opus eſt ad hæc refellenda Carneade? num Epicuro? Eſt ne quiſquam ita deſipiens, qui credat exaratũ eſſe, Deum dicam, an hominem? Si Deum, cur ſe contra naturam abdiderit, vt pateſactus aratro lucem aſpiceret? Quid? Idem nõ ne poterat Deus diſciplinam ſuperiore ex loco tradere? Si autem homo ille Tages fuit, quonam modo potuit terra oppreſſus viuere? Vnde porrò illa potuit, quę docebat alios ipſe didiciſſe? Sed ego inſipientior, quam illi ipſi, qui iſta credunt, qui quidem contra eos tamdiu diſputem. Vetus autẽ illud Catonis admodum ſcitum eſt, qui mirari ſe aiebat, quod non rideret Aruſpex, Aruſpicem cum vidiſſet. Quota enim quæque res euenit prædicta ab his? Aut ſi euenit quippiam, quid afferri poteſt, cur non caſu id euenerit? Rex Pruſias cum Hannibali apud eum exulanti pugnare placeret, negabat ſe audere, quòd exta prohiberent. An tu, inquit, carũculæ vitulinæ mauis, quam imperatori veteri credere? Quid? ipſe Cæſar, cum à Summo Aruſpice moneretur, ne in Africam ante brumam tranſmitteret, non ne tranſmiſit? quod ni feciſſet, vnũ in locum aduerſariorũ omnes copię conueniſſent. Quid ego Aruſpicum reſponſa commemorem? poſſum equidem innumerabilia, quæ aut nullos habuerunt exitus, aut cõtrarios. Hoc ciuili bello Dij Immortales, quàm multa luſerunt? Quę nobis in Græciã Roma reſponſa Aruſpicum miſſa ſunt? Quæ dicta Pompeio? Etenim ille admodum extis & oſtentis mouebatur. Non lubet commemorare, nec verò neceſſe eſt, tibi præſertim, qui interfuiſti. Vides tamen omnia fere cõtra, ac dicta ſunt eueniſſe. Sed hæc hactenus. Dirigit autem ad Q. Fratrem ſermonẽ Cicero, quem his omnibus rebus dicit interfuiſſe. Ex quo perſpicere licet, quantam eiuſmodi hominum dicta facere fidem debeant: quàmque illorum friuola, inania, & falſa ſint cuncta.

Restant hi, qui Chaldæi, genethliaciq; appellantur: propterea quod ex notatione ſyderum & natali hominum die, quos quiſque ſucceſſus in vita ſit habiturus, prædicere conantur: iudiciariæ Aſtrologię improbã partem ſequentes. Quorum turpem animi, pernicioſamque veſaniam hoc eodem opere & libro facundiſsimè M. Cicero, ſapientiſſimèque redarguit: cuius mihi ſunt verba ſubtexenda. Cupio enim hanc particulam (quæ de pietate & religione à me ſuſcepta eſt) ratione omni haberi cumulatiorem: vndique diuulſis & radicitus extirpatis impiæ ſuperſtitionis fibrulis, quæ nimirum malè coaleſcere, & radices agere ſolent: dum eiuſmodi tanquam noxijs herbis ſuffocata mẽs opprimitur, ne veritatis lucem poſsit exactè cernere. Quoniam autem nihil tam lucidũ, vel indubitatum eſt, de quo non inter veteres philoſophos controuerſia aliqua ſit, aut contentio ſæpe ſuborta: ac ne tam abſurdè quicquam & perperam dictum, quod non interdum philoſophorum aliquo quaſi patrono & fautore defendatur: ſi quando ab illis veritas videtur amplexa, inijcienda protinus à nobis manus eſt, vt authoritate noſtra atque ſcriptis roboretur. Valde enim nobis pudendum, turpiſsimumque fuerit, de veritate certantes, ingenij atque eruditionis famam ethnicos aucupari philoſophos: temeritatem illorum argumentis conuincẽtes, qui male videntur ſentire: nos dumtaxat quibus rei huius incumbit cura potior, conſertis cãcellatim manibus reſtitare oſcitabũdos, veritatis nulla patrocinia ſuſcipientes: ac, ne conuertentes quidem in rem noſtrã (quod Aurelius præcipit Auguſtinus) quæ ab illis verè atque adeo rectè monentur. Et, cum perexiguum apis animalculum varijs adſeſsitans floribus cõficiat ſuos fauos, dulci vndique labori accommodata decerpens: in homine animantium cunctorum longè nobiliſsimo certè vix eſt ferendum, nulla eiuſmodi ſolertiæ relucere ſimulachra: & qui cuncta domet & vincat animantia: à minuto & abiecto in rationę optimi vinci,

non iam pudendum (leuis enim apud quoſdam viliſque eſt iactura pudoris) ſed damna tandem ſentire vt incipiant ſua, ſit profecto dolendum. Quare, quod à me hactenus factum eſt: quodque illis faciendum cenſeo, qui ex multa lectione eruditionis volēt fructum aliquem percipere, mutuanda ex omnibus præſtantiſsima ac digniſsima ſunt: & quæ iudicio ſuere adhibito deprompta: hoc eodem ſcriptis ſuis tempeſtiuè ſunt, inq; loco permiſcenda. Sed Ciceronem inquam audiamus.

AD Chaldæorum (inquit) monſtra veniamus: de quibus Eudoxus Platonis auditor, in Aſtrologia iudicio doctiſsimorum hominū facile princeps, ſic opinatur: id quod ſcriptū reliquit. Chaldæis in prędictione, & in notatione cuiuſque vitæ ex natali die minime eſſe credendum. Nominat etiam Panætius, qui vnus è Stoicis Aſtrologorum prædicta reiecit: Archelaum & Caſſandrum ſummos Aſtrologos illius ætatis, qua erat ipſe, cum in cæteris Aſtrologiæ partibus excellerent, hoc prædictionis genere non vſos. Scylax Halicarnaſeus, familiaris Panætij, excellens in Aſtrologia, idemque in regenda ſua ciuitate princeps, totum hoc Chaldaicum prædictionis genus repudiauit. Sed vt ratione vtamur omiſsis teſtibus, ſic iſti diſputāt, qui hæc Chaldæorum natalitia prædicta defendunt: vim quandam eſſe aiunt ſignifero in orbe qui grecè ζωδιακὸς dicitur, talē: vt eius orbis vnaquęq; pars, alia alio modo moueat immutetque cœlum, perinde vt quæq; ſtellæ in ijs, finitimiſque partibus ſint quoque tempore: eamque vim variè moueri ab ijs Syderibus, quæ vocantur errantia. Cum autem in eam ipſam partem orbis venerint, in qua ſit ortus eius qui naſcatur: aut in eam, quæ coniunctum aliquid habeat, aut conſentiens: ea triangula illi & quadrata nominant. Etenim cum tempore anni, tempeſtatumque, cœli conuerſiones, commutationeſque tantæ fiant acceſſu ſtellarum & receſſu: cumque ea vi ſolis efficiantur, quæ videmus: non veriſimile ſolum, ſed etiam verū eſſe cenſent, perinde, vtcunque temperatus ſit aer, ita pueros orientes animari, atq; formari: ex eoque ingenia, mores, animum, corpus, actionem vitæ, caſus cuiuſque, euētuſque fingi. O delirationem incredibilem! Non enim omnis error ſtultitia eſt dicenda. Quibus etiam Diogenes Stoicus cōcedit aliquid vt prędicere poſsint, duntaxat quali quiſque natura, & ad quam quiſque maximè rem aptus futurus ſit. Cætera, quæ profiteātur, negat vllo modo poſſe ſciri. Etenim geminorum formas eſſe ſimiles, vitam atq; Fortunam plerunque diſparem. Proclus, & Euriſthenes Lacedæmoniorum Reges, gemini fratres fuerunt. At hi nec totidem annis vixerunt: anno enim Procli vita breuior fuit, multumque is fratri rerum geſtarum gloria pręſtitit. At ego idipſum quod vir optimus Diogenes Chaldæis, quaſi quadam præuaricatione concedit: nego poſſe intelligi. Etenim, cum, vt ipſi dicunt: ortus naſcentium luna moderetur, eaque animaduertāt & notent Sydera natalitia Chaldæi, quæcūque lunæ iuncta videantur: oculorum fallaciſsimo ſenſu iudicant ea, quæ ratione atq; animo videre debebant. Docet enim ratio Mathematicorum, quam iſtis notam eſſe oportebat, quanta humilitare luna feratur terram penè contingens, quantum abſit à proxima Mercurij ſtella, multo autem longius à Veneris, deinde alio interuallo diſtet à Sole, cuius lumine colluſtrari putatur. Reliqua verò tria interualla infinita, & immenſa à Sole ad Martis, deinde ad Iouis, ab eo ad Saturni ſtellam, inde ad cœlū ipſum, quod extremum atque vltimum mundi eſt. Quæ poteſt igitur contagio ex infinito penè interuallo pertinere ad Lunam vel potius ad terram? Quid? cum dicunt id, quod ijs dicere neceſſe eſt, omnes omnium ortus, quicūque gignantur in omni terra, quæ incolatur eoſdem eſſe, eademque omnibus, qui eodē ſtatu cœli, & ſtellarum nati ſunt, accidere neceſſe eſſe: nonne eiuſmodi ſunt, vt ne cœli quidem naturam interpretes iſtos cœli noſſe appareat? Cum enim illi orbes, qui cœlū quaſi medium diuidunt, & aſpectum noſtrū definiunt qui à Græcis ὁρίζοντες, nominantur, à nobis finientes rectiſsimè appellari poſſunt, varietatem maximam habeant, alijque in alijs locis ſint: neceſſe eſt, ortus, occaſuſque Syderum non fieri eodem tempore apud omnes. Quod ſi eorum vi cœlum modò hoc, modò illo modo tēperatur: qui poteſt eadē vis eſſe naſcentiū, cū cœli tanta ſit diſsimilitudo? In his locis quæ nos incolimus, poſt ſolſtitiū Canicula exoritur, & quidē aliquot diebus apud Trogloditas, vt ſcribitur, ante ſolſtitiū: vt, ſi iam concedamus aliquid vim cœleſtē ad eos, qui in terra gignuntur pertinere, confitendum ſit illis, eos, qui naſcuntur eodem tempore, poſſe in diſſimiles incidere naturas propter cœli diſsimilitudinē. Quod minimè illis placet: volūt enim illi, omnes eodē tēpore ortos, qui vbiq; ſint nati, eadem cōditione naſci. Sed quæ,

tanta

tanta dementia eſt, vt in maximis motibus, mutationibuſque cœli nihil interſit qui ventus, qui imber, quæ tempeſtas vbique ſit? Quarum rerum in proximis locis tantæ diſſimilitudines ſæpe ſunt, vt alia Tuſculi, alia Romæ eueniat ſæpe tempeſtas. Quod qui nauigant, maximè animaduertunt, cum in flectendis promontorijs vẽtorum mutationes maximas ſæpe ſentiant. Hæc igitur cum ſit tum ſerenitas, tum perturbatio cœli: eſtne ſanorum hominum, hoc ad naſcentium ortus pertinere non dicere? Quod non certè pertinet: illud neſcio quid tenue, quod ſentiri nullomodo, intelligi autem vix poteſt, quæ à Luna cæteriſque Syderibus cœli temperatio fiat, dicere ad puerorum ortus pertinere? Quid? quod non intelligunt ſeminis vim, quæ ad gignendum, procreandumque plurimum valeat, funditus tolli, mediocris erroris eſt? Quis enim non videt & formas, & mores & pleroſque ſtatus, ac motus effingere à parentibus liberos? Quod non contingeret, ſi hoc non vis, & natura gignentium efficeret, ſed temperatio Lunę, cœlique moderatio. Quid? quod vno eodemque temporis puncto nati diſsimiles & naturas & vitas, & caſus habent, parum ne declarant nihil ad agendam vitam naſcendi tempus pertinere? Niſi fortè putamus neminem eodem tempore ipſo & cõceptum, & natum, quo Africanum. Nũquis igitur talis fuit? Quid? illud ne dubium eſt, quin multi, cum ita nati eſſent, vt quædam contra naturam deprauata haberent, reſtituerentur, & corrigerentur ab natura, cum ſe ipſa reuocaſſet, aut arte, aut medicina? Aut quorum linguæ ſic inhęrerent, vt loqui non poſſent, eæ ſcalpello reſectæ liberarentur? Multi etiam Naturæ vitiũ meditatione, atque exercitatione ſuſtulerũt vt Demoſthenem ſcribit Phalereus, cũ Rho dicere nequiret, exercitatione feciſſe, vt planiſsimè diceret. Quod ſi hæc Aſtro ingenerata, & tradita eſſent, nulla res ea mutare poſſet. Quid? diſsimilitudo locorum nõ ne diſſimiles hominũ procreationes habet, quas quidem percurrere oratione facile eſt: quid inter Indos & Perſas, Æthiopas & Syros differat corporibus, animis, vt incredibilis varietas diſsimilitudoque ſit. Ex quo intelligitur, plus terrarum ſitus, quam Lunæ tractus ad naſcendum valere. Nam quod aiunt quadringenta, & ſeptuaginta millia annorum in periclitandis, experiundiſque pueris, quicunque eſſent nati, Babylonios poſuiſſe, fallũt: ſi enim eſſet factitatum, non eſſet deſitum. Neminem autem habemus authorem, qui aut fieri dicat, aut factum ſciat. Vides ne me non eadem dicere, quæ Carneades, ſed ea, quæ princeps Stoicorum Panætius dixerit? Ego autem etiam hoc requiro, omnes ne qui Cannenſi pugna ceciderunt, vno Aſtro fuerint. Exitus quidem omnium vnus & idem fuit. Quid? qui ingenio atque animo ſingulares, num Aſtro quoque vno? quod enim tempus, quo non innumerabiles naſcantur? At certè nemo ſimilis Homeri. Et, ſi ad rem pertinet, quomodo cœlo affecto, cõpoſitiſque Syderibus quodque animal oriatur, valeat id neceſſe eſt etiã in rebus inanimis, quo quid dici poteſt abſurdius? L. quidem Tarutius Firmanus, familiaris noſter, in primis Chaldaicis rationibus eruditus, vrbis etiam noſtræ natalem diem repetebat ab ijs parilibus, quibus eam à Romulo conditã accepimus, Romamque, cum eſſet in iugo Luna, natam eſſe dicebat, nec eius Fata canere dubitabat. O vim maximã erroris! Etiãne vrbis natalis dies ad vim ſtellarum & Lunæ pertinebat? Fac in puero referre, ex qua affectione Cœli primum ſpiritũ duxerit: nũ in hoc latere, aut in cęmẽto, ex quibus vrbs effecta eſt, potuit valere? Sed quid plura? quotidie refelluntur. Quam multa ego Põpeio, quam multa Craſſo, quam multa huic ipſi Cæſari à Chaldæis dicta memini, neminem eorum niſi ſenectute, niſi domi, niſi cum claritate eſſe moriturum: vt mihi permirum videatur, quemquam extare, qui etiam nunc credat ijs, quorũ prędicta quotidie videat re, & euentis refelli.

VIDETIS quàm hæc omnia pulchrè confutata ſint; & ab ipſo temere credentium pulmone reuulſa! Nunc attendamus paululum quibus argumentis Gellij ętate philoſophus inclytus Phrauorinus concludere ſolebat, eiuſmodi homines minime eſſe audiendos. Aut aduerſa (inquit) euentura dicunt, aut proſpera: ſi proſpera, & fallunt, miſer fias fruſtra expectando. Si aduerſa dicant, & mentiantur, miſer fias fruſtra timẽdo. Si vera reſpondent, eaque ſunt nõ proſpera, iam inde ex animo miſer fies, antequã è Fato fias. Si fęlicia promittunt, eaque ventura ſunt, tum plane geminum erit incõmodum, duplexque malum. Nam & expectatio te ſpei ſuſpenſum macerabit, & futurum gaudij fructum ſpes tibi iam deflorauerit. Haudquaquam igitur huic hominum generi aures cenſebat eſſe præbendas, qui ad hunc modum præſtigijs, ſuperis quibuſdã parum ſaniſque hominibus fucum facere nituntur. Rectè Phrauorinus. Nam vt non to-

ties

ties mentiantur, quam eos videmus ſæpe mentiri: eſt tamen illud malum, quod ita natura comparatum eſt, vt ad miſeriorem partem ſemper ſit hominum ſtrenua ſuſpicio. Quod in hac & Chaldæorum & Aruſpicum diſciplina haud eſſe falſum cernitur, ſi modo Plautinus ille Lycus vera loquitur in Penulo, ait enim.

Heu hercle quam ego habui ariolos Aruſpices!
Qui ſi quid boni promittunt, pro ſpiſſo euenit:
Id quod mali promittunt, præſentaneum eſt.

QVID? quod ſapientum plærique, futurarum rerum ſcientiam inutilem homini: vel potius ſumme eſſe exitioſam arbitrãtur? Miſerum eſt enim nihil proficiẽtem angi: nec habere ne ſpei quidem extremum, & tamen commune ſolatium. Nam ſi Aſtro omnia fiunt (quemadmodum iſtis placet) quodq; illo ſit ingenitum nulli licet eff gere; corda ij profecto non eſt infortunium ſuum præſenſione occupare, atq; vltro cladem accerſere. At, quanto foret ſapientius (quando voluntate Dei cuncta dependent) vt præclare docet Mercurius, eaque ſit ſuprema lex, cui vniuerſa ſunt neceſſariò paritura: ad eãque mortali cognitione aſpirare nulli eſt fas ſecretas cauſas, humanoque captu maiores placidiſsime linquentem, voluntati conſormari diuinæ & a vetito diſcedere. Bene itaq; Horatius à peruestiganda futurarum rerum ſcientia (quæ dumtaxat compertæ Deo) latent in occulto, Leuconoem puellam deterret, ſic enim ait,

Tu, ne quæſieris (ſcire nefas) quẽ mihi quem tibi
Finem Dij dederint Leuconoe: nec Babylonios
Tentaris numeros, vt melius quicquid erit pati,
Seu plures hyemes, ſeu tribuit Iupiter vltimam.

At, quanta pugna philoſophorum eſt, ignorare, an prænoſſe, magis ex vitæ vſu futurorum ſit? Dicearchi Peripatetici magni liber eſt; Neſcire ea melius homini eſſe: quã ſcire. At, cautiores erimus ſi prænorimus: fortaſſe & negligentiores, non tam breuitate quam longitudine vitæ perſpecta. Nunc, cum alterutrum ſit incertum, liberius ſtatuendi nulli conceſſa videtur eſſe facultas. Quocirca non temere eſt, quod diuina ſapientia, vigilare nos aſsiduè iubet. Vigilate (inquit) non enim ſcitis diem, neque horã qua filius hominis veniet. Id quod exemplis è veſtigio confirmat, ſignificans quanto in mœrore & anxietudine deſides atque incauti tandem futuri ſint; adductis interim parabolis de fatuis virginibus, quæ in Sponſorum aduentu abſque igne & oleo, inſuper & lampadibus extinctis repertæ ſunt. Vigilandum igitur aſsiduè eſt, & recte viuendi minime in longum ducenda occaſio, etenim,

Quis ſcis an adijciant, hodiernæ craſtina ſummæ
Tempora Dij Superi?

Cum ergo hæc ita ſe habeant: non aliter ac ſi ab ſtrenuo prudentique Duce in hoſtium caſtra explorator miſſus ſis, excubias vſque agere conuenit: obtutuque gemino ſagacius cuncta rimari, quanam ratione & arte expugnari facilius hoſtes poſsint, aduerſarijq; noſtri ſubigi. Id eſt, vt ego interpretor, quo denique pacto ſupremo illi rerum Artifici, imperatorique omnium ac principi Deo, vitæ ſit noſtræ ratio futura probatior. Ad eamque vnam rem, tanquã ad ſcopum vitæ certiſsimum, actionum noſtrarum exacte fila dirigere. Meditationeq; hac honeſta & ſola diſtrictos minime illa animi cura tangi, vel metu terreri: proſper, ſecus ve noſtrarum rerum ſit curſus futurus: qui ve ad extremum nos exitus vitæ maneat. Neque enim viuere hic, quantumcunque tempus, optandum eſt viro, qui vere ſit vir. Neque vita hæc amanda eſt, ſed hæc Deo cura relinquenda: mulieribuſque (ſi Platoni credimus) adhibenda fides, quæ dicunt, neminem vitare poſſe Fatum. Illud verò ſedulo quemque curare conuenit: qua ratione hoc ipſo tempore quo vita fungitur, quam optime viuat. Hoc enim vno pacto, recte homini conſtituta ſunt omnia: eſtque illi haud dubie vitæ alea iacta fœliciſſimè. Benè enim ſancteque viuentis (licet, exiſtimatione quorundam acerbum id eſſe luctificumque appareat) parum læte vitæ vltima meta triſtia pulcherrimum nimirũ omne, fœlixque Fatum eſt: diuini ſi Numinis morem e ga talem virum altius tecum conſideres: ſuperſtitemque à rogo, eiuſmodi hominis ſpiritum fore, ad beatitudinemq; reſeruari, plane deliberes.

QVAS OB RES, cum ea, quæ in hominũ vita eueniunt, diuina cuncta voluntate & regantur, & fiant: nullique vel ad horam certò ſit vita præſcripta, erit in vigilia ſemper. Superſtitione itaque omni regno abdicata, acriterque punita: eas tantũ ſubditos apud ſuos princeps bonus tractari artes ſinet, quæ religionis diuinæ mortaliũ animis infundãt, excitentque amorem, & virtutis ipſius exacuant diſciplinam. Quo quidem effecto, non ſolum corporis caſtimonia ſuccreſcet, ſed & ſanctimonia animi florebit vndique, ac latiſsimè pullulabit. Quæ duæ ſunt claues Religionis & fœlicitatis (vt antiquiſsimus

illo

ille & veriſsimus author Beroſus in Chaldaica ſcribit hiſtoria. Et quando fraternitatis quodam iure ac legitimo tanquam fœdere, hac tota oratione religio à nobis eſt cum Sapientia copulata. Sapientiæ regalis ſumma ſpectare huc omnis debet, VT VNICVM COGNOSCAT DEVM, opificem mundi atque rectorem: religionis vis hoc vnum intendere (quaſi ad ſcopū ſagitta) vti ad eum ſemper ſui omnes actiones animi dirigat, atque applicet: pura mente colens, maximeq; reuerens, quem optimum & maximum ſentit eſſe Deum, cunctarumque rerum ſummum moderatorem. Nam cum ſapientia Deum doceat: & vti cognitum colat, religio ipſa præcipiat: Summi ac Præpotentis Dei diuina intellecta natura, pariter & cultus eſſe nequibit obſcurus. Etenim ſi ſui appetens omne ſimile eſt (quemadmodum philoſophorum placitis eſt ſæpe probatum) & vt quicque optimum atque puriſsimum eſt, ita & Deo eſt affine & cognatum maximè relinquitur, vt quod optimum quodq; puriſsimum eſt, illi ſit à nobis ſacrificij pro munere dandum. Id autem in homine eſſe quid aliud poterit, præter animum à vitijs auerſum: & mentem virtutis amicam? Hanc Summi Dei Numini offer: & rectè litaſti. Re enim vera Deo Optimo Maximo gratiores nullæ offerri primitiæ poſſunt, quam pura mens & affectibus noxijs, perturbationeque omni vacuus ac liber animus. Præclare nimirum, ſapienterque in primis à philoſopho Seneca dictum illud eſt: Vis rectè Deos colere? Bonus eſto. Nullum enim ſacrificij genus gratius eſt Deo, quā ſi ſtudioſe in omnibus vitam illius cupias imitari. Recte ſane atque prudenter. Homo ſiquidem (qui piè ac ſanctè vitæ fungitur munere) Summi Dei imago eſt: Iſq; vere toties Deo ſacrificat, quoties actum virtutis exhibet. At non exhibere quî poteſt, qui mandata illius ſancte ſeruat, & religioſe cuſtodit? Hic enim inclytus ille vir eſt, de quo ſanctiſsimi Vatis diuinum extat elogium: BEATVS VIR QVI TIMET DOMINVM, in mādatis eius volet nimis. Sed ſecundiſsimi venti aura cōmode flante, expanſa aliò dirigenda ſunt vela: dumque placidum ac tranquillum hoc ſe nobis mare exhibet, dulciter hinc protinus enauigandum eſt.

NICETES.

VIX dicendo conſequi queam mi Philemon, quam mihi tua omnis fuerit oratio iucunda! Nam ſi quid hactenus ſcrupi reſidebat: quod me tacite male vreret, in communi omnes principes verſari miſeria penè exiſtimantem, id quidem docta tua oratione prorſus ademptum eſt: pariter & illa inſtaurata ſententia, quæ ſuperioribus tuis verbis labefactata, falſa mihi ferme atque mendax videbatur. Exacte enim nunc mihi ſentire videor, quid ſit de imperio opinandum: qui miſeri & infœlices putandi. Nullus ſiquidē dubitationi relictus eſt locus. Adeo cuncta ad veræ rationis amuſsim elaborata ſunt: & ingenio examinata fœlici! Diuinū illud orationis genus taceo, quod de Sapiētia & in Deum Religionē, in extrema huius abs te fuit quæſtionis parte ſuſceptū. Qua lōge optimè declaraſti, quā duo hæc bona cū priuato, tum verò principi neceſſaria ſint, non ſolum ad diuini Numinis præſidium & fauorem promerendum (quod eſt in primis optandum, quia id cuique bonitatis eſt fundamentum, & fœlicitatis auſpicium) verum etiam ad beneuolentiam hominū conciliandam, ſubditorumque amorē. Quod eſt populi paſtori vel maximè ſalutare: & ad ſecuritatem animi, firmitatemque imperij proculdubio valet plurimū, atq; vtinam ad eam pietatis normam, quam aduerſus Numen Regi ſequendam præcipis, nos itidem homunculi mores effingamus: vt rationem tādē vitæ exacturo Deo probemur honeſta ſecuti. Timenda enim vniuerſalis iudicij eſt terribilis illa buccina, cuius ſonitu mortales cuncti, qui ſunt, qui fuerunt, quique futuri ſunt: priſtinis corporibus reſumptis, ad pœnam alij, alij ad gloriam æternam reuiuiſcent. Quis enim non timeat, cum intelligat, de his omnibus, quæ in vita geſſerit, non iam apud homines cauſæ aliquo adhibito Cicerone, non Lucio Tubulo cognitore: ſed diuûm adſtante corona, inſpectoreque omnium pro tribunali ſedente: artificioſa nulla pompa verborum veritatem obſcurante, pro ſe cuique eſſe ſyncere atque ordine de vitæ ſuæ cauſa dicendum. Expectandamque mox ſententiam, à qua prouocationis nullū ius, nulla reſciſsionis ſpes, nullaq; tandem appellandi amplius homini ſit conceſſa facultas. Nihil ibi mendacia valebunt: Nihil emcta quæ pretio fuit, iniqua cauſa iuuabit. Cuncta enim aperta, nuda, perſpicuaque fient. Cenſendiſque animarum cauſis Iudex ſedebit (non Gnoſius Rhadamantus) mortalium iuſtiſsimus vnus: caſtigans, audienſque dolos, ſubigenſq; fateri quæ quis apud Superos furto lætatus inani, diſtulit in ſeram commiſſa piacula mortem (vt ait poeta) Sed verus ille Rhadamantus, Deus: qui om-

omnia, quę nos gerimus auditque videtque. Benemerenti igitur, bene profuerit: malemeréti, par erit. Nemo ſe ibi Dei iram placaturum, aut exoraturum miſericordiã ſperet. Hîc hîc quærenda eſt (audite omnes) dum vita manet: Quærire igitur Dominum, dum inueniri poteſt: Inuocate eũ dum propè eſt. Immitis enim & aſper pœnitentiæ refugis, tunc apparebit Dominus: eritq; vultus eius terribilis ſuper iniuſtos. In quem bonorum operum viatico nullo inſtructum incurrere, video quàm ſit timẽdum: quàm eſſe debeat, perſuaderi omnibus admodum cupio. Quod non poterit non, humani aliquid ſenſus habenti eſſe perſuaſum: maxime ſi oratio tua tam erit exactè perpenſa, quam abs te fuit ſapienter, & tempeſtiuè prolata. Sed de his hactenus: diuertamuſque ad illa, quæ multa adhuc ſupereſſe vides.

QVAS OBRES, quæſo obteſtorque te mi Philemon, vt antea quam duas reliquas Fortunæ partes abſoluas bona illa, quæ humano in corpore conſiderari ſolent, quam fieri poſsit breuiſsime oratione perſtingas: ꝙ mihi erit profectò ſumme iucundum: diſputationique tuæ (vt video) non parum accommodatum. Nam, cum ad bonorũ, quæ à Fortuna profecta creduntur, ſummam declarandam, duo illa reſtare videantur: gloria nominis, & generis claritudo: quarum quidem rerum altera, quæ extrema eſt (propitio Deo) ſermoni eſt noſtro atque operi finem allatura: longe, niſi fallor, doctius feciſſe videbere, ſi corpoream bonorum ſeriẽ ſtylo fueris antea perſecutus. Tam enim dignitas famæ claritudini generis videtur eſſe contigua: ſic affinis atque finitima, vt longe ſine periculo ſecerni vix poſsint. Quis enim neſciat, nominis claritatem per virtutem ſolam parari: eandemque ipſam generoſitatis prorſus effectricem haberi? Cum præſertim, qui mortalium primi nobiles habiti ſunt, non honeſti fuga laboris, ſed ſtrenui alacritate animi, inſignique virtute aditum ſibi laudis ad gloriam viamque muniuerint? Hæc ſiquidem vna, elatione animi hominum quoddam genus excellens, à plebe primùm diuidens, mox ab iniuria obliuionis clara nomina eruens, ſtemmata illis eſt nobilitati ſanguinis libenter largita, & maiorum ipſas dedit imagines. Hæc eadem egregijs factis aſſueſcens, honoris & famæ gloriam eſt apud poſteros facile cóſecuta. Vnde, ſi nobilitatis & gloriæ repetenda alte origo ſit: vnus atq; idem reperietur rei vtriuſq; fons fuiſſe. Proinde interuallo longo ſeparari haud decet, quæ natura non ſunt procul diſiuncta. Vt enim litterarum periti profeſſores, cæterarumque artium non rudes artifices, artificij magiſterijq; ſui decoro, vſuique ſeruientes: ſuis tradunt accommoda locis, diſcipuliſque oſtendunt: rationem facti reddentes, cur illud huic: hoc illi magis ſit loco tributum: Sic ſcriptor ſubtilis, id in primis ſpectare debet: quod rerum, de quibus agit, naturæ magis congruit. Quapropter corporeis bonis explicandis, amabò, Philemon accingere. Ipſa enim ſuapte ſponte fama, ad claritudinem generis elucidãdam, & ſtylo inclyto illuſtrandum ſanguinis ſplẽdorem, modo quodam viam munier. Vt enim humanum vmbra corpus, ſic virtutẽ ipſam glorioſa ſequitur fama. Ex fama verò parta virtute parentum nobilitas naſcitur. Quæ hęreditario veluti iure per ipſius familiæ, cognationiſq; noſtræ gradus latius diffuſa: filios nos primùm ſplendore Nataliũ conueſtiens, ſenſimque exornans: gentiles noſtros inſigni laudis honore condecorat, & Maiorum illuſtri nomine exornat. Sed hæc tu mox videris, qui optime noſti: interim (ſi placet) de corporeis ipſis bonis diſſere.

PHILEMON.

NON INIVRIA doctiſsime Nicete à Sapientibus ſemper creditum eſt animi Sapiẽtiam oratione hominis ſolere diſcerni: & ſermone iudicari. Neque enim ruſticanus & barbarus polite ac facunde loqui poteſt: aut cordatus ſtulte, vel Sapiens indiſerte. Nam, ſi modò ingenij non obtuſa acie orationis tuæ fructum ſecum ipſe perpẽderit, cui erit coniectare difficile, quantum illud pectus Sapientia floreat, vnde tam ſana conſilia progerminant, & decôra pullulant monita? Cõpendioſa ſiquidem de rebus nõ vulgaribus, nec paſsim obuijs orationis breuitas, ſatis illa quidem argumenti præbet, eiuſmodi rerum minime imperitum vel inſcium eſſe talem enarratorem. Accedit huc vberrimus ille atque affluentiſsimus lumine mentis, Nobilitatis & gloriæ excogitatus fons: ac dicendi riuus limpidiſsimus. Cuius tam me ſuauiter immurmurans delectat curſus, vt potare affatim nunc gratis in vndis: nunc late corpus immergere, accurateque proluere vndique atque detergere maxime ſit cordi. Quæ mihi omnia tam circunſpecte breuitate quadam exactiſsima ob oculos exhibuiſti, vt timor ſit, ne (dum morem geſtum cupio tibi) me vere turpiter dedam.

Ete-

Etenim, licet orationis ipſius (quam auſpicatur us iam ſum) cadat fœliciter curſus: paratæ certe gloriæ fructus, à te modò præreptus eſt mihi: qui abſolutæ breuitatis laudatiſsimo filo, dum amice mones: ipſam laudis materiam, quaſi res agens alias, artificioſa quadam techua non incallide occupaſti. Vide igitur, qualem mihi orationis conditionem reliquam feceris: recte facienti præclari facti, ſpecioſique laboris erepta omnis eſt laus: parum pro dignitate tractanti, oſcitantiæ eſt noſtræ longe maior culpa facta, & infamia conſtituta. Fungar tamen à te mihi laboris iniuncto munere: ne negãdo alter, alter blandiendo: amicitiæ noſtræ factus aliquis videri poſsit fucus. Tu interim mi Nicete, velim exiſtimes, ecquid iniquum ſit, deſidiæ meæ crimen efflagitationi tuæ aſcribi omne, vel impingi debere: cum mihi horum omniũ prorſus author fueris. Sed miſſa iſthæc faciamus: tempus enim monet, vt quam petis operam, tibi incuntanter demus. NIC. Propoſitum laudo: ſed quæſo penſum tuum, nunc iam mi Philemon exequere. PHIL. Difficile eſt non obſequi tibi: quapropter de his, quas iubes, texenda mihi rebus oratio eſt. Amicum ergo audi diſſerentem. NIC. Attentus ſum: atque equidem auiditate quadã animi maxima te ſemper audio loquentem. Neque eſſe prorſus exiſtimo quemquam (cui modò cor ſapiat) qui parum auidę tam facũdi & diſſerti viri orationi intereſſe poſsit. Sic nanque res ipſas non verbis tantum ſpecioſis illuſtras; ſed coloribus ſplendide ac viuide pingis; vt ſuis ipſa locis docte attributa pigmẽta cũ auribus oculos tibi adſtantium omnium haud ſecus ac ferrum Magnes, vel Succinũ paleas, ad ſe rapiant atque detineant. De me certe polliceri ſic poſſum, Echeneydis piſcis concitas aduerſus rates haud eſſe perinde potentem vim: atque illam quam ad morandum (etiam ſi aliò properem) tua mihi oratio ſemper ingenerat. Quoties enim te audio, rerum ſtatim aliarum obliuio ſubit: cęteriſque omnibus deſpectis, vni tantum vacare libet tibi. Iamque non miror, quę de Amphione & Orphæo fabulata quondam antiquitas eſt, cum non rudes apud homines: immortali ſemine ſatum, à Dijſque oriundum (quod de vtroque eſt memoriæ hominum proditum) ſed noſtra de gente virum reperire iam ſit, qui ſuaui quodam ſilo dictionis, & doctæ orationis vi, quo velit cumque (haud indiſſertius illis) rapere poſsit ipſas aſtantium mentes: atq; cum quẽ velit animo, affectum mentis infundere. PHIL. Quid me immortalibus ęquas: mortalis cum ipſe ſim, & ex mortali ſemine? Compeſce quæſo amoris teſtimonia: quæ diuinus ille Plato ſpectari non ſine cauſá prohibuit. Vbi enim refrigerato amoris impetu me propius eris intuitus, atque animo contemplatus, dubium non eſt quin tui te vel pœniteat propoſiti, vel ſententiæ huius pudeat, Nam licet oratio noſtra non prorſus tibi videatur infacunda: erunt tamen nõ pauci, qui idipſum inficiantes, vel forte curantes parum: te leuitatis arguãt, me immodeſtiæ condemnent, aut arrogantiæ aliquo prætextu, vel nomine vituperent. Quiſquis enim ab opinione tua deſſenſerit, is in laudando non recte modum tenuiſſe te, iure profecto cauſabitur: meque pariter reprehendet, quod quas male mereor, inuerecunde tamen laudes acceptem. Facies igitur longe conſultius, ſi vtriuſque noſtrum proſpiciens dignitati, tempeſtiua atque opportuna ſuadens, ad dicendum tacendum ve (quod facere accurate cępiſti, me interdum hortabere. Neque enim minor tempeſtiui ſilentij, quam opportunæ orationis & laus & virtus doctis videri debet. Cuius vtriuſque rei à te mihi debere legem præſcribi, eruditio atq; ętas (quæ in te præcipua ſunt, facile iubent. Id quod gratius multo futurum eſt, quam ſi artificioſe exhortans, laudibus me parum dignis ad debita inſtimules penſi. Nam hoc quidem vim eſt afferre: quid enim intereſt, iniecta ne vi ad id, quod cupis me pertrahas? an perſuaſione laudis impellas? pulchrèque tandem nexu arcto conſtringas? NIC. Faciam vti mones: licet, qui diſputationis munus obire rectè nouit, & decorum ſeruare perſonæ (quod in te video ſummè elucere) officij aliquo monitore non egeat. Sed amabò, hoc age quod rogo, corporiſque illam bonorum ſeriem tractare incipe.

PILEMON.

HVMANI Huius corporis (cui & alendo & ſuſtendando) verbo creata diuino tam varias & largas opes alma terra ſuppeditat, quatuor omnino bona putari ſolent. Optima eſſe præditum corporis valetudine: dignitate oris enitere: viribus valere quam maximis: Pernicitateque pedum plurimum poſſe alijs antecellere. Sanitas igitur, Pulchritudo, Robur, atq; velocitas: precioſa ſunt humani corporis bona, quorum quo quiſque magis particeps eſt, ita & amabilis magis videri ſolet. Quæ ſi in aliquo omnia ſi-

mul

mul enitent, is admiratione quadam naturæ omnium ad ſe oculos atque ora conuertit. Eſt quippe hoc naturaliter inſitum, vt rara omnia admirationi ſint. Eſt autem illud maximè rarũ vno in corpore pariter cuncta perſpici, quæ vel ſingula in alijs non ſine laude natura fabricata eſt: Quocirca ſi cui natura in ſpecie corporis expolienda, & ſubtiliter elaboranda tantum fauoris indulſit, vt multorum bona vni aggeſſerit (qualem me neq; vidiſſe memini, neque legiſſe recordor, hunc certè (vt opinio mea fert) in virtutis ſtudium præcipuè incumbendum eſt. Iniquum enim fuerit, quem tantũ Natura fouerit, vt præ cęteris vnum amaſſe viſa ſit, veris animi bonis deſtitui. Cumprçſertim vera hominis laus non aliũde ſit quam ab animo petenda. Etenim ornamenta corporis, quos complexa ſunt, duntaxat amabiles faciunt: animi bona immortales homines, diuinoſque efficiunt. Quapropter inſigni hac prærogatiua naturę indigni prorſus videri debent, qui illius dotibus perniciose infatuati, vel inſolentes effecti: fauore ac benignitate ipſius impudenter abutũtur. Et quam mollem tanquam educatricem, matremque blandam ſortiti ſunt: per vitæ non ferendam labem, auſteram, moroſam, intractabilem atque aſperam reddunt, efficiuntque nouercam. Nouercatur enim (idque meritò) cum improbis ſępe natura, dũ ſua bona fœde conculcari videt: vel vitijs animi oppreſſa turpiſsimis, ſentit euileſcere. Nam cur illis non irata ſuccenſeat, qui tam ſunt improbi, obliuioſi, inofficioſi & ingrati? quò enim quiſq; corporeis bonis affluentior eſt: eò debet inuiſior & funeſtior iudicari ſi verum animi cultum reſpuit: diſciplinãq; non vult virtutis amplexari. Sed alias de vitijs animi boniſque propitio CHRISTO tractare dabitur. Nunc de corporeis tantum dotibus, quo cœpimus ordine, aliquid dicendum eſt. Ac primum quidem de Sanitate, quæ vt eſt in ordine prima: ſic & in corpore principatũ facile obtinet: multoque eſt cęteris nobilior. Quæ & ipſa qualis omnino ſit, diffinitione ſubiecta è veſtigio conſtabit. Nam & hac in parte, quod in alijs ſæpe fecimus, definitioni vacandum eſt.

CLAVDIVS Galenus, quem cum Hippocrate Coo rei medicę candidati ob ſingularem artis peritiam pari veneratione colũt, plurimumque obſeruant; in libris, quos de Sanitate tuenda vir ille ad iuuandos homines natus ſalubriter edidit, ad hunc modũ ſanitatem definit. Sanitas eſt, Affectio naturalis actionem perficiẽs. Vnde & morbũ nihil aliud eſſe cenſet, quam Affectionem quandam præter naturam, actionem ipſam impedientem. Quem profecto morbũ naturæ parum aptum, ſtatumque imbecillum corporis cuncti auerſantes fugiunt. Vt enim in primo operis huius libro docet idem (ſex enim de tuẽda ſanitate Galenus libros ſcripſit) ſanitatem omnes requirimus, tum ad vitæ functiones, quas planè morbi impediunt atque auferunt, tum verò vt moleſtia careamus: angimur enim doloribus non leuiter. Eam verò corporis conſtitutionem in qua neque doloribus cruciamur, neque in vitæ actionibus impedimur, ſanitatem appellamus. Sed neque in vitæ commercijs, actionibusque obeundis, ad ſanitatis (vt ſic dicam) intelligentiam ac veluti declarationem exactiſsima illa atque abſolutiſsima (cui addi nihil, adimi ve poſsit) membrorum functio poſtulanda eſt. Cum ſatis omnino ſit, eam affectionem contingere, quæ ſecundũ cuiuſque naturam minimè impedita eſt ad ipſas rerum actiones. Cumpræſertim non impedita ad neceſſarios vſus facultas, ſanitatem potius determinet. Non enim functionum imbecillitas morbi ſtatim nota eſt, abſolutè citraque exceptionem loquenti: niſi adiectum ſit, quæ præter cuiuſque naturam eſt. Quippe, vt Galenus idem docte ſcribit, omnes cernimus male ſi cum aquilis, & lince cõparemur: & confuſè obtuſeq; audimus, Si cum Melampode: & pedibus parum valemus, ſi cum Iphiclo: & manibus, ſi cũ Milone Crotoniate conferamur: quouis denique membro propè mutili videamur, ſi cũ ijs, qui hoc ipſo maximè valent, comparemur. Non igitur ex ipſa membrorum functione, ad alios relatione facta, quin ex ea potius affectione, quæ cuiq; à natura ineſt, Sanitatis virtus ſpectanda eſt, vt tum ſani meritò putemur, cum eiuſmodi affectio ex parte non eſt aliqua diminuta: id quod vel cuiuis erit facile perſpicere. Nã, Si cui oculorum acies modo optima fuerat, ſubitò non ętate viſus hebeſcit: egregiè ve aurito ille ipſe deficit ſenſus audiendi, indieſque magis decreſcit: pedibuſque vel viribus prçſtanti, inualida crura redduntur: robuſtus aut derepente vigor emoritur: hos profecto, niſi demens, ſanos eſſe nemo dixerit. Cũ enim hæc ętatis ſenio aſcribi nequeant: quoquo certe modo corporis ipſius imputanda ſunt vitio. Neceſſe enim eſt morbo teneri quicquid prçter naturã ad hunc eſt modũ ener-

uè

ne atque imbecillum effectum. Morbi antè vnde naſcantur, quis dubitat? Nam (vt præclarè Platone in Timæo dictum eſt) cum quatuor illa ſint ex quibus humanum omne compactū eſt corpus, Terra, Ignis, Aqua, Aer: horum contra naturam abundantia, defectus ve, & ex loco proprio in alienum trāſlatio, per quam quod ſibi conueniens eſt, non tenent; inteſtinam quandam ſeditionem & morbos inferunt. Quando enim præter naturam vnum quodque fit, aut transfert: concaleſcunt vtique quæ antè frigebant: arida madent: graueſcunt leuia: & cætera omnia ſimiliter permutantur. Solummodo verò idem aliquid ſibimet ſecundum idem, atque ſimiliter & debita proportione ſeruata accedens vel decedens, permittet ſe idem ſibi ipſi ſoſpes integrumque manere. Quod autem aberrat, ſiue accedendo, ſeu decedendo, mutationes varias, morbos, corruptiones infinitas inducit. Hæc ille hactenus. Morbo igitur, ſanitateque corporis cognita: de valetudinis ratione tuendæ aliqua dicenda ſunt. Sed præfandum aliquid prius eſt, quò id melius poſsit intelligi. Sit igitur illud primariæ inſtar introductionis: Animantem omnem ex ſanguine & genitali ſemine omnino creari. Inde enim Mortales, auſpicia vitæ ducimus. Quarum duarum rerum quæ prior eſt, ceu materia quædam apta concinnaque exiſtit, ad quiduis ſequax opifici: poſterior rationem habet opificis. Quorum vtrumque ex eiſdem conſtat genere elementis: nempe humido: ſicco: calido: & frigido. Aut ſi mauis ab eſſentia ſumptis nominibus quam à qualitate nominaſſe, Aqua, Terra, Igni, & Aere. Quarum omnium rerum ſanitatis artem pollicenti magna in primis ratio habenda eſt. Etenim peritum medicum (quæ cuiuſque corporis temperatura ſit) ignorare nefas eſt. Quando hinc certa ſtabiliendæ valetudinis ratio proficiſci, & ſumi maximè ſolet. Quo in genere multa peccantur: dum parum cognito, quæ pars elementaria magis ægrum infeſtet: temerarius quiſque ad morbi curationem accingitur. Id enim explorare prius conuenit: videreque etiam minuenda ne illa, ratione aliqua ſit, an potius adiuuanda: ſolicitus (quo ad eius fieri poſsit) vt ad Symmetriam debitam reducat. Quod nunc contrarijs, nūc rurſum rebus ſimilibus (prout quicque erit affectum) fiet facilè. Cōtraria quippe contrarijs curantur: naturæq; ſuæ rebus accōmodis ſimilia conſeruantur. Siccareque ideo abſurdum eſt, cum humiditate eſt ſiccitas extirpanda: humectareque ſtatim, quoties eſt è diuerſo neceſſaria ſaluti, ſiccitas aſciſcenda. Quod in alijs item obſeruandum eſt. latè enim hoc in primigenijs ipſis vitæ ſuſtentaculis diſpicere par eſt.

SED NEQVE ipſe, qui elementariam corporis noſtri Symmetriā, quoad fieri poſsit, ſeruandam eſſe præcipio, illæſamque præſtandam, ſalutis id noſtræ ratus intereſſe quā plurimum, is ſum tamen vt exiſtimem, in hac eadem Symmetria (quam debitā conuenientiam vocant) aut in Eucraſia (quod bonum, mediumque temperamentum dicitur) inculpatam ſalutis tutelam atque rationem, ſanitatemque veram ſitam eſſe. Quod tamen medicorum pleriſque, præter vnum Galenum, video placuiſſe. Non enim tam abſolutè loquendum eſt, tam ve exactè Eucraſiæ vel Symmetriæ ratio ſpectanda, vt niſi in quo illæ magnopere vigeant, ſanus nemo habendus ſit. Satis nanque abundeque fuerit, Eucraſiam ipſam vel Symmetriā maiori ex parte non eſſe vitioſam. Vt enim cæteris in rebus ab eo quod tali in re longè præponderat, vel magis ineſt, vel frequentius adeſt, rectè nomina indimus: Sic & in hac ſalutis conſideratione, ſanum impunè appellabimus, cuius neque Symmetria culpabilis eſt, neque Eucraſia multum vitioſa. Itaque non ſemper erit æquilibrium requirendum.

ILLVD AVTEM omnino aduertendum eſt, eſt nanque conſideratione & admiratione digniſsimum: nempe ipſam noſtrorum corporum conſtitutionem, variam, longèque inter ſe diſparem hominibus datam eſſe. Sunt enim quorundam hominum (quaſi iniquo cœlo) ſic à natura efficta corpora: vt dubia ſemper valetudine iactentur, parum arti loci relicto, quæ ſalutis opem ſpondet. Alij rurſus bonitate tanta naturæ valent (vt inquantum ſit homini ſperare fas) mortali nimirum animanti, mutationi corruptionique obnoxio, vel raro incidant: vel nunquam in morbos. Hinc fit, vt vitæ medicina tutatrix, naturæ victa peruerſitate, vno eodemque remedio, morbo eidem adhibito: noxiè huic: illi cōtra cedat proſperè. Quare, quibus in hominibus naturæ hęc elucet, ſplendetq; benignitas: Symmetria ipſa atque Eucraſia, ſiquando collapſa videbitur (quod nullo aut leui planè fiet negotio) præſidio artis fulcienda eſt: in alijs autem vt inducere poſsimus, quam maximè eſt nobis ſemper elaborandum. Fungi ſiquidem naturæ vice in illis ars debet, quæ negata videbuntur: vel auarè tributa. Nam nihil omnino ſupplere medici eſt prorſus

ſus inertis, bonitateque artis penitus abutentis. Quod vbi non incurioſè erit factum, pro quauis natura corporum, ſanitatis ratio adhibenda eſt. Id enim Galeni dogma Pergameni ſemper præcipit fieri: Quod non erit admodum factu difficile. Multa enim ſunt, quæ morboſi corporis habitum facile indicent: & cui potiſsimum parti occurrendum ſit, edoceant. Nimirum, Lotium, excrementum; atque Oris color: quæ non prorſus rudem phyſicum, ceu notulis quibuſdam in ipſius inducent morbi cognitionem. Nam corpus quidem ipſum (vti is cenſet qui bis terve à me iam citatus Galenus eſt) ſicubi albius ſolito effectum eſt, pituitoſum ſuccum abundare indicat: ſicubi pallidius, aut flauius, bilioſum: quod ſicubi ad rubicundius, quam pro natura mutatum eſt, ſanguinis abundantiam ſubeſſe ſignificat: ſicubi ad nigrius, nigram ſupereſſe bilem oſtendit. Eſt, & vbi tāquam plumbeum colorē reperias: rurſus & alios inuenire ſit, quibus ex albo liuidoque immixtum aliquid eſt: nec rarum eſt, liuorem ſine albo adnotare in multis: quæ proculdubio colorum ſpecies ſuccos arguit dominari crudos. Quid? quod ex ſomno ipſo atque vigilijs, redundantis ſucci interdum indicia capiuntur? Frigidi nanque ſucci marcorem, quod κῶμα Græci vocant: & longiores ſomnos inducunt: calidi & mordaces, vigilias: & ſi quando dormitur, varijs imaginibus inquietos, & turbatos ſomnos efficiunt. Sic vt ſtatim excitent. Plurima itaque ſunt, quæ medicę artis non ignaro, intra iam morbidi corporis affectionem facilè ſignificent, ac veluti eliminent, coniecturis & argumentis non omnino ſubdolis: quę ſi medicus obſeruabit, ipſam mali cauſam quàm primum deprehendet, morbique originem. Quæ totius ſanitatis pars eſt multo potiſsima: etenim, vt Gallus Cornelius ait, noſque iam ante prodidimus.

Non intellecti nulla eſt curatio morbi.

Imbecillioris ergo naturæ, & morbi cauſa perſpecta atque cognita radice, quæ ſit curationis ratio ineunda (monitis noſtris perceptis) haud erit videre difficile, quum ſuis cuiuſque morbi cauſis remedia ſint non abſimilia adhibenda, vt paulo antè retulimus.

QVOD ſi cui noſtra hæc pręcepta exilia vel anguſta nimis fortè videbuntur, is Galeni præſtantiſsimi medici libros (ex cuius fonte ſunt hauſta) ſtudioſè euoluat moneo. Multa enim de tuenda valetudine præclariſsimè diſſerit. Quæ, vt aliqua neceſſarium: ita & omnia ad plenum velle referre, ſuperuacaneum quidem nobis: vel certè longum fuerit. Nam & de frictione, exercitatione, victuſque ratione plura dicit: quo triplici in genere verſari cenſet Sanitatis artem. Cuius & ipſius cum duplex virtus ſit, vna quæ ſalutem ipſam tuetur, naturalemque corporis habitum conſeruat: iamque aduenientes, fermè que inſtantes morbos procul expellit: Altera, quæ iam acceptos amolitur ac diluit. Hanc omnem vim, artiſque virtutem ita tractat, vt non ſine cauſa, ſuo quodam iure quæ dat præcepta ſeruantibus, polliceri videatur corporis ſalubrem ſtatum. His enim ars ſcripta eſt, qui parere norunt, non ad vetita omnia ſibi blandienti ac veluti imperanti pro medicina ſumpta praua animi licentia. Quibus neque Apollo neque Æſculapius (qui artis inuentores eſſe feruntur) rectè quicquam præcipere poſſunt. Sed redeamus eò vnde decidimus. Quo in loco conſiderandum illud eſt, vt non omni morbo omne poteſt adaptari rectè remedium: ſic non omni ętati, aut corporis conſtitutioni exercitationem omnem conuenire, aut vtilem eſſe frictionem: rationem ve victus vnā atque eandem adhibendam eſſe. Atque huius quidem præcepti, ex cuiuſque natura facile quiuis coniecturam ceperit. Multis enim in ſumma corporis ſanitate aſpera videntur, quæ ab alijs putantur leuia. Eſt rurſus qui ſibi quietem imperans ęquè vtriſque offenditur, tranquillo ſemper aſſuetus ocio. Cuius-que vita negotioſa eſt, & rebus apta gerendis, ipſam reſpuit culpatque quietem. Qui ſi amatis rebus (quæ in eiuſmodi hominibus ab aſſuetudine, naturæ vice funguntur) caſu aliquo fraudantur: grauiter id acerbèque ferunt, morbique nonnunquam cauſam ſubminiſtrat.

ILLVD fortaſſe de exercitatione vel extremo in loco non erit admonuiſſe inutile: quod quinto in libro ſæpe iam à nobis allegati operis Galenus memoriæ prodidit, videlicet quod acuta exercitatio (ſic enim vocāt) cuius celeres ſunt motus, corpus tenuat contraria craſſum reddit: multa corpus ſiccat mediocris obeſum præſtat. Quin & hoc etiā omnino tradendum eſt (quod ad vitæ normam, diſciplinamque morum eſſe cenſeo in primis vtile) intemperantiam vitæ, huic arti, quæ de tuenda valetudine inſtituitur, vehementer contrariam, inimicamque eſſe. Id quod Claudius ipſe Galenus ſecundo in libro ſentire videtur cū ait: Multos in malis morbus à pueris educatos, in deſidia & in-

& intemperantia videntes bonitatem naturæ corrupiſſe: ſicuti alios per contrarium vitioſam corporis naturam ſortitos, temperantia vitæ, appoſitiſque exercitijs, naturæ vitia in melius mutauiſſe. Nam & eiuſmodi corpus, quod in ijs, quæ ad animum pertinent, rectè educatum eſt: haud eſſe periculum ait, ne naturæ impetum detrectans, aut aliò vitioſè detorquens, ſe plus iuſto cibis potioneque immergat. Tantum animi recta valet inſtitutio ac legitima educatio! Quid? cum de infantibus in primo loquitur libro, non ne apertè indicat, honeſtos animi mores ad ſalutē corporis quam maximè conducere? Philoſophi que partes cenſet, non debere medico eſſe incognitas? Huius ergò (inquit) ſicut nullum ex animi moribus corrigere (loquitur autem de infanti cui corporis optimus habitus à natura tributus eſt) ſic eoſdem ſeruare, ne quid vitientur, oportet. Seruatur verò quidq; , iiſdem planè generibus, quibus corrumpitur. Corrumpuntur animi mores praua conſuetudine cuiuſque horum: cibi, potionis, exercitationis, videndi, audiendi, totius denique Muſices. Itaque peritum horum omnium eſſe eum medicum oportet, qui ſanitatis tuendæ curā ſuſcipiet, nec ea opinione eſſe, quaſi ad ſolum philoſophū ſpectet, animi mores effingere. Quippe huic ob aliud omnino maius, id muneris tribuitur, nempè animi ſanitatem: Medico verò ne corpus faciliùs in morbos dilabatur. Quādo iracundia, fletus, ira, triſtitia, cura immodica, & multæ ſuper his vigiliæ, febres accendunt, ac grauiſsimis valetudinibus initia præbent. Veluti è diuerſo cogitationis, mentiſque ſegnitia, atque animus omnino deſes, decoloratos atque ex Atrophia, id eſt nutriendi defectu, graciles, ob naturalis caloris imbecillitatem reddunt. Hunc enim calorem præter cætera intra ſanitatis fines cuſtodire oportet. Cuſtoditur autem, modicis tum corporis, tum animi exercitijs. Hæc Galenus hactenus.

Ex quo perſpicuum eſt, temperantiam animi & frugalitatem, probitatemque vitæ: corporis ſanitati perutilem eſſe: Improbitatem contrà, morumque intemperantiam, eiuſdem incolumitati vehementer officere. Qua quidem de re Chæroneus Plutarchus propria veluti in materia verſatus, cum de tuenda valitudine tractat, ſuſcepit enim hoc muneris vir ingenio clarus, ſeparatim huic rei dicato dialogo, facundè multa de vitæ temperantia atque eius bono diſſeruit. Sed & Galenus etiam librum edidit de animi morbis dignoſcendis, rectèque curandis: & eum, cui titulum fecit, quod animi mores corporis temperaturam ſequantur: docens obiter & ipſe, intemperantem & in vitia diſſolutam vitæ rationem cum ſanitatis arte, atque eius ope omni vehementer pugnare: hominumque vitam ipſam morbis obnoxiam efficere. Quin etiam M. Cicero, rem & ipſe officiorum ſecundo libro diſputans, breuiter ille quidem verùtamen doctè illud haud dubiè memorauit. Valetudo ſuſtentatur notitia ſui corporis, & obſeruatione earum rerum, quæ res aut prodeſſe ſolent: aut obeſſe: & continentia in victu omni atq; cultu, corporis tuendi cauſa, & prætermittendis voluptatibus: poſtremò arte eorum, quorum ad ſcientiam hæc pertinent. Sed ſint hæc de ſanitate ſatis: cum fontes indicauerimus, vnde hauriri illa poterunt, quæ breuitatis ſtudio, feſtinantibuſque ad alia neceſſariò nobis prætermittenda fuerunt. Nam quod ad morum attinet intemperiem, nos quidem, cum de Temperantia ageremus, intemperantiæ deditos homines, ex Hippocratis ſententia vitæ breuis, morboſæque eſſe ſuprà docuimus. Vt intelligas interim philoſophiæ magnam gratiam habendam eſſe, quæ dum rectè viuendi diſciplinam ſancit moribus: ſalutem corporis vel maximè conſtabilit. Quā quidem ad rem Platonis ille Charmides, ac de partium animæ iuſtitia, Pythagoræ ratio nobilis, haud dubiè plurimum conferent.

Nic. Miror mi Philemon, te ciuilis & Pontificij iuris à teneris ſtudioſum, tantum tenere medicinæ. Nam profectò Apollinea iſta, Æſculapianaq; ſunt; ac prorſus digna ipſius artis Coriphæis illis decantatiſsimis, qui tantum medendi arte valuiſſe feruntur, vt homines ab Orco reduces in lucem effecerint. Vnde opinione hominum, diuinitatem cōſecuti ſunt: Immortalemque famam adepti. Quocirca, ſanitatis tuendæ munera edoctus: ſpero etiam pulchritudinis, virium, & velocitatis ſummam (quæ mortalium votis verè expetenda ſit, per te hodie me eſſe facile conſecuturum. Namque nunc demum intelligo, iuſtitiam illam animi, quæ ſuum cuique munus præſcribit, dum fides mentis intendit, cum ſtatu incolumi ipſius, harmonicè temperatam, ac muſica ratione dimenſam, ſalutem noſtri corporis vel maximè tueri: robuſtamque efficere. Hoc ſiquidē Platonicus nobis inſinuat ille Charmides ad vitæ temperantiam mortales omnes erudiens. Negat enim malè affecta anima, atque eius ſalute neglecta: ſanitatē corporis pacto

 vllo

illo poſſe conſtare. Nam, cum veriuſq; morbus ex inteſtina quadam diſcordia, violentiaque naſcatur: & ipſarum partium diſsidio; quibus eſt quicq; compactum: certè ni iuſtitiæ ratio adſit, ſingulis quod ſuum eſt, rectè atque opportunè dilargiens, ſalus ipſa hominis nulla ex parte conſtabit. Vt enim in animis, ſic & in corpore ſtabilitas actionũ, quæ ſecundum naturam eſt, ſanitatis rationem ſequit. Quàm profectò palam eſt iniuſtitia diſſipari, & conſeruari iuſtitia. Siquidem iniuſtitia in anima; harmoniæ partium ipſius diſſolutio quædam eſt, vt docet ratio Pythagoræ. Quod ſi verum eſt, relinquitur neceſſariò; quæ ſtabilitatis actionum ſit conſeruatrix, hanc eandem ſalutis noſtræ propugnatricẽ, effectricemq; eſſe iuſtitiam. Cui nimirum rei de vitijs animi differentium adſtipulari videtur Stoicorum illud placitum: Peccatum eſt perturbatio rationis, atque ordinis à natura præſcripti. An, quæſo, omnis hæc exactius intuenti eſſe poteſt obſcurum; vt animi ſic & corporis rectam conſtitutionem, quam ſanitatem appellant, Iuſtitiæ ſoli bono acceptã eſſe ferendam? Sed de his, vel hoc vno rectè percepto, opinor, erit iam ſatis. Perge igitur, oro: quam primumque cœpta expedi. Namque equidem iam dudum de pulchritudine pulchram, & cognoſcere cupio rationem: & orationem audire.

PHILEMON.

Libenter faciam, quod tàm te auidè velle video, remq; iam à definitione exordiar: idque verbis M. Tulij, cuius phraſim omnem ſcis mihi gratiſſimam eſſe. Is igitur quæſtionum Tuſculanarum in quarto, ſic pulchritudinẽ finit. Pulchritudo eſt, membrorum apta figura cũ coloris quadã ſuauitate. Quæ mihi hominis definitio pulchritudinis vim abſolutè videtur eſſe complexa. Nam & oris honeſtus color ad venuſtatis laudem haud multũ valet, niſi cæterarum partiũ corporis Symmetria quædam ſit, honeſtans colorem formæ ipſam, veluti corpoream fabricam vndique perpoliens, laudabiliterque dimetiens. Qui enim fœlix corporis ſtatus, ſi cui à natura contigit, is pulcher appellari ſolet: ductoque ex ære vel marmore vultu, celebri aliquo epithaphio monumentis laudis incidi. Cuiuſmodi quidem hominum ſpeciem oris ac formam & Græci & Latini ſcriptores memoriæ prodiderunt: ſilentio eis iniuriam fieri rati, quos affluens naturæ benignitas pulchritudinis ergò, eſſe cõſpicuos noluit. Quorum in numero Aglaiæ & Charopæ prognatus ille Nireus haud vltimum quidem locũ obtinet.

Qui vir pulcherrimus venit
Omnibus è Graijs Priameia ad Pergama venit,

A poetarum principe Homero, teſtimonio inclytæ vocis ornatus. Vnde hac ipſa laude florentes, celebratæ ab illis fœminæ ſæpe ſunt. Hinc raptæ à Paride Helenæ: & ab inferis reuocatæ Euridices Orphæi: & quæ ſorte fœlici indignum eſt, Cratinæ uxoris Collatini Lucretiæ, multarumque aliarum, quas ſit omnes longum referre in Cælum ſactas laudibus miris extollitur. Hinc caſti forma Hippolyti, turpes nouercæ ſemper fugientis amores: Hinc Spurinæ pulchritudo pudici, qui, ne quà inde cumque ob corporis egregiam ſpeciem Veneris flamma puellas ipſe perureret, dignitatem oris vltro ſibi vulneribus, deformauit: Hinc honor noti nimium ob continentiam Democlæ, qui à Demetrio Tyranno ſæuam fugiens amoris turpiſsimi rabiem, imminentis infamiæ aliud nullum datum cum eſſet effugium, in feruẽtis aquæ maluit deſilire lebetem, perſtans ad mortem vſque, quam pudendi labe ſceleris corpus contaminare. Quorum omnium ſpecies oris atque figura, præſtantium ingenio virorum laudatiſsimis monumẽtis, ad gloriam nominis ſempiternam tradita poſteris eſt. Prætereo fœminas multas: ſemper enim pulchritudinis major illis portio tributa eſt, quaſi fauente natura ſexus imbecillitati, vt quod viribus aſſequi par non erat, hoc ipſis formæ præſtaret illicium. Eſſetque nomine hoc fragili cum ſexu actum præclariſsime: niſi furibundæ Veneris noxius appetitus in multis gratiam formæ perfringeret: ſiquidem, vt ab Ouidio prudenter eſt dictum.

Lis eſt cum forma magna pudicitiæ.

Adeo, vt non immeritò apud Comicum Bacchis miretur Antiphilam, quod eximia in ſpecie oris, pudicos mores retineat. Sic enim ait.

Ædepol te mea Antiphila laudo, & fortunatam iudico. Bacchis.
Id cum ſtuduiſti, iſti formæ mores vt conſimiles forent.
Minimeq́; ita me Dij ament, miror, ſi te ſibi quiſq; expetit.
Nam mihi quale ingenium haberes, fuit indicio oratio.
Et cum ego met nunc mecum in animo vitam tuam conſidero,
Omniumq; adeo Veſtrarum, Volgus quæ abs ſe ſegregant.

Et vos eſſe iſtiuſmodi, & nos non eſſe haud mirabile eſt.
Nam expedit bonas eſſe vobis, nos quibuſcum eſt res non ſinunt.
Quippe forma impulſi noſtra, nos amatores colunt:
Hæc vbi mutata eſt, illi ſuum animum aliò conferunt:
Niſi proſpectum interea aliquid nobis eſt, deſertæ viuimus.
Vobis cum vno ſimul vbi ætatem agere decretum eſt viro,
Cuius mos maximè eſt conſimilis voſtrum: hi ſe ad vos applicant.
Hoc beneficio vtriq; ab vtriſq; vero deuincimini,
Vt nunquam vlla amori veſtro incidere poſsit calamitas.

Hoc fortaſſè (vera ſi huius prædicatio eſt) Antiphilæ potuit contingere: quæ in forma corporis præcellenti meretricium quæſtum, & viuendi morem auerſata improbum, amatore contenta vno, ſpeciem aliquam probæ fœminę, ethnicorum hominum ſi tempora, & Terentij ætatem inſpicias, præ ſe videtur tuliſſe. Ingenui enim animi indicium eſt, impudicas meretricum cantilenas, quæ ad corrumpendas mentes maximè parabātur, tam liberè poſſe contemnere. Quæ licet per ſe ipſa laudabilia nō ſint (quia eiuſcemodi viuendi ratio & mentis affectio pudoris læſi labe non caret, nulla enim hîc pudicitiæ vera ſimulacra cernuntur) in hoc tamen vitæ genere, raritate exempli vulgò probātur. Nam quæ amori ſemel mancipata turpi, ab amante vno conditionem accepit: plures iam pudore diſrupto, pretio ſolet admittere. Qui locus eſt ſanè lubricus, etenim inſidiatores quamuis pulchritudini nulli adſint, ſuo attamen ipſa bono naturæ prærogatiua ſuperbiens, ceu inuidiæ aliquo infecta veneno, ſæpenumero fatiſcit.

Rara eſt adeo concordia formæ, atq; pudicitiæ.

Quod humanarū rerum magno cum dāno in multis eſt ſæpe perſpectum. Quarum cum ex veterum lectione ſpeciem oris, formamq; miremur: pudicitiam tamen vitæ requirimus, ac mores animi vel maximè reprehendimus. Ita vt non immeritò à doctis ſæpe viris pulchritudo nimia reprehenſa ſit: & ſtata forma laudata, vxoriaq; dicta. Nec verò eſt operępretium ſingularum perſequi nomina (quod nimirum ſpatioſi operis, vel ocioſi ſit animi) ex infinito penè numero Helenam vnam demonſtraſſe contentus: quę ſupremę bono formæ orbis non minimæ parti cladē, vaſtationemq; intulit: virorumq; quondam nobilitatæ fortitudine vrbis ſola dedit incēdium. Cuius cum ſimulacrum Crotoniatis quondā Zeuxis pinxiſſet, ad viuum quā maximè imagine expreſſa, nō expectato aliorum iudicio verſiculos illos dicitur recitaſſe.

Haud turpe eſt Troas, fulgentiq; ære Pelaſgos
Coniuge pro tali diuturnos ferre labores.
Æternis facies nimis eſt æquanda Deabus.

Sed neceſſariò inquā prętermittenda ſunt multa, ad alia prę ſertim feſtinanti. Nam quis neſciat muliebri multos illectos ſpecie, crudelem fuiſſe, ſæuamq; mortem expertos. Neque enim obſcurum eſt, quantum mali ab hoc genere homini ſit exortum. Cū præſertim poetarum doctis carminibus id ſit cūctis perſpicuum, planumq; factum. Ex quo illud eſt Ouidij ſæpe laudatum.

Nec belli eſt noua cura mei, niſi rapta fuiſſet
Tyndaris Europæ pax, Aſiæq; foret.
Fœmina Silueſtres Lapithas, populumq; biformem
Turpiter appoſito vertit in arma mero.
Fœmina Troianos iterum noua bella mouere
Impulit in Regno iuſte Latine tuo.
Fœmina Romanis iterum nunc vrbe recenti
Immiſit ſoceros, armaq; ſæua dedit.
Vidi ego pro niuea pugnantes coniuge tauros,
Spectatrix animos ipſa iuuenca dabat.

Quæ authoris carmina ſatis arguunt, fœmineo in corpore egregium nitorem formæ inſidioſum ipſis poſſeſſoribus eſſe: & viris ſemper exitioſum fuiſſe. Prętereo etiam illorum formoſum habitum, qui in ſuos ipſi artus arferunt qualis fuiſſe Narciſſus fingitur, qui lucido in fonte propriam contemplatus imaginem, dum exoſculari fugientem nititur, erroris cauſa cognita, ſubitò miſer extabuit: & qui cōmento veſanę mētis ſimili, à ſe ipſo effaſcinatus interijt, forma inſignis Eutelidas. Cuius in Sympoſiacis Traiani ille magiſter nobilis, breuiter ad hunc modum recēſet hiſtoriam. Quid vero per Iouem dices de ijs, qui ſe ipſos effaſcinant? Neq; enim inauditū eſt tibi iſtud, aut ſi minus, legiſti ſaltē.

Et fuerat quondam perpulchra coma Eutelidæ.
At miſer in rapido dum ſpectat flumine vultus,
Seſe faſcinat: hinc ſubiti per viſcera morbi
Sæua lues peruaſit.

Eſt etiam propter oris ſummam dignitatem à veteribus Nireus (cuius memini paulò ante) ſæpe commendatus.

. . . *Similiſq; Deo Ganimedes*
Egregius forma puer, raptus ſublimis in auras
A ſuperis Cœlo poſitus diuûm inter honores,
Pulcher vt ante Iouem miſceret pocula menſis.

Quos inter (ſi ſpectari amantiū iudicia licet) Roſcio Gallo olim patebit aditus: quē, quis

cum Diomede Cicero peruerſis oculis fuiſſe teſtetur, tamen ob in paucis ſimilem cognitam pulchritudinem à .Q. Catulo vate, qui epigrammata luſit, in delicijs ſcimus habitum: qui oris ſpeciem pueri, luculentis ſanè carminibus poſteritati ſacrauit. Sic enim de illo ait.

Conſtiteram, exorientem Auroram fortè ſalutãs
Cum ſubitó à læua Roſcius exoritur.
Pace mihi liceat Cœleſtes dicere veſtra,
Mortalis viſus pulchrior eſſe Deo.

Taceo illas etiam, quæ propter corporis formam præcellentem, in lapides homines vertiſſe feruntur, Gorgonem atque Meduſam. Nec eas itidem nomino, quæ certamine formæ Diuas prouocaſſe dicuntur: qualis è multis vna fuit, ſe conferre Deis auſa procax Niobe. In cuius à Praxitele artificioſe nimium exculptam effigiem, laudatiſſimum hoc Auſonij epigramma extat.

Viuebam: Sum facta Silex, quæ deinde polita
Praxitelis manibus viuo iterum Niobe.
Reddidit artificis manus omnia, ſed ſine ſenſu
Hunc ego cum leſi Numina non habui.

Præclare Auſonius. Latona ſiquidem ob formæ ſuperbiam non ferendam in ſaxum Niobem conuertiſſe dicitur. Cuius tam peritè Praxiteles fictor, diligentia artis adhibita ſimulachrum effinxit: vt prope accedentibus petra abrupta: procul autem cernentibus mæſta & plorãs mulier planè videretur. SED MISSA FACIAMVS de præſtantia formæ poetarum vana, commentitiaque exempla: iamque potius quid de pulchritudine ipſa doctiſsimus quiſque ſenſerit, in mediũ adducamus. Publius Mimographus egregiam formam, mutam eſſe dixit commendationem. Diogenem, niſi fallor, ſecutus: qui hanc eãdem in commendando epiſtola quauis efficaciorem lõge eſſe putauit. Eam Ariſtoteles donum eſt appellare aſſuetus, quod gratis cui libeat cunque Natura porrigat. Prærogatiuam naturæ Plato dixit, quod haud ita multis contingat. Exigui Tyrannidem temporis nuncupauit Socrates, quia formæ gratia quam primum defloreſcat. Nec docte minus Theophraſtus, qui fraudem nominauit ſilentem: quod abſque verbis perſuadeat. Sed Theocritus Chius longe optime; qui eburneum illam appellauit detrimentum, quod grata quidem aſpectui ſit, ſed complurium cauſa incommodorum. Eandem & acutus Carneades, ſine ſatellitio Regnum iure exiſtimauit: quod nulla adhibita vi, quicquid volunt, formoſi conſequantur. Quamobrem interrogatus Ariſtoteles, quî fieret vt cũ formoſis puellis diutius iucundiuſq; confabularemur, non illępide reſpondit: eiuſmodi percontationẽ cæci prorſus hominis eſſe videlicet, quod cæcus formæ, illecebrã nõ magis ſentiat, quã colorũ gratiã, atq; diſcrimina. Cum præſertim gentes eſſe quaſdam memorię ſit proditum, quæ ex pulchritudine ſola ſibi Reges aſciſcant, creent atque conſtituant, haud omnino vano augurio exiſtimantes, dignitati oris actiones vitæ non diſsimiles fore. A quibus fortaſſe vulgaris illa orta parœmia eſt, quę apud nos viget: Egregiam ſcilicet formam, boni eſſe operis indicem: proboſque homines vultu dignoſci. Sed vtinam hac ipſa in re falſitas nulla foret, & paucos forma deciperet. Quæ ingenium hominis prauum ſortita, exitij multis eſt fomes: & peſsimæ fraudis illicium. Neque enim vera illorum profeſsio eſt, qui ex corporis ipſiuſque oris lineamentis, mores animi declarare nituntur. Non inquam ſemper ori vita reſpondet. Vnde culpata ſæpe deformitas virtute magis enitet. Alioqui Antiphilæ in laudem, ſuperuacanea omnis Bacchidis illa eſſet oratio.

Ædepol te mea Antiphila laudo, & fortunatam iudico
Id cum ſtuduiſti, iſti formæ mores vt conſimiles forent.

Prudenter ſanè, multi enim ſub ſpecioſo corpore turpes occulunt animas, vt ait Plato; Hunc tu conſuetudine vitæ incognitum parumq; probatum, oris tanta dignitate perſpecta, Beatum, fœlicemq; exiſtimas eſſe, verèq; pulchrum.

Sed videt hunc omnis domus, & vicinia tota
Introrſum turpem, & ſpecioſum pelle decora. Horatius

Caue igitur ex forma oris, leui alicui atq; futili præiudicio temere innitens, mentis fabricam architectari. Ideo enim phyſiognomiæ peritus Zopyrus valde eſt deceptus in Socrate, adductis ex arte notulis in coniecturam iudicij, falſo illi imputãs vitia, à quibus philoſophi formoſus, ac nobilis animus vehementer abhorrebat. Vnde, quanquam re deceptus Theſeus, non tamen ſtultè, vel temerè illa carmina fudit.

O vita fallax, abditos ſenſus geris!
Animiſq; pulchram turbidis faciem induis!
Pudor impudentem celat: audacem quies:
Pietas nefandum: Vera fallaces probant,
Simulantq; molles dura.

Quocirca Bias & Socrates cohortari ſoliti iuuenes ferũtur, vt ſe crebro in ſpeculo cõtuerẽtur: quò ſi corporis honeſta illis à natura

ineſſet ſpecies, ad illam animi mores omnino curarent effingere: ſin minus eſſet tributa, ingenij cultu honeſti, & egregia aliqua virtute animi, naturæ vitia penſarent. Ex quo perſpici poteſt, corporis dignitatem, nō ſemper animi ſpecioſos mores portendere: vel ingenij bonitatem arguere. Nam aliter ſi eſſet, ridiculum nimirum illorum eſſet præceptum infructuoſum omne atque inutile conſiliū. Tum etiam qui egregium illud protulit.

Iuuenalis. *Fronti nulla fides.*

Eſſet ille quidem poeta valde mentitus: Martialiſq; etiam deceptus, qui fronti non eſſe credendum, aiebat. At verò, hoc in loco pulchritudinem, fœditatemq; oris rurſum demonſtraſſe tantùm contentus ero: nihil docens de ſtudio formæ colendæ. Quippe qui tam eſſe videam ſuæ cuique pulchritudinis tuendæ, augendæq; etiam ardens inſitum deſiderium, vt periculum nō eſſet, quin beati omnes futuri eſſemus, ſi tam ſtudioſè, tamq; diligenter & accuratè virtutis artes rimaremur, & inſigne decus animi: quanta induſtria ac diligentia in externæ bonum formæ, & corporis curam incumbimus. Multi enim de bono formę placent ſibi, vt Metius ille, quo de homine Domitiani Cæſaris extat illud celebrę dictum.

Vellem tam Formoſus eſſe, quam Metius ſibi videtur.

Cum interim de amplexæ virtutis ſemita: pauci ſe ritè verèq; iactent. Quas obres verè Antiſthenes, in adoleſcentem quempiam qui ſeſe ex ære proximè ſculpendum curatat, ad imaginemque ſui ſe ſubinde conformabat, vultumque componebat, illud rogans fertur dixiſſe, compeſcere volens illius amentiam. Dic mihi ô adoleſcens, ſi æs loqui poſſet, de qua potiſsimum re eſſet gloriaturum? Cum promptè iuuenis, de pulchritudine reſponderet: &, non erubeſcis (inquit) qui cum inanimo glorieris? Inſinuans dignitatem oris prorſus contemnendam eſſe, niſi veris animi bonis poſſeſſori vacare contingat. Statuis enim in ipſis, mutiſque imaginibus pulchritudo formæ interdum non minor apparet, quam in aliquo humano corpore. Quæ ſi tanti eſſet æſtimanda, ligneos lapideos ve multis natos eſſe, melius fuiſſet. Verum enim verò ſi quis tam eſt formæ colendæ auidus: vt in hanc totus curam incumbat, huic ego author fuerim, vt ad obſtetriciam illam Socratis artem: qua, maternum veluti mutuatus officium, gloriari crebrò ſolebat, aciem mentis conuertat, vitæque ſuæ accurate fila dirigat. Is enim dicere ſubinde ſolebat, quemadmodum matri ſuæ peculiare fuit, vt parturientibus opem ferret: ſic ſibi à Superis eſſe datum, non vt tenera (matris inſtar) corpora poliret: ſed vt animi molles accurate fœtus effingeret. Vitali quò melius aura fruerentur: diaſque acciperent luminis oras. Ne videlicet tanquam parum rectè formati, illegitimi, portentoſique partus propter educationis rectæ defectum, iuſta tanquam aliqua turpi nota, bonorum interdicto conuictu: communis vitæ commercijs (quibus vti alij, fruique vulgò ſolent) vel iudicentur indigni: vel fortè functioni eiuſmodi, eſſe parum apti dicantur. Cum igitur in optimi cuiuſque mente (ſi modo bene culta inſtitutaque eſt) pulchritudo vera vſquequaque refulgeat: cuius pro culdubio cultus & decus, ſtudio nobis eſt omni, ſemper aſciſcendum. Hæc ſiquidem eſt vera illa venuſtas, quæ bonorum mentes ad ſe allicit, & iucundi aſpectus ſuauitate oculos ſapientium detinet. Cui ſi ſumma ope vacare contingat: dubium non eſt, quin homo ille (fœlicitate vitæ quorum eſt ſedulo veſtigia ſectatus) ſuperis ſit par, vel certè proximus, ſimiliſque futurus: quando non tam ſpecie corporis, quàm virtute animi, illis efficimur ſimiles. Atque hic quidem vitiorum labem ſumme refugiens animi honos, eiuſmodi eſt, vt vetuſtate temporis lætius coaleſcat: altius radices agat, lucidius ſplendeſcat, magiſque vireſcat in dies. Noſtra autem hæc, quæ corporis pulchritudo vocatur, caſibus varijs amittitur. Qui ſi ceſſent omnes, tamen vel labaſcit die, vel ſolicitudine animi, aut aliqua cura marceſcit: vel deflorеſcit morbo atque ipſa tandem deuaſtata atque corrupta morte, interit penituſque vaneſcit. Quod in Tragędia, cui nomen eſt Octauia ſentit bene Seneca, cum ſic Neronem affatur.

Sola perpetuò manent
Subiecta nulli, mentis atque animi bona:
Florem decôris ſinguli carpunt dies.

Hæc igitur in bona animi noſtri acies diligenter vſque intendenda eſt, & ingenij accurate explicanda notio: nulli enim obnoxia caſui, in omne tēpus incolumia perſtant, diffugiunt nunquam, nunquam poſſidentē deſerunt, vel amantem fallunt. Vbiq; adiuuant, vbiq; ſunt præſto, vbique mentē exornant: & quem ſunt cunque ſtudioſum ſui, & cupidum nacta, mirifico quodā laudis inſigni nobilitant, illuſtrant, condecorant, cœlo beant, immortalemq; factitant. Extremæ igitur dementiæ eſt, præcelſæ bono formæ,

& naturæ fugaci hac & lubrica prærogatiua inſoleſcere: ſpirituſque (caducæ ac fragili doti) tumidos dare: nimiſque ſibi in vanis ambitioſe placere. Pulchritudini ergo animi (aſſentatrice iſta & vana corporis forma contempta) ſeruiendum eſt. Quæ auguſta quadam nitidæ mentis grauitate vere efficit viros amabiles: quodque præſtantius eſt, Immortales atque diuinos. Nam externa iſta lineamenta corporis, & formæ decus inſigne, bene moratos apud viros faſtidij quandoque non leues, atque odij cauſas habent. Neque enim turpiſsimis & formoſiſſimis vlla eſſe poteſt, veri aut ſpecies decôri, aut pulchritudinis imago: Contraria enim atque aduerſantia ſunt iſta diſcerniculoq; naturæ, atque aliqua lege culpantur: vnde rectè illud a Comico dictum eſt Plauto,

Morum prauitas, peius ceno formam inficit.

Vidi ego præſtantē forma virum ob mores ſæpe contemni: & alioqui non indiſertum (prætextu tamen hoc vno) colloquiū eius omne vitari ſtudioſe ac refugi: & propter famam parum ſecundam inſignes faciē puellas (ne contagio labem daret) ęqualiū aditu, atque cætu prohiberi. Quæ profectò res argumento eſt, non tam corporis quam animi pulchritudinem amandam vel expetendam eſſe. Idque haud iniuria. Nam præterquam quod ad bonorum beneuolentiā conciliandam, promerendumq; fauorem, plus hæc quam illa roboris, momentique habet: pluſque etiam neruorum ad eorum victoriam, quæ effugere cupias: eſt inſuper nobis ad hanc, quam ad illam expeditior aditus, & ratio multo facilior: quippe quam diligentia animi ſola parari perſpicuum ſit: illi verò (niſi naturæ dono contingat) induſtriæ humanæ ſit nullus locus, vigilantiæ nullus acceſſus: ac plane Ianua omnis intercluſa ſolertiæ, doli excogitatrici rationi & fucādi arti ſallaci: etenim vt ille ait,

Cito ad naturam ficta redierint ſuam.

Sic ſtatura breuis, & oris figura deformior, emptitij dētes, aſcititia coma: & ſi quæ alia ſunt vitia, ingenio arteque hominum naturæ vim, gratiamque ementita: impoſturæ calliditate, tanquam ſubito perſona detracta, imperio ipſius, naturæque vi victa, deformitatem ſuam ſenſim arguunt: ſeque tandem ipſa produnt, alumnoſq; deludunt. Quod cum ita ſe habeat: ſitque huius, quā illius & gloria ſolidior, & dignitas longe præſtantior, gratiaque ipſa vultus multo commendabilior: vt pote quæ bonorum laudabiliumque virorum late vndiq; cincta choro, fœlici illorum cætu gaudeat & commercij interſit, ſpecioſiſque hinc inde bonis ornata, decoris ſui natiuo ac vero ſplendore vſque refulgeat: deformeſque naturæ vitio ſiquos eſt nacta, formoſos eadem efficiat, diuinos etiam, vereque amabiles, atque omnibus expetendos: Velis remiſque (quod aiunt) in hāc vnam (quam dicimus) pulchritudinem animi incumbendum eſt: altera illa ſpreta, deſpectuique habita, quæ alumnos Amaſioſque ſuos non vſque quaque gratioſos efficit: interdumq; potius, ob animi ſordes, inuiſos. Quæque vel victa morbo, vel imminuta tempore, vel æſtu aliquo concitæ mentis afflicta, non ſemper roſeis genis irradiat. Qua de ipſa ſcitè in Hippolyto apud Senecam ſic loquitur Chorus,

Anceps Forma bonum mortalibus,
Exigui donum breue temporis:
Vt velox celeri pede laberis!
Non ſic vere nouo prata decentia
Æſtatis calidæ deſpoliat vapor
Sæuit Solſtitio cum medius dies,
Et noctem breuibus præcipitat rotis.
Langueſcunt folio Lilia pallido,
Et gratæ capiti deficiunt roſæ:
Vt fulgor teneris qui radiat genis,
Momento rapitur. Nullaq; non dies
Formoſi ſpolium corporis abſtulit.
Res eſt forma fugax. Quis ſapiens bono
Confidat fragili?

Hactenus ſit de pulchritudine dictum: quando omnia conſectari fuſius, neque loci huius neque temporis eſt: pro remedio ſpatioſi ac longi operis, vna tantum propoſita breuitate. Quare iam nunc accingar ad reliqua. NIC. Gratum eſt: quanquam longè gratius futurum eſſet, placidius atque iucundius ſi his rebus aliquid dares amplius. Nā, ne tibi cæcus videar, vel offendam Ariſtotelem, me quoque pulchra delectant. Interim vt elegantior appaream, ſi quando ipſe domo fortè pedem extulero: non ante procedam in publicum, quam Biantis ſancto iſto memet ero in ſpeculo cōtuitus: vel obſtetriciam illam ſocratis artem (cuius in diſciplina morū vis omnis poſita eſt) altius aliquāto apud me fuero ſpeculatus. Præclaris enim honeſtiſq; in rebus probū virū diu & multū meditari decet: & tā ſalutares & ſanctas non aſpernari lautitias, deſidiæ ſiquidem peſsimum genus eſt, diſſolutique animi indiciū circa res optimas parum eſſe curioſum: ſponteque ſua ad pulchra velle hebeſcere. Sed ſit iam de hoc ſatis, breuitatis etenim (vt dicis) ratio habenda eſt: atque etiam tempo-

temporis, inclinato iam in pomeridianum tempus non leuiter die. Ergo de viribus ipſis corporis, aliquid mihi breuiter expedi. PHIL. Faciam equidem libens, quando id me facturum eſſe iam ante ſum pollicitus. Qua in re, ſi fortè breuior videar quam rei tantæ exigat magnitudo, Iniquitati temporis licebit imputes, qua nos ſubitò premi cõſpicis. Neque enim in hoc vagari diffuſius integrum vel liberum eſt, maxima (vt apparet) diei parte decurſa. Ac ne erit quidem neceſſe, cum pars illa (quæ de fortitudine à nobis paulò ante diſcuſſa eſt) non leuem & ipſa huic loco partem laboris abſtulerit. Eã enim rem verè inſpectanti, diſceptationi præſenti diffudiſſe lucem ita debet videri, vt in eius explicanda natura, pluribus opus non ſit. Quibus ego facilè rebus adductus, parcior aliquanto, aſtrictiorque ero. Sed rem iam ipſam exordiar.

CORPOREAS vires equidem aliud nihil eſſe duco, quam firmitatem quandam corporis non aſpernabilem, cæterorumq; membrorum laudabile robur. Nam hæc quidem ipſa quibus à natura inſunt; hi nimirum robuſti ac validi, viribuſq; præſtare creduntur quibus è diuerſo negata ſunt, infirmi inualidi, imbecilleſque putantur. Sed inter fortitudinem, vimque omnem corporis hoc maxime intereſt, quod illa recti allectatrix, & veri ſuſceptrix officij; honeſtatis, Iuſtitiæque tutrix (ſimulac accingi operi ratio monet) difficultate nulla deterrita, alacris ad diſcrimina conuolat, generoſitate quadam ſpiritus cupiens immori laudi. Robuſtior hæc interdũ viribuſque valẽtior corporis, ſed honeſta ad diſcrimina tardior: iuſti & honeſti defenſatrix cunctabunda, lenta atque tardigrada, laſſique inſtar bouis, niſi ſtimulis ſubacta, oneri ſuſcipiendo reluctans: latebricultrix formidoloſa, periculique vitatrix decôri. Ex quo fit, vt in extremæ notę homine in gerulis atque baiulis vires corporis ſæpe ſint: fortitudo vera eſſe non poſsit. Infamis etenim vita, deploratique mores, licet aliquoties athletica firmitate robuſtum corpus à natura ſortiantur: nihil tamen commune cum fortitudinis vera laude habere poſſunt. Decôris enim, atque honeſtatis ignari & rudes prorſuſq; obliti: ſuſtinendę difficultatis & euincendi honeſti periculi (iuſta cum cauſa impellit) rationem veram non callent: Itaq; naturæ altera munus: virtutis altera opus, appellanda eſt. In illis partium corporis ſtrenua & valida functio, lacertorum robur, muſculorumq; firmitas ipſa laudatur: in his verò animus præſens, & generoſa mentis elatio honeſtatis ergò res formidoloſas & arduas, laborioſaſque ſuſcipiens, omnium ore commendatur, & in cœlum laudibus ducitur. Ac tandem, vt ſemel finiam, immanitate virium agricolarum, foſſoris, baiuli atque bubulci ſuperiora interdum corpora ſunt: ſed generoſi, fortiſque viri, & honeſtatem amantis, ad facinora præclara obeunda viuidior eſt mẽs, alacrior voluntas, & virtus animi longè præſtantior. Quod cum ita ſe habeat, reliquum illud eſt, vt illorum pauca citemus nomina qui ob portentoſas vires corporis in pretio iure habiti, admirationi olim magnæ fuerũt. Quo in loco bubulcus Titormus princeps accedat, cuius miraculi inſtar vires quondã inſpectabantur. Nam cum robuſti Titormi pectoris famã excitus Milo (cuius iam mentionem faciam) in Euenum deſcendiſſet, bubulci huius & periclitaturus vires & fortia inſpecturus facta: ſaxum ingens arripuiſſe manu Titormum perhibent, vique magna propuliſſe arreptum. Quod vbi ſemel atque iterum factum eſt, impoſitum humero tractũ grandem portauit: quod Milo tentans, vix ſolo amouit. Neq; id ſolum Crotoniate adſtante Milone ſuarum virium ſpecimen edidit Titormus, ſed & prægrandem immitemque taurum pede corripuit, tentantem fruſtrà, ſe in deferocia proripere. Quę omnia Milo contemplans. Proh Iupiter (inquit) an he alterum terris hunc nobis Herculem proſeminaſti? Celebratur etiã Cleomedes Aſtypalẽſis, qui & ipſe membrorum mirabili robore fuiſſe dicitur. Icchum enim Epydanniũ non inſtrenuum athletam armatum inermis occidit: idque pugni vnico ictu; iniectaque manu inteſtina eius eduxit. Ob quam tam barbaram ſui facti nouitatem, cum certaminis præfectus palmam illi iratus denegaſſet: furore animi percitus Cleomedes, deiecta columna, quæ teſtudinem arcus literarij in ludo fulciebat, ſexaginta pueros miſerabili ruina protriuit. Cuius rei atrocitate perciti ciues, Cleomedem ipſum lapidibus impetentes ad Mineruæ templum confugere coegerunt: vbi lapideam arcam ingreſſus, operculoque ſeptus, vique deliituit. Quæ cum diſsipatis lateribus vix eſſet aperta, Cleomedes ipſe nuſquam comparuit. Sed ciuibus de eo quid factum eſſet Numina ſciſcitantibus, oraculum à Pythia redditum eſt, pro Deo Cleomedem habendum: vt qui mortalis eſſe deſijſſet. Id quod author Pauſanias memoriæ prodidit. Sed dicamus de Milone, cuius & ipſius prodigioſæ vires monimentis veterum

nobilitatę ſunt. Crotoniatē Milonē ferunt, viribus corporis valuiſſe tantum, vt poma manu tenenti extorquere nemo poſſet. Olympiæ per ſtadium cucurriſſe dicitur cū humeris bouem geſtaret: quem pugni ictu exanimatum vno ſolidū die deuorauit, comedendoque abſumpſit. Sed cum magnitudine virium nihil non facile ſibi permitteret, repertam in ſolitudine quercū cuneis adactis hiantem, medio volens diffindere, quas temere iniecit manus, cuneis expulſis arbor comprenſans, feris exhibuit artus dilaniandos, qui in gymnico certamine palmā ſępe retulerat. Reſtat Athleta Polydamas, cui ſupra humanam ſortem à Numine datæ vires exitio fuere. Hic enim mōſtrificis fidens viribus, tempeſtate coactus ad Speluncam diuertere, aquarum vi ſubita Spelunca fatiſcente, iāq; planè labāte, ſolus perſtitit, comitibus fugiētibus acriter increpitis, ruinoſi obicē antri ſecurè expectās: ratus eiuſmodi molē manib⁹ ſeſe facile (ne decideret) ſuſtentaturū eſſe: ſed cum humanis viribus maius eſſet decidens pōdus, quā ob tēpeſtatem, Speluncam intrarat: dementis Fati tumulum habuit. Qui profectò, documento eſſe magno poſſunt, id quod alibi diximus ſine conſilio vires exitij eſſe certiſsimum inſtrumentum. Viribus enim hi alioqui inſuperabiles, dementis animi arrogantia miſerabiliter interierunt. Quæ nimirum res apertè indicat Valerij Maximi celebratum illud elogium eſſe veriſsimum: quo ait, nimio robore membrorum vigorem mentis hebeſcere. Quaſi abnuente natura vtriuſq; boni largitionē: ne ſupra humanam ſit fœlicitatem: eundem & valētiſsimum, & ſapientiſſimum eſſe. Gubernandæ igitur corporis vires Sapientia ſunt, & conſilio animi frænandæ: vt huic parti (quæ tunc demum nobilis eſt) dignitas ſalua ſit: atq; honor ſuus conſtet. Naturæ enim mūnera parum aptè ſtulteque tractanti amara ſæpe ſunt & infauſta: poſſeſſorique ſuo inferunt cladem magnam. Sed ſit huic rei quoq; iam modus: ne exemplis multorum repetendis intenti, in altum iactemur temere. In hiis enim corporeis bonis (fortitudinis veræ altius explicata ac deſcripta natura) ſatis mihi fuerit vel ſumma capita delibaſſe. Verendum ſiquidē nobis fuerit, ne ambitionis aliquo ducti ſtudio exemplorū numero fauentes, ſubtexiſſe quidpiam friuolum, aut temere præter ordinem enarraſſe aliquid videamur. NIC. Rectè ſapienterque facis mi Philemon, quo magis ad extremam bonorum corporis metam aſpirans: velocitati (quod ſupereſt) pręſcriptum munus abſolue. PHIL. Faciam Nicete mi, & quidem parum inuitus. Cupio enim quamprimum faſce me iſto eximere, atque onere leuare. Velocitas igitur, quæ crurum eſt agilis ac non impedita facultas, magnæ interdum in homine admirationis eſt cauſa. Siquidem qui eo bono præſtare aliquando ſunt viſi: magno in honore ſunt habiti: præſertim temporibus illis, quibus celeris glorię plantæ magna ſunt premia propoſita: qualia Næmæis, Iſthmiciſque certaminibus conſtituta fuiſſe olim memorantur. Hinc tempeſtate illa curſus citiſsimi præſtantia multos plurimum floruiſſe legimus. Semper enim mortales allectant premia. Vnde illa ſumme vigent, quæ in honore ſunt: iacentque illa contra, quæ ab omnibus faſtidiuntur: nulloq; habētur in pretio. Sed inter multos, qui naturæ hoc dono valuiſſe feruntur: neſcio an Philaci & Climenes filius Iphiclus princeps nobis iure habendus ſit: cuius de velocitate ſcriptores multi, & hi quidem Claſsis non infimę ſtupenda meminerunt: maximèque Demaratus, qui author eſt apud Cęlium agilitate corporis celeritateque pedum valuiſſe Iphiclum tanta, vt triticeas ſuper ariſtas nil lædens, impunè curreret. Ad cuius bonitatē curſus proximè acceſsit Volſcorum Regina Camilla, quæ hyperbolicis carminibus à Publio Marone eſt ita celebrata,

Illa vel intactæ ſegetis per ſumma volaret
Gramina, nec teneras curſu leſiſſet ariſtas
Vel mare per medium fluctu ſuſpenſa tumenti
Ferret iter, celeres nec tingeret æquore plantas.

Arcadica etiam venatrix Atalanta & formæ bono, & rei huius, qua de agimus, gloria valuiſſe multum dicitur. Ad cuius nuptias obtinendas, de celeritate currendi inter procos legimus certamina concelebrata: quos illa vicit omnes. Sed in Hippomenem certans, ingenio & vafri cuiuſdam calliditate aſtus ſuperata eſt, iactis aureis pomis. Cuius cōcertationem graphice depinxit Sidonius Apollinaris, ſic enim de illa ait,

Emicuit pernix populo trepidante Virago,
Nil toto tactura gradu, quum pallidus ille
Reſpiceret medium poſt ſe decreſcere campum:
Et longas ad ſigna vias, ſtatuq; propinquo
Preſſus, in hoſtili iam curreret anxius vmbra,
Donec ad anfractum metæ, iam iamque relictus
Concita ter ſparſo frēgit veſtigia pomo.

Celebrantur & alij multi hac laude pręſtantes: qualis Centaurus Mermeros, qui gloria plantæ multos ſæpe vicerat: & ob velocem

locem curſum charus Alexandro Ladas. Phœdimus atque Dimanthes Iſthmiacis ludis ſępe victores, & curſu clarus Opheltes. Quos omnes cum alijs, quorum hîc non libuit nomina ſubtexere, inſtitutę cauſa breuitaris prætereo prudens. Quis enim neſciat agilitatem corporis, & pedum pernicitatem in pretio magno quondam idcirco habitam eſſe, quod illud ſit vulgo creditum: hanc ipſam celeritatis vim cum fortitudinis laude haud raro coniunctam eſſe? Sic nimirum ſpiritus ille Muſarum ſacer (vt Plutarchi verbis vtar) Troiani belli diuinus ſcriptor Homerus Achillem nobis ſuum (quē ſui temporis hominum longe fortiſsimum finxit) hoc nomine commendauit. Is enim virum fortem ob abreptam ſibi Briſeydem Agamēnoni iratum ſignificare cū vellet: ignobili otio marceſcentem, ęſtu curarū vario haud dubie torqueri oſtendit: quam ſtudio ſummo pugnam detrectarat, modò appetentē, modò ſtudia ſua culpantem, atque ira furētem. Sed tamen hoc ipſo loco laudandi Artifex non inſtrenuus; quem ornari ſumme volebat, honoris gratia pernicem appellauit. Sic enim ait.

Aſsidet hic pedibus pernix Ioue natus Achilles
Nauibus, indulgens iræ, fugitanſq; tenaci
Propoſito pugnam, procerum populiq; coronæ
Concilia auerſans, hominum illuſtrantia nomen
Corde liqueſcit iners, rurſuſq; ſubinde requirit
Prælia, ſeq; ciet ſæui in certamina Martis.

Sed vides ne ſugiēte Phœbo propè aduētare noctem? quare magnopere abs te quæſo mi Nicete, vt diſputationis huius modū faciamus aliquem: noſq; demus quieti. Cras (ſi placet) inter opacas Salices, nitidas Saloris ad vndas, Inſtituti quod reſtat operis (Deo propitio) abſoluemus. Quare ſimul ac diluxerit, incunctanter tibi in officio adero. Et, intereundum fruemur aura gratiſsima, qua nondum ſole Aurora veſtita, locus ille abundare ſolet.

Vbi de nominis gloria, claritudine generis, deque ipſius, vt ſpero, Animi bonis non iniucundè loquemur. NIC. Fiat, vti vis: nam id mihi gratiſsimum eſt.

IACOBI TAPIAE ALDANAE DE TRIPLICI BONO, ET VERA HOMINIS NOBILITATE
Liber Tertius.

PHILEMON.

HODIERNVS hic dies CHRISTO IESV Seruatore Optimo Maximo nobis fauente, ijs finem imponet quæ heri ſumus polliciti. Quapropter diei luce iam apperente ad Nicetem quàm primum ibo: ne in lecto ſecurum occuper. Eſt enim amicus ille meus inter cæteras dotes rectè inſtitutæ naturæ (quibus eſt benignè admodum cumulatus) cum ſibi ſemper parcus tum verò ſomni multo magis. Quæ procul dubio bona homini, credo, ad virtutem præclaro quodam aditu patefacto, viam communiuiſſe: cuius natura illum, cupidiſsimum amantiſſimumq; eſſe videtis. Vnde tantam in ea vir iam ætate maturus, progreſsionem doctis feciſſe videri ſolet: vt non ſecus atq; ille, qui Romana quondam in republica floruit Cato, ciuibus ſuis ob Sapientiam animi charus ſit. Ex quo fit, vt quò ſtudioſius illi gratificari cupio: eò anxius contrà, ſolicitiuſq; verear, ne vel ſuſcepiſſe operam hanc impudēter: vel induſtriæ fructum ſuo à nobis iure repoſcenti, parum dignè videar præſtitiſſe. Quorum alterum arrogantis eſt viri; alterū contrà omnino ruſtici ac negligentis. Enitar tamen, quòd ſæpe à me iam alibi factum eſt, vt in prouinciæ ſuſceptæ ratione reddenda: & officij noſtri tuenda dignitate, ne ſumma mihi negligentia obiectari poſsit. Nam difficili in re viro velle tanto ad plenum ſatisfacere, ingenio maius eſt noſtro, viribuſ-

que

que meis plane denegatum. Sed eccum, ad quem feſtinabam.

NIC. Saluus ſis mi Philemon. PHIL. Et te Superi ſeruent, nobiſque præſtent incolumem. Ita ne, per te nobis ne licebit quidem eſſe vigilantes? NIC. Quid ita tandem? PHIL. Scies, conſultò hodie ſummo mane lecto pedem extuli, ratus antelucanæ huius euigilationis munere, te à nobis poſſe vinci. Verùm longe contra euénit: ipſa enim via conſilia noſtra labefactata ſunt. Video enim ſi vel tantillum domi fuiſſem commoratus, repentino aduentu tuo, me potuiſſe facile opprimi: ſpe omni laudis erepta. Sed aduertis ne quam roſeo nobis vultu vndiq; blanditur aurora: quàm ſit omni ex parte placidus, defæcatus ac limpidus Æther? NIC. Aduerti iam ante ad id animum magna q; mecum voluptate fruebar, Cœli hanc omnem tacitus plagam contemplans, cuius placidis vlnis Tellus vndique cingitur: Simul & mente colluſtrâs ęternum illud, diuinum que principium: & humanum ſupra captum ſolertem, induſtrium, ſapientemque motorem: Vnde non hæc tantum manarunt, quorum grato atque iucundo aſpectu lętamur in terris ac penè præ gaudio geſtimus: ſed multo etiam illa maiora. Quæ licet propter hanc terrenam ſarcinam, grauemque molem corporis, mortalium oculis ſubducta ſint: ſenſu tamen ac cogitatione percipimus. Quarũ profectò rerum (ſtupentibus animis) admiratio tanta eſt: vt nulla ſatis enarrare lingua poſsit, vel humanum concipere cor! Quis enim cunctarum rerũ ſupremum illum ſummumque artificem, ſanctaſque animas Dei almo fruentes ſpiritu (cuius vigent Numine cũcta) digne poſſit fando exequi? Quis oratione facunda celebrare queat, quæ diuina illa per omnia cõmeans mens, certa ac diuina ipſa lege colluſtrans atque dimetiens, prouidentia eſt mira architectata, & fabricata ſolerter? Quis latentium rerum obſcuras homini & inſcrutabiles cauſas, diuino illuceſcentes in Numine, purgati aliqua ſolertia pectoris, valeat aſſequi? Caſtæque fœlix vere illa poſsit acie mentis inſpicere,

Quæ non viſa viris: quæ mens non hauſit & auris,

Vt taceam interim aſsiduam Cœlorum vertiginem rotatu iugi, ac volumine ſuo, dulciloquũ efficientium melos, & ſumma ratione deſcriptos ſtellarum errátium curſus, noctéque vagæ Phœbes: ſimul & Solis gratiſsima cuncta lampade colluſtrantis irrequietum vſque quaque laborem? Quo ſingula ordine, quàm vera ac certa lege Cœlo toto decurrant, diffiniti ſpatij (vt Heraclytus ait) nec meta prodita, neque orbita lapſa. Quorum, vt demus interim, comprehendi hîc humanis ingenijs poſſe aliqua: proh Sũmi Regnator Olympi Deus! quanto ibi omnia clarius ſynceriuſque enitebunt, humanis excuſsis tenebris! Quibus proculdubio in vita ad Cœleſtia penitius indaganda, haud aliter impedimur: quam ad Phœbeam lucem contemplandam magnitudine lucis ipſius mortalium oculorum acies infirma, ſolet offendi. In quorum nimirum peruestigatione occupati (cum longè ea res humanum captũ excederet) etiam qui perſpicaciſſimi quondam viri ſunt habiti: veritatis ſcopum recte collimare, minime potuerunt. Etenim quis neſciat quantas cum Agrigentino Empedocle pugnas nectat Stoicus Stertinus dum indagare altius nititur,

Quæ mare compeſcant cauſæ: quid temperet annum.

Stellæ ſponte ſua, iuſſæ ne vagentur, & errent,

Quid premat obſcurum Lunæ, quid proferat orbem.

Quid velit, & poſsit rerum concordia diſcors?

Vt illorum hinc inde ſagaci cura animi ſcripta contemplanti facile cenſere non ſit, Empedocles ne ipſe turpius peccet: An Stertini magis deliret acumẽ. Sed lites, concertationeſque illis placide relinquamus, qui pugnandi ſunt auidi: nos (ſi placet) iter noſtrum confeſtim peragremus. PHIL. Mihi verò perplacet: iam enim dudum itineri accinctus ſum. Vide tamẽ eques ne an pedes iter facere malis? nam apud me inſtati equi ſunt: iamque ante parati: ſiquidem ętati & pedibus tuis valde timeo. NIC. Nil eſt quod vereare. Nã mihi (benignitate Dei) etiam ad maiora multo ſpatia pedibus obeũda, ętas impedimento non eſt. Et antelucana iſta deambulatio eiuſmodi futura eſt, vt vel parum firmæ valetudini, ętatique decrepitæ ſalutaris ſit futura: tantum abeſt, vt ętatis & virium munia nõ admodum requirenti, nocere poſsit: quocirca obequitationem iſtam, ſeſsionemque equeſtrem mihi quidem liberum eſt, atque facile contemnere. Simul & illud vereor, ne ſi forte equum conſcenderim, laſciuia ille nimia paſtus ferociens, ſeque in poſteriores pedes erectans agitatorem parum callidum dorſo excutiat: nouuſq; ſeſſor equi cerebro ſpargam viam. PHIL. Omen Superi malum auertant. Pedites igitur ineamus actutùm viam. NIC. Gratum

Gratum eſt. Sed intereundum, te qui multum & diu his fueris in locis, aliqua regere neceſſe eſt. Scis enim mortalium animos ſcientiæ paſci, & rerum ali notitia: quarum vſque adeo rerum humanis in pectoribus ingenita cupiditas eſt, vix vt poſsit euelli. Dic ergo, quid illud eſt, emicare quod procul incipit. PHIL. Hoc ruſticum ſororij mei Aloiſij Ceceris prædium eſt, vbi cum lectiſsima fœmina vxore ſua domina Catharina ab Aldana, ſorore mihi chariſsima hybernare ſolet. Eſt enim apud nos, quod apud Romanos quondam legimus factitatum ſtatio quædam hyberna: vbi vrbanas curas auerſata nobilitas, honeſto ſeſe aliquantiſper ocio relaxat, dum ver nouum aduentat: quo ineunte vrbem repetunt. Hic ego, loci credo inuitatus natura, ab amicorum ſalutatione & populi ſtrepitu liber: ſtudijs quibus me à puero ſedulo atque amanter addixi, vacare grauiter ſoleo. Vides enim amœnum eſſe prædium, nec ſalientis aquæ dulces deeſſe fontes, & multos cõſitis arboribus hortos. Vnde & æſtate media nimio Solis ardore alibi areſcentibus herbis: Hic ſæpe prata vireſcunt, lætoſque flores fundunt. Quarum rerum iucundus aſpectus me certe mirè recreat, & ad Muſas dulciter allectat. NIC. Negari enim vero haud poteſt, ſtudioſis hominibus eiuſmodi ſedem quam gratiſsimam viſum iri. Cui ego oppidulo maxime gratulor, non tam ob loci, ſolique naturam quã eſt egregiam optimamque ſortitum, quam quod te inquilinum alumnumque habet: qui ſibi tibique doctis ſcriptis immortalem (iuuante Deo) ſis iam famam nominis, atque gloriam pariturus. Sed quæſo te, quę illa tam denſa arborum multitudo eſt, ſpacio remota propinquo: cuius à dextra (vaſtæ huius vallis amœnæ ac floridæ) opaco vndiq; obũbrante nemore, ſuaui quodam murmure erumpens riuulus extremam oram ſpecioſe conueſtit: quæ oculos amanter oblectãs, ſeſe nobis inſinuat? PHIL. Alcocis nomen riuuli eſt, Benedicti (vt perhibent) ſacello atque antro nobilis. Multitudo, quam dixis, arborum: Caſarenſis eſt cædua Sylua: quæ hyemali brumę, & hybernis focis quernâ nobis affatim ſuppeditat ligna: minime illa quidem lachrymoſa, ſed Acapnis illis ſcriptis veterum celebratiſsimis, bonitate paria. Cuius (latera ſiniſtra petentibus) extremam partem leni quodã tramite ſaltus cõtinuam planitie, excelſi ac frondoſi montis fauces excipiunt. Vbi arctiori quodam nemore vallis angulus cinctus, venandi ſtudiis

ſpectaculo quodam iucundo ſæpè volupe certamina præbet: ad ipſas montis radices, ceu ad breuia quædam ob difficilem iam naturam loci, feris ſic æſtuantibus, capi vt iam ſine periculo poſsint. Sed proſpicis ne cadentes è rupibus amnem? NIC. Maximè. PHIL. Hic ille eſt Salor, quem petimus. Quare eamus ad illam partem, quæ arboribus proxima eſt: ne, ſi forte vi ſolis iam ad meridiem exorta, calor diſputantes preſſerit, longinquam quæramus latebram, vbi ab eius nos ardore, vmbra aliqua recreemus. Verùm nunc quidem nullis ſub arboribus melius in ripa ſedebimus. NIC. Rectè ſentis. Profecto amœna hæc omnis regio tua eſt: nec minus huius, ad quem peruenimus, loci ſitus iucunda. Vt placide ſpirans Zephiri! vt grata ora ferit aura! vt ſuaui & leni ſibilo arborum folia vẽti ſtringunt! Vt, hinc inde fraxinos inter opacas, & denſas ſalices, vario aues cantu celebrant diem: rauco veluti murmure reſpondente flumine! Vt vitreis in vndis agminatim luſitant piſces, & rapido ſaltu in apta corpora librant, ſeque iterũ tuti vndis immergitant, atq; receptant! Certe omnia hæc ſpectare ſuaue eſt, & prorſus iucundum. Ac ſi externis, terrenis ve ex rebus (in quibus certa vel plena gaudia profecto nulla ſunt) beatitudinis ratio peti poſſet: beatum te iam dudum crederem, effectũ qui huiuſmodi rerum fœlici copia circumfluas: & hos tanquã Elyſios campos (libeat quoties) poſsis inuiſere, atq; dulci hoc auiũ ſatiare concentu, & parte ex aliqua æſtus graues animi lenientem, curaſq; leuantem. PHIL. Eſt quidem amœna prorſus huius fluminis (vt ſentis) ripa: ventorum aura ſuauis, ipſaque adeo temperies cœli ſalubris atque mitiſsima. Quapropter hunc ego locum & legendo & ſcribendo defeſſus, laſsitudinis cauſa vacandæ non ſemel repeto. Vbi linea & piſcatoria canna fallaci hamo male credulos ſæpe decipio piſces. Quòd ſi exitioſam eſcam, caſu cauti detrectant (neque enim ſemper auiditate pari hamum deuorant) Magnæ in parentis recubans gremio, gratarum vndique arborum frondoſo tegmine ſeptus, aliquid ipſe tacitus mecum commentor: nimirum quod rationibus noſtris non ſit alienum futurum. Commentationeque lætus, domum veſpere redeo: ſi iam ſine piſcibus, non tamen ad hiſtoriã ineruditior. Reuertor enim meditatus multa, quę domi poſt charis exaro. NIC. Eſt quidem hoc grauium, prudentiumque virorum, agendæ ætatis ratione impelle-

te:

re: & vitę fugienti proſpicere. Quę improuiſa ſæpe morte, inanem ac vanam multorum ſubitò fallit ſpem quæ præclare atque opportunè capi cōſilia poterant, in longum temere ducta tempus, intercipit.

SED. amabò te mi Philemon, quando hęc expetiti occaſio tēporis, ſolitudo loci, benignitas Cœli & amœnitas ſoli, tantū ocij, tranquillitatiſq; ſuppeditāt, quantū ſit homini diſſerēdi cupido vel optare fas vel expetere iuſtū: fac quæſo, vt eas ipſas res, quarum hic cauſa conuenimus, quam primū exordiare. Vix enim dicendo conſequi queam, quanto te iam audiendi deſiderio tenear. Quis enim gloriæ vel famæ auidus, præſtantē famā virum de gloria non cupiat audire diſſerentem? Cum præſertim quod ille tali in re cultò ex pectore dogma deprōpſerit, pro oraculo ſit non ſtultis habendum? Neceſſe quippe eſt, tibi fatear mei animi morbum: quem neſcio quonam pacto (quo minus ſpei ſibi ſupereſſe præſentem ad vitā videt) eo magis ſentio cupiditate famæ exardeſcere, ignorationem & tenebras ſummo opere refugientem: ad laudem contrà, & nominis gloriam impetu magno anhelantem: Cui ego ardori animi reſiſtere cum nequeā, eſſeque honeſtæ laudis ſtimulos acres, atq; inclyta ſemina ſentiam: doleo medius fidius, id ętatis cum ſim, veræ mihi gloriæ nondum hactenus viam me aliquam inueſtigauiſſe: quin potius induſtriæ atque operæ parum eis in rebus elocauiſſe, vnde famę verus ſplendor ſuboriri ſolet. Quæ me profectò res, anteactæ vitæ curſum reſpicientem male vrit: ipſaq; noſtrū vulnerat ingrata pectus recordatione. Neque enim par mihi cum illis ratio ſententiæ eſt, qui iniuſtis inhoneſtiſque rebus atque omnino ſordidis, ac flagitioſis: & quæ leuitatis & inconſtantiæ cum aliqua coniunctæ ſunt vanitate, nominis famam quærunt. Cum exploratum mihi, perſuaſumque ante iam ſit: famę veram gloriam ex vno virtutis fonte hauriēdam, petendamque eſſe: aut nullam prorſus quærendam. Virtus enim verè eſt, quę gloria (ſola) circumfluit claroſq; beat fama mortales: Immortales homines, diuinoſque efficit. Cuius vtinam datum eſſet compotē fieri.

PHIL. Facies tibi iniuriā profectò mi Nicete, qui vno eo carere queraris, quod in te ſummè viget, tuamque ipſius vitam illuſtrat maximè. Nemo eſt enim omnium qui te nouerunt, qui ſapientiam, virtutemque animi tui non vel maximè laudet, admiretur atque ſuſpiciat: teque geſtis (probitatis opinione) laudis ſummum locum dignitatiſque mereri. Quò ego miror minus, ſi cupiditate famæ teneri te dicas. Nam cum ad hanc ſiue rationis magiſterio, ſiue naturæ quodam feruido impulſu omnes ſimus propenſi: certè dictu mirum eſt, quàm egregius hic ardor mentis, ſeſe ſemper in optimi cuiuſque animis ſublimiter excelſoq; efferat, ac veluti extollat magnificè. Credo quod veri decoris præſtantiam dignitatemque virtutis (vnde fama ipſa duci ac peti ſolet) multò illi exactius & acutius cernant, qui peſſimarum rerum abdicata animo cupiditate, ſingulari quadam bonitate mentis excellunt. Licet enim auiditate famæ multos ſæpe videamus incendi, quorum vitæ eſt omnis actio turpiſſima: eorum tamen inanem impetum, furibundumq; conatum, præter vanam quandam laudis effigiem, & gloriæ falſam imaginem, cōſequi nihil poſſe, clarius eſt quam vt verbis ſit multis, vel exemplis declarandum. Quòd ſi caſu aliquo rei huius cōpotes facti ſunt, fluxa omnis illorū gloria eſt, atq; etiā momētanea: infœlixque adeò ipſum, quod prauæ artis inſidioſa & fallaci calliditate, obtineri ad tempus erat nominis viſum aucupium. Ita fit, vt licet deſiderium famæ omnes interdum vexet ex æquo: gloriæ tamen verum fructū illi demum nanciſcantur: qui morum ſplendore, vitæ puritate, & præſtantia mentis excellunt: quod non ſine ſumma ratione accidit. Vt enim virtus omnis natura amabilis eſt: atque ideo naturali quadam animorum concitatione ad ſe omnium mentes allicit: ſed præcipuè ab illis petitur, qui moribus ſunt aptiſſimis: ſic & gloria expetitur illa quidem paſſim à multis: fruuntur illi tamē, qui præclara indole ſunt animi: optimiſque artibus præditi. Et quemadmodum quę ſua pte natura ſunt pulchra, doctorum indoctorumque iuxtà oculos remorantur, menteſq; etiam oblectant: ſed ſpectaculi cauſa remota, maiorem illi, quam hi delectationem animo ſentiunt, fructumque percipiunt: quæ ſibi maiori & admirationi & oblectationi fuerint, peritæ artificioſæque mentis ſuaui quadam meditatione ſecum taciti ſingula ponderantes: ſic qui aucupia famæ virtutis artibus inſtructi parum, inquirunt: gloriæ vero fructu deſtituti: tanquam ij, qui ſuam ipſorum vmbram amplexari nitūtur: ipſa met, qua ſunt rapti, inſtimulatione naturæ, ſplendore famæ ficto deluſi, ſiniſtri nominis ad Syrtes appulſi, ſpecioſa miſero naufragio periclitante fama, exiſtimationis

cæca

ex ea in præcipitia labuntur.

CAETERVM vt ij, qui vitiorum labe omni vitam infectam agentes, etiam ſi præpoſtera quadam gloriæ cupiditate ducantur, quàm ſint tamẽ ab omni laude remoti poſſint perpendere: iam mihi res ipſa à definitione inſtituenda eſt: quæ in diſceptatione rerum, Solis munere ſungitur. Gloria eſt (inquit Cicero) frequens de aliquo fama cũ laude. Qua ex definitione manifeſtũ eſt, ſolidam illam veræ gloriæ laudem iniuſtis turpibuſque rebus minime aſcribi licere. Atq; ideo, ne cadere quidem poſſe in conſcelera tos & improbos homines. Cum enim ea tantùm laudari debere perſpicuum ſit, quæ honeſta & iuſta ſunt, neceſſario illud efficitur, vt gloriæ laudem adipiſci non poſsint, qui eiuſmodi rerum nitorem aut intueri nolunt propter deſidiam: aut ſequi non valent ob effrænati diſſolutique animi prauam licentiam. Nemo ſiquidem laude dignum exiſtimat inertia animi ac ſcelere perditũ virum, flagitijſque infamem. Hunc enim pœ ſe quiſque contemnit: facileque omnes oderunt. Nec verò perditorum hominum valere tantum ad laudem poteſt amentiá, vt gloriæ fructum ferre poſsit, qui vita improbus eſt. Vituperatio ſiquidẽ, & opprobrium tã ſunt magnis contigua ſceleribus, vt improborum votis perditorumque ſuffragijs ſeparari ſecernique nequeant. Virtuti contrà atque honeſtati tantus à natura dignitatis ſplendor ineſt, vt ſi iam nulli contingant admiratores: poſt ſe tamen non inuitã ducant glorioſam famam. Neque enim illa poteſt ab honeſtatis contubernio diuidi atque diſiũgi, & virtutis ſatellitio diuelli. Eſt nanque ſplendor nominis, ſummumque famæ decus in vitæ honeſtate poſitum: omniſq; vera gloria in virtute collocata. Hinc fit, vt eorum etiam, quorũ iam inde à priſcis temporibus virtutem animi per manus accepimus, non ſine quadam laudis commemoratione memoriam celebremus. Sic Dauid, Sic Sanſon, Sic Mathathia cum patre filius Machabeus Iudas: Sic Achilles, ſic Aiax, ſic malorum hominum terror, monſtrorumque domitor Hercules: ſic Diomedes, & fortis extollitur Hector. Sic Bias, ſic Thales, ſic moralis pater philoſophiæ Socrates: ſic humanæ maximus hæres ſapientiæ Salomõ: Sic Draco, Sic Lycurgus & Solon, Spartanuſque Glaucus, qui externas, alienaſque gentes, Iuſtitiæ ſama impulſas ad ſe videndum allexit. Omneſque illi tandem qui egregia aliqua atq; inſigni virtute, olim ſunt clariſsimi habiti. Illorum contrà, qui vitam turpiter egerunt, aut oppreſſa tenebris nominis fama eſt, hominumque ignoratione ſepulta: aut nota turpiſsima inuſta prorogatur ad vitæ ipſorum odium, contumeliamque fœdiſsimam. Sic turpis animi licentia perditi Helij Gabali: ſic Apici luxurioſi: ſic effœminati Sardanapali: ſic ſæui ambitioſique Neronis, ad nauſeam execratione mq; bonorum, & retinetur memoria: & vitæ geſta leguntur. Quorum, opinor, nemo eſſe cuperet ſimilis: multis licet quondã imperaſſe illos gẽtibus, & populis fuiſſe terrori hiſtoria non falſò reſciat. Præſtat enim obſcurũ naſci: Inglorium ac ſine ſama mori, quam vitæ hominum innotuiſſe tam malè. Ex quo illud perſpici poteſt, honeſtatis atque virtutis opinionem ad laudem nominis valere quam plurimum: exiſtimationem contrà vitæ turpem, eãdem ipſam labefactare prorſus atque penitus obſcurare: memoriamq; hominis tetram maximè, pœnitendamque efficere.

QVI IGITVR veram gloriam adipiſci volet, ſumma ope niti debet, vt virtutũ omni genere mentem imbuat: & pulchris animum moribus ornet. His etenim in rebus, quicunque ſunt clari nominis famam adepti, ſtudij atque operæ plurimum poſuiſſe dicuntur. Nec eam ante conſequi potuiſſe, quam quæ rectè fuerant mente memori vitæ præcepta complexi, egregio illa aliquo opere compleuiſſent: periculis hominum, & afflictis patriæ rebus, ſalutis opem ferentes. Quarum quidem rerum ornatu honeſto amicti, patrocinio inſtructi, & præſidio nobili fulti, tantum ſibi gratiæ apud poſteros conciliarunt: dignitatis & gloriæ tantũ ſibi pepererunt: vt illorum virtus animi, cõmemoratione grata hominũ poſteritati prodita, & Annalium conſecrata literis, ſitu vetuſtatis obduci, atque interire nequiuerit. Neque id ſanè iniuria. Digni enim ſunt, vt à nobis aliquo honoris afficiantur inſigni: qui immortalitati famæ per virtutem animi Ianua patefacta, mortis aditum ſibi obſtruxiſſe videntur. Semper enim glorioſæ famę area, (Orci pallidi violento imperio contẽpto) vni patet virtuti (lugubrique deſidiæ ſacculo ab imo diſciſſo) immortali illam Chlamyde conueſtit: dignumque laude virum vſque vetat mori. Honeſti enim glorioſiq; laboris, ęternus & immortalis eſt fructus. Ita fit, vt qualemquiſque virtutis in agro fecit ſementem: talem decerpat & meſſem. Sic virtute animi magis exculto, gloriæ maior

por

portio datur: præclaræ verò huius laudis experti, mentiſq; bonis turpiter deſtituto, nõ magis poterit gloria vera contingere, quã intemperanti proſpera ſalus, improbo ſœlicitas, & malo beatitudo. Vt enim inſigni aliquo vitæ ſcelere delibutis (Fortuna licet in ampla proſperè nimis ad tempus agere videantur) terror tamen aliquis ſemper impendet, qui exiſtimata illos gloria ac ſœlicitate deturbet: & ſactorum diritate turbidũ pectus, conſcientiæ graui aliquo vulnere atque verbere conſauciet: ſic bracteola illa fallaci ementitæ gloriæ, vulgi oculis adblandientem ſnauitatem eorum: bonorum ſæpe ſermo diluit, vel ipſorum exactius ſortè inſpecta vita à vulgo cum eſt: opinione euacuata, atque exinanita, vaneſcit. Ex quo intelligi par eſt, eiuſmodi genus hominũ nihil habere poſſe cum gloriæ vera laude commune. Cui enim ſano perſuaderi poſsit, eũ glorioſè viuere: quem (ſi iam excelſo poſitus ſit in loco) Fortuna ſua tamen arbitratur eſſe minorem: & vſura prorſus communis lucis indignum? Sed de his hactenus. Credo nanque obſcurum non eſſe (horũ turpia facta & vitæ probra cum videas) omne de gloria interdictum improborum cauſa hominum omniho latum eſſe. Quare nemo flagitioſis moribus, probroſæ vel infamis opinione vitæ ſuſpectus, claræ quærat famæ præſidia : quæ viris dicata ac mancipata ſunt optimis. Aduerſante enim repugnanteque natura corrnpto cum integro, honeſto cum infami, temperanti cum diſſoluto, conuenire nihil poteſt. Quod cum ita ſe habeat: totiuſque glorię rationem ex virtutis fonte duci, ſupra ſit oſtenſum: & cui irrigatio fontis ipſius, atq; eius maximè vndæ ſeruiant, & pateant, nulli ſit ambiguum, ſequitur, vt quibus in rebns ſumma & perfecta (quæ opinione hominũ putatur) gloria conſiſtat: paucis explicemus.

ATQVE HAEC quidem (vt author eſt M. Cicero) extribus his conſtat : ſi diligit multitudo: ſi fidem habet: ſi cum admiratione quadam honore nos dignos putat. Quorum de ſingulis diſputare ad plenum velle, maius eſt, quam vt dignè poſsit à nobis, ad alia præſertim accinctis hoc tempore expediri. Ac ne fuerit quidem operæpretium fuſius cuncta diſſerere: cũ præſertim quæ ad hanc cauſam pertineant, vberius illa ſuis locis à me iam ante diſputata, explicataq; ſint. Sed opportunitas loci nos admonet, vt ſtrictim atque præciſè aliqua delibemus: quando plene atq; perfecte ad alia feſtinantibus, id exequi minus licet. Studia igitur, beneuolentia hominum; atque fauor placabilitate morum & beneficentia facile comparantur. Fides, quæ dictorum & conuentorum eſt fida quædam obſeruantia: ĳs demum haberi ſolet, qui cum Iuſtitia prudentiam vulgò putantur adepti, & animi Sapientia præſtare, ac nihil captioſè gerere. Quos eoſdem, quia ſolertia quadam mentis longe in poſterum futuros caſus proſpicere arbitrantur: agendarum rerum ceu duces ſtrenuos ſtudioſè vbiq; ſequũtur. Vt ſiquid illis aduerſum, aut rei publicæ turbulentum ſortè acciderit, præſidio illorum adiuti, calamitatis præſentis periculo liberari: aut imminentis poſsint, metu eripi. Sed ad fidem ſemper firmiter conſtanterq; faciendam, & rectæ exiſtimationis aucupiũ: probitatis opinio multum habet in vita momenti, bonis enim viris iniuratis ſæpe creditur malis ne iuratis qnidem. In illis pro Sacramento compoſiti mores valent: in his diſſolutio vitæ ne apud aras quidem fidei locum facit. Tantus eſt vbique (neque id iniuria) honos recte moratis! Cnius quidem virtutis quanta ſit vis in contrahendis hominum negotijs ethnici quondam declararunt, qui effigiem fidei Capitolina in arce, Ioui proximam locauerunt. Hac nobis pictura ſignificantes Summo Deo (qui appellatione Iouis plærunq; ab illis innuitur) Syncera & ſancta fide gratius nihil eſſe. Qua de ipſa operæpretium videre eſt, quid vir ſapiẽtia clarus Patritius, Octauo de Regno & Regis inſtitutione libro, ſcribat & ſentiat. Fides, inquit, virtutibus alijs ſplendore tanto præfulget, vt ſine ea omnes Regum ac principum virtutes obſcuriores fiant. Ab ea enim ſingulæ ſic lumen accipiunt, vt à Sole Luna, Sydera, atque Stellæ omnes. Prudentia enim ſine fide vana ac mendax eſſet : & vafra quædam aſtutaque calliditas. Temperantia, triſtis & verecunda. Fortitudo, ignaua ac torpida. Iuſtitia autem ſæua ac ſanguinaria. Quid enim laudis, famæ, aut gloriæ princeps habere poteſt, qui vanus, mendax, aut infidus eſt? Quid turpius aut grauius eſſe poteſt, quam fidem fallere, promiſſa non præſtare, aut dictis, conuentiſque non manere. Hæc ille: nos (ſi placet) noſtra videamus: quæ hinc exordiemur; Lyſandrum Lacedæmonium, inclytum alioqui fama virum, ob fraudes & dolos cæteraſque perfidiæ artes multi vituperant. Philippum etiam Macedonem reprehendunt aliqui quod deceptis gauderet hoſtibus, nec ſemper ex fide ageret.

ter. Africanum Hanibalem ob perfidiam execrantur Annales, pariter & pœnos omnes criminis huius gentili condemnant infamia. Græcorum monumenta Vlyſsis calliditatem & vaſritiem ſæpe notarunt. Suſpicitur contrà Epyrotarum Rex Pyrrhus ob fidem: & is, qui ad ſupplicium redire maluit Regulus, quam ſemel datam hoſti fallere fidem. Laudatur etiam Sexti Pompeij fides, cum enim caſu in naui iuxta Puteolos apud eum Octauius, Antoniuſque cænarent (qui id temporis vetere ſimultate poſita inter ſe fœdus iniuerant) maritimæ claſsis præfectus Menodorus per quendam nuntiauit Sexto, patris germanique iniurias tunc eſſe promptum vlciſci: quod ſi temporis vellet occaſione frui, curaturum ſe facile vt à nauibus nemo viuus diſcederet. Quod Magni Pompeij hæres intelligens, Renuncia (ait) Menodoro id ſine me licere facere ipſi, qui iam peierare conſueuit: mihi enim & nefas & impium eſt, qui fidem nunquam fallere didici. Præclarè Sextus: fides enim ſanctiſsimum humani pectoris bonum eſt: nulla neceſsitate ad fallẽdum cogitur, nullo corrumpitur premio. Nihil itaque fraudulenter, nihil inſidioſè, inhoneſtè vel turpiter geſtum laudem vllam poteſt mereri. Nam quæ vtilitas, aut potentia Regni, vel quæ de hoſte parta victoria eſſe vlla tanta poterit, vt fidei ſanctiſsimum Symbolum diſrumpendum nobis ſit: & ſacramenti (quod induciarum laudabili fœdere etiam iis qui aduerſus nos ſæua moliti ſunt arma, ſeruandum eſt) perfringenda ſit, vel labeſactanda religio? ipſumque, prudenti & pio ſemper optandum, boni viri nomen deſerendum? An verò fidei ſponſores Diuos, quorum ad iuriſiurandi religionem firmandam Numina ſumma teſtamur, contemnere pium eſt, vel tutum nihil moranti? Atquî, ſupplicium nullum maius eſt, quam Dei irati vitio: qui ad ſtabiliendam fidem (vt Dionyſius Halicarnaſſeus optimè cenſet) honeſtis & licitis rebus contrahendis omnino teſtis accedit. Itaque Ægyptij illi veteres, qui mortalium quondam ſapientiſſimi ſunt habiti, ac Summi Dei cultores acerrimi: periurio infames (vt author eſt Diodorus) capitali pœna plectebant. Vindictæ ſeueritate docentes, Non perfidiam: ſed fidem ſolam eſſe, quæ hominum famam illuſtret: & vitam tueatur: quæque nos Summo Deo verè charos, amicoſque efficiat. Qua in re intelligendum eſt intereſſe fidei, vt nihil ſimulatè: nihil captioſè, nihil fraudulenter, nihil inſidioſè, nihil malitioſè vel callidè vnquam agamus. In quo quidem fœdè nimis, inuerecundè & vafrè peccatur à multis: dum inuolucro quodam obſcuro, & techna quadam fallaci, fidei vinculis ſeſe falsò liberatos eſſe arbitrantur. Thracum populi (vt ſcriptum extat apud Ephorum) cum Bœotijs ad quoddam tempus fœdus ſanxerant, induciaſque pepigerant: quo nondum elapſo (cum illi ſecurius induciarum fiducia dormirent) noctu agros populabantur. Quibus de violata fide querentibus, Thraces reſponderunt, dierum non noctium inducias fuiſſe pactas. Sic Spartanus Cleomenes, ad ſeptem dies cum Argiuis inducias pactus, tertiò induciarum die (ſomno illis quietique vacantibus fiducia initi fœderis) cum omni exercitu dormientes inuaſit: atque alios quidem letho dedit, alios ſecum captiuos abduxit. Cumque illi vitio data eſſet iuriſiurandi contempta fides, ita cauillatus eſt, vt diceret noctes in Sacramento additas non fuiſſe. Sed hanc veluti contumeliam Diuis vlciſcentibus, vrbis (cuius cauſa conuentis parum manſerat) ſpe fruſtratus: cultello per furorem (quo eſt repente correptus) corpoream ſibi pellem ab imo ad ſumma diduxit: atque ita infœliciter expirauit.

SED QVIS non videat, parum eos ex bona fide agere, qui ſeſe huiuſmodi figmentis ab officio boni viri & eo (quo maximè ſunt obſtricti) nexu veritatis: eximere conantur? Hæc enim tam veteratoria, tam aſtuta & callida obſeruandæ interpretatio fidei: nihil fermè à flagitioſa perfidiæ malitia differt. Ac profectò, eò tetrior, quò doloſior bono viro videri, exiſtimarique debet. Quod cum ita eſſe intelligerent Auguſtiſsimi principes Theodoſius & Valentinus callidis eiuſmodi hominum vaframentis, & aſtutis per ſummam malitiam interpretationibus ſanctiſsima lege reſtiterunt. Cuius ad præfectum Prætorij Florentinum verba ſic habent. NON dubium eſt in legem committere eum, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem. Nec pœnas inſertas legibus euitabit, qui ſe contra iuris ſententiam ſæua prærogatiua verborum fraudulenter excuſat. Qua ex lege violatæ Fidei reos peragi manifeſtum eſt, qui in pactis atque conuentis verbis ſunt vſi aliorſum, quam in eum finem, cuius cauſa verba ipſa ritè concepta ſunt. Infidus igitur Cleomenes, & perfidi Thraces, ac quicumque alij techna ſimili impoſturam fidei facere nituntur Id

quod diuinitus quondam in.XII.fuit Tabulis cautum: quarum illud de bona fide ad vitã eſt vtile in primis, VTI NE PROPTER TE, Fidem ve tuam captus, fraudatus ve ſim. Item & illud, INTER BONOS bene agier oportet, & ſine fraudatione. Quæ omnia eò pertinent, vt intelligamus in actione vitæ vniuerſa, non aliter atq; in bonæ fidei cõtractibus malitiam omnem oportere abeſſe procul: inſidioſamq; ceſſare debere interpretationis calliditatem. Quocirca, captionis, inſidiarumque plena verba: dolos, ſimulationes, fraudes, & technas impoſtoris Vlyſsis rectè apud Homerum ſic perſtringit Achilles,

O multum generoſe doli fabricator Vlyſſes!
Conuenit intrepidè me veſtra refellere dicta.
Vt fieri debere puto, fallacibus ipſum
Ne me ſedentes hinc obtundatis & illinc.
Is magis eſt quoniam quam nigri Ianua Ditis
Infenſus nobis aliud qui pectore claudit:
Inde palam profert aliud quodcunq; videtur,
Aſt ego nunc dicam, credo vel vt eſſe futurum.

Eiuſmodi igitur cum viris, inſidijs, deceptione, dolis, fraudeq; refertis, loquentibus aliud, aliudq; agentibus, iuraq; tãdem ſacra parum religioſè colentibus, nihil profectò poteſt eſſe commercij. Quod cum ita ſe habeat, vlterius iam non progrediar, meq; potius ad meũ munus atq; penſum reuocabo. Si tamen hoc vnum prius admonuero: Nẽpe ad habendam illi fidem facile homines adduci ſolere, cuius publicis in functionibus, priuatiſq; rebus vitæ eſt integritas ſumma cognita. Nemo enim ei ſe committere dubitat, cui domeſticis in rebus vigilantis animi non deeſſe cernit induſtriam: & in publicis nouit, religioſè ſemper, ſedulo atq; ſapienter fuiſſe verſatum. Atque hæc quidem de fide: nunc accingar ad reliqua.

IGITVR ex tribus, quę ad cõparandã gloriã à nobis propoſita ſunt, illud erat extremum: ſi cum admiratione quadam honore nos dignos putat. Quo in loco conſiderandum eſt, eos potiſsimum homines admirationi cæteris eſſe ſolere, in quibus egregia aliqua indoles virtutis elucet, atq; altitudo quædam mẽtis ad eas omnes res faſtidiendas ac proculcãdas: ad quas plerique alij libidine inflammati rapiuntur. Vt enim doctiſsimè docet. M: Cicero, Admiratione quadam ij ſemper afficiuntur, qui anteire cæteros virtute putãtur: & cùm, omni carere dedecore, tum verò his vitijs: quibus alij non facile poſſunt obſiſtere. Hinc voluptatis oſor Anthiſtenes: hinc auri contemptor Curius: hinc in ſumma inopia hilares Metrocles Diogeneſq; laudantur: quorum alter preſſus egeſtate ridebat, alter ditiſsimos Reges ſorte contentus ſua, iocabundus ſubſannabat: Fortuna in parua ad vera illos fœlicitatis certamina prouocans: dum in vitæ ſorte contempta deeſſe nihil ſibi magnificè gloriabatur: quod illi in ampla, ſemper aliena ſitientes, aſſequi vnquam mini mè potuerunt. Hinc tandem & illi in gloria omnes habiti, qui ea omnia, quę corpori accidunt, vel omnino rebus externis forti in vtramq; partem animo ferre viſi ſunt. Semper enim virtutis excellentiam (fauentis licet ſuffragia famæ contemnat, & laudis quęrat effugium) glorioſa hominum ſequitur admiratio, & bonorum honeſta cum laude prędicatio coniuncta. Gloria nanq; virtutis eſt comes. Quam ſi virtute animi meruiſti, occultare quamuis te, tuaq; facta coneris, obſcurus, inglorinſq; eſſe non poteris.

SED CVM excitus hic animi ardor ad gloriam à natura ſit cunctis inſitus (vt à nobis declaratum eſt antea) fulgenti nanque trahit conſtrictos gloria curru non minus ignotos generoſis, doctè vt quõdam cecinit Flaccus. Quod & verum eſſe Cicero ipſe ſic eſt pro Archia teſtatus, omnes trahimur laudis amore ac ducimur: ſit illud non ſemel, vt qui nihil præclari geſſerunt, laudari tamen velint: & qui per ſummam virtutẽ animi omni pollent gloria, vel immeritò ſæpe probro torqueantur (falſus enim honor iuuat, & mendax infamia terret.) Qui locus eſt ſanè anceps, ſummèque difficilis. Nam appetere gloriam, quum nihil agas laudabile, ſordidum profectò verecundumqueſeſt. Infamiæ verò aliquo maledicto terreri prorſus ſtultum, quum virtutum certa laude vita ſatis eſt culta: & aduerſus malorum hominum leuia & flaccida conuicia opinione probitateque ſua vita ſe noſtra defendit. Cum præſertim improbis diſplicere, argumentum ſit non obſcuræ probitatis. Sed ita omnes à natura auerſamur ignominiam atque erigimur rurſus ad laudem, vt infamiæ quoquomodo non poſsit non moleſta videri ſuſpicio: & expetiti contrà honoris etiam quæ falſò conceſſa eſt, grata tamen eſſe largitio. Quo in ipſo diligenter nobis conſiderandum eſt, ne eiuſmodi rebus diffugiendis vel appetendis, aut plus iuſto frangamur moleſtia: aut præter fas, ambitionis aliquo feramur ſtudio. Id enim temporis apud ſe quemque habitare maximè conuenit: ſuam vndique vitam intuentem. Sic etenim mentis acie facilè quiſque rimabitur: ſit ne infamia falſa contabeſcendũ: fucato

ſucato ve honore inaniter ac futiliter ſuperbiendum. Hæc nanque rerum noſtrarũ diſcuſsio, exploratio, atque inſpectio noſtri ad veræ diſciplinam gloriæ maximè pertinet: Qui enim pectore ita erit affectus, bonorum primum de ſe iudicio recreatus, & conſcientia ipſa animi ſola contentus; vel plauſu vel ſibilo populi opinor, non multum mouebitur, qui ſtultus honores ſæpe dat indignis: & iudicij pari leuitate eos ſæpe vellicat atque dilacerat, qui de ſe ſunt quam optimè meriti.

CVM IGITVR tam latè pateat efferuens illa cupiditas animi ad gloriã, vt omne propemodum genus hominum complexa eſſe videatur, intelligendum eſt tamen (id quod ſignificaui iam antea) optimum quemque maximè gloria duci: eique ad illam iter faciliimum expeditiſsimumque patere. Cum ad hanc tantam nominis celebritatem, propenſione vna naturæ tantum excepta, quæ natiuo aſſequendæ famæ fomite alitur, ne minimam quidem ſemitam indagare improbi valeant: niſi forte reſipiſcunt à vitæ nequiſsimæ ſomno: Eſt enim naturaliter nulli (ſequi modò velit) ad virtutem obſtructus trames; vel ad gloriam aditus intercluſus. Quin omnes potius, eadem quæ produxit, tacitis quibuſdam igniculis natura ad nominis decus, honeſtatis atque virtutis gloriam excitauit; qui in optimi cuiuſque mente ſemper eluceant maximè. Atque ideo præ cæteris illi in honorem laudemque incumbunt. Scribit Xenophon tantam in inclyto illo Rege Perſarum Cyro, iam inde à puero cupiditatem gloriæ fuiſſe; vt ea ætate celebritatis huius cauſa potiendæ omnia ſibi pericula leuia viderentur. Qua ex re futuram Cyri virtutem præſagire, facile fuiſſe dicebat. Quod generoſus hic animi affectus claros viros potiſsimũ occupet. Vt enim pro M. Cælio docet Cicero, Ardor mentis ad gloriam in adoleſcentia, tanquam in herbis ſignificat, quę virtutis maturitas, & quantæ ſint fruges induſtriæ futuræ. Non igitur iniuria vir præſtantioris ingenij, magnæque doctrinæ Fabius Quintilianus præclaram hanc animi indolem, & generoſum mentis affectum in pueris ſummè cõmendat. Mihi (inquit) ille detur puer, quem laus excitet, quem gloria iuuet, qui victus fleat. Hic erit alendus ambitu, hunc mordebit obiurgatio, hunc honor excitabit: in hoc deſidiam nunquam verebor. Quapropter Alexander ille Macedo, cum cupiditate animi ad gloriam vehementer exarſiſſet: Philippi parentis virtute res geſtas cõtemplans, & magis in dies fauſtum ſucceſſum, materiam gloriæ ſibi dolebat ereptam; ſic enim ſubinde dicebat. Quid mihi pater rerũ relinquiet agendum? Cupiditate gloriæ pari fortis incenſus Achilles, bellicæ laudis inſignia, atq; ornamẽta virtutum ignauis deferri dolebat, ſeque & gloria & laude fraudari, mortis inſtar exiſtimabat, impatientiuſq; ferebat. Sic nanq; ab Homero loquens inducitur:

Corq; meum penitus turgeſcit triſtibus iris,
Cum decore atq; omni me orbatum laude recordor.

Vrebat fortiſsimi viri animũ, idq; iure: mercedem virtutis gloriam (quæ in exhibendo dignis honore potiſsimum viget) ſibi eripi per iniuriam. Quid de Aiace dicam? viro & ipſo non inſtrenuo, quem impatientia doloris ob adiudicata falſo Achillis arma Ithaco, eo furoris adegit, vt mortem ſibi ipſe è veſtigio conſciuerit, necemque intulerit? Potuit ne re alia magis declarare à ſe gloriam ſemper magni habitam fuiſſe, quam huiuſcemodi mortis teſtimonio: qui armorum (quem virtutis ergò petebat) honore negato, vitæ ſibi vſum ademit? Sed quid neceſſe eſt, inſigni mentis robore præditorum, clarorumque ducum exempla repetere: cum nemo fermè illorum extiterit, qui gloriæ flamma incenſus non ſibi animum induxerit ad res difficiles virtute animi alacriter ſuſcipiendas? Hæc Horatium Coclitem ſine ſpe vlla ſalutis poſuit in ponte ſolum: Hæc Fratrem Themiſtoclis Ageſilaum impulit in Xerxem: Hæc in Porſenam, Mutium animauit: Hæc virtute nobiles Decios pro patria deuouit: Philenorum hæc eadem fratrum aras conſtituit, cum pro ampliandis patriæ finibus viui ſunt infodi terra paſsi. Romanas hæc ſæpe legiones (vt ſcriptum reliquit in Originibus Cato) in eum alacres locum tendere fecit, vnde ſe non amplius redituras eſſe videbant. Nam quid ego par amicitiæ inclytum, Eurialum Niſumque referam, qui epitaphij ſpe ad pulcherrimi facinoris laudem excitati, periculi magnitudinem ſperatæ cum gloriæ fructu facile compenſantes, ætatis florentis obliti, alacri erectoque animo ad manifeſtam ſunt mortem profecti? Quorum alter cum ab Eurialo ſocio petiſſet, ne ſe in id diſcriminis cõijceret, ſed vitæ ſuæ parceret, vt eſſet qui amici corpus perempti ſepulturæ mandaret: quaſi ad lautiſsimas potius epulas inuitaretur: vbi paucis edocuit ita ſe puerum à patre inſtitutum, vt formidine omni ab animo procul expulſa ad immortalitatem gloriæ, atque ad memoriam nominis ſempiternam ſemper niteretur: ad extremum illud addidit.

Eſt hic, eſt animus lucis contemptor, & iſtum
Qui vita bene credat emi, quo tendis honorem.

Quibus omnibus gloriæ ſola dulcedo vita antiquior fuit: ſaluteq; omni potior. Sed relinquam hos omnes, ad vnumq; reuertar Alexandrum: qui quanto cæteris rerum geſtarum magnitudine habitus eſt præſtatior, tanto fuiſſe dicitur gloriæ ſitientior. Anaxagoram enim in ſermone audiens, ex magiſtri Democriti ſententia plures eſſe mundos aſſerentem; obortis per ora lachrymis: ô me (ait) infœlicem & miſerum, qui vnius nondum dominus ſum factus? de cuius gloriæ inexplebili cupiditate Iuuenalis illud extat:

Vnus Pelleo iuueni non ſufficit Orbis.
Æſtuat infœlix anguſto limite Mundi,
Vt Gyaræ clauſus ſcopulis, paruaq; Seripho.

Quo factum eſt, vt cum auiditate hac inflammatus vni tantum imperio propagando ſtuderet, & regni finibus in maius in dies adaugendis: Scytharum legati deſiderium gloriæ in homine acri oratione notauerint: ſic enim illos ad Alexandrum locutos ſcribit Curtius. Si Dij habitum corporis tui auiditati animi parem eſſe voluiſſent, orbis te non caperet. Altera manu Orientem, altera Occidentem contingeres: & hoc aſſecutus ſcire velles, vbi tanti Numinis fulgor conderetur. Sic quoque concupiſcis, quod non capitur. Ab Europa petis Aſiam: ex Aſia tranſis in Europam. Deinde ſi humanum genus ſuperaueris omne, cum Syluis & niuibus & fluminibus, feriſque ac beſtijs terræ geſturus es bellum. Quid tu? ignoras arbores magnas diu creſcere, vna tamen hora extirpari? Stultus eſt, qui fructus ſpectat: & altitudinem non metitur. Vide, ne, dum ad cacumen peruenire contendis, cum ipſis ramis (quos comprehenderis) decidas. Hæc legati. At gloriæ ardor inhiberi non potuit, quo velis paſſis acriter ferebatur orbis futurus domitor. Quid? quod in Sigæū appulſus, vbi primum ad clari Achillis tumulum aſtitit, ſemper expetitæ gloriæ indices illas lachrymas fudit: & ô te fortunatum (dixit) adoleſcentem, qui virtutum tuarum præconem Homerum inueneris! Quid? cum ad ſubitam nuncij vocem gaudio præſultantis, manumque porrigentis in indicium rei fœlici omine geſtæ, comiter excipiens Alexander dixit: quid mihi ô bone vir nunciabis aliud quam: Homerum reuixiſſe? Voce hac teſtatus rebus à ſe geſtis aliud deeſſe nihil, quam præſtantem aliquem ingenio virum, qui ſtrenuè ac proſperè geſta, fœliciter & facundè celebrare poſſet, qualis poetarum ille princeps Homerus extitit. Rectè ſanè (eſt enim vt ait Xenophō, [illegible]. Vtique ſi temerè id putes, doctè vt ad Fabatum quendam ſcripſit Plinius: ſam verò quid aliud præ ſe tulit, quam auiditatem ſummam gloriæ, cum Corinthios legatos ſuæ illi ciuitatis iura vltro offerentes ſpreuit; tenuitatem tanquam irridens officij? Ad quam vocem animati Corinthij: at qui per Iouem (aiunt) ciuitatis noſtræ ius quam tibi & Herculi hactenus conceſsimus nulli. Quæ Alexander audiens, delatum honorem libenter amplexus eſt: quem, cum raritas: tum celebratiſsimo cum viro Hercule ſocietas mirificè illi omnino commendabat. Sed quorſum de Alexandro tam multa? nimirum vt intelligamus, non ſolum ipſum gloriam ſemper amaſſe, verumetiam in alijs affectum mentis ſimilem vehementer comprobauiſſe? Qua de re mirabile extat apud Plutarchum exemplum. Scribit enim, inter captiuos Indum quendam ad Alexandrum fuiſſe delatum; qui ſagitandi peritia tantum cæteris viſus eſſet excellere, vt ſagitta anulum collimare poſſet, idque ipſe iactaret. Id vbi Alexander accepit, accerſito eo, artis aliquod ſpecimen edere iuſsit: quod cum ille facere recuſaſſet, capite hominem plecti imperauit. Ad mortem igitur ille raptus, cum à lictoribus increparetur, quod leui de cauſa voluntaria morte egredi è vita vellet, ſupplicij miniſtros ſic dicitur affatus: ſe iam diu exercitatione artis ſuperſediſſe: valdeque idcirco, ne aberraret, timuiſſe. Quod vbi Alexandro renuntiatum eſt: Indumque intellexiſſet non tam imperata abnuiſſe contumacia, quam metu ignominiæ: coram ſe protinus adduci iuſſo, hominem laudauit, datiſque muneribus liberum abire iuſsit, quod mori maluiſſet, quam exiſtimata laude indignus videri.

SED DIVERTAMVS ad alios, ne vnus tantum alumnus gloriæ Alexander nobis ſit ſemper in ore. Iulius ille Cæſar tanto & ipſe deſiderio gloriæ fertur inflammatus, vt apud vrbem Gades Herculis in templo Alexandri effigiem intuitus, ſuſpiria acerba imo ex pectore traxerit, ignauiæ veluti ſuam pertæſus, quod id ætatis nil adhuc præclari geſsiſſet: qua Alexander ille, terrarum orbem totum armis ſubegiſſet. Sic gloria virtutis Herculeæ cum monſtris Theſeum fecit luctari, vtque voluit poetæ, penetrare etiam ipſos ad inferos: ſic trophæa Miltiadis Themiſtoclē excutiebāt à Somno:

ſic & Magnus ille Pompeius ad res ſtrenuè gerendas Craſſum inſtimulauit. Quis in omni Grecia clarior Themiſtocle? Quis rurſum ad gloriam concitatior? Qui cùm ſemel theatrum ingreſſus, interrogaretur, cuius nã vocem libentius eſſet auditurus: illius (inquit) à quo artes meæ quam optimè canerentur. Fuit enim olim antiquum inſtitutum clarorum virorum laudem ad Cytharam concelebrandi, qui in epulis quondam mos floruit maximè. Ibi enim à ſingulis conuiuis præſtantium fama virorum carminibus geſta canebantur (vt autor eſt in Originibus Cato) quo genere Muſicæ, ſi quando incanduit iræ, æſtus animi lenire ſolitus eſt ille heros Achilles. Agamemnoni quippe iratum hac ſeſe Muſica oblectãtem repertum ſcribit Homerus. Sic enim ait.

Hunc inuenerunt mulcentem pectora dulci
Formoſaq; lyra, multoque vincta nitebat
Argento, ſpolium euerſs Hetionos ab vrbe,
Hac ſe oblectabat; clarorum facta virorum
Priſca canens, vſus iuuenis Chirone magiſtro.

Sed redeo ad Themiſtoclem, de eo nanq; erat mihi oratio inſtituta & propoſitus ſermo. Is igitur cum ſumma gloriæ cupiditate flagaret, ad Olympios ludos profectus, vbi primum in Stadium deſcendit, fortè accidit, vt palæſtricis ab vniuerſis, deſpectis concertationibus: omnium ad ſe oculos atq; ora conuerteret: inq; ſe ipſum contemplãdo per totum diem cunctos ſuſpenſos teneret. Quæ ſecum perpendens vir auidus famæ, lætus dixit: abũdè ſatis, laborum omnium quos pro Græcia ſuſcepiſſet, eo die ſe tuliſſe mercedẽ. Magnum nimirum prorſus viſum eſt ad laudem anhelanti viro, tanta celebritate ludorum vbi omnis erat de virtute cõtentio, vnũ ſe dignum habitum fuiſſe, quem mirabundi aſpectantes cuncti, ſuauiter & amanter vſq; intuerentur. Atque hoc quidem proprium virtutis eſt, vt omnium ad ſe oculos, atque ora cõuertat. Quod vel Telamoni patria pulſo, exulanti atq; egenti vſu venit: in quem (vt ſcribit Cicero) admiratio illa fiebat.

Hiccinè eſt Telamon ille? modò quem gloria ad cælum extulit?
Quem ſpectabant? cuius ob os Graij ora obuertebant ſua!

Quid Ariſtides? non ne ob iuſtitiæ ſingularem præſtantiam (qua iuſtus vocari meruit) admirationi ſæpe apud omnes eſt habitus? Cui theatrum intranti tãtum quondam honoris eſt habitum, vt quum Æſchili carmina (quæ in honorem ille Amphiarai fecerat) in theatro recitarentur.

Nam vult vir eſſe, non videri, hic optimus,
Qui mentis altæ fructiferam ſulcans ſegetem,
Conſulta callens germinat grauiſsima.

Omnes in Ariſtidem ſubito conijcerent oculos, vt facilè appareret, tã ſpecioſum hominis ad laudem elogium, calculis omnium Ariſtidi ipſi fuiſſe aſſignatũ: cuius erat Athenis excellens animi maximè cognita virtus. SED AD cupidos gloriæ viros (quod erat propoſitum) iam reuertar, Hi enim duo nõ tam gloriam amarunt, quam illa eſt fugientes propter virtutem ſecuta. Diximus quippè à virtutis contubernio gloriam ipſam nunquam dirimi poſſe. Igitur Thales ille Mileſius, cuius nomine ſapientiæ adhuc fama viget, tantum & ipſe dulcedini gloriæ amicus fuiſſe dicitur: vt optimum illam, clarorum laborum premium, nõ iniuria arbitraretur. Nã cum ætate iam grandior, diuina illa ingenij acie mirabilem quandam de ſole rationem excogitauiſſet, illam è veſtigio Mandritum philoſophum edocuit. Cuius nobili inuento Mãdritus ſummoperè delectatus, vbi primum Thaleti egit gratias, rogaſſe illum fertur, vt pro tanto munere quã vellet ſibi mercedem reponi optaret, optatis ſe cõnctanter omnino fruiturus. Quem ſic eſt Thales affatus. Satis mihi (inquit) fuerit ô Mandrite, ſi id quod à me didiciſti, cum proferre volueris tibi non aſciueris, ſed eius rei me potius, quam aliũ repertorẽ prædicaueris. Sed quid vni aut alteri exemplo inſiſtimus, multa proferre cum liceat? Nullum enim reperio philoſophum (vt Duces iam, Reges & Cæſares taceam) qui non ad gloriam ſemper exarſerit? Quanuis profeſsio omnis illorum in contẽptione gloriæ, deſpectioneque verſetur. An contempſiſſe gloriam putabimus magnum illum philoſophiæ parentem Socratem, qui inanem per omnem vitam famam docuit eſſe fugiendam? & de vera gloria paranda tot es diſcipulis præcepta clara edidit? Cuius ad celebritatem nominis parandam, pulchrũ illud eſt dogma. Summa ope eſſe nitẽdum, vt talis quiſque ſit, qualis ſemper velit haberi. Declarans interim ad gloriam comparandam, hanc veluti viam proximam & compendiariam eſſe. Qui igitur à turpi fama deterret, & gloriæ veræ ratione, cognitione & ſcientia, auditorum ſuorum egregiè animos inſtruit: hic certè indecoris aliqua fuga animi, ab honeſtæ famæ cupiditate, nec alienus dici, nec iudicari poteſt auerſus? Neque enim, quod ſequendum cunctis proponit; quod factitandum præcipit, quodque ipſe optimum ducit: vni tantum hebes,

inuidus, vel torpidus ſibi, videri debet velle contemnere. Quid de Platone dicam, qui & probat, & laudat: & laborum illam, dulcem mercedem appellat? Qua de ipſa ſapientiſsimi Salomonis elogium celeberrimum extat, quo ait, Crudelem eſſe, qui famam negligit. Rectè ſane: magnam enim viuendi licentiam ſibi ſumpſerit oportet, vitijs pateſacta feneſtra: qui honeſta fama contempta, quid de ſe quiſque & dicat & ſentiat, omnino parum curat. Immitem verò eum, ſæuumque ſibi eſſe quis non videat; qui inſami animo flagitijs effecto: parti ſui ipſius longè optimæ ac præſtantiſsimæ, cui honori eſſe ſeruireque debet (contumelijs conuicijſque omnium negligenter, imò impudenter expoſitus, vehementer eſt fraudi? Honorare enim vnuſquiſque animam ſuam debet, quemadmodum de republica legeque diſputans, à Platone eſt diuinitus dictum. Qui igitur iacturam nominis ſui, attritæque famæ auſpicia moleſtè parum accipit, exiſtimationis ſuæ patrocinia nulla ſuſcipiens, ſeque nihil reueritus: hunc ego, quaſi vitæ deploratis in moribus, efferum immanemque ſibi eſſe, facile ſtatuo. Sed vtinam quæ diffuſa latè apud omnes multorum mentes peruaſit cupiditas famæ, ſancta hæc quæ ſtrictim modò præſcripſimus, clauſtra minus excedens, hos ſemper honeſti ſeruaret limites: minus animæ à multis offenſum, & diuinæ forſan legi melius eſſet ſatiſfactum. Quæ omnia, meretricis tanquam fronte ſuſcepta, impudentia morum vaſtatione fœda depopulata eſt, atque miſerè profanauit. Eſt tamen parte ex alia videre non paucos, qui clauſtri cancellis his, quos in præſentia ſignaui, diſruptis temere, atque improbe diſsipatis, veſtimenta famæ induunt, ambitioni cuidam vanæ turpiſsimè ſeruientes. Nam quid ego de Ariſtotele dicam, cuius propter nimium ardens gloriæ ſtudium, ambitio eſt animi ſæpe notata? Scribit namque de eo Valerius, cum certo quodam cõſilio ſtatuiſſet, oratoriæ artis libros (quos proximè ſcripſerat) dono dare diſcipulo Theodecti, quos ederet ille pro ſuis, tam poſtea tuliſſe moleſtè à ſe conditorum operum alij ceſsiſſe titulum: vt volumine proprio rebus quibuſdam inſiſtens, clauſulam adiecerit, planius ſibi de his in Theodectis libris dictum eſſe. Declarans veluti, qui Theodectis libri vulgò dicerentur, eſſe Ariſtotelis. Quòd ſi qui vnquam philoſophi extiterunt, qui famam eſſent viſi contemnere: ij tamen arte quadam, ceu reſtitantes & auerſi, gloriam ſæpè auidiſsimè conſectantur. Veni (inquit) Athenas Democritus, neque me quiſquam ibi agnouit. Cõſtantem hominem & grauem Cicero ait, qui ſe à gloria glorietur abſuiſſe! Quid? quod illi ipſi philoſophi, etiam in illis libris, quos de contemnenda gloria ſcribunt, nomen ſuum inſcribunt in eo ipſo, in quo prædicationem, nobilitatemque deſpiciunt: prædicari de ſe & nobilitari nolentes? Quod profeſsione eleuant, memoriæ vſurpatione interim aucupantes.

Sed qvid philoſophos gloriæ ſtudio teneri miramur, immortales illorum Deos gloriæ deditos eſſe ſtudioſè videre cum liceat? Gloriatur non ſemel, coruſco ſibi fulmine blandiens, pater ipſe Deorum Iupiter: quæ geſſerit & poſsit, apud Homerum, apudque Lucianum ambitioſius ſæpe commemorat: fortique ſua dextera, immane genus hominum, contemptores Superûm gigantes eſſe peremptos. in cuius iactantiæ ridiculam vanitatem, cultum illud Sanazari epigramma extat.

Iupiter infractos iactat dum ſæpe gigantes,
Et ſibi ſeruati dat decus omne poli:
Sic eſt, inquit Amor, namq́ue hoc mugire ſolebas,
Cum ferox torua fronte iuuencus eras.

Quid clarus vaticinijs Deus Pythius Apollo? non ne apud Rhudium poetam Enniũ his ille carminibus, ſe vnum eſſe gloriatur: vnde de curis ipſi mortales anxij, ſibi conſilium expetant?

Suarum rerũ incerti (inquit) quos ego mea ope ex
Incertis certos, compotesq́ue conſili
Dimitto, vt ne res temerè tractent turbidas.

Sed quid vnum aut alterum Deum commemorare iuuat, in tam numeroſa turba (vt Iuuenalis ait) cum totam ipſorum Cœlitum cohortem, Deorumq́ue phalangem, Cœlumque ipſum vniuerſum cernere ſit cupiditate laudis incenſum? Sic enim de cupiditate gloriæ, Deorum perſona ſuſcepta Flora Dea, apud Ouidium libro Faſtorum quinto ſubiecta verba loquitur.

Nos quoq́ue tangit honos, templis lætamur & aris:
Turbaq́ue cœleſtes ambitioſa ſumus.

Nec verò falſum eſt, gloria erigi Diuos, & honoris exhibitione moueri, ſi tamẽ verũ eſt quod in Icaro Menippo ſcribit Lucianus. Tradit enim Superũ conuocata cõcione, cũ cæteris cælitibus iratũ aliquando Iouem de abolendo philoſophorum omni grege penitus cogitauiſſe. Quòd cùm philoſophi plerique, tum maximè Epicurei, aut oratione impia Deos tollerent: aut parum humana curare aſſererent. Cum enim de Numine caſtè

caſtè homini pieq; ſentiendum ſit, & verecundè loquendum. Quo in vno ſanctitatis & pietatis norma vera ſplendet, formaque ipſa enitet. Iners hoc hominum genus, gloriæ auidum, faſtoſum ac pugnax, nos obiurgant, paſsim mordent, atque diuellicant, affirmantes neque Dijs eſſe curæ res mortaliũ neque omnino cõſiderari à nobis quid apud illos agatur. Quis nobis exhibebit cultum (Iupiter ait) quis fundet preces, quis ſacra faciet, quis thura offeret: ſi hæc tam ſceleſta atque impia perſuaſio (corrupto bonorum adulteratoque iudicio) mortalium cunctorum mentes latius impunè peruaſerit?

Sed missos faciamus ethnicos Deos, noſq; potius ad homines cõferamus. Quos quidem alios alio, omnes tamen ad famam nominis: nobilitatem & gloriam alacres currere cernimus. Poſſum hiſtoricos commemorare: poſſum oratores: poſſum pöetas: vt taceam interim minores artium artifices. Etenim vndique mihi ad dicendum patet latiſsimus campus. Sed modum potius adhibebo, ne ſi ambitioſius omnia perſequi libeat, circunſcripti ſpatij iuſtos egreſſa limites, excreuiſſe in infinitũ noſtra videatur oratio. Quis latinæ patrem hiſtoriæ Titum Liuium Romanarum rerum ſeriem, & inclyta Martiæ facta gentis, condita ab vrbe lacteo. eloquentiæ fonte narrantem, ignotas ſibi gẽtes ab ipſis vſque Gadibus ingenij ac doctrinæ fama excitas attrahentem, oblatam putet gloriam deſpectui habuiſſe? Cum præſertim nobilitatis ſibi apud poſteros ſanciendæ, & æternæ famæ cauſa comparandæ: tam ille ſæpe præſtantium virtute virorum conſilia clara animi, & fortia geſta: ad gloriam nominis. ſempiternam, oris illuſtri præconio immortalitati commendet? Quis Caium Criſpum Saluſtium Romana & ipſum in hiſtoria purgatis auribus docta breuitate placẽtem, ſpreuiſſe exiſtimet gloriam? Quem ingenij opibus (quod de ſe ipſe teſtatur) ad nominis famam parandam adductum intelligat fuiſſe? Subuerentem interdum de laboribus ſuis aliquid amplius prædicantem: ne aliquis exiſtimet, ſtudia illum ſua per ambitionem laudando extollere. Sed veniamus ad oratores, ac inter gloriæ & famæ auidos teneat primas primus: ac princeps primum ambitioſæ ſibi areæ locum vendicet. Quid Demoſthene maius? quid cultius? Quid ſublimius? Quid præſtantius vel Græcorum aliquando ſenſere Comitia: vel doctæ vnquam Athenæ videre? Ad cuius docti oris eloquentiam contemplandam, & acerrimæ orationis exuberantem vim: certatim multorum hominum quondam, exterarumque gentium, maximos legimus & celebratos conuentus: & factos eſſe concurſus? At hunc talem & tantum virum (quem dicentem Numinis inſtar admiratione quadam rapti, cæteri mortales audiebant) ardore nominis & famæ ſiti raptum tam impotenter accepimus, vt inanes ac fallaces aures hominum: & vanos ſæpe de ſe populi captaret ipſe rumuſculos. Gaudebat enim ſuſurro aquam ferentis mulierculæ, & alteri inſuſurrantis. Hic eſt, ille Demoſthenes. Quid Romanæ parens ille facundiæ, M. Cicero, cuius in oratione maieſtatem cum veneratione quadam ſuſpicimus, generoſumque animi impetum omnem miramur, & ad quidlibet perſuadendum efficacem pectoris vim nonne cupiditatis & gloriæ, ſic eſt per omnem vitam ſtudio ſemper incenſus, vt ad hanc vnam natus, totuſque effictus eſſe planè videatur? Qui præter quam quod intelligeret, ſe & ingenij præſtantia, & rerum præclariſsimè geſtarum magnitudine ſatis ſibi lucis peperiſſe ad memoriam nominis ſempiternam: tamen viros omnes, quos arbitratus eſt ingenij laude poſſe aliquid apud poſteros (alienæ quaſi ſibi teſtimonio eſſet vocis viuendum) præſidia famæ rogauit: contendens ab illis blandè, vt res ab ſe laudabiliter geſtas ſcriptis complecterentur, & in hominum manus ſpargerent. Declarat hoc ipſius ad amicum Luceium (quæ belliſsimè hodie ſcripta extat) epiſtola: in qua videre eſt, quanto famæ ardore teneretur vir ille, qui ſuo ipſius eloquio iam erat famæ, poſteritatique hominum ſatis notus futurus. Sed quid opus eſt, huius rei vnicam tantum teſtem accerſere epiſtolam: cum hoc ipſe ſuorum operum multis in locis vſque adeò non rectè, diſsimulet, vt etiam clariſsimè teſtetur? Sed vnum aliquem locum adducam, qui ad faciendam rei huius (quam probare cupio) fidem: locupletiſsimi mihi ſit teſtimonij vice futurus. Marcus igitur Cicero, ea in oratione qua ob ingenij præſtantiam recipiendum vrbe poetam cenſet Archiam, de famæ cupiditate ad hunc loquitur modum: Nullam aliam mercedem virtus deſiderat, præter hanc laudis & gloriæ. Qua quidem detracta Iudices, quid eſt, quod in hoc tam exiguo vitæ curriculo, & tam breui: tantis nos in laboribus exerceamus? Certè ſi nihil animus præſentiret in poſterum: &, ſi quibus regioni-

bus vitæ ſpatium circunſcriptum eſt, eiſdem omnes cogitationes terminaret ſuas, nec tantis ſe laboribus frangeret, neque tot curis, vigilijſque angeretur: nec toties de vita ipſa dimicaret. Nunc inſidet quædam in optimo quoque virtus, quæ noctes & dies animum gloriæ ſtimulis concitat, atque admonet, nõ cum vitæ tempore eſſe dimittendam memoriam nominis noſtri, ſed cum omni poſteritate adæquandam. An verò tam parui animi videamur eſſe omnes, qui in republica, atque in his vitæ periculis, laboribuſque verſamur, vt cũ vſque ad extremũ ſpatium nullum tranquillum, atque ocioſum ſpiritũ duxerimus: nobiſcum ſimul moritura omnia arbitremur? An cum ſtatuas & imagines non animorum ſimulacra, ſed corporum, ſtudioſe multi ſummi homines reliquerunt: conſiliorum relinquere, ac virtutum noſtrarũ effigiẽ nonne multo malle debemus, ſummis ingenijs expreſſam atq; expolitã? Ego verò omnia, quæ gerebam, iam tum in gerẽdo ſpargere me, ac diſſeminare arbitrabar in Orbis terræ memoriam ſempiternam. Hæc Cicero. Sed perpendere eſt operæpretium quid ille paulo ante hac eadem in oratione de vera gloria dixerit. Nam niſi multorum (inquit) præceptis, multiſque literis mihi ab adoleſcentia ſuaſiſſem, nihil eſſe in vita magnoperè expetendum, niſi laudem atque honeſtatem: in ea autem perſequenda omnes cruciatus corporis, omnia pericula mortis, atque exilij, parui eſſe ducenda: nunquam me pro ſalute veſtra in tot ac tantas dimicationes, atque in hos profligatorum hominũ quotidianos impetus obiecißem. Sed miſtos oratores Ciceronemque faciamus: iamque ipſos conſideremus poetas. Qui non tantũ ad famam ſe inuicem allectant, carminibuſque mutuis inuitant, verum etiam diuino ſæpe percitu œſtro immortalem ſibi famæ gloriam omnino vaticinantur. Hinc illa epigrãmatici. Martialis ad amicum Fauſtinum de euulgandis libris laudabilis cohortatio: ſic enim loquitur.

Ede tuos tandem populo Fauſtine libellos,
Et cultum docto pectore profer opus.
Quod nec Cecropiæ damnent Pandionis arces:
nec ſileant noſtri, prætereantq; ſenes.
Ante fores ſtantem dubitas admittere famam,
Teq; piget curæ premia ferre tuæ?
Poſt te victuræ, per te quoq; viuere Chartæ
Incipiant, cineri gloria ſera venit.

Ergo famæ vir auidus ad expetitum nominis ardorem intereſſe aliquid arbitratus eſt vt ingenij laude viuus adhuc amicus perfrui poſſet. Nam quis dubitet poetam Martialem nominis claritudini deditum fuiſſe, quem ob ingenij præſtantiam ſuis in carminibus immortalitatis ſpem ſibi atque alijs paßim videat pollicentem? Qui etiam detractorum inuidiam & maleuolentiam ſilentio eſt altißimo vltus: ne ſi maledictis illorum reſponderet, maledici ipſi ex eius ipſius doctis ſcriptis famæ aliquam gloriam naſciſcerentur: id quod de ſe ipſe teſtatur, ſic in obtrectatorem ſcribens.

Adlatres licet vſq; nos, & vſq;
Et gannitibus improbis laceſſas:
Certum eſt, hanc tibi pernegare famam,
Olim quam petis in meis libellis,
Qualiſcunq; legaris vt per Orbem.
Nam te cur aliquis ſciat fuiſſe?
Ignotus pereas, miſer neceſſe eſt.

Quibus ex carminibus ſatis apparet, quanti Martialis ipſe famam æſtimarit, qui vel huius portionem improbam per ſe ipſum noluerit inimicis ſuppeditatam? Sunt enim hoc animo multi, qui doctos viros ideo mordent, vt illorum fruentes ingenio, in orbe vtcunque legantur: quos re nulla melius vlciſci poßis, quam taciturnitate & ſummo contemptu. Sed reuertar illuc, vnde deflexi paululum: & ne circa vnum tantum verſer authorem, ad alium iam poetam conuertar. Etenim ſemper huic hominum generi, ſiue Muſæ ipſæ, ſiue carminis author Apollo, hoc videntur largiti, vt nominis ſplendore præcipuè tangerentur. Itaque Sacri ipſi vates, ſuorum operũ pro voto expletis numeris, quaſi immortalitate iam parta, in ſuas ipſi laudes exurgunt. Hinc inclyto illo metamorphoſeos libro exacto, nobili fama ſuperbiens ſibi blanditur Ouidius: cuius hæc ſunt carmina.

Lamq; opus exegi, quod nec Iouis ira, nec ignis:
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetuſtas.
Cum volet illa dies, quæ nil niſi corporis huius
Ius habet incerti ſpatium mihi finiat æui:
Parte tamen meliore mei ſuper alta perennis
Aſtra ferar: nomenq; erit indelebile noſtrum.
Quæq; patet domitis Romana potentia terris,
Ore legar populi, perq; omnia ſecula fama
(Si quid habent veri Vatum præſagia) viuam.

Quid Horatius Flaccus? qui non contentus impenſam ſpreuiſſe funeris, ſic nanque iubet.

Abſint inani funere Neniæ,
Luctuſq; turpes, & querimoniæ.
Compeſce clamorem, ac ſepulchri
Mitte ſuperuacuos honores.

Superbit etiam & ipſe tribus carminũ exactis

ctis libris, ęternitatem ſibi vaticinans. Sic enim loquitur, magnificis aliorum contemptis ſtatuis, Ægyptiorumque Regũ ſumptuoſis conditorijs.

Exegi monumentum ære perennius
Regaliq; ſitu Pyramidum altius.
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Poſsit diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries, & fuga temporum.
Non omnis moriar, multaq; pars mei
Vitabit Libitinam. Vſq; ego poſtera
Creſcam laude recens: dum Capitolium
Scandet cum tacita virgine Pontifex.
Dicar, quà violens obſtrepit Aufidus.
Et qua pauper aquæ Daunus agreſtium
Regnator populorum, ex humili potens
Princeps Æolium carmen ad Italos
Deduxiſſe modos. Sume ſuperbiam
Quæſitam meritis, & mihi Delphica
Lauro cinge volens Melpomene comam.

Sed quid ego poetas illos perſequor: qui ingenij diuite vena, & culti dulcedine cantus, præclarè multa dixere? Cum etiam Rhudius Ennius, antiquus ſane Vates, ſed rudis carminum artifex, tam ſeipſe perennis famæ gloria conſoletur, vt lamẽtis mortem ſuam omnino vacare ſanxerit? Quod hæc illius declarant carmina.

Nemo me lacrymis decoret, nec funera fletu
Faxit. Cur? volito viuus per ora virûm.

Sed ſit iam modus, neque enim poetam vllum inueniri facile eſt, qui famæ hac cupiditate non omnino flagrarit: eaque (abſolutis operibus lætus) præ gaudio pene triũphârit, ignorationis contemnens tenebras, & mortis extremæ minas. Quod cùm alij ſæpe declararunt, tum maximè patrum noſtrorum memoria nobilis poeta Crinitus, qui de ſeipſo iſtis cultis carminibus faſſus. Sic enim ait:

Pridem reſolui ferrea vincula
Queis colla Regum Parca tenax ligat.
Vitabo fœlix regna Acherontica,
Vtramq; Tartari luem.
Viſam Gelonos, & iaculo leues
Dacos, & alti brachia Caucaſi.
Nil me mouebit degener ambitus,
Aut vana plebis gratia.
Liuore maior raptus in Æthera
Luſtrabo celſas Cœlicolûm plagas.
Et qua refulgẽs Heſperium decus
Incandet alma lampade.
Non me reuinctis pallida crinibus,
Turpiq; luctu Nænia defleat.
Æuo gratus perpetuo fruar
Seclis dicatus poſteris,

Quid? quod non tantum iura mortis culto aliquo pectoris fœtu edito, ſe reſoluiſſe teſtantur, ſuperbientes animo Sacri Vates ęterni tanquam nominis fama parta, verum etiam immortalitatem illis facile pollicentur, quos carminibus ſuis inſertos eſſe dignantur. Sic enim Publius Maro Niſi & Euryali generoſos pectoris orſus, & ſtrenua animi facta commendat, vt pro vitæ extremo die (quo ſunt ſpecioſiſsimè functi) poeſi illis ſua immortalem famam nominis eſſe paratam oſtendat: Sic enim de illis ait.

Fortunati ambo! Si quid mea carmina poſſunt,
Nulla dies vnquam memori vos eximet æuo:
Dum domus Æneæ Capitoli immobile ſaxum
Accolet, imperiumq; pater Romanus habebit.

Sed poetis hactenus vacaſſe ſufficiat. Minores dehinc artium indagemus opifices: quos apud ipſos omnis eſt etiam de laude contentio, dum rebus aliorum operibuſq; deſpectis, ſibi quiſque quod præſtantiſsimum eſt artis, ingenij bono vendicat. Hi enim dum inuentis exactioris curæ nobilitari volunt, opificijſque ſuis diuturniorem nominis quærunt famam: induſtriam, laboremque ſuum pacto aliquo taceri, inſtar mortis exiſtimant. Adeo cunctos deſyderiũ famæ vexat atque dilaniat! Romanæ vrbis nobiliſsimus ciuis Caius Fabius Salutis in ęde parietes coloribus pinxerat, miniſterio fungens ignobili. At, qualemcũque hunc induſtrię ſuę laborem obliterari noluit ſilentio, picturatis enim parietibus latè ſuũ ac paſsim nomen affixit. Simili gloriæ cupiditate inſtimulati Saurus & Batrachus, natione ipſi Lacones: cum Octauiæ tẽpla porticibus incluſa feciſſent, valerentque opibus (vt quidam perhibent) atque ideo Fabricæ vniuerſam molem impenſa ſua conſtruxiſſent, inſcriptionem ſperantes: Vbi intellexerunt inſcriptionis ſpem ſibi prorſus ereptam: ne occaſione glorię, quam optabant, omni ex parte exciderent, miro quodam aſtu rationem excogitarunt, qua id quod volebant loco alio ac modo vſurpare poſſent: in colũnarum ſpiris ſuæ ipſorum nomina argumento inſculpta (Ranam atque Lacertam) relinquentes. Nam quid ego dicam de Phidia? qui cum in elaborãdo ęre primas teneret, Mineruæ fabrefacto Clypeo, cum inſcribendi nominis facultas negaretur, ita ſuam ipſius effigiem coagmẽtauit, atque incluſit in opere: vt ea diuulſa, colligatio operis ſolui neceſſe foret. Sed ſit infinitum recenſere illorum nomina, qui etiam ex minimis rebus famã nominis atque gloriam diligenter vſque au-

cupati ſunt. Vt de illis interim dicã nihil, qui famæ cupiditate ducti, aut pernicioſi alijs: aut iniqui ſibi reperti ſunt, falſam pro vera gloriam affectantes. Agrigentinus Empedocles & poeta clarus, & non ignobilis phyſicus ardore nominis eo eſt dementiæ prolapſus, vt Ethnam in montem igneas eructantem flammas ſeſe vltro coniecerit: in quem Horatianum illud extat.

Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentẽ feruidus Ethnã
Inſilijt.

Sic & Ponticus Heraclides de vita decedens Feretro ſuo Draconem clanculum iuſſit imponi, vt indicio hoc Deus exiſtimaretur. Illa prorſus Hannonis ambitio veſana: qui captas auiculas exercitationis longo atque aſſiduo vſu humana iubebat verba proferre: illam identidem vocem inculcans, DEVS eſt Hanno. Quam vbi erant auiculæ edoctæ: abire liberas permittebat: vt eam vbique reſonantes, honoris falſò ambiti, dementiſque arrogantiæ fidem aliquam facere poſſent. Iam vero ex Indorum Gymnoſophiſtis Calanus, nõ ne famæ dulcedine captus, vigenti adhuc corpore ardentẽ in rogum ſe eſt ſpõte conijci paſſus. Quid ille alitendum famæ inhiat, vitæ prodigus? Qui cum Epheſiæ Dianæ templum ſuperba operis mole inter ſeptem ſpectacula orbis tempeſtate illa habitũ, incendio ameos abſumpſiſſet. Rogatus qua nã cauſa & ratione impulſus tantum opus deuaſtaſſet: reſpondiſſe fertur, famæ cupiditate. Nam cum ſe dies & noctes eiuſcemodi affectu ſine anxietudinis intermiſsione aliqua premi grauiter ac confici vidiſſet: conſilium inire cœpiſſe, quo id pacto citius conſequi poſſet. Statimque incendium illud impium excogitaſſe, quo paulò ante vſum fuiſſe ſe, rei euentu didiciſſent: Futurum ratus, vt tam ſpecioſi operis deuaſtator minimè ſileretur. Cuius tam perditi tamque ſacrilegi animi furentẽ, incredibilemque audaciam ſempiterna eſt antiquitas taciturnitatis pœna vlta, capitali in illũ ſupplicio cõſtituto. qui vaniſsimi ambitioſiſsimique hominis nomen poſteritati hominum prodere, vel monimentis Annalium eſſet mandare nixus: vt ſtultiſsimo dementiſsimoque cum homine perditiſsimi facti memoria omnis eſſet conſepulta, perpetuòq; deleta. Acerrimum enim ſupplicij genus prudentiſsimis viris eſſe viſum eſt, aduerſus illum ignorationem: qui vel ſiniſtram tanti famam nominis æſtimauiſſet: vt in ea perſequenda nil eſſet veritus (quæ im-minere lucidè è veſtigio videbantur) extrema ſupplicia corporis. Ea enim proculdubio acerba vehementer, atq; homini pœna grauis eſt nimis: quæ quod deſideratiſsimũ atque exoptatiſsimum illi eſt amputans, talionis lege quadã, criminis grauitati reſpondet. Vnde leges illæ, quæ à veteribus quondam de coercendis pœna delictis (formulæ huius obſeruato præſcripto) latæ ſanctæque ſunt: voce vna omnium merito laudantur.

Noxiæ pœna par eſto.
(Vt in ſuo vitio quiſq; plectatur)
Vis Capite
Auaritia mulcta
Honoris cupiditas ignominia ſanciuntur.

At enim, dices: Nulla eſt impurum pectus tanti criminis pœna ſecuta: nulla improbus ille, Ignominiæ eſt nota affectus? Sed nulla eſt maior, ambitioſis & famæ cupidis, ignominia ſilentio. De te (inquit) ſummus orator: nemo loquetur, omnis vetuſtas conticeſcet: cũ ſumma hominem infœlicitate, & miſeria coopertũ eſſe, vellet innuere. Ignoratio, ſilentiũ, tenebræ inſtar habent mortis, etiam teſte Saluſtio: Is enim de inertiæ, ocio, voluptatiq; deditis hominibus ſapienter illud prodidit. Horum ego vitam, mortemque iuxta æſtimo: quoniam de vtraque ſiletur. Sic & Valerius Martialis detractorẽ æmulumq; ſuum, ne inſigni aliqua maledicti commemoratione, ſcriptorum ſuorũ efficeret famæ participem, extrema eſt taciturnitatis pœna vltus: ait enim.

Nam te cur aliquis ſciat fuiſſe?
Ignotus miſer, pereas neceſſe eſt.

Sed neq; Epheſiorum horrifica cautio, nec edax temporum vis tantum potuere, vt hominis huius memoria tenebris ſepulta iaceret. Is ſiquidem Heroſtratus dictus eſt, vt magno ingenio vir Theopompus memoriæ hominum prodidit. Itaque Heroſtrati cauſam contemplanti, hæc illi in Fatis videri poterunt: & ambire famam turpiter, & nequiter parta potiri: & in ſummo ſcelere deprehenſo, etiam quæ ſua cauſa cæteris interminatæ ſunt, debitas pœnas euadere.

SED CVM omnis famæ dignitas, & gloriæ verus ſplendor in vna tantùm rectè conſtituti animi honeſtate, & virtute conſiſtat (neque enim aliunde cadere illa poteſt, atque adeo deriuari, virtute animus communiendus eſt, atque etiam illuſtrandus: ſi gloriæ præſtabili fama pollere in vita velimus. Aliter profecto ſtabilem illam gloriæ famam, quæ omnium ad ſe oculos atque ora cõuertit, quæque bonorum mentes ſuaui quodã

lætitiæ pabulo mirifice recreat, conſequi nulli dabitur. Virtus enim ſola atq; vna eſt, quæ veris animi bonis innixa: audacter mortis imperio contempto, ęterna homines fama beat, vt tu iam ante locis multis ſentire viſus es. Quam qui per omnem vitam colendam ſuſceperũt, digna viris facinora obeuntes, hi proculdubio in omne ęuum clari nominis fama, gloriaque circunfluent. Neque enim illorum honeſta memoria ex omni vnquam parte occidet: imo reuireſcet aſsiduè: poſtera vſque laude creſcens. Quas ob res cum multæ in vita repertæ ſint artes, quæ gradum ad virtutem muniant, & ſtruant tanquam honeſtati facillimum aditum: vni potiſsimum diſciplinæ morum: nempe philoſophiæ veræ cenſeo vacandum. Quę non tam aliorum, quam proprijs infenſa vitijs, nullique minus quam ſibi parcens pernicioſos procul animi langores amoliens, vera ſui hominem notitia inſtruit. Cuius illud eſt munus præſtantiam docere virtutis: & ad eius ipſius amorem mortalium animos expergefacere, amanter allicere, accendere, & ſancta quadam cupiditate inflammare. Quæ vbi ſemel rectè animis aſſedit noſtris, virtutis efficitur indagatrix, ac ſedula cultrix: vitiorũ expultrix, benè ac beatè viuendi vera ac certiſsima dux. Nam aduerſus cæcam, illicitamque iram, commotione noxia temere efferueſcentem, partem animæ inferiorem rationis fræno compeſcit, atq; eius blandè imperio ſubdit. Contra dolorem & ſæuos fortunæ ictus, prudentia munit. Inque moleſtiæ genus omne; labores, metus diſcrimina, patientia & fortitudine armat atque inſtruit, turbidos vero omnes, concitatoſq; improbe motus animi ſic regit & ſedat: ita ſecundis aduerſiſque rebus temperantiæ ac moderationi ſe præbet obſequentem: ita honeſtati hominem iubet eſſe morigerum: & ad tuendum Ius humanæ ſocietatis ſic induſtrium, alacrem ac vigilantem: vt ſuæ eum conditionis memorem eſſe præcipiat: Nimirum vt homo homines incognitos licet, hoc ipſo quia homines ſunt incolumes velit, ſaluos atque defenſos: vtque ſemper ab ea, quam ſibi inferri non vult, iniuria libens temperet: patique malit illam ſi caſus adegerit, quam à ſe quemquam violari, vel de ſibi illata conqueri. Quid quod rectè philoſophantem, longè ante animo mortalia cernentem, aſsiduèque meditantem, ipſa mortalium rerũ inſpectio, & quæ ex ſpectaculo tali comparata prudentia eſt, humanos caſus ſubtus ſe habere docet, & ferre ſapienter: nunquamque eſſe viro forti rebus aſperis tanquam oneri ſuccumbendum: aut nimium proſperè ex ſententiaque fluentibus cordate parum ac futiliter inſoleſcendum? Facit præterea admirari nihil eorum: quæ virtutis parum robore fulta, fortunæ filo fragili pendent. Studijſque ſolum oblectata optimis, & egregijs animi curis diſtricta, vni tantum virtuti ſe mancipat, cuius eſſe videt premium ſtabile: immortalitatem ac beatitudinẽ. In quæ nec Tyrannus, nec Fortuna, nec quæ cuncta conficit, atque abolet dies, poteſtatis quidquã, aut iuris aliquid habent. Atque hæc quidẽ virtus bonitate naturæ animi noſtri ingenita primum, deinde verò philoſophicæ artis honeſtis ſtudijs exculta, ſalutaribus ſanctiſque monitis ipſius in maius ſemper aucta (dum interius exteriuſq; exornare hominem nititur) tantum in ſe ipſa momenti ac roboris habere cernitur, vt quos ſis cunque complexa protinus efficiat nobiles, & illuſtri fama conſpicuos. Neque id ſane iniuria. Immortalis enim veræ virtutis eſt fructus: & quæ ex eius fonte naſcitur, neſcia mortis eſt gloria. Quæ quò magis terrena & humana contemnens, ad ſuperna & cęleſtia aſpirat, vulgari aura deſpecta: eo illa efficacius fugiẽtem ſequitur, & ab obſcuro & ignobili vulgo alumnum ſibi gratum aſſerere ſepe rareque nititur. Neq; enim fieri poteſt (diſſimulet prematque licet animi clara geſta) vt vera aliquis gloria careat: modò hanc ſit ipſo virtutis in campo ſtrenuè luctando promeritus. Sed neque tam eſt quiſquam honoris & famæ ab appetitione liber, vt præmium Virtutis gloriam ſuſque deq; habeat ac pro nihilo ducat: ſumus enim omnes, quam par ſit, gloriæ auidiores. Atque vtinã veram dumtaxat occaſionem huius nacti, ambitioſi eſſe vellemus. Nam licet virtus ipſa propter ſe ſit expetenda (quod præſtantioris reor munus eſſe naturæ) ad amplectendam tamen ardentius ipſam: non mediocre in multis gloria habet incitamentum. Quã ſi demedio tollas, aut languidè ſectere: aut frigidulè appetas neceſſe eſt (iacet enim contempta miſere, dum ſpernitur virtus.) Clarumque eſſe per pericula mortis, & manifeſta vitæ diſcrimina piget, quoties rectè factis auara eſt propoſita merces: & non contemnendis laboribus exilis eſt portio laudis publicè conſtituta. At vbi excelſo in loco poſitæ, dignitati ipſius glorię ſplendor affulſit, honore gratiſsimo blandiens: tunc illa quidem quaſi poſtliminij aliquo iure reſtituta,

ta, vires priſtinas nacta: igniculos incendit ſuos, bonorum animis ſtimulos acres infigens. Qui profecto hebeſcunt, ſenſimque deficiunt, ſi ſpes nulla honoris ſubire animum poteſt. Quis enim virtutem amplectitur ipſam, premia ſi tollas? Nam Ciceronianum illud, Honos alit artes. Id quidem (iudicio meo) latiſsimè patet. Teſtis eſt ipſa Virtus, quę multorum tacita non ſatis animi conſcientia contenta: intelligi etiam ab alijs, cognoſciq; deſiderat. Propoſito namq; vel extrariæ mercedis quandoque augeſcit emolumento: & negato ſæpe premio rareſcit. Multum igitur de virtute detrahit, quiſquis debito illam honore defraudat. Ac quemadmodum ſi impunè flagitia feras, ad peccandum facile plures inſtiges (eſt enim magna peccati illecebra impunitas) Sic rectè honeſteque faciendi multorum in animis extinguas amorem: claris viris premia ſi neges. Vt enim virtutis vberrimum alimẽtum eſt Honos: ſic diſſoluti animi praua licẽtia, multorum Fomes eſt ſcelerum: & impunitatis ſpes, vera altrix iniuriæ. Gloria verò induſtriæ ac virtutis eſt cos: & ad honeſta pericula ſubeunda, ipſamque alacrius ſuſcipiendam virtutem ingẽtes homini animos facit. Quã de ipſa Sulmonenſis Vates pulcherrimè illud ait.

Non paruas animo deniq; dat gloria vires.
Et fœcunda facit pectora laudis amor

. . . Et iterum

Excitat auditor ſtudium: laudataq; virtus
Creſcit, & immenſum gloria calcar habet.

Quapropter mirandum non eſt ad virtutem homines, aut premijs allici aut laude erigi: cum frangi omnes ignominia videamus, & deſpectione marceſcere. Sed nos in perſequenda virtute non tam ſpem propoſiti premij quam facti honeſtatem attendere, vel ſpectare debemus. Gratuita enim eſſe debet, non mercenaria virtus, & honeſtate non emolumenti aliquo fructu impelli, ad ea, quæ verè digna ſunt laude. Quanquam reuera egregium in ſe ipſa atque optimum ſemper virtus premium habet: nimirum animi ſibi bene conſcij interiorem lætitiam & quam effugere nequeat, bonorum de ſe honorifice ſuſceptam apud omnes prędicationem. Nam ex omnibus premijs virtutis, ſi illorum eſt ratio habenda: gloriam ipſam ampliſsimum eſſe premium quis neſciat? de qua illud pro Milone Cicero præclare dicebat, Hanc vnam eſſe, quæ breuitatẽ vitæ poſteritatis memoria conſoletur. Quæ efficeret, vt abſentes adeſſemus, mortui viueremus: hanc denique eſſe cuius gradibus etiam homines in Cœlum videãtur aſcendere: de me (inquit) ſemper populus Romanus, ſemper omnes gentes loquentur, nulla vnquã obmuteſcet vetuſtas. Hæc ille hactenus. Quæ hominis verba politicę & humanæ huius fructum aliquem gloriæ ſplendoremque declarant: excelſioris verò diuinioriſque illius, quam nos Chriſtiani ſpectare in primis, atque indagare anxiè vbique debemus, neque momenta vlla nobis inſinuant, neq; emolumẽti veri aliqua explicant premia. Quæ iſta inquies? Cœlitum intereſſe Choris, cœtui ſanctorum adiungi, Immortalem effici, Deo frui. Cuius fœlici (graui id corporis ſarcina impediente) aſpectu non dum potito, ſi qua eſt fortè populi ore delata celebritas, diuturna ſtabiliſq; eſſe non poteſt. Nam quæ ſumma in orbe homini poteſt gloria contingere, nec permanare ad omnes prædicatione & fama paucorum poteſt (& ſi iam id aliquo caſu contingat) exiguis eſt terrę circumſcripta limitibus: tum etiam humanarum rerum varijs expoſita caſibus, & periculis ſubiecta: caduca & fragilis eſt. Et cum firmiter eſſe parta creditur, ſiniſtræ aliqua famæ ſubito inſperſa labecula: vel inuidiæ liuore victa: temporis puncto vaneſcit. Etenim (vt ait eximius orator) totam hominis opinionem parua nõ nunquam commutat aura rumoris. Quæ ſi ceſſent omnia, tamen vel obruitur hominũ interitu, vel obliuione poſteritatis extinguitur: vel ętatis ſenio vaneſcit. Neque enim vnquam de vllo mortalium ſermo perennis eſſe, immortalis ve potuit. Quæ autẽ Vulgaris deſpectione famæ, & Sanctorum præſtantia operum, Summi Dei aſpectu fruenti comparata eſt ſemel gloriæ fœlicitas, nullius odio labefactari, aut iniuria eripi, vel vetuſtatis ſitu aliquo obduci, interire ve poterit. Ad quam animoſè, & amanter vſque feſtinanti (fallaci iſta populi aura contempta) ęternitatis via præſenti animo ineunda eſt, vitijſque obuiam eundum, & Cœleſtia vſque accuratè meditandum. Sed iam aliò vela demus, neque enim ciuili & politica de gloria à me alia in præſentia ſunt expectanda, ſint licet plura de induſtria relicta.

NIC. Facis peregregiè mi Philemon, qui omnia longius conſectari nolens, de induſtria multa prętereas. Natura niſi fallor, cõparatum intelligens, rerum omnium eſſe quandam ſatietatem, placereque idcirco nõ poſſe, quæ longa plus ęquo oratione tractantur. Nam & breuitate ipſa commendantur

tur non pauca, verboſitate cõtra plæraq; ſatſtidiuntur. Fuſo enim nimis orationis ambitu, & ſtyli quodam ductu veluti laſciuiori, non ſolum aures offenduntur interdum verum ipſi quoque legentium animi multitudine verborum, tanquam onere quodam oppreſſi ſæpe deficiunt. Nam ſi ij quò præſtantiora eſſe appareant, quæ à nobis dicta ſunt verbis illa multis ornare & ſtyli ſplendore polire ambitioſe nitimur, ab præſcripto deſciſcentes, fallimur. Facile enim phaleras, pigmenta, fucos, & verborum omnia lenocinia contemnas, ſicubi documenta vitę optima, & clara animi ſenſa conſpicias. Vbi verò eiuſcemodi rerum rara & improba leuiter, aut nulla potius appareant eſſe certa veſtigia, fruſtra elangueſcenti animo, iamq; alio proficiſci ac diſcedere paranti, elaboratos arte cincinnos aſciſcas, aut ſtrigoſas iſtas operoſas adhibeas: quæ nimirum (non tam ambitioni ſpecioſa opercula) quam lætiora animo pabula quærenti, grata eſſe non poſſunt. Hæc abs te ſuppeditata ſtatim, ſubminiſtrataque ſunt ſententiarum ipſa grauitate contentus, verborum pompa miſſa facta, cultuque morum quam elegantiæ dictionis ſtuduiſſe te magis, rectum eſt vt lateris. Quamuis enim honeſtarum rerum apparatus ipſe quoq; ſit pulcher, facile tamen præ illis, hæc ipſa oculorum blandimenta contemnas. Nec verò (perfectionem rerum ſi auidè inquiras) humano effici poteſt ingenio, vt mortalium facta perfecta vndique, abſolutaque ſint. Maximè cum ipſorum authores homines ſint, imperfectioniſq; multis notis obnoxij. Adeò, vt præclare cum eo actum videri poſsit, cuius non ita valde culpantur inuecta: & induſtriæ conatus ſegnius à multis, languidiuſq; carpũtur. Hæc enim naturæ humanæ & vetus, & communis eſt lex: nihil eſſe perfectũ vt poſsit, quod mortali eſt manu atque opere ſuſceptum. Vnde humana facta contemplanti, non venia ſolũ, ſed & laude ille interdum dignus ſolet videri: cui minus errare, leuiuſque offendere datum eſt. Nam nihil omnino peccare (conditionis humanæ imbecillitatem ſi exactius inſpicias) nulli eſt hominum à natura tributum. Commerciorum actiones taceo, agendarumq; rerum diſcrimina, & quę (viri boni partes tuitus præſtare debeas) officia, in quibus ni vigilantia ſumma animi & prudentia magna verſere: exitioſa animæ, & fœda vitę pericula ſępe incurras. De vna tantum rerum ſcientia, ſapientiaque animi loquar. Quę tam altis eſt tenebris obruta, tam quę imis defixa radicibus: vt non niſi diuina ope erui, & Cœleſti poſsit auxilio parari. Quin etiam noſter labor, ſtudium, humanaque omnis induſtria tantum certè non valent, vt abſolutum aliquid efficere queant: quin difficultatis potius magnitudine ſępe victa, ipſo non raro ſub onere concidunt: diuino ni munere atque Numine reparentur. Adeo ex nobis ipſi valemus nihil! Quare, ij, qui naturæ aliquo dono turpiter inſoleſcentes, ſua ipſi facta mirantur, partuſque ſuos nullis ceu nęuis infectos ſtupidi venerantur (vt Tibulli ille Suphænus) impudentiſsimi prorſus habendi ſunt, arrogantiſsimique cenſendi. Nullius ſiquidem tam eſt animi inclyta virtus, & in omni diſciplinarum genere naturæ præſtans vis, vt ingenij fœtus ipſius, culpæ omniſugi labe careant. Rhemnium mihi dato Palemonem, qui ſecum natas literas, & interituras ſecum, ſtultiſsimè gloriabatur. Is ſi nõ tam cęterorum hominum diſsimilis, quam ſui eſſe ſimilis maliſt, fateatur neceſſe eſt, ſcriptis ſuis ad ſummi decoris gloriam defuiſſe non paucas & profeſsione ſua longè ſe fuiſſe minorem.

SED MISSA iſthæc opus eſt faciam, & ad te iam tandem orationis noſtræ aciem ſtylumque conuertam: cuius de gloria omnis mihi fuit oratio iucunda. Nam & ea dixiſti, quæ veræ poſſent gloriæ iter pandere, & appetitione famæ turpi cohibita, ad eã (quæ prudenti & bono viro planè digna ſit) ambitioſos dictis acriter inſtimulaſti: turpem vanamque famam ſtyli mucrone cõfigens: virtutis interim fontem limpidum patefaciens, vnde germanæ laudis ac ſolidę glorię rationem omnino putabas hauriendam. Aſſerens illud vſque præclarè, iniuſtis & inhoneſtis rebus nihil poſſe cum veræ famæ ratione, atque gloria conuenire. Longèq; idcirco illos fuiſſe deceptos, qui eiuſmodi rebus, famam nominis conſequi poſſe ſe turpiter ſunt opinati. Nam quid ego perſequar hic inclytam illam perorationem, qua virtutis omnes pulchrè laudes exaggerans, & ad philoſophiæ vera ſtudia cohortans: pectori menteſque omnium ad honeſtatem animi atque virtutem, ſapienter nimis es incendere atque inflammare conatus? Quæ omnia, nõ iam, tam mihi ſunt grata, quod abs te doctiſsimo viro diſputantur (cuius ego mirifice recreor ingenio) & dictione delector, quam quia intelligam orationis tuæ aculeos, qui mihi ſunt acerrimi ac vehementiſsimi viſi, ad mortalium animis inferendũ virtutis amorem, roboris atque neruorum

plu-

pluſimum habituros. Cui nimirum exercitationi me vſque quaque ſeruire fas eſt: teque tali tamque præclaro munere diſtringi certè conuenit: qui hac diſputatione tota nobilitatem veram declarare niteris, reique huius originem cunctis palam facere. Nam & ex hoc virtutis fonte, vt ab Oceano flumina, ſumma hæc generis præſtantia, celebritaſque gentium (quam nobilitatem appellant) verè defluxit, ipſaque illa conſpicuæ famæ gloria: de cuius dignitate, ſplendore atq; ortu, multa es proximè culta oratione cõplexus. Quo in loco breue eſt, ſed tamen candidatis gloriæ (vt reor) neceſſarium, fructuoſumque maximè, quod iam ſum admoniturus, videlicet neq; mihi probari eos, qui gloriæ fibrulas omnes & tanquam tenues articulos, aucupandi auidi, ſedulo vbique ſcrutantur: & illos rurſum diſplicere vehementer, qui ad honeſtæ famæ fulgorem (celebritatis occaſionem non indecoram nacti) vitioſa quadam & nimis lenta animi cunctatione vel pigri diſident, vel cæci frigent. Nam vt leuitatis eſt inanem vndique aucupari rumorem: vt omnes vmbras etiam falſæ gloriæ conſectari vanum ac ſordidum ducitur: ſic leuis eſt animi, lucẽ ſplendoremque fugientis, iuſtam gloriam (qui eſt fructus veræ virtutis honeſtiſsimus) repudiare. Quippe nemo tam eſt humanarum rerum ignarus, nemo tam hebes & rudis (ſi modo mentis aciem tantillum velit intendere) quin intelligat: eos ipſos, qui cunque ſunt famam nominis illuſtrem adepti, dum Iuſtitiæ, honeſtatiſque amore difficilia & ardua animoſè ſuſcipere, atq; euincere generoſè conantur: ſplendorem hunc ſibi gloriæ immortalem peperiſſe, & nataliũ laudi nõ cognitæ, per virtutem poſteris aditum patefeciſſe. Quorum inclytis inuentis diligenter qui ſunt, atq; ſtudioſè obſecuti, non iam parta generis laude contenti: quæ celebritatis veluti oſtenſa ſibi elementa, & tanquam nobilitatis ab illis fundamenta prima ſunt iacta, actionum clara veſtigia terentes; inſigni illa aliqua virtutis præſtantia conati ſunt anteuertere: aut certè noua aliqua dote laudis, locupletiora apud omnes, illuſtrioraque efficere, ſemper maiora patrãtes. Vnde ſe, genuſque ſuum memoria nominis laudabiliter apud omnes gentes ſparſa, nobilitatis hoc inuidioſo titulo & cognomine exornarunt, atque egregiè communierunt. Conſtat ſiquidem, neminem vnquam nobilem fuiſſe habitum, qui virtutem vel appetiuerit ſegniter: vel imperia ipſius formidoloſè ac prauè refugerit. Nam vt ſummam honeſtatem vitæ, morumque candorẽ conſentiẽs fama bonorum, gloriaque vera ſequitur: ſic indolem claram animi, admirationemq; omnem virtutis: ipſa (quę profluit ex ea) ſtatim nobilitas excipit. Hinc, qui ſuam ipſorum vitam compoſuiſſe non contenti, quò melius ſanctiuſq; viuerent, quid vitatu, quidq; petitu ſit dignum præſcripſere alijs: ſeque tuendorum cauſa hominum periculis multis expoſuere, ac dedidere laboribus, difficiles & arduas res animo alacri ſuſcipientes: clari ſunt, illuſtres ac nobiles habiti. Siquidem generis decus eadem parit virtus, quæ nominis primùm famam dedit. Ex vno itaque res vtraque ducta fonte, mortalium genus celebritate nominis inſigniuit, & ſplendore Natalium ornauit. Hinc honeſtæ auſpicium famæ, & origo omnis veræ nobilitatis eſt orta. Quæ virtute generis gentes diffuſa per omnes, latiſsimè propagatur: dum patrijs exemplis excitati filij, nobilitati ſanguinis primis auctoribus nituntur eſſe meliores; exemploque ſemel animati pulchro, in ipſam tẽdunt virtutem alacriores, vſq; præire cupientes.

QVA PROPTER, cùm gloriæ illam partẽ, quæ multum cum hac eſt generis dignitate coniuncta, doctè & ſapiẽter abſolueris: poſtulare hic maximè locus videtur, vt de ipſo Natalium ſplendore, & generis claritate (quæ à te eſt extremo in loco bonis aſsignata Fortunæ) declares ipſe quid ſentias. Licet enim fuſim per totum opus, de nobilitate ipſa dicta à te hactenus multa ſint: à meque nõnulla perſtricta: ea tamen omnia eiuſmodi fuerunt, vt præludij, rudimentiq; inſtar ea ipſa de re amplius, pleniuſque aliquid audire cupienti, huic ipſi loco præmunita eſſe videantur. Et certè hic ille opportunus eſt campus, in quo perſpicax illa ingenij tui acies, atque animi clara indoles elucere poſſit, & cum dignitate verſari. Nam cum multa ſint à philoſophis, cæteriſque præſtantibus ingenio viris, de hominum moribus, communique vita ſæpiſsimè diſputata, & tradita cum laude præcepta: hanc tamen de nobilitate partem (quæ in vita hominum latiſsimè patere videtur) pauci ſunt literis perſecuti, atque oratione complexi. Cum alioqui, dignitate ſumma, ingenijque honore floruerint: qui cunque ea ſunt auſi literis prodere. Vt mirandum ſit, rem tantam fuiſſe neglectã. Quas obres (ſpe premij iuuante Deo erectus ampliſsimi) enitere quæſo mi Philemon, remq; clariſsimam ſuſcipe.

Cupio enim ex te ipſo Nobilitatis veræ cognoſci ab omnibus fontem: intelligique etiã quatenus ei ſit mortalibus dandum, qui eo potiſsimum nomine, præſtantia generis obſtupefacti, inſolenter efferuntur. PHIL. Vtinam quod exigis tam eſſet præſtare facile quam eſt procliue ſuſcipere. Sed ô me nunquam ſapientem & miſerum, qui in eã me prudens diſputationis cõditionẽ coniecerim: in qua ne multorum animos voluntateſque offendam, valde mihi ſit in præſentia verendum! Timeo enim mi Nicete, ſi germanæ huius nobilitatis originem patefecero, fontemque verum recluſero: ne in me illi protinus cæco ferantur impetu, qui præter maiorum fumoſas imagines, nihil habent illuſtre. Cui hominum generi, bonorũ omnis induſtria maximè inuiſa eſt: Ipſęque illæ artes videntur eſſe funeſtæ, quæ principio humano generi nobilitatẽ pepererunt, atque ipſis illorum maioribus nominis famam egregiam, ſplendorem Natalium, familiæ decus (& propter nimiam vetuſtatẽ fuligine foci decoloratas, & fuſcas effectas) imagines, largitæ ſunt. Cum enim ad eam animi præſtantiam aſpirare nequeant, qua ſui ipſorum maiores, periculis non contemnendis ſuſceptis, animoſèque deuictis, nobilitati ſunt: illuſtreſque illi habiti, qui ſimile ſunt vitæ genus amplexi: ad laudem aſpirantibus viris per ſummam inuidiam honorem cupiunt ereptum: qui bene conſtituta in republica, bonis haberi ſolet. Parum ſecũ reputantes, ſi hęc priſcis hominibus cupido quondam ſediſſet animo, parentibus ſuis nobilitãdi nominis nullam fuiſſe anſam relictam, materiamque tributam: ac ne ſibi quidem factam copiam, facultatem ve ſuppeditatam, ob alienam tantùm virtutem ſuperbiendi: moleſto quodam ſupercilio, ac tumido faſto, deſpectui habentes plures, prę ſeque facilè contemnentes: quòd parum illuſtres ſunt generis authores ſortiti: perinde quaſi illorum culpa acciderit, vt claros nequeant ad faſtum oſtentare parentes. Aut in eo rurſum, cuius ſibi gratia placent, illi elaborauerint, qui de parentum virtute ſuperbiunt. Cum præſertim, ignobilitatis paternæ pœnas pendere ſit iniurium, qui filij virtute ſunt clari: debeantq́; nunquam maiorum factis ornari, qui ſtudia contraria ſecuti, ignominię ſuo generi, infamique probro ſunt. Scribit egregius author Solinus, eſſe quaſdã barbaras gentes, quę Rhiphæos montes accolunt, apud quas de nobilitate leges clariſsimæ vigeãt. Nam ſi cui (inquit) ob præclara parentum in rẽpublicam merita inſignes ſunt honores delati, vel magiſtratus commiſsi: ij ſimulac parentum ſuorum claritudine indignum aliquid commiſerũt, honore ſeſe expoliare, magiſtratuq́; abdicare, coguntur: & quã vitæ turpitudine commacularũt, nobilitatem partã exuere. Quæ vbi facta ſunt, inter plebeios, ignobileſque relati: inhonoratam & ingloriam vitam exigunt. Tantum illis ſcelus, flagitiumque videtur, ſpem mentiri generis, & à patria virtute deſciſcere! Quę barbari lex populi, tantũ in ſe momẽti habet ac roboris: vt vel ſola poſsit nobiles viros efficere. Quiſquis enim in animum induxerit, nobilitatis aditũ tantùm patere virtuti, ac ſuam cuique nocere negligentiam, prauamque deſidiam: maiorumque induſtriam nullis ad errati veniam, quin ad ignominiam potius omnibus ex ęquo eſſe valituram: is neque ſedulitatem inſolens ridebit aliorum, neque auitæ nobilitatis prętextu cũcta ſibi arbitrabitur licere: multoq́; minus ocioſè deſidens, præcipuos populi honores aucupabitur. Sed præclara omnia cogitans, aſsiduèque verſans animo atque ipſum patrię morem ſanctiſsimũ reueritus, de virtute ſemper erit ſolicitus, ne turpi aliqua vitæ nota, dignitatis priſtinæ ſtatu atque ordine motus, & familiæ honeſtis detractis inſignibus, obſcurę numerum plebeculæ, cenſumq́; adaugeat, inter vectigales, infameſque relatus. Sed nunc, proh dolor! Republica in noſtra, quæ ad diſciplinã morum, eiuſmodi erat legibus ſtabilienda, Sanctiſsimi hi Canones prorſus ignorantur: oppreſſaque populi commoda (aliorum deſpectrix induſtriæ, & ad maiorum ſuorum officia planè torpida) nobilitas tenet: honores ambiens, ac deuorans, quos male gerere nouit. Hinc ſumma naufragia, hinc publicarum rerum perturbatio miſera ſuboritur. NIC. Graue hoc populi vulnus, reipublicę clauum committi parum idoneis. Sed quæſo te mi Philemon, cur ciuitatis primores ab ambiendis honoribus arces? an poterunt melius habenæ imperij mandari, quam ſanguine præſtantibus viris, atque ideo dignitate & authoritate ſumma florẽtibus? PHIL. Summus honos probo mandabitur rectius. Sed non id agimus, vt ad honores ianuam nobilitati intercluſam eſſe velimus (quis enim id optet ſanus) verùm ijs demum reſerari oportere cenſemus: qui verè nobiles ſunt: quando hoc honoris quidam non tam re & vita, quam nomine vſurpãt, ornamenta omnia atque inſignia virtutis deberi ſibi

falſò

falſò exiſtimantes, quod nobili genere ſuſcepti ſunt, & ſtirpe clara prognati. Quicquid enim eiuſmodi viris fauoris impenditur: id quidem probis induſtrijſque adimitur, qui digna laborum mercede fraudati, paupertatis ergò ſeruire illis ſæpe cogûtur: quos vitæ munere antecellunt: virtuteque omni vincunt. Fructum interim induſtriæ repoſcentes, quem illi neſciunt rependere. Quæ dum in republica fiunt, altè animo ſtrenui ingemiſcunt, ſortem & Fata culpantes. NIC. Luctuoſus hic reipublicæ ſtatus eſt, vbi boni improbis ſeruiunt, coacti ab iniuſtis honeſtatis premia repoſcere! Quis enim ab eo honore affici ob virtutem ſperet, quē iniuſtitia delectat? PHIL. Ego quidem ſperaui nunquam, neq; enim adduci poſſum, vt credam fore ab illis ſpeciē virtutis repenſam, qui ne de facie quidem ipſam virtutem norunt. Quo magis doleo, tam ſæuam bonis plagam incuti; vt quibus imperitare debebant, illis contrà efficiantur obnoxij, ac modo quodam ab eis vincti teneantur imperio: non enim conuenit turpiſsimi domini cathenis (qui vitæ licentiæ modum neſcit præſcribere) optimi ſerui colla vinciri. Neque eſt in libera ciuitate ferendum: Cenſui & imaginibus honores populi delegari, viris bonis ſpretis qui animi alacritate & moderatione vitæ, reipublicæ perſonam ſuſtinere facile poſſent, atque omniū ſaluti proſpicere. Atq; hoc illud eſt, quod innuere volui, populi commoda à nobilitate oppreſſa teneri, cóquerens. Nam ſi ad generis decus animi accedat induſtria, nobitati prorſus reſpublica credenda eſt. In hoc enim ordine, vbi generoſus ille animi ardor incalere cœpit, res arduas altaſque ſuſcipiens: magnæ ſæpe virtutes, ſingulareſq; exiſtunt. Quòd ſi qui fortè erunt, qui nobilitatis à maioribus partæ prætextu aliquo, attenuati fortunis, fide lapſa, aut exiſtimationis alioqui ſama periclitante credi ſibi rempublicam, aut partem aliquam volent: ij publicarum rerū gubernaculis admouendi non ſunt. Stultū eſt enim ob generis dignitatem ſic gratificari cuipiam, vt publica ſalus in diſcrimen aliquod, periculumque incurrat. Qui ſi iam erunt, à populo beneficiorum memore, prę ſidio fouendi: modis alijs ſubleuandi ſunt, non cum publico naufagio erigendi. Si tamen quis erigi honeſtè poſtulat, reipublicæ ſuæ ſtatu labante. Præſtat enim in vnum aliquem minus videri officioſum: quam ſalutis publicæ haberi parum memorem. Cum præſertim multis in rebus eiuſmodi viris cómodari aliter poſſit. Vt ſi iam de fortunis ſuis capite, vel fama dimicare videâtur (quo ad ęquitas feret) ſint protegendi: ſattitectique præſtandi: dum modò iotelligatur, hoc illis in gratiam datum eſſe parentum. Publicè ſiquidem intereſt, eorum aliquam haberi rationem, qui de republica aliquando benemeriti ſunt. Cæterum ſi hanc tantā populi benignitatem in vitæ diſſolutæ licentiam conuertendā duxerit degenerati ſanguinis peſtilens caput, atq; ingenium prauū hominis: factis ſuis veniam autumans eſſe paratam: Ciuem improbum & flagitioſum, contumeliæ cauſa Maiorum ordine motū, Iuſto lex ſupplicio, necique addicet: generis (quam excuſat) nobilitatem nihil morata. Is enim prior prærogatiuam ſibi nobilitatis ademit, qui à vera animi virtute deſciſcens, parentum ſuorum ſimilis eſſe noluit. SED NE diſputationis ardore quodam (cognito nondum veræ nobilitatis fonte) ſublatus videar in altum: reuocare gradum ne ceſſarium eſt, & quid vera ipſa nobilitas ſit, paucis præfinire. Vt rei huius cognita & intellecta natura, vique omni perfecta, à plebeijs nobiles ſeiungere & ſegregare poſsimus, ſitque prout debet, ordo vtriuſque ſecretus. Aliter magno in errore verſemur neceſſe eſt, ſi rei nulla propoſita definitione, Nobilitatis campo ſpatiari velimus. Præſertim cum non eo pacto, quo vulgus hominum ſeparare ac diſtinguere ſolet, nobilitatis ratio à nobis hoc loco ineunda ſit. Nam ſi omnes, qui virtute prædíti ſunt, nobiles ſunt appellandi (vt Stoici prudenter exiſtimant) non pauci reperientur è plebe, qui ipſis ſępe nobilibus, qui maximi vulgo videntur, anteferendi ſunt. Eſt enim neceſſarium vt in quo virtus eluceat, nobilis habendus ſit. Quæ ſi in aliquo vel ex infimis plebeijs perſpecta ſit, erit nimirum rationi conſentaneum, nobilitate eundem protinus eſſe in ſigmendum. Porrò, ſi eorum aliquem, qui commendatione maiorum nobiles eſſe creduntur, virtutem pauitantem, conſpectum ąue illius pręimbellia fugientē animaduerſum ſit: nihil erit periculi quin obſcurum hunc, atque ignobilem appellemus. Itaque fiet, vt nec hi ſint ignobiles, qui eſſe videntur: neque illi è diuerſo nobiles, qui maximè vulgò putantur. Sed hæc ſpinoſa videri poterunt eis, quorum animos & voluntatē ne offenderem, principiò, me dixi vereri. Quæ ſi cuius animum pungere videbuntur, is fateatur neceſſe eſt nulla ſe veri decoris gloria duci: & virtutum nullo amore teneri.

neri. Eſt enim omnibus ad nominis ſplendorem obtinendum, & parandam generis dignitatem: quemadmodum ad virtutem libera via, atque optimo cuiq; iter expeditiſsimũ. Generoſa igitur alacritate animi vir præditus, in hoc mundi ſalo difficultatũ Syrtes (Deo fretus, audacter prænaui get. Vbiq; enim induſtriæ claræ animi, nobilitatis & gloriæ expanſa vela patent. Erit itaq; nemo vnquã ignobilis & obſcurus, quẽ ſtrenuè ad honesti anhelantẽ, excellens virtus animi conſpicuũ, celebrẽ, illuſtrẽq; facit. Quanquã autem hæc mea dicta, quaſi quorũdã guſtũ mordentia, acria erunt, amaraq; viſa (ſunt quippe non tam acria quã acuta) ad virtutem tamen amplexandã, nobilitatiſq; germanæ rationẽ hominum animis inſerendam, erunt profectò vtiliſsima. Sed hæc mox videbimus: nũc ad promiſſa atq; inſtituta pergamus.

ET QVONIAM ingenui eſt animi fateri per quos profeceris (vt magnus ille dixit naturalis autor hiſtoriæ) & obnoxiæ contrà mẽtis deprehẽdi in furto malle, quã profiteri cãdidè quod mutuũ acceperis: in definiẽda nobilitate verbis vtar Oſorij, facũdi planè viri, qui hac ipſa de re egregiũ opus ſcripſit, vt vel hoc vno nomine tuus ſit honos merẽti perſolutus. Nihil eſt enim tã æquũ, quã ſui quẽque laboris ferre fructũ: & ingenij (quam eſt meritus) palma inſigniri. Eſt igitur nobilitas, dignitas generis in quo maximæ virtutes extiterunt, vitæ cõmuni ſalutares & cõmodæ. Licet enim hoc virtutũ cõmune ſit omniũ, vt quęcunq; cõplexæ ſint clarũ efficiant, illuſtrẽ ac vere nobilẽ: tamen hoc munus illarũ propriũ videtur eſſe maxime, quę ſeſe ad iuuandos homines cõferunt, dũ earũ poſſeſſores vel magnitudine animi, vel inſigni aliquo æquitatis ſtudio, ſaluti cõmuni cõſulunt. Nã ſi qui Sapientiæ illecti dulcedine frequentiã hominũ, cætuſq; fugerũt ſtudijs ipſis intẽti: horũ profectò eiuſmodi eſt cauſa, vt ſi laudabile vitæ genus ſecuti videantur nobiliũ certe numero nõ ſint habendi. Nõ enim periclitanti patriæ opẽ ferre poterũt ſciẽtijs dũtaxat addicti, neq; prouidere quicquã cõſilio, ſolitudini dicati. Qui verò rebus afflictis ciuiũ ſeſe animi præſentia offerũt, & pectoris inuicti robore, peritiaq; rei bellicæ: aut pacis artes egregiè rimati inclyta foris iuſtitiæ exhibent documẽta, multorũ ſaluti atq; ocio proſpiciẽtes: horũ & illuſtris eſt ſemper fama habita, & nobilitas admirationi. Hinc claritudo ſanguinis, ſplendor ac decus generis ortũ eſt; & ſi quid eſt amplius, quod gentẽ clarã reddit, & titulis honeſtis illuſtrẽ. Hinc illi etiã profecti ſunt Heroës, quorum generis ſtirpẽ, ob multarũ excellẽtiã virtutũ, ad autores Deos priſca ætas referre eſt auſa. Sic Veneris Æneas, Auroræ Mẽnõ, & Thetidis acer Achilles. Sic Martis Romulus, Neptuni Theſeus, Iouis Hercules, Lyciuſq; Sarpedon, & innumerabiles alij, qui Deorũ filij vulgò ſunt crediti. Nã cũ ſeſe illorum animi virtus magnificè efferret: adeo vt longè cæteris mortalibus rerũ geſtarũ fama anteire viderentur: creditũ eſt, hanc tantã animi magnitudinẽ, & virtutis admirationẽ diuino à Numine libatã eſſe, aut ex cœleſti ſatu profectam. Haud ignari in rebus magnis excellere prorſus eſſe diuinũ: aut certè Diuũm chariſsimis & coniunctiſsimis datũ. Ita Deorũ illi genus intuiti, parẽtũq; ſuorũ naturã cœleſtem reueriti, facilè gerebãt res admiratione dignas. Vſq; adeo ęgrè ferentes illorum non[illegible] ſimiles, quorũ liberi putarentur, vt hæc vna res ad fortiter agendum ipſorũ animis calcar maximũ adderet. Quòd ſi caſu aliquo ementiti generis contumeliæ cauſa, inſimularentur: inuiſam criminationẽ factis non verbis diluendam, refellendamq; omnino curabant. Quod egregiè aliquando in Sarpedone perſpectum eſt. Is enim à Tlepolemo peſsimis conuicijs affectus, probriſque vexatus indignis: quod falſò ſeſe Ioue prognatum diceret: contumeliã tantam non paſſus, Tlepolemo intulit necem. Nec enim alio melius indicio inuſtã temere notam potuiſſet eluere, quã tantæ virtutis exẽplo. Tlepolemũ quippe clari progeniẽ Herculis, nec certè imbellẽ filium: nõ niſi Iouis filio licere erat æquũ occidere. Sic & in bello ſi quando incidiſſent in virũ dignitate generis ſibi præfidentẽ, & hoc veluti nomine alios deſpicantẽ tanquã nõ perinde natalibus illuſtres: diui immortales! quo hîc ardore illuſtrium virorum præſtantia illa animi, atque virtus enitebat! Cuius rei certiſsimã faciet fidẽ Achillis illud in Axij fluminis nepotem Aſteropæũ, quem læthali à ſe vulnere affectum, miſeràque trahentem animam, iam iamq; moribũdum, hunc in modum alloquitur.

Sic morere Aſteropæe, graue eſt, & fluminis natis
Progeniem Iouis in bello contendere contrà:
Sis licet ipſe ſatus tam lato flumine, nobis
Cede tamen: quando eſt noſtrum genus ab Ioue Summo.
Me genuit Peleus: illi eſt pater Æacus ingens:
Quem genuit quondam Summi regnator Olympi.

His verbis fortis Achilles ab Aſteropæo pſpectũ eſſe debere innuebat eũ ſibi idcirco certamine martis imparẽ eſſe futurũ, q̃ genere foret inferior. Rectè ille quidẽ. Etenim quis nõ

videat; ipſam rei cuiuſque præſtantiam virtute ſeminis in ſobolem ſolere transfundi? Adeo vt nihil fermè ſit rerum omniũ in quo auitæ virtutis imaginem aliquam, & tanquã effigiem non liceat intueri. Nam quid ego brutas perſeqnar animantes, & beſtias ratione carentes: in quibns, teneris adhuc ferocia ineſt, & vis natiua parentum? vt enim epigrãmaticus cecinit ille.

Aeris equi ſoboles magno ſic puluere gaudet,
Sic vitulus molli prælia fronte cupit.

Etiam minutiſsimæ plantæ ſeminis præſtantiæ reſpõdent: & ab arbore deriuatus ſurculus, breui præ ſe bonitatem parẽtis refert. Quò fit, vt minus ſit mirandum tam præſentem naturæ vim ſummè in homine elucere, quẽ mens vel ratio ad paternæ virtutis æmulationem allicere atq; incendere potuit. Neceſſe eſt enim ratione præditum animantem ad ea quæ ſibi cognata ſunt, ſi modò proba erunt, toto impetu ferri. Atq; ita fit, vt patria virtus plurimum eluceat in ſobole: id quod egregijs eſt Flaccus teſtatus carminibus, inquiens.

Fortes creantur fortibus & bonis.
Eſt in Iuuencis, eſt in equis patrum
Virtus. Nec imbellem progenerant Leones:
Aquilæ columbam.

Quæ res vſque adeo ſemper vera eſſe viſa eſt, vt latiſsimè id patere cenſeant. Generoſa enim, & ingenita quadam bonitate naturæ pretioſa rerum ſemina ſunt: & tanquam acceptæ dotis parum oblita, propagari, diffundiq́ne gandẽt: ac niſi de induſtria ſterili prorſus agro mandentur, ſuis ipſa colonis fœcunditate incredibili, ingentiq; fœnore ſeruiũt. Quo factum eſt, vt viri ſapientia celebres, & fama inclyti, ad obeundas res vitæ hominũ ſalutares, viros vſquequaque delegerint generis dignitate præſtantes. Rati eiuſmodi rerum munus, proprium eſſe nobilitatis. Nec aliter vnqnam plebs ipſa fuit animata: quæ dubijs reipublicæ temporibus, quum virtute ſapientiaq; animi maximè eſt opus: triſtiũ rerum fœlicem portum, eiuſmodi virorum induſtriam probitatemq; exiſtimat: ſacram veluti ad Anchoram & pręſens quoddã Aſylum, ad eorum fidem accurrens. Cuius profecto rei & veteres & recentes Annales abundè magna nobis exempla ſuppeditant. Quæ referre longum ſit, ocioſum etiam, ac prope dixerim infinitum: ac mihi quidem certè ad alia properanti conſentaneum parum, minimeq; etiam fructuoſum. Nam & bene morata in republica ſui regendi arbitrium principibus viris ideo permiſſum eſt, quòd facile intelligant, atque perſpiciant ciues, huiuſmodi tutela virorum communem ſalutem recte poſſe defendi. Quinetiam tanta eſt de ſimilibus viris iam inde à pueris expectatio populi: vt vel à rudibus illis vitæ annis, tyrocinioque ætatis ignaræ, ſpe futuræ virtutis omnium ad ſe oculos atque ora conuertant: quaſi ipſo cum greſſu præclarè agere è veſtigio contingat. Semper enim generoſa mens, neſcio quonam pacto, fœlices progreſſus habet, ac vel primum ſui auſpicium omnino præclarum exhibet. Id qnod ingenioſus Ouidius carminibus his profecto depinxit graphicè, indolem laudans Tiberij, qui ab Octauio Cæſare hæres erat deſignatus imperij.

Vltor adeſt, primiſq; ducem profitetur in annis,
Bellaq; non puero tractat agenda puer.
Parcite natales timidi numerare Deorum,
Cæſaribus virtus contigit ante diem.
Ingenium Cœleſte ſuis velocius Annis
Surgit, & ignauæ fert malè damna moræ.
Paruus erat, manibuſq; duos Tyrinthius angues
Preſſit, & in cunis iam Ioue dignus erat.
Nunc quoq; qui puer es, quãtus tunc Bacche fuiſti
Quum timuit Thyrſos India victa tuos?

His ergo carminibus ingenij poeta magni aliud nihil ſignificare vult, quam omnẽ virtntis excellentiam, clari eſſe generis indicem. Idq́ue in tantum, vt iam tum ipſo cum ſpiritu, in maius animi ſemper adaucta virtus, adoleſcere contingat. Quo factum eſt, vt poetarum ille princeps Homerns virtute præſtantes viros, & bellica laude florentes, filios Deorum finxerit. Ab eo nimirum, quod opinione hominum maius, quodque longe omnium præſtantiſsimum eſt virtutis excellentiæ paucorum, originem appoſitiſsimam atque optimam mutuatus. Quid enim immortalitate melius? Quid excellentius Nnmine? Quid diuinitate præſtantius? Recte igitur vir prudens, eos qui virtute animi cæteris anteirent, cognationis non leui aliquo vinculo, vel amicitiæ fœdere arcto diuinitati obſtrinxit, Deoq; ipſi coniunxit. Non enim virtutum prouentum tantum ignobili in gẽte reperias. Obſcuri quinimo homines, & generis vilitate abiecti, elatione ea animi non valent: difficileſque & arduas res aut nunquam, aut raro certè ſuſcipere audẽt. Vt enim Virgilius inquit.

Degeneres animos timor arguit.

Qui verò dignitate generis cõdecorati, ornatiq; ſunt, ſtimulis ceu maiorũ concitati, vel à teneris (quod iam ante diximus) annis: magna animo mouent, optima moliũtur: laborio-

ſas

ſai ac difficiles res vſque meditantur: ſuorúque ſæpe virtutis, dignitatiſq; memores, eſſe pudet ignauos. Quod quidem cum verú eſſe, facile ſibi Græci ipſi perſuaſiſſent: euerſo iam Ilio, non ante in patriam naues ſunt auſi conſcendere, quam Hectoream Sobolé interemptam conſpicerent. Timebant enim ne patriæ virtus in filio ſeſe efferens, Græciá deuaſtaſſet a flammaque vel ferro aliquo ſuorum iniurias vlta inimicam gentem crudeliter abſumpſiſſet. Quam nimirú rem in Troade Seneca declarauit maximé. Vbi miſſum ad Andromacham Vlyſſem, vt ſibi Hectoris filium Aſtyanactem traderet, hæc inducit loquentem.

Duræ miniſter ſortis, hoc primum peto,
Vt ore quamuis verba dicantur meo,
Non eſſe credas noſtra. Graiorum omnium
Procerumq; vox eſt, petere quos ſeras domos
Hectorea ſoboles probibet. Hanc Fata expetunt.
Solicita Danaos pacis incertæ fides
Semper tenebit, ſemper à tergo timor
Reſpicere coget: arma nec poni ſinet,
Dum Phrygibus animos natus euerſis dabit
Andromachæ. An. Veſter Augur hæc Calchas canit?
Et ſi taceret Augur hæc Calchas, tamen
Dicebat Hector, cuius & ſtirpem horreo.
Generoſa in ortus ſemina exſurgunt ſuos.
Sic ille magni paruus armenti comes,
Primiſque nõdum cornibus findens cutem,
Ceruice ſubito celſus, & fronte arduus,
Gregem paternum ducit, ac pecori imperat.
Quæ tenera caeſo virga de trunco ſtetit,
Par ipſa matri tempore exiguo ſubit,
Vmbraſq; terris reddit, & Cælo nemus.
Sic male relictus igne de magno cinis
Vires reſumit. Eſt quidem iniuſtus dolor
Rerum æſtimator: ſi tamen tecum exigas,
Veniam dabis, quòd bella poſt annos decem
Totidemq; menſes Iam ſenex miles timet:
Aliaſq; clades rurſus, ac nunquàm benè
Troiam iacentem. Magna res Danaos mouet,
Futurus Hector. Libera nos hoc metu.

Parum ne apertè declarauit hic, qui téporibus illis ſapientiſsimus fuiſſe dicitur, bonitatem, præſtantiam & virtutem ſummi generis in prole elucere maximè: cum tanto ſe cum cæteris timore dicat eſſe perculſum, vt nõ prius ſint inimicis finibus diſcedere auſi, quam paruus Aſtyanax neci ſit deditus, & præcipitio lamentabili abſumptus? Atqui, ſi hoc ipſum parum liquet, pueri expendamus exitium: qui tam generoſo animo tulit mortem, vt ex hoc ſit facile coniectare, iure ſibi ab vno Aſtyanacte Græcos ſemper plurimú metuiſſe. Qua de re Senecæ ſunt itidem verba adhibenda, apud quem infantuli huius mortem ad húc modum graphicè Nuncius depingit.

Eſt vna magna turris è Troia ſuper
Aſſueta Priamo: cuius è faſtigio
Summiſq; pinnis, Arbiter belli ſedens
Regebat acies. Turre in hac blando ſinu
Fouens nepotem, cum metu verſos graui
Danaos fugaret Hector: & ferro, & face,
Paterna puero bella moſtrabat ſenex.
Hæc nota quondam turris, & muri decus,
Nunc ſæua cautes. Vndiq; effuſa ducum
Plebiſq; turba cingitur, totum coit
Ratibus relictis Vulgus, his collis procul
Aciem patenti liberam præbet Luco.
His alta rupes, Cuius è cacumine
Erecta ſummos turba librauit pedes.
Hunc pinus, illum laurus, hunc fagus tegit.
Et tota populo Sylua ſuſpenſo tremit.
Extrema montis ille prærupti petit.
Semuſta at ille tecta, vel ſaxum imminens
Muri cadentis preſſit. Atq; aliquis, nefas,
Tumulo ferox ſpectator Hectoreo ſedet.
Per ſpatia latè plena ſublimi gradu
Incedit Ithacus, paruulum dextra trahens
Priami nepotem. Nec gradu ſegni puer
Ad alta pergit mœnia. Vt ſumma ſtetit
Pro turre, vultus huc & huc acres tulit
Intrepidus animo: qualis ingentis feræ
Paruus, tenerq; fœtus, & nondum potens
Sæuire dente, iam tamen tollit minas,
Morſuſq; inanes tentat, atq; animus tumet.
Sic ille dextra prenſus hoſtili puer
Ferox, ſuperbè mouerat vulgum, ac duces,
Ipſumq; Vlyſſem. Non flet è turba omnium,
Qui fletur. Ac dum verba fatidici, & preces
Concipit Vlyſſes vatis, & ſæuos ciet
Ad Sacra Superos, ſponte diſſiluit ſua
In media Priami Regna.

Vides, tam inſignem mentis elationem, tam infracti pectoris vim, tam præſenté animum, tam generoſi alacritatem ſpiritus in vitæ ſummo diſcrimine facile præ ſe patriam ferre virtutem? vt ſine dubio, tam animoſo atq; illuſtri vitæ exitu, parente Hectore dignus poſsit haberi? Sed relinquam filium, meque ad ipſum patrem aliquando cõuertam, cuius eſt prouerbio excellens virtus animi, haud iniuria nobilitata. Cum enim alicuius viri fortitudinem eximiam ſignificare volumus, Troianum hunc alterum appellamus Hectorem. Nam quis neſciat, eam Hectorei animi fuiſſe præſtantiam, vt ea vna patriæ opes innixæ & ſalus erecta fœliciter ſteterint, nullú vnquã hoſtiú inſultú timétes, vel iniuriam formidátes? Quandiu enim incolumi

Hectore Troiæ datum eſt frui, non ſolum vrbs illa inimicorum furentem repulit impetum: ſed & ſpem hoſtilis victoriæ ludificata eſt, atq; adeo celebriter vita. Erat enim vir ille ad res ſtrenuè gerẽdas magnitudine animi & alacritate tanta, membrorum ſic mirabili robore in omne facinus pares vires natura ſuggerente, vt non tam tonitrua & fulmina formidabilia mortalibus accidant, quã illius erat nomen Græcis formidabile. Vnde haud de nihilo eſt, quod in celebri illa armorum contentione, quæ ſibi cum Vlyſſe interceſsit, Telamonius ille Aiax, vir ab Achille ſecundus, Græcorum adſtante concione, ſe vnum impetum Hectoris ſuſtinuiſſe, nec ab eo, certamine victum fuiſſe, non iniuria gloriatur. Quorſum hæc oratio, dices, tam altè repetita? Nempe vt intelligamus hæc tanta virtutis documenta, non ſolum animi geſta fuiſſe virtute, ſed etiam generis claritudine adiuta. Fuit namque ob virtutẽ Hector filius Iouis vulgo exiſtimatus: quod tantum de ſe conceptum populi iudicium haud ipſe vnquã tulit tacitus: imo opinioni hominum fauens, diſſeminari hinc inde atq; diffundi; gauiſus eſt, & in plures latius ſpargi: hac ſibi cognatione generis ſæpe blandiens, quemadmodum & apud Homerum Neptunus Græcos alloquens, quandoq; teſtatus eſt. Ait namq;.

Hac timeo peſtem ne Greijs inferat hoſtis.
Nanq; furens animis, flammæq; ſimillimus Hector
Qui Ioue ſe natum fert, hac nunc agmina ducit.

Sed quid ego apertam & dilucidam rem, per ſeq; ipſam maximè manifeſtam, exemplis claram cogor, illuſtremq; efficere? Perſpicuum eſt enim, ea quæ animo magno, elatoq; geruntur, ab hoc plurimum ordine edita eſſe. Eſt nanq; ad res præclarè gerendas omnino non mediocre telum ipſa Maiorũ nobilitas, gentiumq; celebritas: qua qui præditi ornatiq; ſunt, præſtantia animi cæteris antecellunt. Vnde non ſine cauſa in Alcibiade Plato, meliora nobilibus & præſtantiora quã ignobilibus ingenita eſſe, conſtanter aſſeuerat: efficaciſsimiſque id argumentis & rationibus probat. Nonne vides, vt nihil illi humile faciant, nihil committant turpe, qui generis ſunt amplitudine inſtructi? Quin ad ea ſe ſe contra applicant, atq; conuertunt, quæ decora ſunt: & cum aliqua virtute animi, vel honeſtate coniuncta? Quod Tragicus Euripides ſapienter declarauit, cum dixit.

Egregia dignitatis indoles, nota
Inſignis eſt nobis generis ampliſsimi.

Quas obres ſtupenda prorſus admiratio illa eſt, qua is (cuius modo mentionem feci) Vlyſſes tangebatur dum inter puellarũ gregem cum ſua colu & laua Achillem in Scyro conſpicit muliebria penſa trahentem.

Tuq; ô generis (ait) extinguis clara lumina
Dum penſa natus optimi patris trahis!

Cum igitur manifeſtum ſit, dignitatẽ generis ſemper eſſe maximarũ rerũ iudicẽ: ſic & è cõtrario dubium nunquam eſt habitũ, obſcuro atq; humili genere ſuſceptos circa res paruas & humiles, quaſi ingenio illos ſegni grauante, fuiſſe depreſſos. Nam ignobiles homines pœnitenda plerumq, exempla comitantur, & triſtia facta ſequuntur. Sorte enim conditionis infimæ præpediti, & domeſticis haud rarò exemplis corrupti: virtutis ſplendorem, & honeſtatis lucem, aut intueri non valent, aut ſuſcipere nequeunt. Quòd ſi qui ſeſe humo fortè conantur attollere, in paterna caſu facta reſpiciẽtes: vitę illorum ſpectaculo turpi, tanquam vi aliqua vrentis oculi effaſcinati, ſubitò præ pudore corruunt, animo cõcidentes. Sed fingamus, eiuſcemodi ſpectaculum ipſorũ animis occurſare nunquam: minimeq; eos ignominia tali aliqua tangi, vel frãgi poſſe: profecto quãquam diues opis natura ſuæ peculiari aliqua laudis prærogatiua, propitia nimis illis indulgeat afflués: certè vnus & alter, vt ait ſatyric⁹.

Forſitan hæc ſpernãt iuuenes, quibus arte benigna
Et meliore luto finxit præcordia Titan:
Sed reliquos fugienda patrum veſtigia ducunt,
Et monſtrata diu, veteris trahit orbita culpæ.

Ex quo fit, vt ad ea quæ optima ſunt, & propria nobilitatis, aſpirare facile nequeant: ſed modo quodam ab incepto deſiſtere cogantur. Multi nanq; extiterunt, non ſolum recenti aut priſca: ſed omni etiam memoria temporum: qui victi parentum culpa (cum excellere poſſent, ab agendis rebus) prorſus abſtinuerunt. Etenim, vt ille ait.

Virum parentum culpæ conſcium premit
Metus, ferocia Etſi gerat ille pectora
Abiecto animo eſſe cogit infœlicitas.

Non hîc ignobiliũ hominũ exẽpla atq; facta repetã. Etenim ſtultiſsimũ fore reor exẽplis id, vel rationibus velle probare: quod nemo ſit inficias iturus. Mihi quippe ad nominis famã (ſi tamẽ eã aſſequi dabitur) lõgè honeſtius fuerit, eiuſmodi exemplorũ cãpo nõ me valde fuiſſe ſpatiatũ: quã turpia quorũdã facta perſequentẽ, impudẽtiæ aliquo nomine poſſe culpari. Cũ pręſertim eo in genere, & qui fecere, & q̃ facta aliorũ ſcripſere haud rarò vituperẽtur. Quãquam nõ me fallit, ex eiuſmodi turpiter dictis, aut factis honeſtatis

aliquam

aliquam frugem poſſe decerpi: dum fugienda eſſe docemur. Prauorum enim notitiæ, quò deuites alacrius, ſtudioſiuſque refugias ineſt aliquis fructus. Sed reuertar illuc, vnde deflexi paululum. Nam neque mirandū eſt, claro prognatos genere amicos eſſe virtutū: neque ignobiles nouum ad turpia deferri, vt enim rectè poeta ſapiens ſcripſit.

Prop. *Naturæ ſequitur ſemina quiſq; ſuæ.*

Ex quo fit, vt ſi nobili à viro turpiter quidpiam commiſſum eſt, moueamur omnes admiratione: ab ignobili cōtrà fieri id nemo miretur. Vnde cum ignobilis quidam Caio Lælio diceret, indignus es tuo genere Cai Læli: ille excipiens dixit, & tu mehercules genere dignus es tuo. Hinc etiam Terentij illud laudatur in Andria.

Mirum verò, impudenter mulier ſi facit meretrix!

Præclarè ergò à Seuerino Boethio dictum eſt. Si iam aliud nihil in nobilitate ſit boni, abundè id magnum reor, quod impoſita nobilibus neceſſitudo eſſe videatur, ne à maiorum claritate degenerent. Prudenter igitur Euripides.

Non præmium vllum liberis præſtantius
Ac noſſe patrem nobilem, fortem, probum:
Sociumq; lecti nobilem, ſi quis male
Libidine amans iungit obſcuris faces.
Non laudo. Tanti num voluptas, liberis
Probrum vt relinquas generis, & turpem notam?
Generoſius animus vincit aduerſa, & domat.
Ignauus illis cedit.

Sed attende precor, quid de illo contra ſenſerit, cui natales inclyti à natura contigerunt.

Prob Sancta Diuûm Numina! patris nobilis
Quos addit animos, quod decus ſi faciat
Quamuis egeſtas nobilem oppugnet virum,
Cunctis verendus tamen erit, nec non patris
Secum ipſe reputans facta, creſcet moribus.

VERVM de his hactenus; nobilitatemque ipſam potius ſpectemus, cuius duæ traduntur ſpecies: vrbis vna, & gentis altera. Nam & in qua patria naſcaris non minus ad Nobilitatem exiſtimant pertinere, quam à quibus ſis parentibus ortus. Vt enim conditio clara patris decori magno, ornamentoque eſt ſoboli: ſic illuſtre natale ſolum dignitatem homini, fauoremque conciliat, ac modo quodam facit eſſe venerandam. Quocirca etiam Themiſtoclis illud (quod in diuerſum etiam trahi poteſt) laudatur à Plutarcho. Nam cum Seriphius quidam illi obieciſſet, quod non tam virtute propria, quam patriæ celebritate clarus eſſet, ridens Themiſtocles, rectè ſane non ras: neque enim ego ſi Seriphius eſſem illuſtris eſſe potuiſſem, neque tu clarus etiam ſi medijs natus eſſes Athenis. Sic & Socrates cum ei ab improbo quodam acerrimi loco conuitij mater obſtetrix foret obiecta: Mihi (inquit) genus eſt probro: tu generi. Quæ omnia eò pertinent, vt intelligamus Nobilitatem veram, ſecundum vulgi opinionem, quam tamen ciuilem rectius, aut politicam dixeris, patria & genere ſolere cōſtitui. Adeo vt res altera alterius ope indigere prorſus videatur. Nam neque in obſcura ciuitate haberi quiſquam nobilis plurimum poteſt claris maioribus editus: neque ab obſcuris parentibus ortus, clara quamuis in vrbe, videri ſatis illuſtris. Qui verò rei vtriuſque præſidio egregiè cumulati ſunt: hi procul dubio nobiles ritè vocantur. Vrbes porrò, eæ demū nobiles eſſe creduntur, quæ clarorum virorum frequentia honeſtatæ ſunt: hominesq; tulerunt in omni virtute præſtantes: Vt illa Lycurgi colla legibus Sparta, quæ fortitudine ciuium pro mœnibus erat cincta: & illæ bonarum artium inuentrices Athenæ, quæ tot viros in omni diſciplinarum genere inſignes procrearunt: illaq; etiam cæterarum vrbium Regina & domina Roma, virorum altrix clariſſima, quæ Mineruæ cum Martis artibus artes coniungens, orbis eſt imperium adepta, ac fœliciter moderata. Patres præterea nobiles illi eſſe feruntur, qui in optima patria nati, viri ſunt optimi officio functi, egregiaque aliqua virtute animi præſtiterunt: vt Romæ Æmilius Paulus & Horatius Cocles, Dentatusque ille (toties victor) Sicinius: vel Cato, Rutilius, & Regulus: Athenis Conō & Phocion: Leonidas atque Agaſicles Spartæ. Nam hi (ſuæ quiſque reipublicæ) periclitantique patriæ: nunc ſalutaris opē conſilij: nunc contra diſtricto fulgentiq; gladio opitulati ſunt, honoriq; ac gloriæ ſæpe fuerunt.

SED CVM humanarum rerum pleraque auguſtiora faciat vetuſtas, antiquitasq; ipſa ſæpe commendet, ſitq; vt in homine, ſic & in rebus venerationi & honori ſemper ſenectutis habita: De Natalis ſoli vetuſtate litigantes cœptum eſt inter homines diſceptari, quæ habenda eſſet antiquior. Vt clarior illa, illuſtriorque haberetur, cui diuturnitas temporis, longæuitaſque ætatis ſuffragata magis omnino videretur. Hinc diſſenſiones illæ, contentioneſque manarunt, quæ ab hiſtoricis ſunt commendatæ memoriæ, & literarum proditæ monumentis: dum natio nationi antiquitatis huius gloriam præripere auſa eſt, ſibique aſſerere. Vt enim Trogus, Iuſtinuſque tradunt, atque

alij etiam multi prodiderunt, vetuſtatis lau-
de ſolis Phrygibus Ægyptij ceſſere:cùm reli-
quos omnes vetuſtatis laude ſimili longè à
ſe ſuperari & vinci, vſq; glorientur. Arcades
verò de origine ſuæ gentis,antiquitateq; tra-
ctantes, tam ſunt de ſe impudenter ſabulati,
æthereis vt rebus velint ſe eſſe priores.Non
dum enim lunę illud ſplendidum munus in
nocte mortalibus gratum,cognitum orbi eſ-
ſe contendunt,cum vel illuſtre haberi Arca-
dum nomen cœperit. Nam de Atheniẽſibus
diſputare quî conuenit, qui principium ſuæ
gentis memoria omni maius ſine fine aſſeue
rantes, quod Attici origo populi nullis neq;
faſtis, neq; Annalibus priſcis erui facile po-
tuerit, aut indagari legendo: à ſe ipſis natos
eſſe ſeſe, & ex Attica terra genitos ſemper
ſunt opinati. Vnde ad ornatum capitis reti-
culo quodam vſos perhibent, elaboratis ex
auro cicadis tractim interlito, variegato, atq;
diſtincto: vt naturalium rerũ peritis hæc res
facere poſſet indicium, non aliter atq; ex ter
ra cicadæ ipſæ naſcantur: ſic ſe ab ipſo natali
ſolo procreatos, ortoſq; à principio eſſe. Idq;
eo potiſsimum nomine ſaciebant, vt cũ cęte
ris gentibus vetuſtate anteſtetiſſent, princi-
patu digni & imperio crederentur. Neq; ve-
rò celebritatis & honoris ergò:adciſcendæ ſi
bi antiquitatis apud varias tantũ gentes exti-
tit quondã ſtudiũ, ſed & familias etiam ſimi
lis eſt ſeruor amplexus, quæ de accepta à ma
ioribus claritate plurimũ ſunt altercatæ. Fuit
enim olim certis quibuſdã regionibus ſacti-
tatum, vt ex his dũtaxat familijs Reges crea-
rẽt, vel ad gubernacula reipublicæ principes
viros deligerent, quę priſcis ab annis hominũ
eſſent plurimorũ laudibus honeſtatæ, atq; il-
luſtratę virtutibus. Hinc etiã ſactũ eſt, vt me
moria noſtra inter optimates orta ſint ſæpe
diſsidia:dũ ſuam quiſq; ſamiliã antiquã ma-
gis eſſe contendit, nouitatẽ interim illorũ de
ridentes: quorũ aut non bene eſt antiquitas
gentis fundata, aut obſcuris extat inſamata,
ſeu dehoneſtata parentibus. Proindeq;, eum
è veſtigio nobiliũ albo eximũt, cuius natalũ
ſtirps, aliqua rerũ eiuſmodi labe infecta eſt,
aut offuſcata caligine, vel nota obſcurata.
Quę res effecit, vt nouitatis iure multi carpe
rentur, paſsimq; eſſent ludibrio:ijs nimirum
qui modo quodã ſuperbiunt quòd plurimo
rũ annorũ tractu egregiè à parentibus conſti
tutam familiã ſortiti ſunt:qui cęteros deſpe-
ctui habentes, appellãt nouos. Noui autẽ ho-
mines, teſte Plutarcho, ij demũ eſſe dicũtur,
qui nulla maiorũ cõmẽdatione fulti propria
ipſi virtute nituntur. Ex quo fit, vt eiuſmodi
nouitas nobilitati ſępe inuiſa ſit. Ijs enim qui
illuſtris cognatione generis, ſplendore nata-
liũ, & nominis celebritate ducuntur, acerbũ
eſſe ſolet, conferri ſępe cũ illis, quos fors naſ-
cendi fecit obſcuriores. Qua in re, iudicio
meo, vel maximè falluntur. Non enim que-
rela aliqua iniuſti doloris, ſed vitæ potius ali
qua inſigni ratione, imitationeq; ipſa recti
ſuperiores eis eſſe, debent eniti, quorum vir-
tuti animi, fœlicitatique inuident.

SED CVM dignitatẽ generis, ſplendorẽque
familiæ, antiquitate perfici abſoluique dixe-
rimus:videndũ eſt, huic ipſi vetuſtati quate-
nus dandũ ſit. Nã ſi ita natura cõparatũ eſt,
vt quęcũque ſunt orta ſub cœlo fragilia ſint,
caduca atq; mortalia: hicq; eſt mos ſemper
labentis temporis, vt cõplexu annorũ innu-
merabili omnia proſternat & carpat: hic idẽ
nobilitatis ſplendor, diuturnitate ipſa victus
intereat neceſſe eſt:quãdo mortalibus omni-
no cõſtat ex rebus. Quod ſi ita eſt, antiquita
ti proculdubio modus eſt præſcribendus:
Quippe, ſi nulli erunt termini conſtituti, ex
trema illa rerũ ſenectus & vetuſtũ tẽpus ęta
tis, quod ſpatijs ſuis cõſumit & cõficit cũcta
nobilitatẽ ipſam facile ſubuertet:delẽs pror-
ſus, obliuioneq; ſempiterna obruens. Sic igi
tur habendũ eſt, queadmodũ in ætate homi
nũ quidã eſt ſtatus floridus tẽporũ laudabile
explẽs tẽpus ætatis:atq; alius rurſum corpo-
ris ita munia labefactãs & vires eneruãs, ani-
mi ſenſim vigorẽ adobruẽs, quoad ſui homi
nẽ efficiat parũ memorẽ, atq; ipſi grauẽ cor-
pori: ita & nobilitatis quidã eſt partus tẽpo-
re honos, quẽ matura quidẽ ætas abſoluit ac
perficit:proterit verò atq; peſſundat (quæ cũ
cta deuaſtat) tẽporis extrema longinquitas.
Quod optimè medius fidius Glaucus ſentit
Homericus, dum ſic Diomedẽ alloquitur.

Quid genus inquiris Danaũm fortiſsime noſtrum?
Nam genus humanũ eſt folijs par, tẽpore verno.
Hæc nunc fundit humi aure lenis ſibilus: illa.
Sylua virens nutrit, renouat dum gentis honorẽ.
Sic genus humanum viget hoc nunc, excidit illud

Ita nimirum naturæ lege fit, vt fami-
liæ quædam, quæ enitere diu, ac florere
viſæ ſunt, vetuſtate collapſæ funditus inte-
reant: atq̃ue aliæ denuò ingloria & ignota
ab ſtirpe naſcantur: ſitque rerum omnium
noua facies: atque adeo (vt ait Comicus) vi-
ciſsitudo.

Mutat enim Mundi naturam totius Ætas, Lucre.
Ex alioq; alius ſtatus excipere omnia debet:
Nec manet vlla ſui ſimilis res: omnia migrant.
Omnia commutat Natura, & vertere cogit.
Namq; aliud putreſcit, & Æuo debile languet:

Porrò

Porro aliud concreſcit, & è contemptibus exit.

Quæ cum ita ſe habeant, neque naturali tantum diſsipentur lege (quę ætatis quodam tanquam extremo curſu abolet, & conficit omnia) ſed eorum etiam culpa ſæpe amittantur, qui ipſius poſsident bona nobilitatis, dú virtutis ſuorum obliti, præpoſtero quodam animi, degeneriq; affectu, vel flagitio ſatagút turpi, vel ignauia deſidi torpent: conſentaneú eſſe viſum eſt, tractare hoc loco quibus hæc generis dignitas paretur virtutibus: & quibus contra vitijs amittatur. Vt enim maximæ virtutes eam generis dignitatem comparát, quam nobilitatem appellamus: ſic virtutibus his vitia contraria ſplendoré familiæ, & illuſtre decus generis maiorum virtute partum, & in hæreditate veluti ab illis noſtra relictum, breui diſsipant, delent, ac populátur. Itaq; videas ob diſſolutionem morú, & animi fœdam ignauiam eos ſæpe conténi, quorum haud ita pridem celebre eſt, glorioſumque genus habitum: turſumq; illos attolli, qui præclara vitæ geſta ſecuti: non tam nobilitato maiorum ſanguine, quam vera animi virtute nituntur. Quod ſanè naturalem habet omnino rationem: eſt enim æquum virtute partam nobilitatem: turpitudine amitti atque ſcelere aboleri. Et quando aliud nihil nobilitas eſt, quam maximis quibuſdam virtutibus genus excultum: conſentaneum illud eſt etiam, obſcurum id & ignobile effici vbi primùm erit eiuſcemodi ſcelerum fluctibus obrutum. Quemadmodum igitur nobilitatis veræ vnica eſt virtus effectrix, & propugnatrix: ſic è contrario expultrix ac diſsipatrix merito eſt omnis turpitudo céſenda: multoq; illa maximè, quæ eis aduerſatur virtutibus, vnde nobilitas ipſa maximè peti ſolit. Petitur autem à maximis omnino virtutibus. Sunt porrò virtutes illæ maximæ (vt Ariſtotele fungar interprete) quæ ciuili ſeſe ſtatui conſeruando) hominúque ſaluti tuédæ plurimum dediderunt; quibus in ipſis qui excellere viſi ſunt, confeſsione omnium nobiles appellantur. Licet enim ſpecies virtutis omnis naturali quadá dignitate tanti ſit, alúnum vt ipſa ſuum, poſſeſſoréque nobilitet: ac ſuo quodam iure verendum faciat, & cunctis amabilem: multo tamen illæ clarius poſſeſſoris mentem condecorant, virúque illuſtrant, quarum in cómuni hominú tuenda, conſeruádaq; vita, vſus latiſsimè patet. Quo ex numero rei militaris ſcientia, & adminiſtrandæ ſtudiú iuſtitiæ, facile primas tenent: Harú enim pręſidio hominú vita fulta, maximè eſt ab iniuria defenſa, & humani colendi fœderis peritia inſtructa: ac modo quodam fœlix, beataque effecta. Cú enim quodá tempore (vt memoriæ proditum eſt) diuini humaniq; iuris ignari homines vitá degerent, ſpelúcas horridas, caua ſaxa, vel ruptas ilices incolentes, ferarú inſtar viribus corporis plęraque adminiſtrantes: repente quaſi cœlitus delapſi, viri quidá extiterunt, qui docta & ſapienti oratione ab immani & aſpera vita homines reuocarunt, cognitioneq; inſtruxerút iuſtitiæ, rudes ſenſim ad honeſtaté animos allicientes: quoad paulatim effectú eſt, vt priſtina abdicata, virtutú homines ſpecie capti ſint, & ad frugé meliorem allecti. Qui igitur túc fuere indole ingenij atq; elatione animi tanta, vt ab illa ferina conſuetudine viuendi (quę iam propter vetuſtaté naturæ erat vim nacta) ad vitæ cultú humanę, & ciuilis ſocietatis ius homines traducerent, vim omné & iniuriam propulſantes: ij iuſtitiæ atq; fortitudinis opinione, magná ſunt laudé adepti, nobiliſsimiq; habiti. Vnde ab illa tanta virtutú admiratione nobilitatis nomen & naſci, & illuſtre fieri cœptú eſt, nullú antea cum eſſet. Quod tá vel breui, latè vndiq; vagatú eſt, vt opinione plurimorú, Deorú illi filij crediti ſint, à quibus táta fuerint vitæ præſidia & cómoda conſecuti. Hinc igitur iuſtitiæ & fortitudinis artibus multi ſunt nobiliſsimi effecti quorú ante vile in primis, obſcurú & ignobile genus habitú eſt: vt Pittacus ille, qui iura quondá ſanxit Mitylenis, & ſtatú vrbis erexit, ac Numa etiá Pópilius, qui hác ipſam ob virtuté digniſsimus eſt à Romanis exiſtimatus, qui ſecúdus à Romulo rerú potiretur. Taceo illos, qui reb' patriæ ſummú in diſcrimé adductis, ſtrenua virtute animi diuinam ceu opé ferétes, nobilitatis ſunt inſignibus honeſtati: quorú & ipſorú haud minima frequentia ſatis arguit, bellicæ virtuti ſemper ineſſe nobilitandi maximam vim. Sed nihil attinet ipſas iterare virtutes, cum iam ſuis locis de eis à nobis abundè dictum ſit.

EXISTVNT & alię ſæpe virtutes, quę obſcuros alioqui homines honeſtát, claros etiá illuſtreſq; efficiút, vt virtus beneficentiæ. Multi enim dádo atq; largiendo illuſtré ſunt nominis famá adepti. Siquidé qui ſplédido patrimonio muniti; tenuitati ſunt aliorum opitulati, paupertatiſque miſerti: magnifica illa animi generoſitate, multorum cauponantur ſtudia, beneuolentiam atque fauorem, tanquam dato auro, facile nundinantes. Quibus nimirum rebus atque artibus affatim inſtructi, ad ciuiles plurimi honores peruenerút. Sic barbarus & exoticus Pelops

in ea Græciæ quondam regnauit ora, quæ à ſe eſt dicta Peloponeſſus. Sic Priſcus ille Tarquinius extorris & obſcurus Romani olim habenas tractauit imperij: atq; alij locis alijs ſæpe extiterunt, qui hanc ipſam obrem principem ſunt locum aucupati, & honores illuſtres adepti. Quod ſanè haud debet admodum mirum videri: etenim ſi ingenij noſtri explicanda notio eſt, nulla ad celebritatis & gloriæ ornamenta conſequenda, via reperietur breuior, ac veluti compendioſior, quam hæc vna virtus alijs benignè faciēdi. Etenim natura iubet, vt ei faueamus impenſè, à quo multis ſumus officijs, muneribuſque affecti, Porrò quibus maximè ſtudemus, eoſdē non hercle renitente natura, dignitate & laude florere cupimus: omniq; & honore & imperio dignos, facile arbitramur: quibus autem his omnibus frui abundè contingat, eos haud puto quiſquam ignobiles dixerit. Qua ex re illud efficitur, vt qui beneficentiæ laude præ cæteris enitere ac florere viſi ſunt, omnium maximè & clari & nobiles haud iniuria putētur. Multum etiam momenti ad obſcuritatē generis eluendam, & noua genus ſtabiliendum fama, ac virtute illuſtrandum, vis habet facundiæ, & iuris ſcientia ciuilis ijs etenim virtutibus ab obſcuro loco profecti, clari ſubito illuſtreſque effecti, multi olim nobilitati ſunt. Cuius rei locupletiſsimi nobis teſtes erunt Cicero atq; Demoſthenes, qui eloquētiæ magnitudine non ſolum obſcuritatis notam generi inuſtam facile deterſerunt: ſed multum etiam lucis atq; ornamenti eidem attulerunt. Vnde tam ſunt illuſtri vſq; gloria potiti, vt Attica hic in republica, ille Romana, calculis omnium haberi ſint principes meriti (& quod maximè tempeſtate illa glorioſum fuit) regnare in iudicijs dicti. Vt interim de Q. Pompeio proferam nihil, qui per ſe cognitus homo ſine vlla commendatione maiorum hac ipſa laude ſummos eſt populi honores adeptus: Iam vero iuris prudentiæ dignitas tanta eſt, ad comparandam nominis famam, & gentis claram originem vt diſciplinæ huius præclaro munere nemo queat dignè fungi, quin gloria & honore maximo circunfluat. Sic Sceuola quondam nobilitatus eſt, ſic illuſtris haberi Sulpitius ſeruius eſt cœptus, non illi quidem ignobiles, ſed qui acceptæ à maioribus nobilitatis terminos hac ipſa ciuilis ſapientiæ laude longè ſplēdidius adauxerint, latiuſq; promouerint. Sed mirari haud decet, non obſcuros genere viros iuris pulcherrima ſcientia fuiſſe clariores effectos, cum hæc æqui atq; iniqui ars, quæ ſit cunq; ſtudioſum ſui nacta, nobilem ſemper effecerit. Nam cū rempublicā gerentibus viris ex iure ipſo ſæpe petendæ ſint formulæ: iurecōſulti ædes principibus plurimū hominibus refertæ ſunt, qui quaſi ex cōmuni aliquo ciuitatis oraculo reſponſa ſciſcitantur, & quid in republica ipſa facto maximè opus ſit: qua vna laude quid eſſe poteſt illuſtrius? Magnum eſt enim, valdeq; honorificū, te vnū eſſe, cuius magnis de rebus expoſcenda ſit fides, & iudiciū quæritandū. Quod profecto, iudicio meo, eiuſmodi eſt, vt in eo munere incorruptè & ſanctè bonus vir ſemper ſibi intelligat eſſe verſandū. Sancta enim res ciuilis ſapientia eſt: & quæ neque inflecti gratia, neq; perfringi potentia, neq; pecunia vlla adulterari poſsit: ſi modò qua deſtinatione animi ſuſcipi debet, & propoſito mentis immobili, vt ſuū cuiq; ius reddam⁹, cōſultorib⁹ noſtris ſyncerè vſq; & domi & foris operā noſtrā impertiamus, & quæ de iure dubij, à nobis auidè reſponſa expetunt ſine fraude aliqua humanarum rerum & inſpectorem & iudicem præ oculis habentes Deum, diligenter exhibeamus.

SED BREVITER in præſentia demoſtraſſe ſuffecerit, quæ maximè virtutes nobilitatē homini pariant, & illuſtris tanquā generis inſignia atq; ornamenta ſuppeditent. Nūc autem declarare non erit iniquū, quæ illa ſint vitia, quæ nataliū egregiā conditionē ſenſim labefactant, & obſcurāt, progeniemq; ipſam efficiunt vitioſiorē. Quo ſanè in loco haud eſt aliquid, cur multum & diu inſiſtere velimus. Perſpicuū eſt enim omne hominum genus in terris, & vitio animi diſsipari, & virtute conſtabiliri. Sed quemadmodū nō omnis virtutū ſpecies æquè noſtri generis cōmendat ſtirpē: ſed vna aliqua magis amplificat, clarius exornat, meliuſq; illuſtrat: alia non ita cō decorat. Sic turpitudinis nota non omnis, vitiorumq; labes, inclytū illud generis decus maiorū virtute partum prorſus abolet. Hæc enim premit leuiter: illa magis lædit & vaſtat, ad nihilūq; honorē & amplitudinē Nataliū redigēs, hæreditariū gentis decus extinguit ſenſim, proterit, atq; ſupplātat. Quo ex fonte teterrima illa, nobilitatis exitio adinuēta, vitia animi ſuborta ſunt: quæ repugnātiæ impudentia quadā eis maxime aduerſantur virtutibus, quibus illuſtrari maxime genus hominū diximus. Itaq; nulla perinde res nobilitati ſanguinis iura perfringit, & ſplēdidæ familiæ vires eneruat, atq; iniuſtitiæ lues, & ignaui animi (bonorū odijs ſemper expoſita criminoſa labes) iniuſtitia ſiquidē & ignauia

decoris

côris florem nullum patiuntur: ſacrique inſtar ignis ornamenta cuncta generis. decus, famam fidē, auidiſsimè abſumunt, ac ſęuiſſimè depopulantur. His ſiquidem criminoſæ vitę flagitijs nō ſolum illuſtres exhauſtas fuiſſe familias, ſed & maxima etiam imperia corruiſſe: poſteritati eſt multorū literis proditum. Cuius quidem rei, quò ſit minus ſingula perſequi neceſſe, iniquè regnantes, exacti Romæ Tarquinij, & Iunior Dionyſius Syraculis expulſus, & ciuium vniuerſorum impetu eiectus Agrigento Phalaris, locupletiſsimi ſunt teſtes. Quorū alteri dignitate omni orbati, miſerè ſunt diſcerpti atq; laniati: vitā alij turpi exilio ęgrè traducētes, miniſterijs dignitatis regiæ parum dignis, fortunæ infœlicem ſortem vtcunque tolerarunt, diſcipulos mercede docentes: & rei familiaris inopiam magiſterio ſubleuantes.

NICETES

Præclare abs te veræ hactenus nobilitatis iacta eſſe fundamenta video mi Philemon, cum & eam naſci ex virtutibus affirmes, & diſsipari contrà vitijs aſſeueres. Id quod à doctiſsimis ipſe iam olim acceperam, quibus placuit veram nobilitatis rationem ab ipſo virtutis fonte omnino petendā eſſe. Cum enim perſpicerent, obſcuros ſæpe homines nobilitatis Inſignia, & illuſtris ornamēta generis animi fuiſſe virtute cōſecutos, famāq; claram adeptos: exiſtimarunt viri ſapientia præſtantes, rei huius ſpecioſiſsimæ laudem in vnica tantum virtutis celebritate prorſus repoſitam eſſe. Cuius qui maximè fuiſſet compos, is & clariſsimus & nobiliſsimus iure eſſet habendus, quod itidem viſum tibi eſſe mirandum certè non eſt. Eſſet enim abſurdum, vt cum ad ſapientum virorum normam præclarè te ſemper effinxeris, ac vitæ fila direxeris: ſi illorū ſententiam ſperneres, quorum maximè ęmularere veſtigia. Illud fortaſſe poterit mirum videri, quod cum in ea ſis ipſe ſententia, vt germanæ nobilitatis virtutem vnam effectricem eſſe teſtere: exiſtimes tamen in rei huius ſplendore comparando, & parentum & patriæ rationem ſummam habendam eſſe. Quaſi vero ſi propriū virtutis eſt nobilitare quemcunque ſit nacta: ad nobilitatem ipſam obtinendam, & generis & ſoli natalis neceſſaria admodum homini ſubſidia ſint: aut nemo genus illuſtrare poſsit, ni rerum eiuſmodi præſidio fultus ſit, & auxilio cumulatus? Cū præſertim temporum memoria omni egregij viri non defuerint, qui rei vtriuſque ſubſidio indigi, & adiumēto carentes, propria ſint animi induſtria honeſtati, & nobilitati virtute. De quorum profectò dignitate nulla vnquam plebs colore illo honeſta ſciſcere ſuffragia dubitauit: quod generis vel patriæ celebritate deſtituerentur: nulloque poſſent modo tali aliqua externarum rerum prærogatiua commendari, aut fœlicitate inſigniri. Nam quæ de claris obſcuriſque hominibus dixiſti (autorem Platonem cum laudes) reprehendere non hercle auſim: quę vtinam tam eſſent omni ex parte vera, quam abs te ſunt eleganter, polite ac facundè inducta. Quod ſi ita accideret, cum vno atque altero nobili commodius eſſet actum, quos bonitate iſta ſenſus non cernimus ita præſtare: eſſetque melius etiam familijs quibuſdam conſultū, quas à maioribus benè fundatas: poſterorum vel Ignauia, vel licentia, vel ſcelere corruiſſe, & ipſe ingenuè fateris: & nos aliquoties (multorum ex hiſtoria omni repetitis exemplis) & fleuimus & Intelleximus. Nouitatem generis taceo, quam ex parte (ais) interdum contemni ſolere, quæ vtinā tam ab omnibus laudaretur, quam inceſsitur temere, & immeritò probro ducitur.

PHIL. Non me eſt clam optime Nicete, quæ ipſe inſimulas, & ab alijs quidem obijci poſſe. Cū enim inter nos conueniat, virtute animi poſſe illuſtrari vnumquemque, nobilemque fieri: probabile forſan multis videri poterit, parentum ac patriæ mentionē fruſtra ſuſceptam eſſe: cum hoc honoris ſua cuique induſtria, & animi egregia virtus rectè largiri queant. Proindeq; nobilitatis candidatis minime eſſe foris, eiuſcemodi rerum adminicula quærenda. Nec ignoro etiā quę de claris obſcuriſque hominibus à nobis dicta ſunt, ex diuerſo quidem poſſe aliquando cenſeri. Cum patrium illud lumen animi nō ſemper cernatur in ſobole: neq; egregia illa virtutis indoles comitetur vſq; ſanguine claros viros: quorum & ipſorum vitio quandoque factum eſt, vt gentis ſuæ clariſsimum decus funditus interiuerit. Nam quod de Nouitate culpare videris, quia Iure ex parte contemni poſſe arbitremur, id quidem eiuſmodi eſt, vt ſi antiquitati ſit generis aliquid dandum, non ſine cauſa videri dictum poſsit: ſin minus, videri queat immeritò atque indignè culpata. Vt autem afficiatur probro, id verò tantum abeſt vt probem, vt vel omnium maxime vituperem. Neſas enim puto, inuidiæ cauſam, cuipiam eſſe virtutem. Adiuuandos nāque, non vellicandos eſſe arbitror eos: qui rectè factis clari eſſe nituntur. Quid enim gubernanti-

bus rempublicam viris ipſiſque adeo ciuitati tam eſſe glorioſum poteſt, & ad nominis famam illuſtre: quam, plures in ea numerari ciues poſſe, qui probitati ac laudi ſtudentes, ad verum animi decus aſpirent, ſpecioſa vbique facta ſequentes? itaq; orationi illi tuæ, quæ obiectionis ceu ſpiculo triplici dicta noſtra premere viſa eſt, iam nunc ordine reſpondebo. Sed meminiſſe ęquum eſt, quę à nobis hactenus de nobilitate ſunt dicta, clarorum hominum patrocinijs defenſa, nobilitatis pro vero decreto iam olim habita fuiſſe: quibus honeſtari, inſignirique oporteat, quicunque velit nobilis appellari: Nam & extrarijs illis parentum ac patrię ſubſidijs, cæteriſque adminiculis, quæ foris ſolent aſciſci, in nobilitatis contentione plurimum habetur honoris: & de obſcura, claraq; contrà gente, vitæ tradita indicia tantū in vtramque partem valent ad rectè ſecus ve de quoquam opinandum, vt præſtantium ſapientia virorum præiudicata penè calculis ſint, & recepta ſententijs.

CAETERVM, cum à Summo rerum omnium opifice Deo (vt iā ante prodidimus) arbitrij liberi creatus homo ſit: atq; ita ſuarum actionum dominus, varie (prout libet) afficiatur ingenio. Appareatque in ipſa rerum natura virtutum atque vitiorum diffuſa latè vndique ſemina eſſe. Adeo, vt in conficienda vitæ via (niſi communis intelligentię munere, & ſolertia animi rectè ſungatur) quaſi Is qui ſenticoſo aliquo in loco verſetur, neceſſe ſit hinc lędi, inde pungi: fit illud ſtatim, vt in quam quiſque partem habitum mentis flexerit, inde cenſendus ſit. Quæ cū obuia ſint, atque adeo in medio poſita obſcuris & claris pariliter: è veſtigio ille clarus efficitur, qui præſtantia mentis vſus, bona ſectatus eſt: & qui rationis habenas, ſuorū contemptor munerū, temerè in vitia laxauit ob ea, quæ corruptela animi peruerſe appetiuit, obſcurus & inglorius protinus conſtituitur. Idque haud iniuria. Nā ſi virtutes & vitia, quaſi certi quidam Canones nobilitatis ignobilitatiſque habentur (vt Stoici opinantur) ab eiſdem homines ſortiri erit nomina conſentaneum, prout ſe magis in partem alteram animi propenſione deflexerint. Erunt itaque ingenui, nobiles & clari vocandi, qui vera animi virtute ſunt præditi: obſcuri contrà, ignobiles atque inglorij, flagitioſi & ſcelerati putandi nullo parte hac natalium conſtituto diſcrimine, vel generis delectu habito. Quæ enim ſemel nobiles fecit virtus: nobilitandi homines nunquam ſuas vires amiſit: accingat ſe modò quiſque ſtrenuis factis, & honeſto non ignauo animo, labori ſuccumbat. Atque hoc quidem, indole clara animi ac virtute præditorum, tā in commune ſalutare, ſanctumq; decretū, PATROCINANTSS VIRTVTIS ARA VOCABITVR, Quòd ad conſequendum veræ nobilitatis Inſigne, ſua cuique merita patrocinentur: nulla foris celebratæ gentis adminicula quærentur. Qua quidē in re, ambitioſæ vanitatis ſuperbū propter genus prę ſidijs cunctis, adiumentiſq; exploſis, & prę rogatiua omni clari patris excluſa: ſedulitati ſuæ cuiuſque, vigilantiæ animi, & induſtriæ, ſplendore honorum multiplici merces optata rependitur. Cuius quidem decreti ęque cenſura poſtulat, vt neque virtutē ſectanti ſit fraudi abiecti generis vilitas: neque detrectanti verſa vice proſit gentis ſuæ dignitas, maiorum vè celebritas. Quę ſi fiāt, erunt quidem nobilitati ſanguinis, & ornamenta virtutum, prout debent, cunctis libera. Verùm ille iuſtæ laudis, & honoris debito potietur inſigni, qui omnium princeps virtutem occuparit. Atque ita qui dem potietur, vt poſt ſe euntibus neque eripiat, neq; inuideat induſtriæ propoſita premia. Quin vultu hilari potius, laudis atque virtutis imitatores, ſectatoreſque intuebitur. Itaq; tot erunt nobiles, quot virtutis amore inflammati: laudis, honeſtatiſque erunt egregia ſtudia ſecuti.

VERVM hac quidem de Nobilitate non ante plura dicemus, quam ea eximus ſpeculati, ob quæ noſtram ipſe dictionem velle viſus es carpere. Idque tripartito ordine, ac triplici argumētatione faciemus. Fuit enim expoſtulatio tua (niſi fallor) trifariam omnis diuiſa. Pratria (ais) & Natales attendendi non ſunt: cum ſola poſsit Nobilem animi virtus efficere. Eſt, fateor, argumentum vrgens, idque patens tam latè, vt exemplis firmatum ſuis non iniuria ſibi poſtulet dari, quod vnum probare nititur. Nam ſi temperantia, ſi Sapientia, ſi animi magnitudo, atque amor excellēs Iuſtitiæ, vel quænis alia virtus virum illuſtrat, & dignitate conſpicuum facit: quis tam demens vt exiſtimet, præclara iſta nobilitatis ornamenta, nō tam virtutis functione, & animi egregia indole, quam vi aliqua loci, vel patriæ bonitate ingenerari animis noſtris, & tanquam infundi ſolere? Cumpræſertim cernere ſit viros multos, incultam, agreſtem, & barbaram patriam ſortitos, his affatim præſtitiſſe virtutibus, atque in ipſo laudis campo & cucur-

riſſe

riſſe ſplendidè, & certaniſſe generoſe. Taceo parentes: quos proculdubio non tam claros habuiſſe, quam virtute animi claros feciſſe, laudari ſolet. Quaquidem in re obſcuros ſæpe homines egregiè ſuam ſcimus operã collocaſſe. Lege Græcorũ vitas principum, res ab illis laudabiliter geſtas expende, facta vel dicta conſidera: nulli poſthabendum teperies Macedonum Regem Philippũ. Quin tanta in eo dictorum grauitas eſt, tanta geſtarum rerum magnitudo atque celebritas: vt, ni filium haberet Alexandrum (quod fœlicitatem hominum aliter dimetientibus iudicari poteſt non exigua gloriæ portio, nec parua laudis acceſsio, principatus laudem optimi, arcemque Imperij inter plures vnus, facile (meo iudicio eſſet obtenturus. Nam & ſapientia eum multum cęteris ante celluiſſe principibus, tum vita omnis, tum acutè illius dicta (quæ apophtegmata vocantur) vel maximè declarant. Quibus ea ineſt argutia, ea ſapientiæ vis, id intellectus acumen, ea ingenij præſtantia, vt ſi Regia inſignia, & natales amplos remoueas, ac nomẽ tollas Philippi, legi poſsint pro Socraticis gloria. Age vero ſi ab actionum organis, dictis mentem libeat auertere, res ab illo virtute animi geſtas conſideremus, quæ tam illuſtres, magnificæque fuerunt, vt admirationem (nec iniuria) incutiant ſæpe legenti. Atqui, Philippus hic (ſic enim accepimus) nec liberales artes, aut Sapientiæ ſtudia Athenis didicit, nec rei bellicæ peritiam eſt conſecutus Spartæ, vbi eiuſmodi rerum quaſi quædam erant officinæ paratiſsimæ, ſed ad fluenta Borbori & natus, & educatus in Pella, ab ea gente oriundus fuit, quæ barbarorum omnium habetur peſsima: & quæ (vt Aphtonius inqnit) non certis ſedibus conſiſtere potuerit propter ignauiam, ſed coacta ſit locum è loco permutans erroribus varijs iactari. Ab Argiuis enim primum expulſi, proprijs ſunt ſedibus atque finibus exturbati: hinc multum diuque vagati ad eam tandem Macedoniæ ſunt oram appulſi, quam in præſentia incolunt, à Macedonibus igitur natus Philippus, qui barbarorũ eſſe dicuntur vltimi: ortuſq; inquam in Pella, quæ vrbs eſt poſtrema Macedoniæ, ex qua ne quum mancipium quidem homines acceperint, tanti putant, (vt vult ille, qui à me eſt modò citatus Græcus ſcriptor Aphtonins) generis anthores habuit patria ipſa nihilo clariores. Philippus enim quidam inter maiores ipſius fuiſſe dicitur, qui propter generis dedecus, quominus rerum potiretur, meritò ſit prohibitus. Accedit eodem pater ipſius Amyntas, qui ad regnãdum fuit alienis fulciendus opibus. Siquidem regnõ exactus, ad ipſas regni habenas Athenienſium eſt opera & virtute animi reſtitutus. Sed authores generis miſſos faciamus, ipſumque aliquando filium ſpectemus. Quid Alexandro maius ethnicorum tempora in terris videre vnquam? qui rerum à ſe geſtarũ amplitudine, Magnus eſt cognomento dictus: opinionemque attulit antiquitati non ſe mortali, ſed diuino potius ſemine fuiſſe ſuſceptum? At hic communem cum patre Philippo, nempe barbaram, moribuſque incultam patriam ſortitus eſt. Nihil tamen tanta hæc natalitij ſoli indignitas Alexandro ipſi ad virtutẽ animi, aut amplitudinem rerum offecit. Quid de præſtantiſsimo Duce Caio Mario, & celeberrimo ciue dicam. M. Portio Catone? quorum alter natus eſt Tuſculi: Alterum nobis ager Arpinas dedit. Qui ambo tanta animi virtute præſtiterũt, vt Romani nominis principes cõſenſione hominum iure crediti ſint. Verum enim verò martios relinquamus viros, & bellica laude florentes, qui licet ſuis ipſi temporibus parum ſapere viſi non ſint: Sapientiæ tamen eorum non tam eſt pacis artibus virtus nobilitata, quam bellicis in rebus perſpecta (loquor autem potiſsimum de Mario) nam Catonis in republica conſiliũ multo præſtantius eſt habitum, quam huius, vel illius manus ipſæ fuerunt. Hos igitur omittamus, illiſque vacemus pauliſper, quos philoſophiæ egregia ſtudia nobis præcipuè cõmendant: quibus & ipſis ad nominis claritatem, ignobilitatem patriæ nihil obfuiſſe videmus. Sapientia animi excellentem virũ Anacharſidem barbara dedit Scythia: Diogenem cognomento Canem Euxinus vidit Pontus naſcentem. Quibus terris nulla eſt profecto vilior, nulla abiectior atque contemptior, & quæ vllis poſsit agreſtibus magis viuere inſtitutis. Humanis enim corporibus veſci non dubitant: ſuiſq; ſæpe Diuis hoſpitibus cæſis ſuplicant, humana aras cęde funeſtantes, atque ſanguine conſpergentes. Tam præpoſtera gentis huius religio eſt, & à cæterorum hominum inſtitutis alieni & auerſi ſunt mores! Sed quid philoſophis illis, qui his in locis educati, altiq; ſunt eſſe humanius potuit, quid clarius, quid illuſtrius? quorũ alter lacte, caſeo, & Scythico cõtẽtus ſagulo Hãnonis potuit munera oblata cõtẽnere: baculo alter & pera lætus ac fœlix in dolio, Magnũ ad ſe veniẽtẽ Alexandrum,

drum, amplaque omnia vltro pollicentem riſit: ac (vt recte Seneca ait) vicit. Nihil enim ſe ab eo aliud conſequi velle dixit, quam vt ſibi ſolem (quem commodùm rigens captabat) obumbrare deſineret. Qui tã elato animo fuiſſe dicitur, vt certior factus à quodam ſibi abſenti ius eſſe patriæ denegatum (quæ olim erat inſignis iniuria) de ciuium ſuorum iniquitate nihil queſtus, & ego (inquit) illos hoc ſupplicio dãno, vt in Ponto, extremiſque Euxini littoribus perpetuò maneant, & includantur. Quid ego plures perſequar? quum vel ex vno Democrito liquere poſsit, quàm hoc ſit futile & vanum, quod ad dignitatem viri de patriæ ſplendore vulgò quæri ſolet: Cuius, vt Satyricus ait, ſapientia monſtrat.

Summos poſſe viros, & magna exempla daturos
Veruecum in patria, craſſoque ſub aere naſci.

Tanta enim, Abderæ vili natus in ſolo, magnitudine animi Democritus ipſe fuit: tam ſibi præ vna ſapientia humana cuncta ſordebant, vt oculorum acie naturalium rerum contemplationem impediri ratus, oculos ſibi effoderit: aut certè igne temperato ſpeculo ita ipſum conſuetudo munus hebetauerit, vt iam plenè amiſsis luminibus, oculorum aſpectu ad perſpiciendam a natura rebus inſitam vim acies animi tardari nequiuerit. Nam quid ego dicam de Socrate? qui hanc omnem hominum de patria vanitatẽ irridens, ad eũ qui rogauerat, cuiatẽ ſe diceret: non patriæ celebritate, ac illuſtris velut loci lenocinio ſibi blandiens, clarior voluit haberi Attenarũ ſe ciuẽ eſſe iactitãs, ſed mũdanũ ſeſe ciuem eſſe reſpõdit. Natalitio pro ſolo, terrarum ſibi totum vendicans orbem: quem tanquam omnium hominum communẽ patriam natura conſtituiſſet. Quid iſte ethnicorum Dijs fortior Hercules [illegible] num Argis vel Thebis patria ſuperbiũt? quæ vti Iuſtinus tradit, vtq; etiam Sophiſta ſcribit Aphtonius, nõ ſolum à Dijs eſt condita ſed & Deos etiam dedit ac procreauit? quid igitur ille inſit de patria?

Argiuus an Thebanus, haud vnum curo
Iactare. Græcia omnis eſt mi patria.

Et hic etiam exiſtimauit, nullum locum addere virtutem animo, vel adimere poſſe. Vt ſcilicet amentiam illorum compeſceret, quibus perſuaſiſſimum eſt, [illegible] niſi [illegible] ſolere ſoli natalitij virtutem. Vnde non ſine cauſa laudari Ariſtoteles ſolet, qui cum inicidiſſet in adoleſcentem [illegible] nomine mirificè [illegible] dantem, quod à magna & celebri eſſet ciuitate, dixit: [illegible]

hoc ad claritatem pertinere, ſed an patria eſſet celebri dignus. Præclare igitur in hanc ſententiam Euripides,

Omnis quidem aer aquilæ penetrabilis:
Omnis verò terra viro forti patria.

IAM VERO (ſi ſacra prophanis admiſcere fas eſt) quis ignorat Damaſceno in campo à Deo Mortalium primum, atq; omnium cõmunem parentem ex limo terræ Adamum fuiſſe formatum: adamianique tori conſortem Euam ex viri coſtis dulci ſomno ſopiti: in Paradyſo deliciarum ductam, plaſmatamque eſſe? Vt iam ſi pro patre, ex qua fuit effecta, ſumas materiam, poſsit generoſior videri, quod ipſa ex aliqua hominis parte conſtructa, ex luto ille effectus ſit. Et, ſi vtriuſque patriam expendas, multo ſit Eua habenda nobilior, quod ille corruptibili in agro: hæc ſempiterna in [illegible] vireti vitales primum Cœli auras carpſerit: fœlicemque [illegible] ſpiritus primũ hauſtum, & vitæ vſuram adepta. Sed neque hæc, quæ in fœmina clarior poteſt ortus cauſa videri, magis Euam fecit illuſtrem, & ad non peccandum cautam, neque inſigni aliqua generoſi pectoris laude ingenuum illius, atque animũ communiuit. Quin potius draconis teterrimi aſtu deluſa: virumque nihil dum tale cogitantem, diuinam fecit legem tranſgredi: dũ temere ac male decerptos, ſibique oblatos interdictæ arboris fructus, diuini præcepti, Fatique ſecuturi obliuioſus comedit. Eſt igitur perſpicuũ, ad conciliandam viris dignitatem, patriam nihil valere: alioqui quibus illaudabilis contigit, clari eſſe & honorati nõ poſſent vel obſcuri quibus illuſtris. GENERIS hunc authores ſunt ſpectandi: illudque videndum ſatis ne ſit ad nobilitatis gloria honoreque potiendum, Maiorũ poſſe claram oſtendere ſtirpem, & longa ductum ſerie, illuſtre ſanguine genus: an verò hæc contemnenda ſint, dum poſteris in ipſis animi virtus hebeſcit, induſtriaque omnis elanguet. Et certè vbi res tanta ſumma virtute perpenditur, omnia hæc repudianda ſunt, procul & amouenda, vt etiam pulchrè Satyricus dixit.

Quis fructus generis tabula iactare capaci
Fumoſos Equitum cum dictatore Magiſtros,
Si coram Lepidis male viuitur? effigies quò
Tot bellatorum, ſi luditur alea pernox
Ante Numantinos, ſi dormire incipit ortu
Luciferi, quo ſigna duces, & caſtra mouebant?

Bene igitur Demetrij filius Antigonus, ſtrenui cuiuſdam militis filium, ſtipendia patris impudenter efflagitantem non tulit,

ſed

ſed eiuſmodi oratione compeſcuit. Non ego, ô adoleſcens ob paternas virtutes, ſed propter vniuſcuiuſque merita, in acie verſantium ſtipendia, cæteraque militaria munera, atque ornamenta diſtribuo. His interim dictis ad gnauiter agendum, & ſtrenua patris ſequenda veſtigia, iuuenem excitans, ac veluti inſtimulans formidoloſum, ſi ſalaria patris filius vellet accipere. Nefas nimirũ exiſtimauit cordatiſsimus princeps, auitæ nobilitatis prætextu præſtantium virtute virorum ignauis premia diſtribui, & honorẽ impendi: Cum ad eiuſmodi rerum erogationem, non tam parentum merita ſpectari, quam ſua cuiuſque vigilantia animi, induſtria atque virtus debeat attendi. Improbum enim eſt, iniquum atque etiam inuerecundum, aliena velle laude frui, qui nihil ipſe boni, præclarique faciat. Nec ferendus eſt ſpecioſis parentum factis inſigniri ſi poſtulet filius, qui degener eſt. Nemo igitur lenocinio aliquo generis vel ſplendidis maiorum titulis intumeſcens, virtutis agrum, quem colere neſcit, vſurpet, ſiue arroget ſibi: alienæ ve hæreditaté laudis temere inuadat: neque committat vnquam, vt in ea bona, quæ propter inertiam deſidiamque fœdam animi planè interdicta ſunt ſibi, cæcitate aliqua turbidæ mentis, violentus impetũ feciſſe videatur. Quæ ſi eiuſmodi erunt, vt agnationis aut cognationis iure, aut alio hæreditario titulo vendicanda ſibi fortè videbuntur: intelligat tamen, laudis & gloriæ, virtutiſque hæreditatem non alijs poſſe rebus, iure, nexu vè mancipij obtineri, quam ijs virtutũ dotibus, quibus ſemel eſt à principio parta. Sibiq; illud omnino perſuadeat eiuſmodi hæreditatem: turpem, ignauumq; apud hæredem, diutius commorari nõ poſſe. Nam & animi virtus excellens, hæreditatis lege nulla, liberis, vel poſteris obuenit: & rerum geſtarum gloria, quæ (vt ait Cicero) optima à patribus filijs defertur hæreditas, improbam actutum ſubolem fugit, deſeritque: & honeſti loco nominis, ignominię aliquam notam inurens, degenerati ſanguinis infamiam, contumeliamq; relinquit. Quippe ſimulac rebus à patre magnificè geſtis dedecori eſſe filius incipit, parta protinus poſſeſsione laudis exuitur: inſuper & odijs omnium, probriſque inceſsitur. Siquidem nemo vnquam bonus degenerem prolem, paternæ honeſtatis, virtutiſque oblitam ſuſpexit, vel amauit: quin potius eiuſcemodi mente præditum virum ij etiam auerſantur interdum, qui ſuaſores criminum, perditę-

que illi authores vitæ fuerunt. Nobilitati itaque generis famã laudis amiſſam filius haud prius reſarciet, quam egregia aliqua mutatione vitę, maiorum ſanguini inuſtam maculã, & vitiorum ſordes eluerit. Quapropter, qui domeſticę laudis ac paterni ſplẽdoris obliti, vel gẽtilitio ſtemmate, vel inuidioſo aliquo familiæ veteris cognomine ſuperbiunt: aliena in virtute inſultantes alijs, ac ſibi magnificè placentes, perinde quaſi hoc vno nomine verę celebritatis ornamenta ſint conſecuti: contemnendi quidẽ ſunt, & vanidici inſtar nebulonis minime audiendi, magna licet crepare videantur.

Quis enim generoſum dixerit hunc, qui
Indignus genere, & præclaro nomine tantum
Inſignis?

Maximè cum virtus, verba non ſint, omneque potius virtutum ipſarũ decus in vna ſit ſemper præſtantia mentis, & actionis laude ponendum. Itaque nihil (iudicio meo) illorum eſſe poteſt vanitate intolerabilius, ſtultitia nihil amentius, qui clari nominis lenocinio ſtupefacti: plæraque in congreſſu oratione, importunè ſeſe inter ignotos, & rerum ignaros venditant, maiores ſuos impenſis vſque laudibus exaggerantes, ac futiliter efferentes. In quos profectò haud inſcite deflecti poteſt nobilis illa Lacænæ vox, quæ non fortem in filium, & ſapienter eſt, & tempeſtiuè prolata. Nam cum ille celebri virorum in cætu, matreq; ipſa aſtante, multis verbis virtutem animi exaggerans, narraret quàm animoſè germanus frater in acie occubuiſſet, generoſe pro patria dimicans. Et non te pudet ô ignaue (mater inquit) tã ſpecioſa in morte te illi non eſſe comitem factum? Sic ad hos haud illæpidè quiſpiam dixerit. Cur in tam illuſtri maiorum commemoratione, nullum à te ipſo de te factũ egregiũ canitur? Næ ille, & recte, propriè enim ſeſe laudis fatetur indigum, qui nihil in ſua vita reperiens clarum, in parentum laudes erumpit. Non ergo iniuria verſiculum illũ Græci cõmendãt: quẽ à Dyoniſiodoro Trezenio quandoque vſurpatum perhibent.

Quis patrem laudabit, niſi liberi infœlices?

Miſerrimi nimirum eſt animi atq; omni prorſus gloria nobilitatis indigni: cum in te ipſum deſcẽderis, inuenire nihil poſſe quod verè laudari queat: & ad torporem animi eleuandum, fugiendamque inertiam merita maiorum opponere & vani nominis vmbram. Alexander Macedo (vt iam ante prodidimus) rebus à Philippo patre mirabiliter geſtis non contentus: iniquè ferebat tot il-

lius

lius fœlices ſucceſſus. Et, quid mihi pater (inquit) rerum relinquet agendum: ſi tot in dies præclara facit? Ratus, id demum vere ſuum eſſe, in quo potiſsimum ſuam ipſe induſtriam atque operam elocaſſet: nó quod ocioſo ac nihil agenti, patris ſibi aliqua hæreditate eſſet oblatum. Multum in hoc à degeneris Nini natura abhorrens, qui, cum Aſſyriorum Regem Ninum patrem fuiſſet ſortitus, bellica virum laude clarũ: & qui mortalium primus, exitioſum vitæ morbum, animi pertæſus ignauiam, auſus eſt bella inferre finitimis, & in maius promouere accepti fines imperij, matremque etiam Semiramidé, viro ſuo militari laude haud quaquã inferioré: elaborato à patribus imperio contentus, belli ſtudia depoſuit: & perinde atq; ſexum cum matre permutaſſet, à viris (vt Iuſtinus ait) raro viſus, in fœminarum turba conſenuit. Hanc igitur tantam infamiæ notam veritus Alexander, pro cóperto habens, ignauum familiæ hæredem, tanquam ſingulare quoddam obiectum ad probrum, expoſitum eſſe à virtute çeſſantibus viris: non iã à paternę vitæ inſtitutione degenerare voluit, quod laudari ſolet in ſobole, ſed rara quadam elatione animi excellens, ornamenta generis à maioribus accepta: & à Philippo patre laudis ſibi traditam poſſeſsionem, tam inſigniter illuſtrauit atque omni cumulauit virtute: vt grandi cum fœnore reddidiſſe videretur, quicquid ſibi eſt à patribus erogatũ vel generis titulo impenſum. Tribus enim atque triginta ſupra menſem annis (breuiſſima proculdubio vitæ meta ſi ſpatium tempotis ęſtimes) quibus humanæ vitæ hauſtu Alexandro datum eſt frui, totum armis orbem deuicit: cũ anno duodeuicęſimo ſub patris Philippi ductu belli cœpiſſet auſpicia, & militaris artis tyrocinia fœliciſsima. Atq; hæc quidem virtute animi inclyta geſsiſſe ſcimus Alexandrum, dum non tam maiorũ commendatione, quam ſua quemque virtute laudandum eſſe, in animum induxit. Vnde non ſine cauſa egregius poeta Iuuenalis Rubellium Plancũ hoc nomine reprehendit, quod vana ambitione inſoleſcens (clara enim ſplendore natalium Neronum quondam ſemper familia eſt habita) ſe aſsiduè Neronis propinquum diceret: perinde quaſi hoc colore mereretur populi princeps creari, Imperatorque ſummus conſtitui. Sic ita que ſtultè ſuperbientem alloquitur.

Plance tumes alto Druſorum ſanguine tanquam
Feceris ipſe aliquid propter quod nobilis eſſes.

Indignum optimo poetæ videbatur, iura ſanguinis in homine conſiderari, ac non potius animi virtutem attendi: quæ, vt clari generis auſpicium fœlix habet, ita & veræ laudis certiſsimam ſegetem: germanæque in ſe illuſtrationis materiam incluſam continet. Quas obres bene idem hac eadem in ſatyra ſuadet pontico, vt non niſi propria ingenij induſtria atq; animi virtute munitus, maiorum nitatur ſanguine, ait enim.

. . . *Sed te cenſeri laude tuorum*
Pontice noluerim ſic, vt nihil ipſe futuræ
Laudis agas. Miſerum eſt, aliorum incumbere famæ

Prudenter docuit ſua cuique virtute ad celebritatem Natalium & nominis ſplendorem, ſemper eſſe nitendũ. obiter inſinuans amplitudinem generis, & maiorum claritatem non aliter iactare licere: quam cum optimi viri egregie ſis perſona vſus, & munere functus. His enim qui parentum veſtigia inclyta ſtrenue ſecuti ſunt (ſi excitandę virtutis ergò de ſua maiorumque virtute magnificentius aliquid prædicauerint) venia dari & poteſt & debet: non illis qui inſigni animi torpentes ignauia, maiores ſuos ſemper habent in labris. impudenter blaterantes quæ ab ipſorum atauis animoſè ſunt, ac fortiter geſta. Quippe ipſæ illæ, quæ claritate ſua meritis maiorum ornatæ latè vndiq; fulgent noſtræ gentis imagines: iniuria modo quodam affici videntur, cum à turpi & ignaua progenie claros apud viros temere axtolluntur, perque ambitionem inſolentar prædicantur. Nam ſi quis humanarum rerum defunctis ſenſus ineſt: aut habent (vt ille ait) Manes curas priores. Quis non videat, viris ſumma laude perfunctis probari non poſſe eiuſmodi laudationem? in mœrore remque potius, triſtitiamq; conuerti: cum ſuam ipſorũ ſobolem perſpiciant, nihil omnino auitæ virtutis habere præter inanem generis vmbram, & futile nomen? Nam qui vere generoſus dici vult, quos ſuæ ſtirpis laudat authores: eoſdem ipſe necubi turpitudine vitæ aliqua offendat, aut ſcelere polluat, etiam atque etiam accuratè debet inſpicere: omnique ope curare, vt auorum præclara nomina non tam corrupiſſe, quam egregia aliqua laude poſsit illuſtraſſe videri. Certus, quæ alijs admirationi ſunt, ſibi ad gloriam atque virtutem neceſſariò eſſe excitamento debere. Turpe quippe fuerit, valdeq; criminoſum, cũ familię noſtrę domeſticis exemplis multi excitentur ad laudẽ: nos quibus imitatio coniunctior, & hæreditas propinquior eſt glorię nullo poſſe pacto ad virtuté

exper-

expergeſieri: ſed à cognatę laudis deflectẽtes orbita: & paterna (dictu nefas) virtute degenerantes: præmonſtratæ, imò per manus traditæ nobis, iter nolle virtutis amplecti. Cum præſertim tantũ in omni vita momenti exempla ipſa ſemper obtineant, vt eiſdem quidam velut roborati, rectè inde ſecus ve viuẽdi & trahãt & ſectentur auſpicia. Quæ tunc proculdubio efficaciſsima ſunt, cum domeſticos intra parietes ab ipſis nobis maioribus ſuppeditãtur: adeo vt id cũctis à natura videri poſsit ingenitum, quod rudi adhuc illorum in cõſpectu à maioribus ſuis factitatum eſt. Quod in feris atque volucribus, & in omni animantium genere perſpici poteſt: ſed in vno potiſsimũ homine, cuius maior, meliorque ſolertia eſt: acutius ingenium, vigilantior induſtria, & animi cura ſagacior: etenim,

Si damnoſa ſenem iuuat alea, ludit & hæres
Bullatus, paruoq; eadem mouet arma fratillo.

Hinc optimo iure multi putarũt, haud perinde referre à quibus quiſque naſcatur, atq; apud quos altus educatuſq; ſit. Quod prę clarè intelligens inclytus ille Spartanorum legis lator Lycurgus, cum videret ſuorum ciuium animos hoc prætextu inſoleſcere, quòd aſsiduè iactarent gentis ſuæ authorẽ Herculem eſſe, qui virtute clara animi mortaliũ quondam extitit celebratiſsimus: arrogantiæ improbam contagionem ſuorũ animis pullulantem cupiens euellere, catulos duos ex generoſa cane ſuſceptos educaſſe fertur, educatione atque exercitatione longè inter ſe diſpari atque diſsimili. Alterum nanq; vnctioribus ſpinis, lautioribus eſcis, interque irritamenta gulę nutriuit paruulũ: indagatione alterum venationeq; exercuit. Hos vir ille cordatiſsimus (vbi ad eã peruenere ętatem in qua bonitatis illorum ſolet periculum fieri) conuocatis primũ ciuibus, in mediũ adduxit: ſimul & ex ſinu proiecit cœnæ opimas reliquias, pariter & quem habebat leporem dimiſit. Cumque ad aſſueta facile illorum quiſque ſubitò proſiliret, pernicitate hic mira inuadens leporem: rabida ille fame, & Tartarea quadam ingluuie obſonia deuorans, Videtis ne (Lycurgus ait) ô ciues, quum ab eiſdem ſint parentibus orti, quàm diſpar morum ſpecimẽ, hi nobis modo canes exhibuerint? Magnum nimirum naturæ documentum, quanti in omni vita ſit momẽti, rectis ſtudijs iam inde, vt aiunt, à teneris, conſueſcere. Scio tamen hanc Lycurgi de canibus hiſtoriã ab alijs aliter ſolere tradi: qui contendunt, non eiuſdem generis catulos fuiſſe alitos à Lycurgo, ſed vnum ex his qui venatibus inſueſcunt, alterum vero ex illorum genere qui ad ędium ſolent cuſtodiam adhiberi: quorum ille qui ſemine erat prognatus præſtantiori, turpiter fuit veſcendis commoratus obſonijs: viliori autem ſuſceptus genere, leporem eſt ſtudioſè atque auidè inſecutus. Qua ex re cum abunde perſuaſum putaret ciuibus, inſtitutionis & ad meliora, & ad deteriora maximam eſſe vim: Lycurgus ait, proinde ne nobis quidem ô ciues nobilitas, quam miratur hominum vulgus, ductumque ab Hercule genus profuerit, niſi ea geſſerimus, per quæ ille mortalium omnium clariſsimus ac generoſiſsimus extitit: ac per omnem vitã quæ honeſta ſunt, & diſcamus, & exerceamus. Qua ille oratione tam miti & placida Lacedęmonios ipſos ab inani iactationis ſtudio maximè coercuit: & ad ſubeundam in poſterum animo virtutem Herculeam, mirificè animauit. Doctis iam non tam genere quã virtute & recta animi inſtitutione ſemper eſſe nitendum. Fruſtraque ab eo clari generis & auitę nobilitatis mentionem fieri: qui nulla ipſe honeſtate morum, vel animi virtute ſit præditus. Quam quidem ad rem Senecæ illud prudentiſsimum carmen accõmodari nunc optimè poteſt.

Qui genus iactat ſuum. aliena laudat.

Vnde cum in inclyta illa armorum contẽtione, de qua bis ante iam diximus, haud ſine cauſa Aiax poſtulare videretur, vt ſi iã virtutis ſuæ rationem nullam ducerent: nobilitatis ſaltem aliquã haberent: Velletq; hoc prætextu, quaſi imaginibus pugnare cũ hoſte, vt, ſcilicet, cauſa caderet, qui genere foret inferior, Sic enim loquitur apud Ouidium.

Atq; ego ſi virtus in me dubitabilis eſſet,
Nobilitate potens eſſem Telamone creatus,
Mœnia qui forti Troiana ſub Hercule cepit,
Littoraq; intrauit Pegaſæa Colcha carina.
Æacus huic pater eſt, qui iura ſilentibus illic
Reddit, vbi Æoliden ſaxum graue Syſiphon vrget.
Æacon agnouit Summus, prolemq; fatetur
Iuppiter eſſe ſuam. Sic à Ioue tertius Aiax.

Hanc igitur competitoris iactantiam nõ ferens Vlyſſes, ad obtinendam cauſam, propriam cuiuſque virtutem debere dixit attendi; nõ maiorum merita, vel aliena facta ſpectari. Ex eo potiſsimũ loco, retorſione mira vlciſcens aduerſarium, quo ille competitorem, aduerſariumque ſuum ſummam in inuidiam deductum iri, facile exiſtimauit.

Sic

Sic enim Aiaci reſpondet, orationis filum ad cauſæ dirigens iudices.

Nam genus & proauos, & quæ non fecimus ipſi
Vix ea noſtra voco. Sed enim quis retulit Aiax
Eſſe Iouis pronepos, noſtri quoquè ſanguinis au-
thor
Iuppiter eſt: totidemq́; gradus diſtamus ab illo.
Nam mihi Laerthes pater eſt, Arceſius illi,
Iuppiter huic: neq; in his quiſquam damnatus &
exul.
Eſt quoq; per matrem Cyllenius addita nobis
Altera nobilitas. Deus eſt in vtroq; parente.
Sed neq; materno quod ſum generoſior ortu,
Nec mihi quod pater eſt fraterni ſanguinis inſons
Propoſita arma peto: meritis expendite cauſam.

Itaquè cum ſe nolle dicat generis mentionem facere, quod huius bona aliena ſint: ſic tamen ſtirpis ſuæ ordine ſeriem enarrat, vt cum ſe genere haud dubiè doceat excellere: non amplitudinis natalium, ſed meritorum cuiuſque rationem haberi velit præcipuam idq; quò facilius in cauſæ ſuæ fauorem iudices alliciat, magiſque ſibi efficiat propeſos: cum viderent iuſtitię illum ſuę, non meritis parentum ſed propria virtute, velle librari lances. Quapropter, non ſine cauſa Herodes ille Sophiſta laudari ſolet, qui cum fortè incidiſſet in accuſatorem, qui de cauſa quidem parum diceret, ſed tota fermè oratione de ſui generis claritate multa prædicaret, cupiens eo pacto beneuolentiam Iudicum, atque hominũ ſibi ſtudia conciliare. Hîc Herodes, tu mihi ô homo (ait) Nobilitatem in talis habere, & geſtare videris. Taxans obiter Iuuenem, qui cum in omni vita nihil haberet nobile præter ipſas maiorum imagines, vellet tamen hoc titulo aduerſarij cauſæ aliquid, atque adeo multum ab omnibus derogari, cuius eſſet multis animi perſpecta virtus, & innocentia vitæ ſumma cognita. Cum in illo contrà, nihil præter genus, atq; ipſa nobilitatis inſignia vere ſuſpici ac laudari omnino poſſet. Erat enim antiquitus Romæ nobilitatis inſigne ex ebore appendiculum calceis adhibitum Tali ſpeciẽ referens. Vnde haud de nihilo eſt, quod egregius ille philoſophus Chæroneus Plutarchus quærit in problematis, quid cauſæ fuerit, vt qui nobilitate præſtare viderentur Lunulas in calceis ferrent? An quia (inquit) antiquiſsimis præcipuum fuit, qui Arcades fuerunt, Proſeleni ab Euando dicti? An ſicut alia multa, ſic & hoc, elatos homines ac ſuperbos admonet rerum humanarum inſtabilitatis; cuius rei luna exemplo ſit, quæ ab obſcuro primum prodit, tum progrediens luce ac ſplendore os ſuum complet: & cum clariſsima facta ſit, rurſus defloreſcit, & ad nihilũ redit? Sapiẽter illi quidem feciſſe dicuntur, qui geſtamine hoc ſuis indito, faſtidium & arrogantiam nobilium hominum peculiaria vitia, abolere ſunt nixi: dum ex eis, quę diſcerniculi cauſa, atque honoris ergò nobiliũ puerorum calceis appenſa ſunt, teſtatum poſteris relinqui voluerunt, inſtabilem eſſe humanæ fortis aleam. Atque ideo tumiditate animi vana ſuperbientem: faſtidire, prę ſeq; alterum cõtemnere, licere nulli: eſſe enim, vt & alia plæraq; bona mortalium, ſic & nobilitatem ipſam, caducam, fragilem, mutationique obnoxiam. Quod intelligentem, reque ipſa (familia & ſpoliata bonis, & viris exhauſta) quotidie experientem: quis non videat modeſtè illum in omnibus ac ſobriè, agere vſq; debere? Cum præſertim cernat illa etiam, quæ nulli ſunt vaſtatrici corruptioni ſubiecta, incremẽtiæ iſtos acceſſus: exinanitioniſq; rurſum abceſſus, detrimẽta ac dãna ſentire? Nã quis nõ miretur ſecretioris ſuperioriſque naturæ abſtruſa illa atq; abdita: tamque ipſis à natura rebus arcanam inſitam eſſe vim, vt cum ea ſit rerum vis & natura cœleſtium, vt diſsipari nequeant, corrumpi vel interire: tanta tamen ſit lunę viciſſitudo, vt haud ſecus atque homo in horas ſubinde mutetur, mutationeque cum ipſa induat nouam faciem? & (vt inquit ille)

Vbi iam videri deſijt, qui fiat, vt
Primum noua ac vultu decora prodeat,
Senſim vſq; ad orbis aucta plenitudinem.
Rurſum vbi decorem extulit ad ſummũ, ſtatim
Seneſcat imminuta, donec nulla ſit.

Nihil ergo eſſe poteſt amentius quã natalium ſplẽdore fragili, & illuſtris dignitate generis, inani intumeſcentem faſtu, aliquẽ ſibi placere. Nam ſi ea rerum omnium viciſsitudo eſt, inconſtantia atque mutabilitas, vt illa etiã præſcripti muneris lege quadam, mutationis huic neceſsitati tanquam addicta, & aſtricta eſſe videantur, quæ interire non poſſunt quia ſunt naturæ cœleſtis (videmus ſiquidem ex his quædam mutabilitate ipſa ſenſim ita capi) vt penitus videantur extingui, quid iã homini ſperare fas eſt, animanti corruptioni obnoxio, & ex repugnanti atque obuerſaria natura ita cõpacto, vt mutari atque diſſolui, & ex altera ei aliquãdo parte, ſit interire neceſſum? An verò, diurnis, nocturniſq; viciſsitudinibus Sol & Luna cõficient ſuos orbes, & tanquam renaſcentur extincti: homo nunquam ętatis peraget legitimum curſum: cui ſit ſuo tempore (vt

pote

pote mortali, diſſolui atque extingui neceſſe? Rex Macedonum Antigonus cum à graui conualuiſſet morbo, amicis quibuſdam pallorem & maciem in Rege tanto demirantibus, vicemque miſerè condolentibus. Haud male (inquit) hoc ceſsit, ô amici: hic enim morbus nos admonuit, ne multum efferamur, cum mortales ſimus. Grauis author Pyndarus nobilium volens inſolētiam comprimere, dictitare ſolebat. Quid autem quis? quid autem non quis? Vmbræ ſomnium homo. Significans hoc dicto, mortem ipſam ſumma cum imis, magna cum paruis æquare ſolere, iuxta illud, Horatij.

Æqua tellus
Pauperi recluditur,
Regumq; pueris: nec ſatelles Orci
Callidum Promethea
Reuexit auro captus. Hic ſuperbum
Tantalum, atque Tantali
Genus coercet.

Atque alibi idem, quamuis non recta ſua dens, ad Publium Sextium conſularem virum ſcribens, ſentire tamen hoc idem eſt viſus, ait namque.

Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas,
Regumque turres. ô beate Sexti!

Docens interim, ſummo obſcuroque hominum generi neceſsitatem mortis, humanæ vitæ fragilitatem, imbecillitatem atque miſeriam prorſus eſſe communem. Vnde inſignis ille carminum artifex Pindarus (quem ob ingenij præſtantiam conſummatæ vir laudis Plato diuinum poetam appellat, cuius & nos paulò ante meminimus) Vehementer putabat ſtultum, ob natalium amplitudinem, vel humani alicuius boni potentiam (quæ dicto citius varijs ſubiecta caſibus, intercepta rapiuntur) ſibi placere quempiam. Cum nullus hic tam eſſe vicinus Cælitibus poſsit, tandem quin bulla ſit. Quæ omnia huc redeunt, vt intelligamus excellentia generis ſuperbiendum non eſſe. Cum Fati legibus haud ſecus atque ignobiles, præſtantiori qui ſunt genere orti, ſubditi, ſubiectique ſint: nullique ſit prærogatiua aliqua generis ab his eximi dictum. In hoc enim par, atque adeo vna hominum conditio eſt omnium (ſiue Reges ſiue pauperes erimus Coloni) nempe quod in lucem edimur, quod morte rapimur, & quod vitæ defunctis apud Dei Omnipotentis tribunal exactiſsimè, ſua cuique ratio vitæ reddenda eſt.

NVNC eò, vnde deflexit paululum, accommodanda noſtra oratio eſt, & cœptum declarari, videndum: ſi enim fieri poteſt, vt ex bonis oriantur improbi, & ex improbis boni naſcantur: quis tam demens vt exiſtimet, ad nobilitatem animi conſequendam, Summi potius generis, quam ſuæ cuiuſque virtutis rationem habendam eſſe? Cum ab hac vna virtute nobilitas vera ducatur? Atqui vſu hoc idivitum venire ſæpe, exemplis monſtrandum eſt. Nam ſi veteres ſcrutemur Annales, Africani Scipionis bellicæ in omni genere laudis, virtutem animi fuiſſe maximam, facilè reperiemus, vt pote qui duos Romani imperij terrores Carthaginem atque Numantiam funditus ſuſtulerit. At vero huius filium Scipionem ignauia tanta animi ſciamus fuiſſe, vt paternæ virtutis immemor vinciendas hoſti manus dare, turpe non duxerit. Atque hoc quidem rebus in bellicis: in vrbanis præterea politicisque rebus tam eum male accepimus fuiſſe verſatum, vt cum præturam obtineret, ſacroſanctum alioqui atque inclytum magiſtratum tot nequitiæ ſordibus infecerit, vt à cognatis ſit tribunal conſcendere vetitus, & quæ fœdiſsima lucri cupiditate captus iura vendebat, reddere prohibitus. Quid? quòd illi ab eiſdem anulus detractus eſt, in quo Africani erat imago patris inſculpta? Quod nihil fuit aliud, quàm maioribus illum ſuis eſſe indignum oſtendere. Quis Q. Fabij Maximi, cui cognomen Allobrogico, & ciuis & imperatoris clariſsimi moderationem vitæ, & virtutem animi ignorat? Certè viri huius ore omnium celebratiſſimi filium (qui eiuſdem fuiſſe nominis dicitur) tam perditè in omni turpi luxuria perhibent vitam egiſſe, vt ab vrbano prætore Q. Pompeio paternis bonis illi ſit interdictum. Nemoque adeò in vrbe Roma inuentus eſt, qui tam ignominioſo & infami decreto, aut interceſſum, aut obuiam itum voluerit. Publicè quippe dolebat (vt Valerius ait) pecuniam, quæ Fabiæ gentis ſplendori ſeruire debebat, flagitijs diſsipari. Quid ego plures commemorem? An eſt obſcurum, qualis Cæſar Germanicus fuerit, qui (vt iam de ſubditis ſuis nihil dicam) quos morte eius, præ mœrore penè conſtat

inſaniſſe, tam hoſtibus ipſis propter virtutem charus fertur deceſsiſſe, vt ab eiſdem ſit pijs lachrymis condecoratus, triſtitiæque omnibus celebratus inſignibus. At huius Caium Caligulam, turpitudinis ergò inſenſè oderant ciues, neque id ſanè iniuria. Quantum enim Germanicus pater omnibus ex Cæſarum familia, qui ſibi ætate præceſſerant, gratia præſtitit atque virtute, tantum eos filius Caligula immanitate, flagitijs, atque ſæuitia proculdubio ſuperauit. Quid ego hic imperatorem Commodum referam? qui cum patrem haberet M. Aurelium Antoninum, Romanorum principum (vt Annales perhibent) ſanctiſsimum, tam à patris virtute turpiter degenerare voluit, vt ſcelerum colluuionem, vitiorumque omnium ſentinam, in vnum ſe exprompſerit, fœdiſsimèque effuderit? vixit itaque rebus humanis parum commodus, qui nomine Commodus publicè vocabatur. Sed quem ad finem plures perſequar? Cum tam latè miſeria hæc, calamitaſque pateat vt ſi liberius nobis ſit hoc in campo currendum, nullum fere habitura eſſe modum oratio noſtra facile videatur. Quare receptui canendum eſt: illique ſunt è diuerſo nobis conſiderandi, qui ab improbis orti, boni ipſi fuerunt.

CONTEMPTOREM Supêrum, Phlegium audiuimus fuiſſe: & propter aſsiduè cæſos hoſpites ſupplicijs æternis damnatum Siſyphum: vixiſſeq; accepimus periurijs infamem Autolycum, in quem Homericum illud extat.

Autolycus ille, quo non præſtantior alter,
Et fraudare homines: & fallere Numina Diuûm.

At, horum omnium genus (ſi Plutarcho credimus) in magnorum Regum virtute & gloria conſtat floruiſſe. In ſceleſta & flagitioſa domo Athenarum princeps, Pericles eſt natus. Magni ſi quærimus initia Pompeij, Strabonis cuiuſdam fuiſſe filium reperiemus, quem vita functum ob indefeſſum odium Romanus populus pedibus conculcarit, inſepultumque proiecerit. Thebanum quid OEdipum Regem proferam? Qui interemptor patris, matriſque vir, ac tandem bis parricida: nefando ex coitu Antigonen ſuſcepit filiam, raræ pietatis exemplar. Cum enim pater OEdipus cognitis facinoribus (quæ inſcius perpetrauerat) de ſe ipſe ſupplicium, pœnaſque ſumpſiſſet erutis ſibi oculis: neque hoc contentus, conſciſcendæ ſibi mortis occaſionem quæritaret: illa patri luminibus orbato fidiſsima comes, ſemitam præmonſtrabat, nullis paternis minis ab officio vnquam diſcedens. Sic namque illa apud Senecam loquitur in Thebaide.

Vis nulla genitor à tuo noſtram manum,
Corpore reſoluet. Nemo me comitem tui
Eripiet vnquam. Labdaci claram domum,
Opulenta ferro regna germani petant.
Pars magna patris opt[i]mo è regno mea eſt,
Pater ipſe. Non hunc auferet frater mihi,
Thebana rapto Sceptra qui regno tenet.
Non hic cateruas alter Argolicas agens.
Non ſi reuulſo Iupiter mundo tonet,
Mediumq; noſtros fulmen in nexus cadat,
Manum hanc remittam. Probibeas genitor licet
Regam abnuentem, dirigam inuitum gradum.
In plana tendis? vado. prærupta expetis?
Non obſto, ſed procedo, quouis vtere
Duce è duobus. Omnis eligitur via.
Perire ſine me non potes, mecum potes.
Hic alta rupes arduo ſurgit iugo
Spectatq; longè ſpatia ſubiecti maris,
Vis hanc petamus? nudus hic pendet ſilex,
Hic ſciſſa tellus faucibus ruptis hiat,
Vis hanc petamus? Hic rapax torrens cadit,
Parteſq; lapſi montis exeſas rotat,
In hunc ruamus. Dum prior quò vis eo,
Non deprecor, non hortor. Extingui cupis,
Votumq; genitor maximum mors eſt tibi,
Si moreris antecedo, ſi viuis, ſequor.
Sed flecte mentem, pectus antiquum aduoca,
Victaſq; magno pectore ærumnas doma.
Reſiſte, tantis in malis vinci malum eſt.

Hactenus mori cupientem patrem, ab incepto retrahit Antigone filia. Sed quam indulgenter ac blande: quàm ſanctè & piè turbati pectoris miſeros æſtus lenit? victumque malis prohibet ſubcumbere, & terga Fortunæ dare? Proinde nos (ſi ſapimus) Homerum audiamus dicentem.

Egregia eſt ſoboles ſcelerato nata parente.

Nam ſi eiuſmodi fatu præclaram ſobolem ſuſcipere potuit OEdipus, cuius execrabili nefandaque in Venere flagitia vitæ non tollit, ſed emollit, minuitque ignorantia. Si ille etiam qui nihil per omnem vitam decôri ac pulchri nihil eſt vnquam honeſti machinatus, optimum genuit filium, cuius carmen Homericum meminit: quis Troiani belli ſcriptorem mendacij inſimulet: vel ignorantiæ condemnet? Quæ igitur ſtultitia eſt: eos, quorum obſcurum & ignobile genus eſt, infamiæ ignominiæque

que arceſſere: cum non ab obſcuris modò, verum etiam à ſcelerum labe famoſis, deploratis, perditiſque hominibus naſci optimi liberi poſsint: & à claris rurſum, flagitioſi atque improbi oriri? non ergo genus examinandum eſt: non excutiendi Natales ſunt, non cenſendi, æſtimandique maiores: ſed ſua cuiuſque virtus laudari ac ſuſpici debet. Ad nobilitatem itaque nitenti aditum eadem homini patefaciat, greſſumque muniat, oportet.

IAM VERO ſecundam illam obiectionis tuæ partem conſideremus: qua mihi videbare, noſtrum omne de obſcuris, clariſque hominibus iudicium tacitè reprehendere. Licet enim id ipſum tam artificioſè à te factum eſt, vt omnino negares noſtram te cenſuram velle carpere: vſque adeo tamen præ te hoc non obſcurè tuliſti, vt ſignificationem nobis clariſsimam præberes, quàm ipſe eſſes aliter animatus, qui mecum ex parte ſentire viderere. Quòd ſi amori blandiens (quo nimirum ſæpe ductus, errores noſtros extenuare ſoles vel permanſer obtegere) noluiſti apertè vitiodare; quod penitus exiſtimabas probro eſſe vertendum: quando ea res me minimè falſum habuit: haud patiar equidem amori noſtro quidpiam ita dari, vt perſonæ poſthac, quam veritatis ratio magis abs te habita fuiſſe cuiquam videatur. Et quoniam intellexiſſe mihi videor quo te mens ferret dicentem, atque animus loquentem duceret: in tuæ potius cauſæ nitar ipſe fauorem, quam vt me ab obiectione, vel calumnia quauis defendam. Nam & obiectio eſt non improba viſa: & in hac parte (quod feci modò) tibi etiam gratificari libet, à meque modo quodam in præſentia diſcedere. Quid ais Philemon? maximarum ne rerum geſtio, ſuſceptio vel appetitio clari eſt generis index? contrariarumque auiditas, atque omnis animi indecóra & turpis affectio, ignobilis familiæ ſymbolum, & obſcuræ nota gentis? At, quis non videat, quàm hoc ſit leue, vanum, futile, & falſum augurium? Multi enim illuſtri & ampla domo nati, & ſplendore fulti Natalium: animi cæco impetu rapti, peſsima nobis turpiſsimarum rerum exempla edidere: ex eodem etiam ſodalitio alij, auitæ dignitatis obliti, torpore quodam pectoris impuri madentes, ad res ſunt viles, & prorſus abiectas turpiſsimè prolapſi. Nec pauci rurſum ignobiles reperti ſunt, quibus ad ampliſsima quæque ſuſcipienda haud quaquã impedimento fuit maiorum obſcurum & ignobile genus. Sardanapalum regius ſanguis ad res laudabiles claraſque non exciuit. Egregij natales, patris, matriſque triumphi, Ninum ab ignauia expergefacere nequiuerunt. Domeſticus ſplendor generis ad Africani parentis virtutem Scipionem filium parum allexit. Paternæ diſciplinæ immemores Bruti filij, ſuperbum Tarquinium: quem vindex patriæ, ac publicæ ſalutis aſſertor, iniquè regnantem Roma pater expulerat, parentis atque omnium ſalute prodita, in vrbem reuocare impiè ſunt moliti. Senatorij viri Auli Fuluij, & ciuis optimi & patriæ ſuæ amantiſsimi, legitimus eſt filius Catilinæ caſtra, quæ in ipſius natalitij ſoli perniciem, & bonorum omnium exitium parabantur improbè ſecutus. Multique etiam fuere, patritio ſanguine orti, qui animi perturbatione ſimili, res & peſsimas & perditiſsimas amplexi, egregia noluerunt facta ſuſcipere: & maiorum ſtemma tueri. Nobilis Catilina fuit, Antronius etiam & Lentulus. Natales Cethegi & Caſsij antiquiſsimi ſunt, atque clariſsimi crediti. Hi tamen quinque perditiſsimorum hominum manu collecta vndique, & ſpe turpiſsimæ prædæ flagitioſiſsimè comparata, authores, duces, principeſque fuere coniurationis in patriam iniquiſsimæ atque teterrimæ. Non igitur clariſsimarum rerum geſtio, ſuſceptio, vel machinatio, Nobilitatis eſt, & clari generis index: cum homines nobilitate ſumma præditi ſpem ſæpe generis fallant, & maiorum honeſta veſtigia deſerant: rebuſque addicti fœdiſsimis, auitæ famæ ſplendorem adobruant, cladem ſuis, vaſtationemque molientes: & quàlibet cumque per turpiſsima ſcelera furioſiſsimè bacchantes. Porrò quid eſſe poteſt magis iniurium, quam obſcuris inglorijſque hominibus ad infœlicitatem naturæ (quæ conditione naſcendi illos fecit ignobiles) hunc veluti miſeriarum cumulum grauem appendere: vt ne poſſe quidem opinemur, claras illuſtreſque res ſibi faciendas proponere, ſed luctuoſiſsima tanquam infœlicis ortus lege impeditos, ſemper circa infima tantum, abiecta atque vilia deuolui? Quaſi verò animi elatione inclyta ignobili ad altiora homini progredi ſit nefas: aut vlli vnquam mortalium ſupra fortunam ſuam aſſurgere interdicto naturæ aliquo, vel imperio ſit prohibitum? Vt ſcilicet eis, qui ab obſcura primùm domo in hanc lucis vſuram, mundumque venerunt, fatalis tanquã materna dum exeunt ab aluo aliqua dicta ſit lex, quæ alumnos ſuos rebus addicens leui-

bus, maiorum pellicula vili circunтectos, tanquam ſordido aliquo palliolo incluſos, & occultatos vſque retineat. Nimium iſtud rigidum, & naturæ durum profectò eſſet imperium, ſi ab ipſis veluti parentum viſceribus ac domeſticis latebris, ad honeſtatis decus, ſplendoremque virtutis oculos nou liceret attollere: & vrinatoris inſtar ſumma aliquando in vuda poſſe conſpici, & aſpectu cœli frui libero obſcuro loco ortis minime concederetur. Nam his vſitatum, gētilitium que eſſe turpibus factis immergi, quis iam ferat? Cum ab hoc gentis (opinioue multorum) abiecto, atque infimo genere, laudatiſſimarum rerum iuclyta ſpecimina, & virtutum documeuta clariſsima, haud raro exhibita ſint. Quæ & ipſa variè diffuſa vudique, à celebribus collecta authoribus, literarum pulchrè tradita ſunt monimentis, & memoriæ hominum prodita. Æſtuantiſsimis odijs à conſcriptis patribus diſcordantem Romanam plebem, nobiliſsimis quibuſque formidine ſumma perculſis, Menenius Agrippa notæ cuiuſdam obſcurioris, plebeius nimirum homo repertus eſt, qui deformem ac luctuoſum reipublicæ ſtatum conſormaret, & capiti ſua membra reduceret (prudentiſsimi apologi tempeſtiua enarratione) miro diſsidia pacis fœdere componens. Plebeium Deciorum genus Romæ quoudam eſt habitum: ſed ex hac tam obſcura familia viri tres extiteruut magnitudine animi tanta, tantoque iu patriam amore, vt Romano populo vti ipſorum anuales perhibent, ſummè iraſceutibus Diuis) pro ciuium ſuorum ſalute ſeſe illis victimas exhibuerint, ſpoutaneæque morti deuouerint. Sic cum Latinis pater decertans Decius: cum Hetruſcis filius, etiā cum Pyrrho nepos, labantem patriæ ſalutem corporibus ſuis mirabiliter erexeruut: pro eius ipſius victoria è vita alacres atque hilares diſcedentes. Sic Carthaginenſes fratres Phileni uomine dicti, genere licet humiles, ampliaudæ patriæ finibus vitam poſthabuere i ſuorum agrorum quam propriæ ſalutis & vitæ, terminos ampliores feciſſe, gauiſi. Quid plures referam? Eteuim minora ſectari ſi decet, ex conditione ipſa ſeruili, iuclytum iam virtutis opus emerget? Sed licet, & fas eſt eorum etiam exempla ſubtexere, qui omnium obſcuri maximè, atque ignobiles eſſe vulgo creduntur. Panuopionis ſeruum priſcis Romauorum temporibus tam nobili ingenij indole accepimus fuiſſe, tamque iu dominum ipſum egregia animi fide: vt cum in Rheatina villa proſcripti domini caput ab armatis militibus ad occiſionem peti, indagarique conſpiceret, herili auulo, paludamentiſque aſſumptis, ſuiſque domino traditis, poſtico quodam ædium ſecretiori incolumem eum dimiſerit, ſeſe in eins cōclaue, cubiculumque recipiens i vbi lectulo affixus, ab hoſtibus in ingenuo habitu, veſtimentoque deceptis, eiuſmodique dolum haud quaquam ſuſpicantibus, ſe pro hero æquiſsimo eſt occidi animo paſſus. Huius iu dominum ſynceritati ac fidei, parem nunc adijciam; hocque ipſo magis laudabilem, quò minus debitam. Triumuirali imperio proſcriptum Autium Reſtium intempeſta, multaque nocte (lucro ijs rapinæ, prædationiq́; intentis) quorum domi fuerat fortunæ fœlicior ſtatus, ſugam coactum ſuſcipere: diſcedeutem, à tergo ſtigmaticus eſt tautum ſertus ſecutus, qui haud ita pridem, præter iufame ori literarum inuſtum elogium, vinculorum fuerat à Domiuo pœna coercitus. Tamque illius fidus comes adhæſit lateris nullis vt terroribus ab eius cuſtodia dimoueri vel abſtrahi potuerit. Neque hoc contentus, progreſſus longè parum debitæ pietatis officijs, cum ſalutem domini periclitari cerneret, diſcurſautibus hinc inde ſanguinario furore occiſionis miniſtris, tutiſsimis latebris occultato hero, arreptum è turba ſenem facileque occiſum, conſtructæ incenſæque Pyræ, difficili iu cauſa domini, officioſus ſeruus impoſuit. Quæritantibuſque deinde militibus vbi uam herus illius ageret: hîc, fidelis & prudens ſeruus oſtenſa pyra, à ſe crudelitatem domini, ſæuitiamque vlto: id rogo cremari reſpoudit. Cuius verbis habita fides quod à tam miſerabili conditione ſerui, de eiuſmodi hero, turbulentiſsimi occaſione temporis, potuiſſe commodè pœnas ſumi, viſum eſt conſentaueum: de vita dimicanti domino, fidei exemplo vix credibili, incolumitatem ſalutemque reſtituit. Iam verò oratoris Antouij ſeruum quid referam? qui cū videret dominum inceſtus reum agi, ſeque inſuper ab accuſatoribus ad quæſtiouem poſtulari, hero illum cum laterna ad flagitium præiſſe cauſantibus, ſolicitum hoc uomine herum eſſe non ſiuit: quin precibus ab eo multis efflagitauit, vt de cauſa uihil veritus, ſe quæſtioni omnino tradi permitteret. Ignitis igitur cæſus lamiuis, ſæuis diſcerptus verberibus, equuleoque ad extremum cruciatibus miris tortus: patientiæ Fidei tauta tormeutorum varia pertulit genera, nullum vt iuterim verbum ab eo cōtra domini ſalutē elici, aut extorqueri potuerit.

tuerit. Quis, vt iam de reliquis ſileam, quorum ſimili in genere oratione percurrimus facta, tantam fidei, pietatiſque conſtantiam in ſeruo perſpiciens: obſcurum & ignobile genus, tanquam parum magnis virtutibus aptum: deditumq; vitijs vel rebus abiectis, reprehendat & carpat? Cum præſertim hæc ipſa ſeruorum geſta non ingenui ſolum animi, ſed & virtutis etiam tantæ ſint: argui vt meritò fortuna poſsit, quod tam pios forteſque animos ſeruili & nomine infamarit, & corpore incluſerit. Quid? quod à principibus viris, & generis amplitudine ſumma præcellentibus factam coniurationem, impieque aduerſus patriam conſilia inita, & arma ſuſcepta: honeſtate morum, quam ſplendore natalium clari, magis noui conſulis vigilantia animi, & ſtrenui generoſitate pectoris prudentiſsimè detecta, penituſque deleta quondam, & extincta accepimus fuiſſe? Etenim cui eſt obſcurum L. Sergij Catilinæ furibundum conatum, ſummam patriæ, boniſq; omnibus perniciem machinantis: prudentia ac ſedulitate mirifica ipſius, Cicerone conſule, non retardatum ſolùm, ſed ſtrenuè perfractum, ac validè eſſe retuſum? Siquidē ea res in primis ſtudia hominum accendit ad conſulatum mandandum M. Tullio Ciceroni. Nam antea pleraque nobilitas (vt author eſt Saluſtius) inuidia æſtuabat: & quaſi pollui Conſulatum credebat: ſi eum (quamuis egregius) nouus homo adeptus foret. Sed vbi periculum aduenit, inuidia atque ſuperbia poſt fuere. Sic direptio bonorum, vxorum ac liberorum conſtupratio, profanatio ſacrorum, & quæ vniuerſæ vrbi luctuoſiſsima à nobilibus parabantur incendia Arpinatem per vnum ignobilem, inquilinum vrbis Romæ, aſcititiumque ciuem diuinitus repreſſa, extinctaque ſunt: & peſtilentiſsimæ cladis (præcipuis decuſſatis capitibus) quæ reſidua erant ſemina: exterminata ſapienter, proculque abiecta. Iam verò effræni animi cupiditate, libidinoſique licentia ſceleris iniuſtè regnantes, & ob hæc facta, vrbe regnoq; exactos: coniuge, familia, liberis, ac fortunis euerſos, quid nunc Tarquinios proferam? Quos contra libertatem patriæ, filiarum pudorem, & attentatam turpiter expugnatamque doloſè matronarum pudicitiam: eiectoris dignitatem parentis, Iuniæ honorem familiæ, degeneres Bruti filij Titus atque Tiberius improba cum gente amicitiæ percuſſo fœdere, & clandeſtinis colloquijs habitis, recipiendos vrbe curarūt. Feciſſentque adeò (multorum & amicæ & conſciæ ſcelerum opportunitate noctis abuſi) nī illorum perdita cōſilia ingenui quadam profeſsione animi, tantæ vrbis miſerandas ruinas: Setia ex ciuitate ortus, ſeruus quidam Vindecius opportunè labefactaſſet, peſsima de reducendo Tarquinio coniuratione patefacta. In cuius quidem Vindecij laudem præclara illa Iuuenalis carmina extant.

Occulta ad patres produxit crimina ſerui
Matronis lugendus. At illos verbera iuſtis
Afficiunt pœnis, & legum prima ſecuris.

Taceo quæ de Seruio Tullio legimus, quem circa res paruas aut humiles non fuiſſe verſatum: multoque minus ſtudijs prauis addictum, argumento eſt illud, quod ſeruæ matre genitum, ſuffragijs Romanorum Quirini in ſolio ferunt eſſe locatum. Nam qualis eius vita fuerit, declarare ſuperuacaneum eſt, cum ad tantæ faſtigium maieſtatis, infimæ claſsis homini virtus ſola animi videri poſsit fuiſſe ſuffragata. Quam quidem ad rem dicti huius noſtri augebit Iuuenalis fidem, qui hoc de rege loquēs, illud veriſsimè dixit.

Ancilla natus trabeam & diadema Quirini
Et faſces meruit, regum vltimus ille bonorum.

Vides quanti poeta Seruium fecerit, vt bonorum illum regum eſſe vltimum dixerit? Ne autem familiari aliquo mendacij vitio poetæ, parum vera de homine iudicia illum putes carmine protuliſſe: hiſtoricum de eo loquentem modò aſpice Liuium, Seruius Tullius regnauit annos quatuor & quadraginta ita, vt bono etiam, moderatoque ſuccedenti Regi difficilis æmulatio eſſet. Cæterum id quoque ad gloriam acceſsit, quòd cum illo ſimul iuſta, ac legitima regna occiderunt. Næ illè & verè. Inde enim L. Tarquinius regnare cæpit, cui ſuperbi cognomen facta indiderunt. Cuius ſi vitæ improba geſta, Liuium legens, oratione percurras, meritò illum cum Tarquinijs ſuis, & impudentiſsima vxore, direptioni plebis præbitis bonis, vrbe dices pulſum, & regno mulctatum. Non ergo ferri poteſt ignobilitatis prætextu obſcuros homines ita alligare corpore, vt abiectas & ſordides res dicamus meditari: perinde quaſi ad honeſtas & claras actiones, inutiles habeantur. Cum præſertim vel ex vno Seruio falſum id eſſe perſpicuò poſsit probari, quem non Feſtucæ aliqua conſperſio, non Vindictæ manumiſſio, aut ſplendidi alioqui Natales: ſed vnica (quæ & Regem, virtus animi ingenuum fecit) liberum atque nobilem. Multa de in-

duſtria prætermitto ſilentio, quæ honeſte in præſentia commemorari poſſent. Prætereo quanta cum fide Anaxilai ſeruus Mycithus procurationém regni, & tutelam herilis filij ſuſceperit, & adulto regna reddiderit. Nó cómemoro quá fideliter Punico bello illatam domino necem ſeruus vindicauerit, quamque patienter & piè, cum huius rei cauſa exquiſitiſsimis ſupplicijs ab hoſte necaretur, inter ſęua carnificis tormenta riſerit: ſerena interim animi lætitia crudelitatem vincens torquentium. Quæ omnia ſatis arguunt etiam infimo generi ſuam neque præſtantiam mentis neque animi deeſſe virtutem. Atque ideo, non tam Natalium, quam naturæ (id eſt ingenitæ cuiuſdam in homine bonitatis) rationem habendam eſſe. Sed adhibeat iam oratio modum: ſitque tandé eiuſmodi rerũ tépeſtiuè aliquis à nobis præſcriptus finis, atque terminus conſtitutus. Properemus igitur ad vltima potius.

Ex triplici igitur argumentorum ſede, ſerieque obiectionum, quas aduerſus nos viſus es velle tendere mi Nicete: extrema hæc (niſi fallor) fuit: qua nouitaté generis pacto nullo culpandam eſſe, vſq; aſſeuerabas: quod neque ipſa inficior. Neque enim ego eſſe culpandam dixi, ſed oſtendi culpari ſolere. Cui anteaquam à me tibi erit argumento ſatisfactum, duo illa exactius conſideranda ſunt, & ſubtiliori quadá lima polienda: quæ à nobis modò explanari, erudirique cæpta, nec tamen ad veram Amuſsim leuigata: eneruare ac ſubuertere eam, quam à principio conſtitui, nobilitatis fabricam videbantur. Cuiuſquidem à me inſtitutæ tunc rationis præcipuũ illud fuit, vt patriæ atque parentum rationem in explicanda & conſtituenda nobilitate ineundam eſſe ducerem atque cenſerem. Quæ mihi profectò magnis cum viris conueniunt, qui hac ipſa de re præcepta poſteris tradiderunt: quos eoſdem in hac video ſententia fuiſſe verſatos, vt ad aſsignãdam ſuam cuique nobilitatem: patriam parenteſque iuxtà ſpectandos eſſe decernerent atque ſtatuerent. Sed qui multorum inſtar hac nobis parte merito fuerit, vnum audiamus Euripidem: ſic enim ille ait,

Si vt prædicas te nobilem, ita ſe res habet:
Nomen parentum & patriæ narra: ex bonis
Quicquid creatum, pollui dictis nequit.

Verè ille profectò, nam & patria legibus fundata optimis, egregios procreat alumnos: & virtute animi inſtructi parentes, diſſolutioré vitam agere liberos ſuos nó ſinunt. De eiuſcemodi itaque Sobole quid nobis ſit expectandum, eundem audiamus Euripidem,

. . . Hunc ergo malum?
Iſto ne natum genere vitioſum putas?
Hoc mihi probabit nemo, nec perſuaſerit:
Hos magna generis claritudo, ſpem facit,
Illo ſuperba ſceptra fixuros ſolo.

Vides quàm ille conſtanter ac præfidenter, inſigni cum aliquo ſcelerum crimine nihil illos vnquam habituros eſſe commune, qui egregio ſunt ſemine ſati, atque genere ſuſcepti, fidem obſtringat ſuam in ſeque ipſe recipiat? Quaſi de eiuſcemodi viris ſiniſtri aliquid ſuſpicari, ſit nefas? Præclarè ille profecto atque veraciter. Neque enim vnquam aliter circa nobilitatis & ignobilitatis principio conſtituta iudicia, & à nobis impugnata nuperrimè, prȩſtantes ingenio viros aliquando fuiſſe animatos inuenies. Hoc eſt enim, quod patria virtus elucet in ſobole: & ſata reſpondent ſemini: quia ſemina ipſa (ſi modò rectè delecta, & à cæterorum prouidè fȩce ſeiũcta, ſeparataque ſunt) quemadmodum & naturæ principia non niſi rarò vitiari & corrumpi contingat. Quæ licet interdum ſecus accidant, non continuò, vel nobilitatis hoc iudicium vanum: vel dogma falſum exiſtimandum eſt. Quicquid enim huius accidit, tam id eſt infrequens & rarum, vt nulla certa tradi ſanctio poſsit, vel regula conſtitui. Cum hæc ipſa ad eas ſeſe res potiſsimum applicent, quæ frequentius vſurpatæ ſunt, & quotidianæ propemodum. Ita fit, vt nullum ius, nulla formula & lex contra queat rectè ſtabiliri. Nam ex malis (quod id aliquoties vſu veniat) bonos atq; optimos viros naſci præcepti loco ponere tam eſt repugnans, abſurdum, exorbitans, & à ratione diſſentiens, nihil vt dici poſsit ſtultius. Vnde nó ſine cauſa laudatur illud Euripidis.

Heus, heus, vt illud dictitant rectè, probum
Patre ab improbo non poſſe naſci filium!

E diuerſo autem, ex bonis non improbos oriri documenti loco tradere (etiam ſi in vita id ſecus quandoq; accidat) nihil habet aut omnino culpabile: aut magnopere reprehendendum. Eſt enim & veri ſimile, & rationi conſentaneum, vt ex bonis inculpatiſque parentibus, inculpatos liberos, & honeſtam vſquequaque ſobolem expectemus. Vt enim bonitatem ſeminis plantæ, ſic & parentum ſuorum mores, breui liberi referunt. Adeo vt ſi iam vxor ducenda

eſt,

eſt, non [illegible] pudicitiæ famam eius eſſe filiam [illegible], cuius ſit [illegible] ne mater habita caſta. Si conſeribendus exercitus dubitare [illegible], Cabriæ, Leobordæ, vel Epaminundæ filij militari ſine ſacramento deuinciendi, an potius vt imbelles ab experti militia, clendiſque nominibus procul ſegregandi. Publica ſi munera, magiſtratus gerendus, adminiſtranda prouincia, aut reſpublicæ ipſa obeunda eſt, Iuſti Ariſtidis, Ephe[illegible] Publicolæ Valerij; ſenioris ve Catonis, et [illegible] imprudentiſſimi [illegible] virorum, & reipublicæ [illegible] cognitione ſitione ab eius [illegible] retrahere & coercere moribus, non [illegible] enim non [illegible] modo, & [illegible] probro [illegible] turpe & flagitioſum, de illorum indole animi ad vitæ [illegible] ambigere, quorum ſimili in genere paterna eſt virtus ſummopere laudata, & nominis commendata celebritas. Etenim quorum patres aut maiores in aliqua gloria [illegible], eorum plerique in hoc genere laudis ſtudent excellere: vt Q. Mutius [illegible] in iure ciuili, Pauli filius Africanus in re militari. Quæ procul dubio omnia abſurda erit expectare ridiculum, qui impudicos, ignauos, auaros, ſordidoſque parentes in vita ſortiti fuerunt. Nam quòd ab obſcuris parentibus ortis, quidam aliquando clari [illegible] admiratione que dignas geſſerint, mirandum non eſt: quum nullius natura ad ea quæ optima ſunt conſectanda, aut [illegible] obſcurauerit, aut voluntatem animi miſerè conſtrinxerit: ſed ratione eadem diuino quodam lumine pectora omnium circumluſtrarit: inſuper & arbitrij facultate quadam libera omnes ex æquo [illegible] ac magiſtri [illegible] vt [illegible] (prout diximus) actionum domini, liberè quæ vellent conſectari poſſent. Quarum quidem rerum vigilantiores multi, & ſolertiores effecti præſtantia bonitate naturæ [illegible] clariſſimas, [illegible] ſuſcipiunt ac fœliciter obeunt. Sed tamen hæc ingenita vis, bonitaſque naturæ, multo ſeſe in eis magnificentius effert, & ſplendidius pandit, qui illuſtri ſunt maiorum genere ſati: ſeque domeſticis ſæpe exemplis incitati, & tanquam ad ipſa virtutis peragenda munia inſtrumentis plus facultatiſque habentes, infœliciori genere editis geſtarum rerum admiratione, atque omni virtute præcurrunt. Atque ſic ego intelligi debere opinor Platonicum illud de vitæ metallo triplici: quod à philoſopho ſub Socratis perſona inducitur, fabulam quam-

piam de [illegible] hominibus [illegible] differentis. Neque enim tam [illegible] Plato, vel ſtultus Socrates, vt probari poſſe crederet, metallica vitæ principia, eaque [illegible] tamque officij diſparis, [illegible] humani tempore hominibus fuiſſe à Deo diſtributa: ſed ex ea parte quàm in vitæ actionibus, & modo viuendi, eſſet quiſque ſecutus, æris inde, argenti, aut auri, quaſi principia, [illegible] ſortiti. Accedit huc, quo magis id intelligi ita debere arbitrer, quod rationis [illegible] (vnde ipſi mortalium facta ritè cenſeri ſolent) diuinum aurum Socrates appellat in Phædro. Ita perſpicuum eſt, pro rationis [illegible] cultura aureos quoſdam, alios argenteos alios æreos & [illegible] exiſtimari ſolere. Sed Socratem illum in Platonicis de republica libris, declarare [illegible] fabulæ partem, audiamus perſequentem. Audi (inquit ille) reliquam partem fabulæ. Omnes qui in eadem ciuitate ſitis, fratres eſtis. [illegible] Deus cum vos informaret, eos quidem, qui ad imperandum apti ſunt [illegible] miſcuit: ijs autem qui principibus, in communi ſalute defendenda operam nauant, argentum. Agricolis verò & reliquis opificibus, æs & ferrum [illegible] ab eodem principio ortum habuſtis, vobis ſimiles plerumque generetis. Euenit tamen, vt ex aureo parente, interdum argentea ſoboles naſcatur, ex argenteo aurea. Et ſimiliter omnia ab alijs viciſſim oriantur. Ex his agitur Socraticis verbis manifeſtum eſt, ex virtute præſtantibus viris, & digni [illegible] ſumma præ[illegible]tibus bonam plerumque naſci ſobolem magniſque & imperijs & gerendis rebus idoneam: raroque ab eiuſmodi viris prodeuntem oriri vitioſam. Sed tamen id quandoque ſecus accidere, prorſus non eſſe mirandum: raro enim id fit: quod ſi ſic accidit, maximè enim neminem natura ſic naſcendi lege damnauerit, vt ad virtutem illi aditum præcluſum eſſe, obſtructumque voluerit. Hinc fit, vt multi interdum, haud quaquam pro conditione natalium ad res aſſurgentes inclytas, præclara facinora obeant. Sed quem admodum fertiliſſimi agri natura, & pinguis gleba ſulcis [illegible] accepta ſemen fœnore largo rependit ſatoris domum inaurans: & infertilis contrà campus, ac ſterile ſolum, commiſſam ſibi creditamque ſementem vix, aut æquè reddit coloni ſæpe ſui induſtriam & vota deludens: ſic generoſum genus hominum, & virtutis fama inclytum ſobolem plurimùm emittit claram, & inſigni aliqua ingenij dote conſpicuam. Ignobile

verò, progeniem turpem procreat, honeſtiſque rebus omnino parum aptam. Verum enim verò, vt in eodem ſimili verſer, vt ager idem quamuis natura ſit infœcundus & ſterilitate quadam infamis: ſi prudentis non ceſſet agricolæ manus, naturæ triſtitia poſita lętus mox, fructuoſus ac ferax ipſius tandem diligentia ac labore improbo efficitur: rurſum ſi cultus parum eſt, neglectuique habitus, fertilis ille fundus generoſi ſoli pingui glęba ſuperbiens natiuam amittit fœcunditatem, ſenſim ſterileſcens ignaui poſſeſſoris incuria: ſic obſcure natis, abiectiſque hominibus, culturæ inſtar, educatio recta ſi accedat, & honeſta ac libera inſtitutio, in fœcunditate tanquam deſpecti generis poſita, proculque reiecta infœlicioris ſtirpis malignitate, ad virtutem, nobilitatemque aſpirare, & tanquam ab inglorij loci caligine emergere haud erit ſanè difficile. Quod ſi verum eſt, nec ad ſumma niti ſanguine illuſtri prognatis admodum erit in procliui ſi eiuſmodi rerum præſidio deſtituti, opeque orbati, turpioris ſe vitæ licentiæ, inertiæque tradiderint. Neque enim tam à ſtirpe generis ac ſeminis (vt præclarè contra Rullum docet Cicero) hominibus mores ingenerantur, quã ex his rebus, quæ ab ipſa natura loci, & a vitæ conſuetudine ſuppeditantur, quibus alimur & viuimus. Qua quidem in re, ne exemplorum conſectatione multiplici atque longinqua (quæ compendioſa explicatione verborum attingi cupio) lõga ac diffuſa faciam: ſatis nobis fidei, probationiſque fecerit, de catulorum educatione diſpari nobile illud exemplum Lycurgi; cuius paulo ante meminimus. Quo ex ipſo, quam hoc latè pateat, ſatis perſpectum eſt. Sed quod ad hoc attinet extremum, id ſemper boni generis dignitas obtinet: vt diſciplina confirmata domeſtica, non ſit credibile poſſe eam educatione recta, vel inſtitutione ingenua ac libera pacto vllo deſtitui. Ex quo efficitur, vt quaſi plus ad virtutem inſtrumenti ſortita, longèque plus adiumenti ad decus animi & laudem nobilitas poſsidens, clara magis quam ignobile vulgus facta ſuſcipiat, & obeat. Quod ſi verum eſt, non ab re videri poteſt à nobis dictum eſſe, res præclariſsimè geſtas, & in omni virtute præſtantiam, clari generis indicem eſſe: Volutationem contrà, circa res paruas & ſordidas, ignobilitatis eſſe argumentum, atque euidens ſignum. Eſt enim ſatis perſpectum, licet quandoque obſcuri homines ad egregia & ſumma nitantur, huic tamen ordini hoc eſſe (ob ea quæ illis imminent impedimenta) non minus auarè conceſſum: quã raro factitatum. Inſolitum enim mirumque propemodum proculdubio videatur, obſcurum ſi nobili compares: difficillimis in rebus, gloriæ & laudis aucupium (quod celebratæ proprium eſt gentis) huic ab illo peruigilio aliquo diligentiæ, ſuiſſe occupatum, vel labore præreptum. Sed vt illa ampliſsimi generis ſunt, atque hæc abiecti & inglorij propria: ſic præpoſterè mutari, peruertique ſolent diligentia animi, vel incuria; & ignaui inertiſque ocij amica fida, ſecordia. Strenuus itaque animi facta ſequens, illuſtris atque nobilis efficitur: humilia qui prauus aſpicit, ignobilium loco poſitus, inglorius arque illaudabilis redditur. Hinc generis nullo habiro delectu, nullo ſanguinis facto diſcrimine, nulla Natalium ratione ſubducta, humilium deſpicatarumque rerum amatores, obſcuros, & ignobiles appellamus: laudabilium contrà & honeſtarum amicos, ipſiuſque adeò virtutis cultores: illuſtres & claros non iniuria vocamus: & nobilitate animi vera conſpicuos. Nobilitatis iura aſſignantes cuique, prout virtutis amor, honeſtatiſque ſtudium aut ſuſceptum auidius, aut negligentius cultum, à quoquam illorum eſt. Quod in brutis etiam animantibus naturali quadam ratione fieri à nobis crebrò ſolere, apparet maximè. Quos non tam ob eam vnde ſuſcepti ſunt generis præſtantiam quam propter proprios ipſorum vſus ſuſpicimus, efferimus, atque laudamus: id quod carminibus doctis ſignificãter expreſsit poeta Iuuenalis cùm ſic genere tumentes alloquitur.

Dic mihi Teucrorum proles, animalia muta
Quis generoſa putet niſi fortia? Nempe volucrem
Sic laudamus equum, facili cui plurima palma
Feruet, & exultat rauco victoria Circo
Nobilis hic quocunque venit de gramine, cuius
Clara fuga ante alios, & primus in æquore puluis.
Sed venale pecus Corithe poſteritas, &
Hirpini, ſi rara iugo victoria ſedit,
Nil ibi maiorum reſpectus: gratia nulla
Vmbrarum dominos pretijs mutare iubentur
Exiguis, tritoq; trahunt epiredia collo
Segnipedes, dignique molam verſare Nepotis.

Vides vt ignaua mens vbique deſpectui ſit? vtque ſemper locetur inter ignobiles? & illi vſquequaque laudentur, qui boni eſſe nituntur? Certè examen hoc, & gentium commune

mune iudicium, virtus animi facit: quæ in ſui admirationem, omnium ſolet animos atque ora conuertere. Nam qui claritatis à patribus acceptæ, & induſtriæ ſuorum obliti flagitioſè atq; improbè vitam exigunt: iure illi quidem vulgò ſpernuntur ab omnibus. Nec ſanè video cur aliter ſint tractandi, vani dici iſti nebulones, ad omnem virtutis functionem (in aliorum tantùm faſtidio occupati) tardi atque ſegnipedes: quibus infami ocio lapſantibus, bonorum putet induſtria. Vt enim animantes brutos à parẽtum ſuorum bonitate deſciſcentes, Nataliũ nullo reſpectu impediti, paruis pretijs addictos faſtidimus atque contemnimus: ſic degenerati generis vilia & deuota capita deſpicienda ſunt, ignobiliumque loco meritiſsimò habenda. An partus ſuos ſcilicet beſtię aueſque contemnent, atque abigent in quibus nulla elucent paternæ ſimulacra virtutis: degeneres homo filios expellere, faſtidireq; non poterit? Recens editos pullos ad Solis feruentis radios Aquila parẽs dirigit: immobilis iubar tantum oculorum acie contemplans: teneram id ipſum ſobolem factitare docens (habet enim ingenitam vim ſine offenſione aduerſum ſolem Aquila obtuẽdi): quem igitur ex filijs ad tanti ſplendoris lucẽ videt conniuentem ac caligantem, nothum velut, ſpurium, atque ſuppoſititium partũ roſtro ex nido, vnguibuſque propellit: ſuũ è veſtigio parum ducens, in quo nulla ſui generis veſtigia apparent, nulla indoles elucet, nullum generoſi animi decus ſplendet. Vnde non ſine cauſa Socraticus Ariſtippus laudari ſolet à doctis. Accuſatus enim aliquando quod conſpectu ſuo atq; omni patrimonio filio improbo interdixiſſet: An nõ (inquit) pituitam pediculos, infameſq; cæteros vermes corpus noſtrũ miſere infeſtantes & tanquam exedentes, etiam à nobis genitos, vt indignos expellimus, proculq; abijcimus? Præclare ille quidẽ. Vt enim Nicoſtratus Argiuus, ſolicitus ab Archidamo vexatus precibus, pacta etiã pecunia, inſuper & primarię cuiuſcunq; vellet Lacænæ coniugio pollicito, ſi ei Cronum traderet: negaſſe fertur ab Hercule genus ducere Archidamum, quod Herculi tantum cordi fuerit, orbem vndique peragranti ſontes ſupplicio afficere, & ex malis bonos reddere: illi contrà ſit curæ ex probis improbos facere. Sic à nobis originem filij trahere nõ ſunt putandi, qui generis auiti virtutem nihil imitantur. Non igitur immeritò Terentiani illius Demeæ multis ſolet clara ſententia videri, qua perditam filio vitã ingreſſo, nunc deſertionem, nunc exhæredationem grauiter comminatur, Sic acerrimè inquiens.

Ego te meum eſſe dici tantiſper volo
Dum quod te dignum eſt, facies. Sed ſi id
non faxis,
Ego quid me in te ſit facere dignum, inuenero.

Sed quid ad hanc rem verbis multis eſt opus, cum præceptorem Platonem habere, oſtendereque poſsimus, etiam à viris principibus in filiorum mores, habitumque naturæ, vehementer inquiri ac diſpici præcipientem? Qui patres ipſos ſeueriſſimè & prudentiſsimè monet, vt miſericordia minimè erga liberos ipſos impediti, quò ſua quemque natura fert, eò maximè adaptent, penituſque effingant, genus nihil vel morati, vel intuiti: quod in genij praua indole aut mutaſſe, aut fefelliſſe videbuntur. Apud hunc quippe de officio principis diſputans, ita loquitur Socrates. Iubet igitur (inquit) Deus vt principes ipſi, primum atque præcipuè adeo magnam curam ſuſcipiant inueſtigandi, & inſpiciendi, quid in animis liberorum ſuorum immiſtum ſit, vt nihil omnino diligentius animaduertant. Quòd ſi æneum aliquid, aut ferreum, inſitum in filiorum ſenſibus inſpexerint: non impediantur miſericordia, quominus illis, munus eorum naturæ conueniens aſsignent: & ad opifices aut agricolas demittant. Sin ex illis aliquid rurſus aureum, aut argenteũ extiterit, honoribus afficiant: & alios quidem ad vrbis cuſtodiam, & imperium: alios autem ad vrbis auxilium & militiam euocent. Inſideatque in eorum mentibus, fuiſſe olim oraculo prædictum, Ciuitatem tunc omnibus bonis euertendam, cum ea ferri, aut æris cuſtodiæ commiſſa fuerit. Quæ omnia verba huc nempe redeunt, Vt intelligamus non eſſe habendos pro liberis, qui præclara maiorum veſtigia deſerentes, paternæ virtutis omnino nihil habent; celebritatiſque ac laudis omnis illorum miſerè obliuiſcuntur. Eſt etiam ſalutare illud in primis, quo vult, vt quò ſuaquemque natura ducit, eo maximè filios adaptent. Quaqnidem in re & Romani & patritij ſanguinis pulchrum habemus exemplum. Vt enim in collectaneis ſcribit Valerius Maximus. L. Manlius Torquatus vir, geſtis

rebus ampliſſimus, quum filium haberet Manlium Torquatum obtuſioris atque hebetioris ingenij iuuenem, vbi publicis priuatiſque negotijs parũ eum vtilẽ animaduertit, rus illum [illegible] vt ruſticis ibi exercitamentis aſſiduè exerceretur: quamquam poſt paulò ex agreſti difficilique natura patri pius filius, & patriæ imperator optimus [illegible]. Qua de cauſa præſtantes ingenio viros, & induſtria animi præminentes [illegible] accitos, [illegible] præficiendos cenſet Plato, & nobilitatis omnibus [illegible] amplitudine interim [illegible] inſtructis (qui degeneres extiterunt) in infimam turbam coniectis. Quæ licet [illegible] præclara omnia, multo tamẽ illud eſt longè præclarius, quod Æs & ferrum, metallorum longè viliſſima, reipublicæ gubernaculis [illegible] admouenda præcipiti oraculo [illegible] eſſe prohibitum. Cuius dicti hic eſt ſenſus: vt humile, abiectum, ſordidum, vile, atque ignobile ingenium hominis (quod ſpeciem metallorum [illegible]) haud vnquam [illegible] præficiamus.

Atqui hoc quidem [illegible], quod nos ante ſignificauimus; maximis rebus obeundis Ignobilitatem eſſe natiua [illegible] ineptam, præcepti huius tradentes, [illegible] à nobis perſpicuum & planum factum. Verbum id eſſe quod principio conſtituimus, nempe elationem animi ad magnam ampliſſimamque rerum adminiſtrationem atque geſtionem obſcuri non eſſe generis ſed illuſtris & clari potius. Nam ſi ex temporum memoria omni, altius repetito principio, obſcurè ſplendideque natorum facienda collatio ſit, facile intelligemus priuatiori genere editis facta illa Inclyta (quæ authorum ſummorum laude in hunc vſque diem poſteri mirantur) viſitata ſemper, familiariaque penè fuiſſe: deteriori verò ſanguine ſatis, non ita crebro vſu veniſſe: nec ad ſuſcipienda illa tam illos ſæpe alacri & erecto animo fuiſſe inceptos. Nec quia pauca, præſcripto aduerſantia noſtro, exempla reperiantur, præclarum hoc diſcrimen generis (cuius vim maximam elucere in prole cernimus) repudiandum eſt. Neque enim mirandũ eſt in homine, cuius triſtitia omni [illegible] noſtri Fati procul expulſa, motus omnes animi liberi ſolutique ſunt, ad interdum ſecus accidere. Nam & fieri quandoque videmus; vt hæc tanta virtutis indoles nobili à gente relicta deſertaque ſit: & ab illis contrà ſuſcepta, qui propter obſcuri generis ſordes inhonorati & inglorij, atque omnino vulgò ignobiles putabantur. Vnde nos quidem doctiſſimi viri Platonis, & aliorum ſapientia præſtantium virorum exemplis (quaſi parum generoſum ſit) ni & virtus [illegible] animi illuſtri digna genere, debere in filijs [illegible] morũ defectum haberi: vt ab his & induſtrij, & ſuorum maiorum ſimiles dumtaxat probentur: diſſimiles contra & ignaui, tamquã ſpurij & nothi, adulterini, ſuppoſitiq; quæ parentes extemplo reijciantur. Neque enim tam in filio conductio præclara naſcendi, ortuſque felicitas materiam veræ continet laudis, quam paternæ virtutis vera & germana imitatio. Qui [illegible] verè receptique inſtructi demum filij ſunt noſtri, atque liberi appellandi. Proinde Alexandri illud Macedonis in primis ſcitum eſt, [illegible] vtile. Is enim Iouis filius in Ammonis templo à ſacerdote cum eſſet appellatus: haud mirandum hoc eſt (inquit) Iuppiter namq; natura omnium eſt pater, qui optimum quemque ſibi adoptat & arrogat. Quo procul dubio dicto vir ſummè prudens docuit, non tam generis claritudine inſoleſcendum eſſe, quam virtute conandum, vt illorum efficiamur ſimiles, quorum affinitate generis, & cognatione gloriamur: quorumque titulis honeſtamur ac tamquam inſignimur, nobis ambitioſe placentes. Quando Iuppiter ipſe, qui Diuûm atque hominum pater canitur à poetis, paterno quidem nomine & affectu verſatur erga omnes: ſed ex vniuerſo hominum cœtu non niſi integerrimum atque iuſtiſſimum, eum filium aſciſcit, atque aggregat ſibi. Id quod inſignis ille Rhetor Iſocrates in præclara illa ad Demonicum Paræneſi, nobis ſignificanter expreſſit. Sic enim ait: Quòd ſi oportet eum, qui mortalis ſit, coniectura Cœleſtium mentem arbitrari: arbitror in familiariſſimis ſuis maximè oſtendiſſe, quo modo boni ſint, malique hominibus affecti. Iuppiter enim Herculem & Tantalum genuit (quemadmodũ fabulæ tradunt, cunctique fatentur: & illum quidem propter virtutẽ immortalitate donauit, hunc propter improbitatem grauiſſimis calamitatibus oppreſſit.

CVM IGITVR hæc ita ſe habeant: profectò ſatis apparet, & Diuis, & patribus probis non tam cordi eſſe generis ſplendorem, quã amplexam in ſoboleatq; ipſa mortalium gente virtutis amorem. Cum ne poſſit quidem illuſtre genus intelligi, quod eiuſmodi cupiditate vacat: nulloque eſt glorioſarum rerum vel commendatũ facinore, vel egregia alt-

alicuius virtutis ſtudio Inflammatū. NIC. Maxima neque immeritò (eſſe ſi grati volumus) tibi à nobis habenda eſt gratia ô Philemon, quod tractare cum aliquid incipis, accuratè nimis ac ſedulo quæ vocari poſſe in dubium reris: orationis lumine ita côueſtis: verum vt ſenſum dubitationis amanti, nihil amplius eſſe poſsit obſcurum. Eſt enim acutè differentis illa præcipua virtus, vt tacitis interdū ſeruiat obiectionibus, & ceu aduerſarij aliquo officio ſuſcepto, perſonæ tāquā alteri interdū ſibi ipſe reſpondeat. Quę cum vbiq; facienda, & præſtanda nobis ſint: tū ibi maximè ſunt adhibenda, quando difficultate loci poſtulante, neceſſario id exigi, requirique videbitur. Quare ad ea, quæ dubitata à nobis, vel obiecta fuiſſe videbantur, reſpondiſſe te præclare: fuit certe ſumme Iucundū. Nam & de obſcuræ claræq; gentis conſtitutis à te decretis: eſt optime palā factum, & in eo etiam pleniſsime ſatiſfactū, quod de patriæ ac Natalium ſplendore initio orationis tuæ, ceu ratum dogma ſanxeras. Iure igitur lætor, fuit enim ingenio tuo prorſus dignum munus, moderatione illa prudenti, diſtinctioneque condire, quæ ſine appoſitione modi poſita primum: non in noſtram tantum, ſed in multorum etiam hominum reprehenſionem poterāt, offenſionemque incurrere: ſic enim omnis eſt anſa ſublata, & peruius ille locus adeptus, qui patere antea calumniæ videbatur. Nam cū inter nos conueniſſet primùm, ſummum genus virtute cōſtitui, & excellētis animi perfici magnitudine: certè nobilitatē generis, in patriæ dignitatem, nataliumque rurſus amplitudinem partienti erat hic plane iniectus ſcrupus: num animi excellens illa dignitas res & claras & magnas ſuſcipiens, poſſeſſorem poſſet ſatis illuſtrē efficere: an verò ita demum nobilitaret alumnum, cum parentū & patriæ nō eſt dignitate deſtitutus. Et, ſi illis tantum erat ad res illuſtres aſpirare tributum, qui honeſto eſſent genere prognati, à nobilitatis bono potiendæ illi videbantur excludi, quos naſcendi infœlicitas obſcuros & ignobiles facit. Itaq; ad adipiſcēdā nobilitatē ipſam nō iam tā habere vim virtus, quā fortuna poteſtatē ſortiri vulgo crederetur. Quæ eſſent omnia prorſus abſurda, & germanæ nobilitatis abs te iactis fundamentis omnino parum conſona. Sed mehercules vidiſti plurimum, cum nihil omnino reliqueris quod ingenij tui poſſet lædere exiſtimationem, opinionemque minuere. Nam quæ à rationis huius præſcipto abhorrere videbantur, tam ſunt illa quidem adaptata concinnè, inter ſeque ipſa contexta, vt vel ex eis nō ſit cognoſcere difficile nobilitatis verā originē atq; naturam. Iam verò quàm ſint Platonis illa inclyta, quæ abs te doctè ponderata ſunt, quis non videat? quibus duplicis tanquam argumenti vice fungeris: dū ex eis elicis, ex bonis plerumq; bonos naſci: ruſuſque hoc poſſe interdum dogma reſcindi. Quorū altero pręcipue rata efficiūtur, quę de generis claritudine à te ſunt accurate diſputata: altero ad nobilitatem illi etiam videntur admitti, qui propter Natalium obſcuram conditionem, boni huius amplißimi conſequendi ſpe decipi videbantur: & modo quodam excludi. Quarum proculdubio rerum (ſi modo ſit ratio rectè inita) huc maximè ſumma reſpicit: vt veræ nobilitatis effectrix, vnica ſit ſemper virtus animi intelligenda. Cuius rei conſtituta principio, placuit noſtrum vtrique, ſententia. Nam quod argumentando eò rem ſenſim placidèq; deducis, vt probare velis ſummi generis claritudinem, ceu exemplis confirmatam domeſticis plus ſemper ad virtutem habere ſubſidij, certè ne ſeuerè nimium, tetriceque agā, facile patior, hoc quicquid eſt adminiculi atq; præſidij penes eos aſsiduè magis cōſpici, qui celebritate nataliū præditi, inſtructiq; ſunt. Nam cur egregia parentum ſuorū via filij non inſiſtant? Aut, quidni præſtantiſsimarum rerum cupiditate ſummā flagret Aſcanij paruuli cor, cum ſe maiorum repetitis exemplis ab Ænea patre ad honeſtatem videat, laudemque excitari?

Diſce puer virtutem ex me, verumq; laborem.
Tu facito mox cum matura adoleuerit ætas
Sis memor: & te animo repetentē exēpla tuorū
Et pater Æneas, & auunculus excitet Hector.

Sic enim vir ille inclytus apud Maronē, filium affatur Aſcanium: diſciplina virtutis domeſticę ad rerum illum ſummam excitās laudem. Cuius hominis cohortatio tantum habet momenti ac ponderis ad imbuēdum in omni virtute filij tenerum animū: vt omniū haud iniuria ſit probro dignus futurus, ſi cum primū liceat per ętatē, non ſe magnis rebus ſtudioſe totum mancipet, addicat, & dedat. Ex quo fit, vt domeſticis nobilitas inſtructa præceptis, & auitis roborata doctrinis, ad turpia ei mentem deflectere non ſit integrum: ſed quodam veluti iure diſſoluti animi libertate noxia procul abiecta intra honeſtatis virtutiſque clauſtra magis teneatur aſtricta, vinculis maiorum innexa, & pulchrè religata.

Phil.

PHIL. Vt te lætitia & gaudio dicis affici quum ea, quæ obſcure poſita primum, diſſidere ſecum orſa, prudenti gubernãtur ſtylo, & tanquã miniã redduntur moderationis ac diſtinctionis à nobis tempeſtiuè adhibito condimento: ſic nos voluptate ſumma perfundimur inclyte Nicete, quoties id ipſum datum eſt poſſe aſſequi, & ingenio tuo non diſplicere conceſſum. Nam & tibi in omnibus ſatisfacere ſummè cupio, atq; ita tractare materiam, vt quam minimum poſſit offenſionis videar contraxiſſe. Quorum alterum ita eſt alterius nexu reuinctum, vt extremũ primi conſequens videatur, & primum vltimi efficiens. Tu enim tam nos exactè ſuſceptum munus tractare expetis, vt, quoad ſit homini ſperare fas, nihil credatur omiſſum. Ex qua profectò fœlicitate diſſerendi facile illud efficitur, vt odium effugiamus, offenſionemque vitemus. Siquidem præclare atque optime dictis, niſi inuidus, ſuccenſere nemo poteſt, vel improbus offendi. Quare cum ad ea, quæ vel dubitari vel obijci abs te, paulò ante ſunt viſa, haud omnino male reſpondiſſe nos, cenſeas: tibique in eo pulchrè oſtendas fuiſſe ſatisfactũ: magna me proculdubio ſpes iam tenet, fore: vt haud ſecus erga nos in poſterũ afficiaris animo, atque te in præſentia eſſe oſtendis affectum. Et quando mihi tecum conueniat iam pleraque: nihil vt inter nos diſcrepare diſſidereve poſſit: eniti ac contẽdere debeo. Nam neque tertiam ſum argumenti ſedem oblitus, quo nouitatem generis immeritò probro traduci dicebas, inſinuãs nõ eſſe culpandam. Quo in loco dubiũ eſt, me ne perſtrictum volueris, quod interdum eam ſolere contẽni dixerim. an illos (quod reor magis) à quibus nouitatem hanc cõtemptui haberi docuimus? Etenim hoc de genere toto nihil prorſus à me dictum eſſe reperies, quam obrem aut culpari admodũ ipſe, aut reprehẽdi debuerim. Imò ſi rem altius ſcrutari voles, arrogantiam illorum, importunumque faſtidium ſtyli aculeis confixum paſſim à nobis fuiſſe facilè deprehẽdes, qui antiqua generis clari dignitate: præ ſe contemnunt & faſtidiunt nouos homines. Vnũ eſt tamen, quod me nõ inficior dixiſſe: nẽpè, ſi Natalium antiquitati aliquid dandum ſit propterea que dignitatem generis perficere illa ſoleat, ſplẽdoremque abſoluere: nouitatem generis ex parte poſſe cõtemni. Quod ipſum non ſine ratione à me poteſt videri fuiſſe introductum: cum præſertim neq; id ante fecerim quam tua ſum oratione inſtimulatus. Nam ſi celebritatis & laudis à maioribus acceptæ inueterata poſſeſsio ſplendorem generi, dignitatemque conciliat: familiæque ipſum ſuo modo quodam perficit atq; ſtabilit: quis magnopere miretur, ſi ab hoc ordine habeantur illi deſpectui, qui haud ita pridem clari haberi ſunt cœpti? Licet enim boni omnes faueamus communiter induſtriæ: creſcereque ad laudem virtutis aliquo nouo fructu cunctos optemus, ampli tamen æquo vix animo cum illis ſeſe patiuntur æquari, quorum inglorij maiores, obſcura familia, & ignobile genus ſemper eſt habitum. Non hic diſputo, quàm ſit à nobilibus faſtidium hoc rectè, vel prudenter inductum, tantum dico, ſuſceptum eſſe aliquando, vel etiam non prorſus abſurde interdum ſuſcipi poſſe.

SED VT QVAM tibi arrogantiæ illorũ faſtus, tumiditasq; diſpliceat perſpicere poſsis (quod ſemel atq; iterũ docere iã cœpi) quæſo obteſtorq; te mi Nicete, vt illorum, quæ antea diximus, memor: tuum huc velis animum; menteque aduertere. Mira enim eos dignos eſſe laude, declarare volo, qui cõtra aliquo meritis illuſtri, laboreque magno ſuo inſignia ſunt dignitatis, honorumque adepti: & poſteris ſuis generis ornamenta largiti. Quos eoſdem nouos idcirco video appellari, quod generis nulla innixi claritate, excellentis animi induſtria ſola ſiſi, per ſeipſi ad laudem nominis anhelant, virtutemq; aſpirant: quorum medius fidius quominus inſtrumenti atque præſidij ad celebritatem nominis genus obtinet: eò plus animi illorũ nobilitas laudari quidem à bonis, foueri; ac ſuſpici debet. Et quò eis ad honores eſt ianua difficilior, & obſtructior omnis aditus ad dignitatem: eò magis animi illorum virtus, honeſtãda præmio eſt: & honore aliquo actutùm afficienda: quo in eam, quam expetunt, pulchritudinis honeſtatem & ferantur ardentius, & alacrius incumbant. Quando virtuti impetus honos ipſam procreat, & alit virtutem, fœliciterque ſuſtentat.

ACADEMIAE ille princeps Plato, tũ certas quaſdam nobilitatis ſpecies cõſtituiſſet: eam & optimam & præſtantiſsimã omnium facile exiſtimauit, quæ nullis generis ſuſtẽta fulcris, propria animi virtute niteretur: Vnde ingenuitate animi, ac mentis magnitudine præcellentem virum, mirificè commẽdat. Atque hunc demum verè nobilem ſtatuit appellãdum, cui nõ aliena ſed ſua virtus ad gloriam opitulatur. Quæ proculdubio res nobilem philoſophũ in eam opinio-

nem induxit, ſentētiáq; allexit, vt virtute at-
que ſapiētia animi præditos viros, conquirē
dos vndique moneret, & ab agro ſortè euo
catos, premioque inſuper affectos, reipu-
blicæ modis omnibus præficiendos eſſe de-
cerneret. Quibus ille tam inclytis præceptis
aliud quidem docere nihil voluit, quàm no
bilitatem veram ex ſola animi naſci virtute.
Atque ideo ad remunerandam virtutem ip-
ſam, voluntatem principum oportere, quā
maximè eſſe propenſam. Etenim cum hoc
ipſum rectum, æquumq; ſit, virtutis aman-
tem animum honoris ac laudis quopiam af-
fici inſigni, eſt etiam & vtile in primis, & mi
rificè ſalutare, ſic recte viuēdi inſtitui publi-
cè diſciplinam, vt peſsime affectis homini-
bus, maleque moratis ciuibus interclusſus
omnis videri poſsit aditus ad dignitatem.
Quę vna res non ſolum apud nobiles quoſ-
dam ſegnitia torpentem excitabit virtutis
ſcholam: ſed multú etiam nouorum homi-
num ad ſummam laudem animi acuet indu
ſtriam: tam amplis tamque honorificis, vir-
tuti ipſi vulgò propoſitis premijs. Præclare
ergò inſignis poeta Claudianus ab hac Stili
conem virtute cócelebrat, quod dignos lau
de viros ad dignitates & præſecturas (genus
nihil intuitus) cupide ſemper, ſtudioſeque
eueheret, ſic enim ait,

. . . Non obruta virtus
Paupertate latet. Lectos ex omnibus oris
Euchis; & nunquam meriti cunabula quæris
Et qualis, non vnde ſatus. Sub teſte benigno
Viuitur. Egregios inuitant premia mores.

Magnum hoc principis opus eſt, in decer
nendis dignitatis inſignibus, conſerendiſq;
honoribus non amplitudinis Natalium: ſed
virtutis ſuæ cuiuſque arbitrari, habendam
eſſe rationem. Præclarú illud etiam, ſic pre-
mijs honeſtare virtutem, vt ardui, ſtrenui-
que facti digne vndique affulgente merce-
de: difficultate rei, vel magnitudine laboris
(quem nullo honoris vel premij fructu ar-
bitrantur ornandum) laudabili ab induſtria
ad inertiam, defectionem pauci turpiter mo
liantur: aut praua animi libidine vel mollitu
dine victi, vtilitatis aliqua ſpe fallaci indeco
rem ad vitia ſugam adornent. Licet enim
abúdè magnum premium, virtus ſit ipſa ſui
(quod alibi à nobis eſt dictum) vult tamen
illa interdum externis his laudis inſignibus
condecorari: vt frigeſcentes ad honeſta ho-
minum voluntates, his quaſi illecebris ſplē-
doris atquē honoris allectæ, ad veri rationē
officij moueantur alacrius, & ardentius inci
tentur. Nam & artes ipſæ virtutú facile con-
tabeſcút, vbi ſpes honorum ſublata eſt: nul
lumque recte factis premium virtutis oſten
ditur. Id quod cùm alij ſapientia præſtantes
viri memoriæ prodiderunt, Vberrimum vir
tutis alimentum honorem ipſum ſæpe ap-
pellantes: tum Epigrāmaticus Martialis ſcri-
ptis ad Flaccum carminibus, verum hoc eſ-
ſe perſpicuò comprobauit. Sic enim ſcribit,

Temporibus noſtris ætas cum cedat auorum
Creuerit & maior cum duce Roma ſuo,
Ingenium ſacri miraris abeſſe Maronis,
Nec quemquam tanta bella tonare tuba.
Sint Mecœnates, non deerunt, Flacce Marones:
Vergiliumq́; tibi vel tua rura dabunt.

Patet igitur raritate premiorum, honorū-
que penuria: Virtutis agrum ipſum, parum
fœcundum ac pene ſterilē eſſe factum. Præ-
clare ergo Cheroneus Plutarchus, quemad
modum (inquit) fruges aeris temperie, de-
fæcatioreque Cœlo exurgunt lætius, proger
minātque vberius: ita bonas artes, eximiaq;
ingenia benignitate, honorificentia, & regia
humanitate euocari: contraq; inuidia, ſordi
bus, & moroſitate eorum qui rerú potiun-
tur, reſtringi atque langueſcere. Cum igitur
iocoſi carminis, non infacetus author pau-
pertate tanta premeretur, vt emolumenti,
fructuſque ſpe aliqua indignos aliquoties,
ſed tamen opulentos ac rerum copia circū
fluos laudare cogeretur: occaſionem illam
dari quebat temporis: qua ſibi ac doctis om
nibus, libere & loqui & ſcribere liceret, ſub
ſidio diuitum minime indigentibus. Cum
præſertim egregiè nummati homines auari-
tiæ morbo excæcati, eò ſint prolapſi demē-
tiæ, vt præſtantium ingenio virorum mo-
numentis celebrati, aut ingrati quandoque
ſint: aut officia eiuſmodi interdum belle diſ
ſimulent. Quod inſigni quadam ad Priſcū
Cornelium epiſtola Plinius optime decla-
rauit. Fuit (inquit) moris antiqui eos qui
vel ſingulorum laudes, vel vrbium ſcripſe-
rant, aut honoribus, aut pecunia ornare.
Noſtris verò temporibus, vt alia ſpecioſa &
egregia: ita hoc in primis exoleuit. Nā poſt-
quam deſiuimus facere laudanda, laudari
quoque ineptum putamus. Proinde ergo,
cum ſuorum pertæſus laborum à condendis
carminibus ceſſare videretur Martialis: aut
certè parua tantum, Iocoſaque ſcribere: ami
cum Lucium Iulium ſeſe ad ſerias & graues
res ſcribendas exhortantem carminibus ita
affatus pulcherrimè eſt,

Sæpe mihi dicis Luci Chariſsime Iuli
Scribe aliquid magnum: deſidioſus homo es.
Ocia da nobis: ſed qualia fecerat olim

Me-

Mecœnas Flacco, Vergilioq́; ſuo.
Condere victuras temtem per ſæcula curas?
Et nomen flammis eripuiſſe meum?
Inſteriles campos nolunt iuga ferre iuuenci:
Pingue ſolum laſſat, ſed iuuat ipſe labor.

Quod non vno tantum dixiſſe loco contentus, ſignificauit etiam mox alibi, de ſuis ipſe loquens libellis;

At quàm victuras peteramus ſcribere chartas,
Quantaq́; Pieria prælia flare tuba!
Cum pia reddiderint Auguſtum numina terris,
Et Mecœnatem ſi mihi Roma daret.

Vides ingratos eſſe labores, quibus nulla premia propoſita ſunt? Atque ita parum fœcunda tanquam maria piſcator tranans, tacito & ore & vultu demiſſo vberius aliud ſolerti pelagus ſtudio conquirere: piſcatoriaſque illuc cantilenas reſeruans, fari interim præ triſtitia lætum nihil audere? At ſi iuſtiſſimè illa laboris optata merces, fœlix veluti iactus aliquis retis effulgeat, faueatque princeps claris ingenijs: nullus non doctè ſcribere incipiet, expectatoque reſoluet ora ſono. Multum enim principum, procerumq; benignitas ad honeſta aſpirantem iuuat, & potenter inflammat: lactatque verè honor ingenia.

Nam ſi Virgilio, puer, & tolerabile deſit
Hoſpitium: caderent omnes à crinibus hydri:
Surda nihil gemeret graue buccina.

Quapropter ſuo quodam iure non inſcite Iuuenalis idem exclamat,

Quis tibi Mecœnas? quis nūc erit aut Proculeius?
Aut Fabius? quis Cotta iterū? quis Lentulus alter?
Tunc par ingenio pretium: tunc vtile multis
Pallere, & vinum toto neſcire decembri.

Fœlicia vates proclamant atque inuocant tempora. Nemo quippe doctorum hominum eſt, qui ſui elucubrationes ingenij honeſto aliquo nolit ſubſidio vitæ rependi. Siquidem literato haud temere otio indulget, qui ipſe quod edat non habet: aut (vt Plautus ait) ęgrè inuenit.

SED ALIO Hinc potius vela demus, ne principum erga doctos homines munificentiam, liberalitatemque animi (quæ iam inde à priſcis temporibus extitiſſe vederi poteſt) nunc demum inſectari videar, quū Diuūm munere, benignè cœpit emergere. Recipiat igitur ſe noſtra oratio illuc, vnde paulatim, ſenſimque deflexit. Si ergo premio honeſta re vtuntur & refert, & publicè intereſt: quæ illos malùm intemperię ac furiæ exagitant, qui viris induſtria animi magna præditis, ig. nobilitatis titulo, & obſcuri prætextu generis, per ſummam inuidiam, laudem detrahere volunt, honoremque cupiunt ereptū: quibus ſunt profectò digniſsimi? Nihil enim eſſe vel vanius, vel amentius poteſt, quam ingnobilem tanquam ingloriumq; deſpicere, quem animi clara indoles inter obſcuram hominum turbam deliteſcere nō eſt paſſa. Sed ita potius erexit clari decōris gloria nullis vt eius ipſius memoria tenebris poſsit obduci, vel ignoratione deleri. Hi enim etiam defuncti per ſummam gloriam honeſta commemoratione vigent: & viui amantur à bonis, ingenuiſque vere viris. Qualis ingeniorum fautor, remuneratorq; virtutis Cæſarianus fuit ille Mecœnas, dulcedecus & præſidium literatorum, de cuius ſingulari humanitate, atque inclyto ingenio Horatiana illa carmina extant,

Non quia Mecœnas Lydorum quicquid Hetruſcos
Incoluit fines, nemo generoſior eſt te.
Nec quòd auus tibi maternus fuit atq; paternus
Olim qui magnis legionibus imperitarint,
Vt plerią; ſolent, naſo ſuſpendis adunco
Ignotos, vt me Libertino patre natum.
CVM referre negas, quali ſit quiſq; parente
Natus, dum ingenuus, perſuades hoc tibi verè,
Ante poteſtatem Tulli, atq; ignobile Regnum
Multos ſæpe viros nullis maioribus ortos,
Et vixiſſe probos, amplis & honoribus auctos.

Magna hæc ſummi viri Mecœnatis procul dubio laus eſt, late vndique mortalegēnus. humanitate quadam animi, & modeſtia nihil elati pectoris, vbique metiri: nobilium ignobiliumque hominum diſcrimē ex ſola virtute facere: quæ nimirum (honeſtati debita rectè ſi premia conſideres) ſtēmate pulchrior omni, præſtantiorque longè eſt. Id quod optimarum rerum ignaro & rudi vulgo haud ſemper obſcurum eſt: à quo ab ambiendis honoribus arceri quandoque, faſtidirique videmus propter mores animi perditos, generis nobilitate ſumma præditos viros dignis illorum loco omnino ſuffectis. Quod hac eadē in Satyra innuit etiam Flaccus ipſe, cum ait:

Contra, Leuinum Valeri genus, vnde Superbus
Tarquinus regno pulſus fuit: vnius aſsis
Non, vnquam pretio pluris licuiſſe, notante
Iudice, quem noſti, populo qui ſtultus honores
Sæpe dat indignis, & famæ ſeruit ineptus,
Qui ſtupet intitulis & imaginibus: quid oportet
Nos facere à vulgo longe lateq; remotos?

Extremo ſeſquicarmine Flaccus docet, cum tam præclaro diſcerniculo ab illuſtribus obſcuros hominum rude vulgus ſecernati turpe eſſe regulam hanc (quæ fit à vulgo

go præſcripta, ignorare viros nobiles: ad quos fructus magnus illius, ſpecioſis geſtis maiorum ſanguine nobilitato, tanquàm hæreditate peruenit. Cui nimirum genti clarorum veſtigia virorum ſtudioſe ſectanti, ſemperque ad ſumma nitenti, illuſtri prognatos genere dignum erat applaudere: non virtuti inuidere naſcenti. Proinde non ab re laudari ſolet Imperator Sigiſmundus, is enim cũ præclaræ huius non eſſet ignarus formulæ (quæ optimis viris eſſe debet ſemper in promptu ſita) accuſatus quandoque à Germanis Barbariſque principibus, quod obſcuros genere viros, ſed præſtantes eruditione ſummè proueheret, atque omnibus ornaret laudis inſignibus. Ego (inquit) eos colo quos doctrina & recte factis (ex quibus veram metior nobilitatem) Cæteris anteſtare video. Declarans obiter, eos qui egregijs animi bonis inſtructi condecoratique ſunt, pro ignobilibus nõ eſſe habendos, cum bona illa poſsideãt, vnde vera omnis generis nobilitas profluit: & præclara vitæ præſtantioris & famæ confeſsione prudentum ducitur dignitas. Næ ille, & recte: etenim, vt præclarè Iuuenalis ait,

Tota licet veteres exornent vndiq; ceræ
Atria: Nobilitas ſola eſt, atq; vnica virtus.

Qua ſi qui præditi videbuntur, ij medius fidius haud erunt quidem ignobilium loco cenſendi. Inſaniæ ſiquidem certiſsimum genus eſt, nobilitatis florem ex bonorum animis profluentem faſcinare tanquam toruèque inſpicere. Cũ præſertim eiuſmodi mentis affectio (quo ſit cunque in homine reperta) à nobiliſsimo quoque blando debeat obſequio foueri, & molli tractari indulgentia. Vt bonorũ patrocinijs nouo in homine animi ſuffulta virtus, tenera veluti (irrigatione tempeſtiuè adiuta) quæ eſt plãta altius actis radicibus in magnam breui arborem exurgat, atque firmiter coaleſcat, in maius adaucta indies. Nam ſi nouus homo, nobilis alicuius viri vel excitatus exemplis, vel præceptis inſtructus, vel firmatus veſtigijs, imitationeque tandem ad omnia fideli ipſius innixus: in eam, quam amabat, dignitatis laudẽ alacrius incumbat: quis non videat, bonam magnamq; portionem laudis huius, penes hunc eſſe futuram, qui poſſeſsionem nobilitatis ad plures maluit extendi, quã naſcenti inuidere virtuti? maximè cum edoctæ cõmunicatæque virtutis honeſta ei liceat lætitia gloriari, dum partam (ab eo quem edocuit) nobilitatem ſibi ex parte vendicat inquiens.

Primũ mihi debes animi bona, ſanctus haberi
Iuſtitiæq; tenax factis, dictiſq; mereris,
Agnoſco procerem. Salue Getulice, ſeu tu
Syllanus, quocunque alio de ſanguine rarus
ciuis, & egregius patriæ contingis ouanti.

Longe hoc facere præſtantius nimirum eſt, rectiuſque multo quam ſi ad virtutem recta tendenti inuide quidpiam malitioſeq; detrahas. Natalium eruens fibrulas: quas nõ tam eſt vitioſas habere pudendum, quam prauis animũ ſtudijs addictũ, vel rebus intẽtũ. Quj morbus eos plurimum infeſtare ſolet, qui cum ad egregia facta torpeãt inertes: claris tamen maiorũ titulis ſeſe à Ioue arbitrantur eſſe ſecundos: mortalium nulli vana generis ambitione cedentes. Quorum proculdubio (tanquam parum firmiter fundamento iacto) conſtructa domus, & carioſa materia maleſulta contignatio: aut illũ fundamenta ſi fodias, vel tignum temere loco ſi forte dimoueas: ruinæ ſubitæ, & periculum caſus imminet: haud aliter profectò generoſę ſtirpis, & antiquæ familiæ (quę ambitioſè narrãtur accepta à proauis fulcimenta) non tam illis honori quam oneri, cladi, ruinæque ſunt: facta ſi ipſi ſua, quæ à maiorũ longè clara animi virtute deſciuerunt, exactiꝰ velint inſpicere. Inopinato ſiquidẽ (quaſi fulturæ aliqua columna detracta) eiuſcemodi ædificij & quidem ſæpe machina corruit, auitæ laudis hærede oppreſſo turpi: bonique generis ignauo catulo. Qui ergo germanè nobilis & dici & haberi volet, is non magis celebritatis externæ adminiculis acquieſcens, quam induſtriæ ſuæ ſolidis fulturis innixus, honeſtati ac laudi accurate per omnia ſeruiat. Ac quocunque in loco tanquam bonitate fertilis ſoli pullulantem virtutem ac veluti emergere cupiẽtem viderit: liuore animi nullo impeditus, amplecti eam confeſtim, exoſculàrique debet. Et, quemadmodum vnicè vulgaris ille verſiculus Græcis probari ſolet, qui ait,

Benè qui conijciet, vatem hunc perhibeto optimũ:

Sic enim è veſtigio (induſtria comprobata & ingenij laudata indole) nobilem exiſtimabit: quem præclari ſpecioſique laboris difficultate nulla territum, bene ad honeſta viderit animatum. Quod clarorum virorũ poteſt exemplis confirmari. Qui obſcuros ſæpe homines propter egregiam animi virtutem, inter principes viros conſtituerunt. Neque ſolum generis condecorarunt imaginibus (quod apud Romanos quondam honoris nõ vltima in parte poſitum eſt) ſed & cæteris etiam dignitatis ac laudis Inſignibus

bus exornauerunt: ſumma omnia virtuti tribuentes.

FACVNDIAE ac virtutis ergò à Senatu populoque Romano ſamiliæ imagines Ciceroni datæ, conceſſæque ſunt (Hinc enim veteres illi Romani nobilitatis ſuæ initia capiebant) nam quibus nullæ adhuc contigerant, quantumlibet ad magna virtute animi niterentur, noui appellabantur: delatus etiam Conſulatus illi eſt, qui perlongo interuallo memoriæ ipſius ac temporum, nouo nulli contigerat. Et quem locum præſidijs vallatum nobilitas, atque omni ratione firmatum ſeptumq; tenuerat, is in Cicerone primùm id temporis reciſus eſt, eoque duce in poſterum apertus virtuti, & induſtriæ patefactus. Hunc ex Arpinati municipio, Romę nouum hominẽ, & nulla generis commendatione fultum, ob animi inclytam vigilantiam, qua iniectas à perditiſsimis ciuibus in patriæ communis exitium faces extinxit. Q. Catulus Senatorij princeps ordinis, & publici author conſilij frequentiſsimo Senatu, patrẽ patriæ nominauit. Huic hac ipſa de cauſa, clariſsimus vir .L. Gellius (audientibus Cõſulibus) à republica dixit Ciuicam coronam deberi: huic tandẽ, ne plura perſequar togato Senatus, non vt multis benegeſtæ, ſed vt nemini cõſeruatæ reipublicæ, ſingulari genere ſupplicationis immortalium, vt ipſi dicebant, Deorũ tẽpla patefecit. Quę nẽpe omnia homini ſunt, nõ generi vel Nataliũ amplitudini tributa. Quod & Cicero ipſe indicat in præclara illa in .L. Piſonem orationẽ: Obrepſiſti (inquit) ad honores errore hominum, commendatione fumoſarum imaginum, quarum ſimile habes nihil pręter colorem. Is mihi etiam gloriabitur, ſe omnes magiſtratus ſine repulſa aſſecutum: mihi iſta licet de mę vera cum gloria prædicare. Omnes enim honores populus Romanus mihi ipſi homini detulit. Nam tu cum Quæſtor es factus, etiam qui te nunquam viderant, tamen illum honorem nomini mandabant tuó. Ædilis es factus: Piſo eſt à populo Romano factus, non iſte Piſo. Prætura item maioribus delata eſt tuis: noti erant illi mortui, te viuum nondum nouerat quiſquam. Me quum Quęſtorem in primis, Ædilẽ priorem, prętorem primum cunctis ſuffragijs populus Romanus faciębat: homini illi honorem, non generi: moribus, non maioribus meis: virtuti perſpectæ, non auditæ nobilitati deferebat. Hæc Cicero, quibus ornamẽtà honorũ, ac dignitatis inſignia ſeſe iactat, non tam ſplendore Natalium quam virtute animi conſecutum. Pariter atque illud oſtẽdit populi Romani celeberrimum morem in referenda gratia benemeritis de republica ciuibus, cùm ſuo premio ibi dicat ſemper honeſtari virtutem. Quid? vſque adeo ne ad gloriam, dices, obſcuro homini tam fœlix vndique curſus fuit, vt ea quæ in vita hominum putantur ampliſsima, ſine repulſa ſemper atque facile obtinuerit? ôhe, num tu appellas leue, diurnos nocturnoſque labores, lucubrationes magnas, aſsiduaſq; vigilias: appetitionis exardeſc[illegible]tes (honeſtatis ergò) ictus cõprimere, ac ſub rationis iugo ſobriè domare: & ab his omnibus continere mentem, ad quæ libidine ſumma inflãmati, pleriq; rapiuntur? voluptates dico, blandas atque imperioſas dominas, peſtiferaſque cæteras cupiditates, quæ obſequio quodã corporis molli exitium animo, & vaſtationem menti tacitè moliuntur: ductricẽ illam partem animæ, intelligentiæ rationiſque participem Circeis veluti poculis immutantes? ſuique prorſus hominem delicijs effœminatum, obliuiſci facientes? Quid? quod liuidi atque mordaces etiam tum homines erant, & aliena fœlicitate merentes? quibus Natalium amplitudine ſuperbientibus, mortis inſtar erat ſi qua publicè eſſet nouis mandata dignitas, aut vllus delatus honos. Quorũ hominum querelam ad hunc modum ſexta in Verrẽ actione Cicero perſtringit. Næ iſta præclara nobilitas deſinat queri, populum Romanum hominibus nouis atq; induſtrijs libenter mandare honores, ſemperque mandaſſe. Non eſt querendũ in ea ciuitate, quę propter virtutem omnibus nationibus imperat: virtutem plurimum poſſe. Recte ille ſane. Non enim tacitis odijs ad extinguendam nouorum hominum creſcẽtem laudẽ nobiliſsimi & arrogantiſsimi quique ferebantur: ſed virtus ipſa (vti plærumque accidit) magna erat paſsim in inuidia. Vnde haud temere eſt, quod ille ſic ait. Eſt (inquit) ſæculi huius labes quędam & macula, virtuti inuidere: velle ipſum florem dignitatis infringere. Quod ego quoties recordor, toties in mentem venit Furij Creſsini obſcuri hominis læpidiſsima hiſtoria, quæ à Caio Plinio quo loco de colendis agris præcepta tradit, venuſte commemorata, haud inconcinne huc transferri poteſt. Furius (inquit) Creſsinus è ſeruitute liberatus, cum in paruo admodum agello largiores multo fructus perciperet, quam ex ampliſsimis vicinitas: inuidia magna erat, ceu fruges alienas veneficijs pelliceret. Quamobrem à

Spurio Albino Curuli die dicta, metuẽs dãnationem, cum in ſuffragium Tribus oporteret ire, inſtrumentum ruſticum omne in forum protulit, ſimulque filiam adduxit validam, atque (vt ait Piſo) benè curatam ac veſtitam: ferramenta egregiè facta, graues ligones, vomeres ponderoſos, & boues ſaturos, ac poſtea dixit: Veneficia mea Quirites, hæc ſunt, neque poſſum vobis oſtendere, aut in forum adducere lucubrationes, vigilias, & ſudores. Quo dicto omnium ſententijs abſolutus eſt. Hactenus præclarè Plinius. Ex quibus procul dubio intelligere licet, has demũ eſſe artes, vnde (haud ſecus atque accuratè & induſtriè proſciſſa tellus effundere ſolet) largos atque vberes fructus cultoribus ſuis virtus ipſa rependat.

SIC IGITVR habendum eſt, non tam nobilium eſſe virorum honoribus auctis inuidere nouitijs: quam egregiam illã vnde hæc tanta virtutis ornamenta profecta ſunt, indolem animi ſedulo ſequi, ac generoſam mentis affectionem imitari, & cupidè ſemper amplecti. Nam hi quidem ſi virtute animi ſatis valerent, magis æmuli bonorum, quam inuidi eſſent. Quia verò, deſidia, & inertia, & ſtupor eos, atque torpedo inuaſit: ſtrepunt, obtrectant, alienam famam ſuum dedecus exiſtimant. Nam qui verè nobilis & dici & haberi deſiderat: aliorum rectè facta non inſectari, ſed imitari ſedulo vbique debet. Hæc enim facere haud vltima laus eſt: non facere ſummum flagitium. Cum præſertim nihil tam proprium nobilitatis ſit, quam ſeſe ſemper dedere virtuti, & vbique honeſta tueri: applaudentem interim illi, & tanquam manus porrigentem, qui ad ipſam rectà aſpirat, & tendit. Adde quòd inuidia ſemper ignauos macerat: nemo ſiquidem alteri inuidet, niſi qui ſe ſentit eſſe minorem. Itaque dum in aliena facta liuoris tabe infectus, corruptuſq; iam reſpicit: incandeſcens alijs, ſibique etiam ſuccẽſens, tabeſcit: deſertę à ſe virtutis iter in alio vellicãs, carpenſq;: quod profectò contrà decebat. Etenim mediocriter ad honeſta animato viro nobili faueri ſolet ab omnibus: eis verò, qui ſeſe nunc primũ nobilitati generis abſq; vllo præſidio ad ſpecioſa facta cõtulerũt, infenſi atq; irati ſunt multi: quibus nocere ne poſsit acerbæ virus inuidiæ, fœliciter natorũ ſubleuatio & tanquã aliqua bonorũ neceſſaria fultura eſt. Licet enim per ſe cognitis hominibus, nullaq; Nataliũ amplitudine fultis, innocentiſsimè acta vita, & res præclariſsimè geſtæ amplos interdũ largiantur honores, dignitatumq; cõmerita inſignia ſæpe ſuppeditẽt, primario tñ ordini genere nitentiũ virorũ, nõ ille tãtus neceſſarius eſt ad dignitatẽ ſudor: nõ ille iã ſolicitus labor adhibẽdus: qui in adipiſcẽdis honoribus ab obſcuris vulgò præſtari ſolet. His enim ſæpe vel voluiſſe ſat eſt, etiã ſi nõ admodũ ſolicitè magiſtratus ambiãt, & præfecturas publicas, functioneſq; affectẽt. Quò magis æquũ erat huic hominũ generi, reipublicę ſalutari, præſidij opẽ aliquã ab illis adhiberi. Quippe nouis ipſis hominibus multi ſunt hauriẽdi labores, & tædia mille deuorãda, muſsitãdę potentũ iniuriæ, ſubeũdæ inſuper nulla ſua culpa inimicitiæ, & æquanimiter ferẽdæ: cauẽdę multorũ inſidiæ, offẽſioneſq; vitãdę: oĩſq; poſtremò inter ſexcẽta pericula lapis eſt nõ honeſtè ſolũ, verũ etiã cautè mouẽdus: ne virtute animi acquiſito & parto munere, detractorũ aliqua inuidia vel fraude priuẽtur, ſeq; intẽpeſtiuè ea fũnctione abdicare cogãtur, q̃ ſtrenue ac laudabiliter obire paulo ante ſunt orſi. Quãquidẽ rẽ vltima in Verrẽ actione ſignificãter expreſsit M. Cicero. Quæret aliquis fortaſſe (inquit) tantas ne inimicitias tot hominũ ſuſcepturus es? Non ſtudio quidẽ hercle vllo, neq; volũtate: ſed nõ idẽ mihi licet, q̃ ijs qui nobili genere nati ſunt, quibus oĩa populi Romani beneficia dormiẽtibus deferuntur. Lõgè alia mihi lege in hac ciuitate, & cõditione viuendũ eſt. Venit enim mihi in mentẽ M. Catonis hominis ſapiẽtiſsimi: qui cũ ſe virtute, nõ genere populo Romano cõmendari putaret, cũ ipſe ſui generis initiũ, ac nominis ab ſe gigni, & propagari vellet, hominũ potentiſsimorũ ſuſcepit inimicitias, & maximis in laboribus vſq; ad ſummã ſenectutẽ, ſumma cũ laude vixit. Poſteaq; Pompeius humili atq; obſcuro loco natus, non ne plurimis inimicitijs, maximiſq; ſuis periculis ac doloribus, ampliſsimos honores eſt adeptus? Modò Luciũ Fimbriã, Caiũ Marium, C. Cælium vidimus non mediocribus inimicitijs, ac laboribus contendere, vt ad iſtos honores peruenirent, ad quos vos per ludũ & negligentiam perueniſtis. Hæc eadẽ eſt noſtræ rationis regio, & via: horum nos hominũ ſectã atq; inſtituta perſequimur. Videmus quanta ſit in inuidia quantoq; in odio apud quoſdã homines nobiles, nouorum hominũ virtus & induſtria: ſi tantulum oculos deiecerimus præſto eſſe inſidias: ſi vllum locum aperuerimus ſuſpicioni aut crimini, accipiendũ eſſe ſtatim vulnus: eſſe nobis ſemper vigilãdum, ſemper laborandum videmus. Inimicitiæ ſunt, ſubeantur: labores ſuſcipiantur. Etenim tacitæ magis & occultæ inimicitiæ timen-

dæ ſunt, quam indictæ & apertæ. Hominum nobilium non ferè quiſquam noſtræ induſtriæ fauet, nnllis noſtris officijs beneuolentiam illorum allicere poſſumus: quaſi natura & genere diſiuncti ſint, ita diſsident à nobis animo ac voluntate. Hæc ille. Tot igitur aduerſa hæc nouitati impendent: quæ in nobilitate ceſſant omnia. Ita fit, vt eiuſmodi nouitiorum gregi, citra pulnerem ſudoremque quod aiunt, nullus poſsit honos, dignitas vè contingere. Preſsi enim ob virtutem inuidia (ſemper namq; virtutis & gloriæ eiuſmodi labes eſt comes) non ante queunt honeſti laboris glorioſa mercede frui, quam virtutis munere omni egregiè perfuncti ſunt. Tunc etenim, vti ſubito imbre, aut iniecta vi aquæ incendium extinguitur, ſic inuidiam ipſam magnitudo rerum ſpecioſiſsimè geſtarũ curſu ſecundo profluens, de repente adobruit, obſcurat, ac delet prorſus: Licet enim vt lætis Cantharides ſegetibus, amœniſque roſetis maximè innaſci ſolent, ita & inuidia eos potiſsimum inuadat qui boni ſunt, & ad virtutis gloriam haud ſegui paſſu feruntur: eſt tamen ſplendidiſsimi cuiuſdam gradus meta quædam tam fœlix in ipſa virtute, vt inuidiam omnem ſibi reddat inacceſſam: claudãque efficiat ac debilem. Nam quis peſtis huius inſultum Alexandro vel Cyro effugere dicat fuiſſe difficile, orbis iam imperio potitis, rerumq; Sceptra tenentibus? Quaſi verò illa tantam poſsit facile ſubire fortunam, ac non potius media (quod aiunt) via omnino defeſſa fatiſcat? Vt enim Sol, vmbram eius, cuius ſupra caput aſtiterit, radijs colluſtrans ſuis, aut delet penitus, aut longè minorem conſtituit: ſic & fœlicitas, quum magnã erit altitudinem nacta, ſupraque inuidiæ caput ipſum, fulgorem ſuum diffuderit: extenuat eam, decurtat, minorem efficit, longẽq; procul aſpellens, diſsipat. Id quod nobilis poeta Claudianus inſinuat certè, cum ait.

Eſt aliquod meriti ſpatium, quod nulla furentis
Inuidiæ menſura capit.

Cuius ergo animus eò eſt virtutis progreſſus, vt cunctas ſuas res omnes tranquillo habeat in vado, ociari huic feriarique licebit, quam vt impeti poſsit, maior effectus. Subitò enim vaneſcit inuidia, cùm ſplendorem tantum ferre, aut aſpicere liberè nequeat. Colubros itaque ſuos miſerè mandens, furoris ſui in ſe ipſa virus omne, impetumq; cõuertit: lædere clariora non audens. At verò, quãquam teterrimæ huius inuidiæ rabiem nulli penè mortalium ampla ſecuto effugere datũ eſt: tempus tamen quoddam accepimus fuiſſe, amore vndique virtutum ita vallatum, vbi ne eos quidem infenſè oderat, quibus nunc plurimum eſſe videtur infeſta. Niſi fortè amici cauſæ blanditus eſt Cicero. Qui id ea in oratione aſſerit, qua defuncto in legatione ad. M. Antonium Seruio Sulpitio, à Senatu populoque Romano ſtatuæ honorem exhiberi contendit, quod eius ipſius mors reipublicæ cauſa contigerit. Qui honos Romæ quondam haberi eſt ſolitus ijs, qui pro republica ſunt vitæ munere functi. Cui quidem honori ſplendor clarior illuſtriorque accedebat, ſi eiuſmodi ſtatua Roſtris eſſet affixa. Hic enim locus erigendis ſtatuis Romano in populo multo eſt omnium honorificentiſsimus habitus. Quod cum ita ſe habeat: hoc ille maximè argumento contendit, ſtatuæ honore afficiendum eſſe Sulpitium, quando Octauium nouum hominẽ in Legatione à Leptine quodam occiſum priſci illi romani munere hoc inſigniuerint. Sic namque ait, Cnei Octauij clari & magni viri, qui primus in eam familiam, quæ poſtea viris fortiſsimis floruit, attulit conſulatum, ſtatuam videmus in Roſtris. Nemo enim tum nouitati inuidebat: nemo virtutem non honorabat. O fœlix (ſi Deum nouiſſent) ſtatus temporum! & ô recte locatus atque impenſus induſtriæ honos! & virtuti dignè premium perſolutum! Quis munia virtutis deſerat? aut quis reipublicæ ſuæ non fauebit ſtudioſiſsimè, cum etiam nouis hominibus reipublicæ partes amplexis, honorificentiſsimo in vrbis loco ſtatuam erigi videat: & defunctis perpetuæ elogia laudis affigi? At nunc acerrimum illud honorandæ virtutis ſtudium: quod egregiè (vt vidimus,) tempeſtate illa efferuit atq; concaluit, iam planè refrixit: atque ideo in hunc nouorum hominum ordinem nobiliſsimi cuiuſq; mens inuidia ſumma flagrat.

S E D Q V I D miramur rubiginoſis nunc dentibus ab inuidia carpi virtutem: cum etiam Ciceronis ætate, quæ ab illa, quam diximus, temporis fœlicitate non multum erat diſiuncta, plærorumque animos improba hæc lues iam ſumme peruaſiſſet? Quod cum videret. M. Cicero, nouitatemque generis fere ſemper ſummam in inuidiam adductum iri perſpiceret, vt qui hac ipſa de cauſa ſæpe vulnus accepiſſet, ſic cauſam de ciuium iuri aſcribendo Lucio Cornelio egit ipſe, vt non ante actionis illius merita ſumma perſtringeret, quam huic ipſi in nouos homines morbo inuidiæ opem aliquã ſanitatis, medicinamq; afferret. Ita enim ait.

Prinſ-

Priuſquam aggrediar ad ius cauſamque Cor
nelij, quiddam de communi conditione om
nium noſtrum deprecandæ maleuolentiæ
cauſa, breuiter commemorandum videtur.
Si quoquiſque loco noſtrum eſt iudices na-
tus, aut ſi in qua fortuna eſt naſcendi initio
conſtitutus, hunc vitæ ſtatum vſque ad ſe-
nectutem obtinere debet: &, ſi omnes,
quos aut Fortuna extulit, aut ipſorum il-
luſtrauit labor & induſtria, pœna ſunt affi-
ciendi: non grauior Lucio Cornelio, quam
multis viris bonis atque fortibus conſtitui
lex vitæ, & conditio videtur. Sin autem mul
torum virtus, ingenium, humanitas, ex infi-
mo genere & Fortunæ gradu, nō modò ami
citias & rei familiaris copias conſecuta eſt,
ſed ſummam laudem, honores, gloriam, dig
nitatem: non intelligo cur potius inuidia vio
latura virtutem Lucij Cornelij, quam æqui-
tas veſtra pudorem eius adiutura videatur.
Itaque quod maximè petendum eſt, à vobis
idcirco non peto iudices, ne de veſtra ſapien
tia, atque de veſtra humanitate dubitare vi-
dear. Eſt autem hoc petendum, ne oderitis
ingenium, ne inimici ſitis induſtriæ: ne hu-
manitatem opprimendam, ne virtutem pu-
niendam putetis. Quibus profectò verbis
M. Cicero non minus nobilium hominum
in nouam gentem odijs, inuidiæque occur-
rit, quam id quod vtiliſsimum eſt ſatis exa-
ctè præcipit: dum in elargienda ciuitate, ho-
noribuſque mandandis non tam genus &
Natalium conditionem, quam hominum in
duſtriam atq; virtutem innuit eſſe ſpectan-
dam. Quas obres præclarè idem in oratione
pro Lucio Muræna exprobratam huic homi
ni à Seruio Sulpitio generis nouitatem, cum
Murænæ cauſam contra Seruium ageret Ci
cero, impunè abire non ſiuit, quin regeſtum
in clientem maledictum, ad huuc modum
ſcitiſsimè vltus eſt. Contempſiſti (ait) Lucij
Murænæ genus, extuliſti tuum. Quo loco, ſi
tibi hoc ſumis, niſi qui Patricius ſit, nemi-
nem bono eſſe genere natum: facis vt rur-
ſus plebs in Auentinum ſeuocanda eſſe vi-
deatur. Sin autem ſunt amplæ, & honeſtæ fa
miliæ plebeiæ, & proauus L. Murænæ,
& auus prætores fuerunt: & pater cum am-
pliſsimè atque honeſtiſsimè ex prætura triū-
phaſſet, hoc faciliorem huic gradum conſu-
latus adipiſcendi reliquit, quòd is iam patri
debitus, à filio patebatur. Tua verò nobilitas
Serui Sulpiti, tametſi ſumma eſt, tamen ho-
minibus literatis, & hiſtoricis eſt notior, po-
pulo verò & ſuffragatoribus obſcurior. Pater
enim fuit equeſtri loco, auus nulla illuſtri
laude celebratus. Itaque non ex ſermone ho
minum recenti, ſed ex Annalium vetuſtate
eruenda eſt memoria nobilitatis tuæ. Quare
ego te ſemper in noſtrum numerum aggre-
gare ſoleo, quod virtute induſtriaque perfe-
ciſti, vt cum equitis Romani eſſes filius, ſum
ma tamē amplitudine dignus putarere. Nec
mihi vnquam minus in Q. Pompeio nouo
homine, & fortiſsimo viro virtutis eſſe vi-
ſum eſt, quam in homine nobiliſsimo. M.
Æmilio. Etenim eiuſdem animi atque inge-
nij eſt, poſteris ſuis quod Pompeius fecit,
amplitudinem nominis, quam non accepe-
rit tradere: & vt Scaurus, memoriam prope
intermortuam generis ſui, virtute renouare.
Quamquam ego iam putabam, iudices, mul-
tis viris fortibus, ne ignobilitas obijceretur
generis, meo labore eſſe perfectum: qui non
modò Curijs, Catonibus, Pompeijs, antiquis
illis fortiſsimis viris, nouis hominibus, ſed
his recentibus Marijs, & Didijs, & Cœlijs
commemorandis iacebant. Quum ego verò
tanto interuallo clauſtra iſta nobilitatis refre
giſſem, vt aditus ad Conſulatum poſthac,
ſicut apud maiores noſtros fuit, non magis
nobilitati quàm virtute pateret: non arbitra-
bar, cum ex familia vetere & illuſtri, conſul
deſignatus ab equitis Romani filio conſule
defenderetur, de generis nouitate accuſato-
res eſſe dicturos. Etenim mihi ipſi accidit, vt
cum duobus patritijs, altero improbiſsimo,
atque audaciſsimo, altero modeſtiſsimo at-
que optimo viro peterem. Superaui tamen
dignitate Catilinam, gratia Galbam. Quòd ſi
id, crimen homini nouo eſſe deberet, profe-
ctò mihi neque inimici, neque inuidi defuiſ-
ſent. Sed omittamus cætera, quæ quia non
ita ad hanc rem neceſſaria valde ſunt, præ-
termitti iure poſſunt. Vana eſt igitur ora-
tio de genere diſputantium virorum: cum
non tam genus quam virtus, & vitæ lauda-
biliter inſtituta ratio attendi ſemper laudari-
que debeat.

CAETERVM mihi quidem (quod ad hoc
ſpectat atque attinet) veterum ſcripta me-
moria recolenti, quum multi hoc ipſo no-
mine ſæpe vexati ab inuidis occurrant: nullis
tamen acriorem aduerſamq; magis inuidiæ
teterrimam tabem extitiſſe vnquam, videri
ſolet: quam Caio Mario & M. Ciceroni.
Cum his enim inteſtinum, anceps, diutur-
numque bellum geſsiſſe inuidia credi po-
teſt: quòd à paruis initijs profecti indu-
ſtria celeberrima animi immortalem nomi-
nis gloriam fœliciter adepti ſunt, & maiori-
bus ſuis tantum lucis ad nobilitatem largiti,

vnde haud parum quidem ſupereſſet, quod poſteris ipſis dignè perſolui poſſet. Qui cum ambo Arpinati municipio nati eſſent, domeſticæ laudis nulla muniti commendatione: pacis alter, alter belli artibus tantum ſunt gloriæ ac nominis aſſecuti: vt rerum magnitudine geſtarum Romani populi principes haberi meriti ſint. Quare, ſi dum vtriuſq; horũ exempla repetimus, plus iuſto immorati videbimur, ab æquo rerum æſtimatore id certe non erit culpandum: ij enim vice multorum politi, quid de reliquis ſimili generis Fortuna præditis opinandum ſit, docere poterunt. Siquidem non mediocre operæpretium eſt, ex vnius alterius ve facto & exemplo viri, multorum tamquam hominum facta & exempla legere, quæ pectore aſſeruata commodè, vitam ipſam erudiunt, exprompta cum vſui ſunt. Quæ cum ita ſint, cur non potius pauca, ſed opima, fructuoſa, & optima conſectemur: quam temerè hinc inde labore aſpernabili deſudantes, humilia, ieiuna & ſordida friuolè multa adducamus? Quas ob res Marianæ orationis illuſtre quoddam fragmentum in præſentia mihi libet apponere: Graphicè enim in eo Marius ipſe depingit nobilium quorundam in nouos homines conciti animi æſtus, iniuſtique iram ſtomachi, & inuidiæ diram luem. Nam cũ Romanus populus, qui militarem Marij virtutem ſæpenumero eſſet præclariſsimè expertus, Iugurthæ Regis inſolentiam Marianis vellet armis comprimi, in id negotij imperatore eo Quiritum ſuffragijs creato: tam hoc factum nobilitas tulit ægrè, vt non obſcurè decreta populi reprehendere, & ſummis hominem probris propter generis ignobilitatem proſcindere, vexare atque diſcerpere è veſtigio cœperit: quos ita eſt eleganter nimis ac verè apud Saluſtium vltus Caius Marius. Vos me (inquit) Quirites aduerſus Iugurtham bellum gerere voluiſtis: quam rem nobilitas ægerrimè tulit. Quæſo reputate cum animis veſtris, num id mutare melius ſit: ecquem ex illo globo nobilitatis ad hoc, aut aliud tale negotium mittatis hominem veteris proſapiæ, ac multarum imaginum, & nullius ſtipendij. Scilicet vt in tanta re ignarus omnium trepidet, feſtinet, ſumat aliquem ex populo monitorem ſui officij: ita plærumque euenit, vt quem vos imperare iuſsiſtis, is ſibi imperatorem alium quærat: Atqui, ego ſcio, qui poſtquam Conſules facti ſunt, acta maiorum, & Græcorum militaria præcepta legere cœperint: præpoſteri homines. Nam gerere quam fieri tempore poſterius, re atque vſu prius eſt. Comparate nunc Quirites, me hominem nouum cum illorum ſuperbia: quæ illi audire, & legere ſolent: eorum partem vidi, alia geſsi: quæ illi literis, ea ego didici militando. Nũc vos exiſtimate, facta, an dicta pluris ſint. Contemnunt nouitatem meam, ego illorum ignauiam: mihi Fortuna, illis probra obiectantur. Quamquam ego naturam vnam, & communem omnium exiſtimo, ſed fortiſsimum quemque generoſiſsimum. At, ſi iã ex patribus Albini aut Beſtiæ quæri poſſet, me ne an illos ex ſe gigni maluerint, quid reſponſuros creditis, niſi ſeſe liberos quam optimos voluiſſe. Quod ſi iure me deſpiciunt, faciunt idem maioribus ſuis, quibus, vti mihi, ex virtute nobilitas cœpit. Inuident honori meo, ergò inuideant labori & innocentiæ, periculis etiam meis, quoniam per hæc illum cepi. Verùm homines corrupti ſuperbia, ita ætatem agunt, quaſi veſtros honores contemnant: ita hos petunt, quaſi honeſtè vixerint. Næ illi falſi ſunt, qui diuerſiſſimas res pariter expetant: voluptatem & premia virtutis. Atque etiam cum apud vos, aut in Senatu verba faciunt, plæraque oratione maiores ſuos extollunt: eorum fortia facta memorando, clariores ſeſe putant: quod contrà eſt. Nam quanto vita illorum præclarior, tanto horum ſecordia flagitioſior. Et profectò ita ſe res habet, Maiorum gloria poſteris quaſi lumen eſt: neque bona eorum, neque mala in occulto patitur. Huiuſce ego rei inopiam patior Quirites. Verùm id, quod multo præclarius eſt, mea facta mihi dicere licet. Nunc videte quàm iniqui ſint, quod ex aliena virtute ſibi arrogãt, id mihi ex mea non concedunt: ſcilicet quia imagines non habeo, & quia mihi noua nobilitas eſt: quã certè peperiſſe, quam acceptam corrupiſſe melius eſt. Equidem ego non ignoro, ſi iam mihi reſpondere velint, abundè illis facundã & compoſitam orationem fore: ſed in maximo veſtro beneficio, cum omnibus locis me voſque maledictis lacerent, non placuit reticere, ne quis modeſtiam in conſcientiam duceret. Nam me quidẽ ex animi ſententia lędere nulla oratio poteſt. Quippe vera neceſſe eſt prædicet, falſam vita, moreſq; mei ſuperãt. Sed quoniã veſtra cõſilia accuſantur, qui mihi ſummũ honorẽ & maximũ negotiũ impoſuiſtis: etiam atque etiam reputate, nũ eorum pœnitendum ſit. Non poſſum fidei cauſa imagines, neque triumphos, aut Conſulatus maiorũ oſtentare. At, ſi res poſtulet, haſtas, vexillũ, phaleras, alia militaria dona,

præte-

pręterea cicatrices aduerſo corpore. Hę ſunt
meæ imagines, hæc mea nobilitas: non hæ-
reditate relicta, vt illa illis, ſed quæ ego pluri
mis meis laboribus & periculis quæſierim.
Non ſunt compoſita verba mea, parum id fa
cio, ipſa ſe virtus ſatis oſtendit: illis artificio
opus eſt, vt turpia facta oratione tegant. Ne-
que literas Græcas didici: parum placebat eas
diſcere quippe quæ ad virtutem doctoribus
nihil profuerant. At, illa multo optima reipu
blicæ doctus ſum: hoſtem ferire, præſidia agi
tare, nihil metuere niſi turpem famam, hye-
mem & æſtatem iuxta pati, humi requieſce-
re, eodem tempore inopiam & laborem to-
lerare. His ego præceptis milites hortabor:
neque illos arctè colam, me opulenter: neq;
gloriam meam, laborem illorum faciã. Hoc
eſt vtile, hoc ciuile imperium. Namque quũ
tu per molliciem agas, exercitum ſuppli-
cio cogere. id eſt dominum, non imperato-
rem eſſe. Hæc atq; alia maiores veſtri facien-
do, ſeque & rempublicam celebrauere: queis
nobilitas freta, ipſa diſsimilis moribus, nos il
lorum æmulos contemnit, & omnes hono-
res non ex merito, ſed quaſi debitos à vobis
repetit. Cæterùm homines ſuperbiſsimi pro
cul errant: maiores eorum omnia, quæ lice-
bat, illis reliquere: diuitias, imagines, memo
riam ſui præclaram: virtutem non reliquere,
neque poterant: ea ſola neque datur dono,
neque accipitur. Sordidum me, & incultis
moribus aiunt, quia parum ſcitè conuiuium
exorno: neque hiſtrionem vllum, neque plu
ris pretij coquũ, quam villicum habeo: quæ
mihi libet confiteri Quirites. Nam ex paren-
te meo, & ex alijs ſanctis viris, ita accepi mun
ditias mulieribus, viris laborem conuenire:
omnibuſq; bonis oportere plus gloriæ, quã
diuitiarum eſſe: Arma, non ſupellectilem,
decori eſſe. Quin ergò, quod iuuat, quod
charum æſtimant, id ſemper faciant: ament,
potent: Vbi adoleſcentiam habuere, ibi ſene
ctutem agant in conuiuijs, dediti ventri, &
turpiſsimæ parti corporis. Sudorem, pulue-
rem, & alia talia relinquant nobis, quibus illa
epulis iucundiora ſunt. Verùm non eſt ita.
Nã vbi flagitijs ſe dedecorauere turpiſsimi vi
ri, bonorum premia ereptum eunt. Ita iniu-
ſtiſsimè luxuria & ignauia, peſsimæ artes illis
qui coluere eas, nihil officiunt: reipublicæ in
noxiæ, cladi ſunt. Hæc Marius contra inuidã
nobilium hominum proteruiam doctiſsimè
perorauit. Quibus ſi animum libeat aduerte
re, intelligemus eiuſmodi inuidiam (quæ fa
cilè vitari nequeat) præclara animi induſtria
atq; virtute omnino vincendam eſſe. Nam ve
ram Natalium nobilitatem, non tam ſummi
generis claritate quam rerum huiuſmodi af-
fluentia conſtitui atq; ſtabiliri, hic profectò
Marius omnium optimè, perſpicuò declara-
uit. Qui enim parentũ obſcuritate apud cla-
ros genere viros ſummo erat in probro, belli
ca Aphricam virtute ſubegit: hunc; ipſum
Rege Iugurtham Punicis armis ferocientẽ
aduerſus quem fuerat imperator cõſtitutus
(nobilitate id indignè patiente) cathenis vi-
ctoriæ reuinctum, ante ſuum egit triumphã
tis currũ captiuũ. Quid Theutonicos Cym-
bricoſq; exercitus cõſimili ab eo virtute ani-
mi fuſos, deletoſque commemorem? aut bis
obſidione, ſeruitutiſque metu dicam huius
vnius opera liberatam Italiam? At enim dices
obſcurus, nouuſq; fuit, fuerit licet.

Hic tamen & Cymbros, & ſumma pericula rerũ
Excipit, & ſolus trepidantem protegit vrbem.

Hæc clarorum, illuſtriumq; hominũ: hæc
animoſorum, fortiumque Ducum: hęc prin
cipum vera & digna ſunt facta: hoc præſtan-
tem virũ, nobilemq; decet. Non (vt ille ait)
pulmonem rumpere ventis, ſtemmate quod
Thuſco ramũ milleſime ducis. Cum ad mo
rem interim non pudeat diſcincti viuere Na-
tæ. Etenim pręclaras iſtas generis phaleras po
pulo licet prætendere, nõ illis oſtentare, qui
veram germanamque nobilitatem intus &
in cute norunt. Quibus perſuaſiſsimum eſt
ſingulari animi excellentis induſtriæ, præ-
ſtantiæ vitæ, magnitudiniq; virtutum, ſum-
ma omnia generis ornamenta deberi.

QVOCIRCA, ſi ad hunc modum affectis
hominibus id eſt elatione animi clara prædi
tis, ad ſummaq; nitentibus, ad nobilitatẽ ſuã
poſteritati prodendam honoris quidpiã dela
tum ſit, bono atq; nobili viro dolendum nõ
eſt: ſed induſtriæ potius applaudendum, &
virtuti congratulandum. Inuidi enim animi
eſt, alterius fœlicitate ingemiſcere. Quippe,
nemo ſic frontem contrahit, niſi qui ſuæ ip-
ſe bonitati, vel animi virtuti diffidit. Quod
enim quiſq; adepturum ſe ſperat facile, id ſi
contingat alteri, nõ dolet: diſcruciatur verò,
quoties in eo alium florere ſentit: cuius in hę
reditate gloriæ partę deſperat ſeſe fore parti-
cipem. Ita fit vt induſtrijs & ſtrenuis tributa
virtutis inſignia, ignauis & inertibus valde
moleſta ſint, quia virtus parum eſt cordi. Vel
quòd quæ in difficili atque arduo loco poſi
ta ſummi decoris gloria, ſegniciç illorum tur
pi inacceſſa videbatur: gentis huius laudabili
induſtria, & egregio animi labore ſit parta.
Nam qui generoſa ſunt mente præditi, vir-
tutis ſibi exiſtimant conſtitutam eſſe palæ-

ſtram:cui turpe ſit,ignauumque ſubcumbe-
re. At, qui parum ſapiunt, inuidi homines,
diſcruciati animi pendent (quam ſequi no-
luerunt)virtutem creſcentem intuiti: Cuius
longe fuiſſet ſatius ſancta ſectari veſtigia,
quam ad ſumma nitentibus iter præpedire,
Sepiæ tanquam atramento diffuſo, tabifico
vndique inuidiæ viro ſparſo, perinde quaſi
vt inuidiæ cedant, virtus à bonis temere ſit
atque improbè deſerenda. Sed fruſtretur
ſpe fallax hominum techna, veteratorium-
que cõſilium ſperati fructus fraudetur emo-
lumento. Itaque quò magis illa induſtrios vi
ros premit, hoc illi magis virtuti inſiſtãt mo
neo:& ad laudem ſemper atque honeſtatem
viribus totis incumbant: vt maleuolorum
hominum rabies hanc vnam habeat ceu affli
ctionis lanienam conſtitutam ſibi: quæ illos
vſquequaque torqueat & aſsiduè male vrat.
Nulla ſiquidem horribilior furca, nullus ad
deſperationem inuidis iniectior vel paratior
laqueus eſt, quam inuiſo inimicoque in ho-
mine cũ perſpecta eſt cupiditas ſumma glo-
riæ, & honeſtatis atque virtutis ſtudium in-
defeſſum.

NON ERGO audiendi ſunt, qui nouis ad
laudem aſpirantibus viris, inſignia honorũ,
& ornamenta virtutum negant deferenda:
ſed exitioſis belluis ex benemorata republi-
ca (quæ induſtriæ atque virtuti ampliſsimis
pręmijs propoſitis ſummè florere debet) quã
primum exactis, ad eos quos virtute meruе-
runt honores, noui ſunt homines diligentiſ-
ſimè vocandi. Induſtriæ enim ſubminiſtran-
dus eſt gradus, aperiẽdus aditus, & ianua pa-
tefacienda virtuti: vt quicunque velint nobi
les fieri, præclara atque optima accuratè ſuſ-
cipiẽtes, haud ſint ab inclyto illo nobilium
albo excluſi. Quæ quidem res, cùm in omni
præclarè fundata, egregièque inſtituta ciui-
tate plurimum ſemper valuerit (cum etiam
tum non deeſſent: qui aliorum bonis ſæpe
mœrerent) conſeruanda profectò modis om
nibus nobis eſt: ſi nobilium hominum lau-
de, & clarorum celebritate virorum vrbem
noſtram vſque florere velimus, ſtudiaque ip
ſa virtutum ſummè vbique vigere. Sint igi-
tur in pretio ſua tantum virtute noti, clariſsi
mi viri dignitate omni, honoreque potian-
tur obſcuri & noui homines, ſi qui elatione
animi tanta pollere videbuntur, vt vtrumq;
tempus bellorum ſcilicet & pacis republica
in noſtra dignè queant, rectèq; obire: ac cun
cta tandem fœliciter adminiſtrare. Legan-
tur ad noſtram omnium ſalutem & reipubli
cæ tutelam vndique fortes viri: conquiran-
tur, indagẽtur, premijs allecti pertrahantur.
Habeatur bonorum malorumque delectus:
ſit tandem inter ignauiam atque virtutem
diſcrimen aliquod publicè cõſtitutum. Hoc
ſanctum, hoc honeſtum, hoc in commune
vtiliſsimum eſt. Hanc qui reipublicæ ſuæ le-
gem dici non vult, is patriæ inimicus eſt, ſa-
lutiſque omnium hoſtis: & eius (quem ſta-
bilire potuit) ciuilis ſtatus proditor. Nam
per immortales Deum quæſo, ſi maiorum
exempla conſideranda ſunt, cuius nam po-
tius terenda veſtigia ſunt, quam eius vrbis,
quæ propter virtutem cunctis gentibus atq;
nationibus imperitauerit: ac ſummi orbis cõ-
ſtituta caput, pariter & imperium ſapienter
rexerit, ac fœliciter retinuerit? Atquî, Roma
na hac in republica, oppreſſa tãdem maleuo
lorũ inuidia (ſic enim accepimus) virtuti ſem
per liber relictus eſt locus. Quid? quod ab ex
teris gentibus ad gerendos honores in ciuita
tem adciſcebantur præſtantes ingenio viri,
& animi magnitudine valentes? Cum enim
priſci illi Romani magnum in primis puta-
rent, ciuium numero mortalium aſcribere
quemquam: tamen hoc honoris ad eos de-
ferendum eſſe duxerunt, quorum opera &
induſtria Romanę ipſi reipublicæ aut iã vſui
fuiſſet, aut vtilis eſſe poſſet. Sic Romani po-
puli omni laude cumulatiſsimi viri, præſtan
tiſsimiq; duces, cũ patriæ ſuæ dignitati, ſplẽ-
dori atq; amplitudini proſpectũ vndique, ac
maximè conſultum vellent: ſi quẽ præſtantẽ
virtute virũ honoris ergo ciuitatis Romanæ
iura anxiè animaduertiſſent expetere, ciuita-
te donandum eſſe ſemper exiſtimauerũt. Sic
magnus ille Pompeius Gaditanũ quendã. L.
Cornelium Balbũ vrbe donauit, quod eius
ipſius opera multis in prælijs aduerſus Ro-
mani nominis hoſtes vſus quã ſtrenuiſsimè
foret. Cuius cum honorificentiſsimi facti li-
beralitatem quaſi parum legitimè factã qui-
dam reprehenderent, quod de fœderatis pro
uincijs quempiam recipiendũ eſſe negarent,
niſi cuius Romanæ ditionis populus eſſet
fundus factus: Põpeij cauſam pro Balbo ſuſce
pit Cicero, docens aduerſarios ipſos ſtultè
de lege opponere: cum nihil in legem ip-
ſam à Pompeio ſit commiſſum, ſed id po-
tius à clariſsimis hominibus exemplo facti-
tatum. Quorum neque Licinia neque Mu-
tia lege (quibus de ciuitatis donatione acerri
ma ſolet quæſtio haberi) reprehẽſum vnquã
eſt factum. Itaq; repetitis aliorum in cauſa ſi
mili exemplis. Sic Pompeium à calumnia de
fendit. Quid? C. Pompeius Magni pater, re
bus Italico bello maximis geſtis, Publiũ Ce-
ſium

ſium equitem Romanum virum bonũ, qui viuit Rauennæ, fœderaro ex populo, nõne ciuitate donauit? Quid? cohortes duas Camertium? Quid? Heraclienſium legionem. P. Craſſus vir ampliſsimus ex ea ciuitate, qua cum propè ſingulare fœdus, Pyrrhi temporibns, Caio Fabricio conſule ictum putabatur? Quid? Maſsilienſem Ariſtonem, Sylla? Quid, quoniam cum Gaditanis agimus, idẽ heros. jx. Gaditanos. Quid? vir ſanctiſsimus & ſumma religione ac modeſtia. Q. Metellus Pius. Q. Fabium Saguntinum. Quid? hic qui adeſt, à quo hæc, quæ ego nunc percurro, ſubtiliſsimè ſunt omnia perpolita. M. Craſſus, non Alatrienſem fœderatum ciuitatè donauit? Homo tum grauitate & ſapientia præſtans, tum vel nimium parcus in largienda ciuitate? Hîc tu, Cnei Pompeij beneficium, vel potius indicium, & factum infirmare conaris, qui fecit quod Caium Mariũ. feciſſe audierat, fecit quod. P. Craſſnm. L. Syllam, quod. Q. Metellum, quod denique domeſticum authorem patrem ſuum facere viderat? Neque verò in vno Cornelio id fecit. Nam & Gaditanum Haſdrubalem ex bello illo Aphricano, & Mamertinos obuios, & quoſdam Vticenſes, & Saguntinos Fabros ciuitate donauit. Etenim cùm cæteris præmijs digni ſunt, qui ſuo labore & periculo noſtram rempublicam defendunt: tùm certè digniſsimi ſunt, qui ciuitate ea donẽtur, pro qua pericula & tela ſubierunt. Atque vtinã qui vbique ſunt propugnatores hnius imperij, poſſent in hanc ciuitatem venire: & contrà oppugnatores reipublicæ de ciuitate exterminari. Neque ille ſummus poeta noſter Hannibalis illam magis cohortationem, quã communem imperatorum voluit eſſe.

Hoſtem qui feriet, mihi erit Carthaginienſis.

Quiſquis erit ciuitatis, ſi & id habent hoc leue & ſemper habuerunt. Itaque & ciues fortiſsimi fortes viros vndiqne aſciuerunt, & hominum ignobilium virtutem perſæpe nobilitatis inertiæ prætulerunt. Habetis, inquit ille, Imperatorum ſummorum, & ſapiẽtiſsimorum hominum clariſsimorum virorum interpretationem Iuris ac fœderum.

Sed haec magnitudini animi bellica virtute præſtantis fortiſsimam apud gentem, verèque Martios viros tributa videri poterunt: ni & qualiter Romanorum natio erga fœlicia ingenia, doctoſque homines ſemper animata fuerit, pariter oſtenderimus. Etenim hac in vrbe vt ſcriptũ inuenimus, Rhudiũ hominẽ Ennium, magnũ ingenio virũ ſed impolitum atque arte rudem: maximo applauſu populi ciuitate donatum accepimus, quod Africani Scipionis res geſtas carminibus ſuis celebrauerit, & ingenio illuſtres fecerit. Sic & Pompeius ille magnus (cuins Panlo ante mentionẽ fecimus) Theophanem Mithyleneum ſuarum rerum ſcriptorem in concione militum ciuitate donauit, beneficium per ſe amplum (vt maximus inquit Valerius) accurata & teſtata etiam oratione proſecutus: quod à ruſticis quoque militibus approbatum eſt, ſpe quadam adductis ſpargendæ laudis ſuæ teſtimonio huius vatis in orbis terrarum memoriam ſempiternam. Quod non in vna tantùm ciuitate Romana obſeruatum eſt, ſed & cæteris etiam frequenter vſurpatum. Quas obres Aulum Licinium quendam Archiam Antiochiæ natum hominem; propter egregiam in carminibus Græcis condendis ingenij præſtantiam Tarentini, Rhegyni, Neapolitani, & Heraclienſes tandem in ciuitatem ſuam libenter aſcripſerunt. Quem & M. Cicero contra Gracchum luculenta ſanè oratione defendit: declarans indignum eſſe, quem ob ſummam animi eruditionem clariſsimæ vrbes ciuem expetijſſent, hunc ad ciuitatis eius iura non admitti, quæ ſummis ingenijs plurimum ſemper eſſet delectata, & maximè quondam fauiſſet. Nam quid ego de Homero poetarum principe dicam? quo de homine ſeptem olim præſtantiſsimarum ciuitatum controuerſias magnas accepimus fuiſſe? vt enim de Rhodijs, Argiuis & Ionijs in pręſentia commemorem nihil, quis non videat inter quatuor reliquas, dum ſibi enm aſſerit quæque, contentionum maxima certamina deſœuiſſe? Colophonij ciuem eſſe dicunt ſuum, Chij ſuum vendicant, Salaminij repetunt, Smyrnæi verò ſuum eſſe confirmant. Itaque, vt author eſt M. Cicero, delubrum eius in oppido dedicauerunt. Sed miſſos faciamus poetas, deque ipſo iam philoſophorum grege vnum aut alterum vice ſubijciamus exempli. Samium quis Pythagoram inclytum philoſophum neſcit? opinor nemo. Huius enim philoſophi placita, celebratiſsima ſunt apud ethnicos habita quondam. Is igitur cum illam Italiæ oram (quæ magna olim Græcia dicta eſt, egregijs inſtitutis præceptiſque inſtruxiſſet, ad extremum tandem appulit Metapontum, vbi & decedere contigit. Cuius tãta admiratio fuit, vt ex eius domo Metapontini templum facerent, atque eum pro Deo colerent. Quid nũc Platonem referã? quẽ doctiſsimus diſcipulus Ariſtoteles erecta ara coluit pro Sũmo Deo.

adiecto inſuper elogio perhonorifico. Húc
eſſe illum, quem probi omnes meritò de-
beant, & imitari & commendare. Vt taceam
interim de Perſarum Magis, quos defun-
cto Platoni immolare Seneca refert, quod
natali ſuo deceſsiſſet, annumque vnum ſu-
pra octogeſimum abſoluiſſet, deductionis
vel additionis nihil prorſus appenſo. Ij nan-
que inter cætera diſciplinæ ſuæ dogmata
pro rato defendunt: numerum hunc om-
nium perfectiſsimum eſſe: quem nouies no
uenum multiplicat (vt in ſuis de honeſta di
ſciplina collectaneis author eſt Petrus Crini-
tus) qua quidem ætate philoſophi Platonis
conſtat interitum fuiſſe.

Sed qvorsvm de poetis atque philo-
ſophis hæc omnis ſpectat oratio? nempè vt
intelligamus viros illos, quibus ingenij glo-
ria antecellere datum eſt, apud benè inſti-
tutas nationes omni ſemper honore digniſ-
ſimos habitos eſſe: neque ſolicitè vnquam
indagaſſe natalium conditionem, aut in eis
honeſtandis maiorũ pacto vllo merita quæ-
ſiuiſſe: ſed ad virtutem animi laudum om-
ni inſigni condecorandam certatim vſque,
atque alacres cucurriſſe. Præclarè illæ qui-
dem. Nam quis non videat veram eſſe Ari-
ſtotelis ſententiam dicentis: Pulcherrimum
illud nobilitatis genus eſſe, quod bonarum
artium ſtudijs, & ſapientia clara animi mor-
talium ſibi quiſque peperiſſet. Socratis phi-
loſophorum principis mater, obſtetrix fuit:
Cultellos factitauit pater Demoſthenis: ven
didit olera mater Euripidis. Fuitque ſeruus
Epyctetus, Menippus etiam & Phædon Eli
denſis. Seruitutem itidem ſeruiuit Ægyp-
tiorum nobilis legiſlator Zamolſis: Æſopus
quin etiam Phrygiæ fabulator inſignis, qui
rudes ad philoſophandum populos mirabi-
li ingenij ſolertia ad ſapientiæ ſtudia pelle-
xit, dum animantes brutas inter ſe fingit ra-
tiocinantes ea, quæ ad honeſtè laudabili-
terque viuendum, ſtudioſè conſectari, am-
plexarique in primis hominem oporteat,
cum gentilibus ſuis ſeruitute fuit infamis:
ſed virtute & ſapientia animi adeo nobilis,
vt non hominum tantum ſed & Deorum
etiam teſtimonio (vt veterum Annales per-
hibent, ſummum & honorem & gloriam in
omne ſit tempus meritus. Delphos enim in-
genti cum auri pondere à Crœſſo Rege miſ-
ſus vt Apollini ſacra faceret, & minas ſingu-
las incolis diſtribueret: vilitate illorum ex ri-
xa quadam perſpecta, vbi primum ſacra pe-
regit, pecunias ſecum auexit, nihil illis com-
modi relicto, qui vllius erant premij pror-
ſus incapaces. Quapropter ſacrilegij eo à
Delphicis inſimulato, ab auaris ſæuiſque
hominibus ex rupe quadam Hyampæa præ-
cipitio fuit abſumptus. Quæ res, cum perin
digna Apollini viſa fuiſſet, Delphicis iratus,
ſterilitatem agris: ciuibus atque accolis mor-
borum varia genera actutum immiſit. Vi-
des conſociatam virtute ſapientiam, claram
illuſtremq; illi Deo fuiſſe exiſtimatam: cui
vulgaris iſta nobilitas obſcura eſſe non poſ-
ſit? Itaque meritò illorum omnium, virtu-
tis atque ſapientiæ incolumi fama, celebritas
ſumma viget: quam nimirum eorum multi
aſſequi nequiuerunt, qui maiorum inclyto
genere, & ſplendore natalium ornati, fulti-
que fuerant. Adeo nihil ad memoriam po-
teſt tam ſpecioſè propagari, vel extendi quã
animi clara virtus, & ſapientiæ vera cogni-
tio. Quæ quidem in bona: neque cæca illa
(quæ fingitur) iuris ſibi quidpiam fortuna
vendicat: neque quæ ſumma cum paruis
æquat, cunctaque carpit, & impotenti falce
demetit: exitioſum poteſt ſæua mors impe-
tum facere.

Sed ad intermiſſa Natalium reuertamur
penſa: quodque iniri cæptum eſt iter, incon
ctanter, curſim, atque propere maturemus:
ne pigrè, lentèque euntes moras longas tra-
hamus, vndique obuia carpentes. Ac quan-
do hoc in loco & reliqua oratione noſtra illi
tantum à nobis ſuſcipiuntur, qui de genere
nouitiorum virtute ſunt animi nobiliſsimi,
illuſtriſsimique effecti, quia ordinis huius
princeps videri Cicero poteſt: ille quidem
(vt à me oſtenſum eſt antea) plerumque in
hac cauſa multorum inſtar adductus: etiam
in poſterum ſemel atque iterum mihi erit
neceſſariò repetendus. Nam hic, cum non ge
neris antiquitate, ſed virtutis ornamentis
ſummam eſſet Romano in populo laudem
nominis aſſecutus, inſigniaque omnia ho-
norum adeptus: vt tandem nullum ad lau-
dem gradum haberet reliquũ, quo ſibi altius
liberet conſcendere (quemadmodum loco
quodam de ſe fatetur ipſe) in inuidiam hoc
ipſo nomine ab improbis eſt ſępe vocatus. Ij
enim cum in omni. M. Ciceronis vita nihil
magnopere expoſitum maledictis, aut crimi-
nationi vel iniuriæ apertum eſſe perſpicerẽt:
genus (quod non ita difficile facere pote-
rant) vituperabant: natalium illi obſcuritatẽ
paſsim exprobrantes. Qua in re perinde
mihi facere ſunt viſi ſtulti homines, ac mor-
dax ille (vt eſt in fabulis) ſcurra Deorum
Momus: qui cum in celebri illo epulo à Io-
ue Diuis exhibito, in vnoquoque Deorum

aliquid ipſe notaſſet, & Scommata latè iecisſet in omnes: vbi dicacitatis ſors, conuiciorũ lege, in vna videretur Venere reſidua facta. Hic Momus (etiam diuino in corpore) naturæ perfectione tanta obſtupefactus, cum neque oris ſpeciem, aut corporis poſſet lineamenta reprehendere, Sandalia Veneris carpſit. Ne, qui in cunctos Cœlites dicteriorum iaculator ſalſus extitiſſet, aſsimilatorque facetus: in vna tantum Dea dictis exhauſtus, vel deſtitutus ab arte putaretur. Maluit itaque cæteris riſus, & ſibi ignominiæ anſam, occaſionemque aceerſere, quam omnino intactum aliquid intentatumque relinquere. Quaſi verò ſi in ipſo Sandaliorum opificio quidpiam eſſet peccatum, eius rei imputanda Veneri culpa foret, ac non potius Sutori, Soccorumque magiſtro, qui Sandalia ipſa perperam adaptaſſet? Multi igitur in hac mortalium vita Momi perſimiles cum ſint, ingenio ac moribus longè magis deploratis, ſiniſtriſque affecti: quoties in bonorum hominum vita minus aliquid vellicationi patet, & quod ipſa rectè queat lædere ac ferire maleuolentia: in ea veſano quodam animi furore rapiuntur, quæ fortunæ ſunt, non hominis offendicula. Sed longè opinione falluntur ſceleſti atque improbi homines: non enim eiuſmodi calamitas probro afficit hominem. Spartanorum Regis Agidis flagitijs delibuta vxor Timæa fuit, & Alcibiadis ſtupris, adulterijſque infamis: hoc tamen Agidi obſtitit nihil, quominus clariſsimus vir, maximuſque euaderet. Stylpontis Megarici ſapientis gloriam impudica filia certè parum imminuit: qui id obprobranti Metrocli, forti argumento monſtrauit: filiorum aberramenta, parentum non eſſe probra. Sed ea dumtaxat: quæ proprio animi cuiuſq; lapſu ab homine commiſſa ſunt. Proinde rectiſsimè Troiani ille belli ſcriptor Homerus: ea crimina, quę corpori accidunt, vel omnino extra ſunt hominem, nulli aut imputanda, aut obijcienda cenſet. Neque enim apud hunc authorem (qui ſapiens fuiſſe fingitur) Vlyſſes Therſitem carpit, quod gibboſus, quod claudus eſſet, & caluitio deformis: linguæ contentus amarulentiam demonſtraſſe. Nam, quàm peruerſis moribus Therſites hic fuerit, egregiè poeta idem verſiculo abſoluit, cum ait.

Odit & hunc magnus Pelides: odit Vlyſſes.

Extremus enim peruerſitatis eſt cumulus claris virtute viris odioſum, inuiſumque eſſe. Quod Vlyſſes, vel potius Homerus proculdubio feciſſet nunquam, ni ſibi antea perſuaſiſſet, indignum eſſe omni probro quicquid non à nobis, ſed à fortuna ipſa porrigi videretur. Præclarè itaque Plutarchus, quemadmodum ergo (inquit) qui flagris cædunt veſtes, corpus non attingunt: ſic qui inſœlicitatem aliquam fortunæ, aut generis exprobrant homini, in ea feruntur quæ extra hominem ſunt: nimirum ſtultè, vanoque conatu, cùm præſtet animum correctione egentem morſu impetere. Næ ille ſapienter. Verùm enim verò quibus ſapientiæ præſtantia tanta mens exculta non eſt, maledictum ingens videri ſolet, quoties inimicum atque inuiſum caput, eiuſmodi criminibus perfundere queunt, conuitijſque talibus aſpergere. Sic hiſtoricus Saluſtius, cum ſuas in M. Ciceronem ſimultates exercens, virulenta oratione multa in eum minus fortè probabilia crimina regereret: ad extremum tandem generis illi ſordes obiecit: Quem egregiè ſic eſt Tullius vltus. Primùm igitur, quoniam omnium maiores Criſpus Saluſtius ad vnum exemplum & regulam quærit, velim mihi reſpondeat: nunquid hi, quos protulit, Scipiones & Metelli, ante fuerint aut opinionis, aut gloriæ, quam eos res geſtæ ſuæ, & vita innocentiſsimè acta commendanit? Quòd ſi hoc fuit illis initium nominis, & dignitatis, cur non æquè de nobis exiſtimetur, cuius & res geſtæ illuſtres ſunt, & vita integerrimè acta? Quaſi verò tu ſis ab illis viris Saluſti ortus, quòd ſi eſſes, nonnullos iam tuæ turpitudinis pigeret. Ego meis maioribus virtute mea præluxi, vt ſi prius noti non ferint, à me accipiant initium memoriæ ſuę. Tu tuis vita, quam turpiter egiſti, magnas offudiſti tenebras: vt etiam ſi fuerint egregij ciues, certè venerint in obliuionem. Quare, noli mihi antiquos viros obiectare. Satius eſt enim me meis rebus geſtis florere, quam maiorum opinione niti: & ita viuere, vt ego ſim poſteris meis nobilitatis initium & virtutis exemplum. Hæc Cicero. Quæ ad nobilitatis veræ rationem prorſus præclara ſunt omnia: quod certè mihi mirum non eſt. Quis enim ſanæ mentis de nobilitate illum locuturum improbe ſperauerit, quem hac ipſa de re luculentis ſæpe plagis ab inuidis cernat affectum? Cum prælertim vera ſit vulgaris illa paremia, Chirurgum illum eſſe longè optimum, vulnera qui plura accepit. Cenſetur enim Chirurgicæ artis cumulatè ſcientiam didiciſſe: qui punctim cæſimque ictus, dolorem in ſe ipſe vulnerum ſæpius ſit expertus. Quare ſi quando hac de re Cicero loqui videbitur,

pro oraculo hominis accipienda ſententia eſt. Nunquam enim non de germana nobilitate præclara atque optima diſputat: qualia ſunt illa ad Appiū Pulchrū in epiſtola conquerentem, ſibi de prouincia diſcedenti: ab eo obuiam non fuiſſe proceſſum. Cū enim videret Cicero multa ab Appio Pulchro in ſe fuiſſe inſolenter commemorata, quorum ſumma omnis in eo verſabatur, vt eius genus contemneret Appius,& ſuum cōtrà ambitioſè laudando, nimis extolleret: vbi crimina hæc reſciuit ex Pauſania: vana hominem arrogantia tumidum litteris ad hunc modū affatus ſanctiſsimè eſt, Illud idem Pauſania dicebat te dixiſſe: Quid? Appius Lentulo, Lentulus Appio proceſsit obuiam, Cicero Appio noluit? quæſo etiā ne tu has ineptias, homo (mea ſententia) ſumma prudentia, multa etiam doctrina, plurimo rerum vſu, addo vrbanitatem (quæ eſt virtus) vt Stoici rectiſsimè putant: vllam Appietatem aut Lentulitatem valere apud me plus, quam ornamenta virtutis exiſtimas? Cum ea cōſecutus nondum eram, quæ ſunt hominū opinionibus ampliſsima: tamen iſta veſtra nomina nūquam ſum admiratus: viros eos, qui ea vobis reliquiſſent, magnos arbitrabar. Poſtea verò quam ita & cepi & geſsi maxima imperia, vt mihi nihil neq; ad honorem, neq; ad gloriam acquirendam deeſſe putarem: ſuperiorem quidem nunquā, ſed parē vobis me ſperaui eſſe factū. Nec me hercule aliter vidi exiſtimare, vel Cneium Pompeiū, quem omnibus qui vnquam fuerunt: vel Publiū Lentulum, quē mihi ipſi antepono. Tu ſi aliter exiſtimas, nihil errabis, ſi paulò diligentius (vt quid ſit [illegible], quid ſit [illegible], intelligas: & ſi Athenodorus Sandonis filius, quid de his rebus dicat attēderis. Ita ad Pulchrū Cicero. Cuius extrema de Athenodoro verba, lucidius paulò mihi ſunt in præſentia excutiēda: ne clariſsimi philoſophi ſentētia fortè in obſcuro lateat. Hic enim Octauij Auguſti præceptor nobilis. M. Ciceronis ætate: Nobilitatē hominis virtute metiebatur. Qua in opinione multo iā fuerat Antiſthenes ante, quē Socraticis temporibus philoſophū magnū, virtute præditos viros, ſemper, aiunt, nobiles exiſtimaſſe. Id quod per omnē vitā ſuſcepit aſſerendū inſignis ille philoſophiæ pater Socrates. Quam quidē ad rē clara in primis haberi poterit Seruij Tullij oratio, quā ad populū habuiſſe fertur, ſimulac Rex eſt Romanorū declaratus. In ea enim vir ſapiēs, velut generis ſui clanculum ignobilitatem eleuās qui ſeruili eſſet parentū conditione genitus, ita plebem ipſam apud Dionyſiū Halicarnaſſeum eſt allocutus. Apud nos imperat, & cōſulit, alijſq; honoribus fruitur, non qui multas poſsidet diuitias: nec qui multos poteſt gentiles progenitores oſtēdere: ſed quiſquis potius, his eſt honoribus dignus. Non enim vlla in re alia, quam in virtute nobilitatē eſſe exiſtimamus. Hæc ille.

SIC IGITVR habendū eſt, eo videlicet pacto animo nos ſemper affectos eſſe oportere vt ad cōſtituendā veram nobilitatē: induſtriā hominum atq; virtutē longè magis quā generis claritatem arbitremur intuendā. Nā cū virtutis excellentia non poſsit non illuſtrem virum efficere: Nataliū tamen ſplendor hoc idem homini vſquequaq; præſtare minimè poteſt. Multi enim maiorū imagines flagitijs oppreſſerunt: quibus haud ita clarū habuiſſe genus profecto fuiſſet vtilius. Nā ſi iam nihil aliud compendij in eo ſit, latuiſſent certè obſcuri melius. Id quod carminibus quibuſdā ſignificauit eleganter poeta Iuuenalis, ait enim.

Si tibi ſancta cohors comitum, ſi nemo tribunal,
Vendit Acerſecomes, ſi nullum in coniuge crimen
Nec per conuentus, nec cuncta per oppida curuis
Vnguibus ire parat, nummos raptura Celeno.
Tunc licet à Pico numeres genus, altaq; ſi te
Nomina delectant, omnem Titanida pugnam
Inter maiores ipſumq; Promethea ponas:
De quocumq; voles proauum tibi ſumito libro
Quòd ſi præcipitem rapit ambitus, atq; libido,
Si frangis virgas ſociorum in ſanguine, ſi te
Delectant hebetes laſſo lictore ſecures,
Incipit ipſorum contra te ſtare parentum
Nobilitas: claramq; facem præferre pudendis.
Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet, quanto maior, qui peccat habetur.

Rectè profectò Iuuenalis: qui enim piè ac ſanctè magiſtratu fungitur: cæteroſq; officiarios atq; miniſtros in officio continet, hic proculdubio nobiliſsimus cenſeri debet, ſit licet maioribus editus deſpicatiſsimis. At verò, qui non ſolum ipſe commiſſos honores perperam adminiſtrat, ſed in eiuſmodi etiā officij geſtione malorū hominū opera libēs fungitur: hūc amplitudine quāuis nataliū inſtructiſsimū (niſi demens) nobilē nemo dixerit, Quid enim huic aliud generis dignitas facit, quā ſuum illi latè lumē diffundere, quo flagitia magis in aperto ſint? Quocirca, nō ſine cauſa clarus ſapientia vir Theodectes (vt in Politicis author eſt Ariſtoteles) nullo alio quā virtute & vitio ab ignobilibus nobiles aſsiduè diſcriminabat: haud quaquā veritus quoſcunq; virtutis atq; honeſtatis vidiſſet

amantes

amantes, nobilitatis pulchro exornare titulo: illos è diuerſo à nobiliũ ſeparans cætu, atque ordine deturbans: quos vitijs fœde ancillantes ſemper offendiſſet. Præclare ergo Rex Ægyptiorũ Amaſis, cũ ſe nobilitatis huius nõ eſſe exortẽ perſpiceret, vt qui virtute & ſapientia animi, non generis ſummi claritudine ampliſsimo Regno honeſtatus eſſet. Vbi inter ipſius Auſpicia Regni ſe propter obſcurũ genus, plebeiãq; familiã intellexit vulgo contẽni: nec ſatis illis probari à quibus paulò ante fuerat ad Imperia vocatus: Solers (vt Herodotus ait) excogitauit, conſiliũ, quo contẽptum & probrũ à ſe auerteret: nec tamẽ aut abalienaret ciuiũ animos, aut voluntates hominũ multũ offenderet. Id verò tale fuit. Habebat lotoriã ex auro pel uim ſibi & amicis non ad abluendas tantũ manus in conuiuio, ſed ad vomitionẽ etiã interdũ ſolitã exhiberi: qua & pro matula vti pudor non erat, ſiquẽ in cõuiuio mictu ritio forte premeret. Hanc Amaſis clã ciuibus confregit, ſtatuãq; ex ea dæmonis iuſſit conflari, quẽ Ægyptiorũ gens religioſiſſimè colebat. Hoc ille ſimulacrum ſumma arte politũ, quã maximè appoſito ciuitatis loco, lateq; conſpicuo ſtatuendũ curauit. Hanc igitur effigiẽ Ægyptiorũ principes viri, pro ſe quiſque, ſumme venerabãtur: pietatiſq; omnibus officijs impenſe colebant, flexis genibus Idolo ſupplicãtes. Quod vbi ſenſit Amaſis, arrepta ea (quã auebat) tẽporis occaſione: conuocatis ciuibus ad hunc modũ verba fecit. Ego quamobrẽ in hunc vos locũ voluerim eſſe coactos ô Ægyptiaci opportunũ eſt, vt in præſentia aperiã. Videtis ne fabrerrime illud conſtructũ idolum, quod in ciuitatis edito poſitũ loco, ſanctitatẽ animo addit, vrbemq; honeſtat: quodq; vos tã piè ac religioſe colitis? Hoc igitur ſcitote ex illa, me iubente, eſſe pelui factum, qua vos mecũ haud ita pridem conuiuio accepti, immingere ſolebatis. Huius ego auri ô amici inſtar habeo, qui ſi antea deſpicabilis eſſem plebeia familia, atque humili genere ortus: nũc liberalitate veſtra (& ſi qua in nobis eſt) virtute animi noſtri, Ægypti à vobis Rex cõſtitutus: veneratione & honore proculdubio affici debeo. Nec plura locutus plebem proceresq; dimiſit: omnium ſibi animis mirifice reconciliatis.

SED QVID opus eſt, exemplorum copia & rerũ ſylua multiplici faſtidiũ, creare legenti? Cũ ſatis abunde ſit planum factum: generis nouitatẽ (quæ virtute animi prædita eſt) deſpectui habendã non eſſe. Vitia enim homi nũ faſtidiri conuenit: non naſcendi abiectã conditionẽ vilitatis inſimulari. Neq; enim materna ab aluo vſurã vitæ, atq; lucis accipienti optio Nataliũ datur: quæ ſi pacto aliquo homini in vita daretur, nemo vſquã natus eſſet obſcurè. Ab ea etenim domo quiſque in lucẽ erũperet, quæ generis gloria præſtaret. Quod cũ fieri non poſſe liqueat: cõmuni illo perfugio, præclaro ſane atque homine longe digniſsimo (quod non quidem paucis relictũ, ſed in medio cunctis eſt poſitũ) æquo erit animo vtendũ: vt nobilitatis effectrici virtuti, ſtrenue vbiq; ſeruiamus. Hoc etenim pacto naſcendi conditionẽ ignobilẽ, virtute animi clarã, & illuſtrem licebit efficere. Quæ ſi nulla adſit vitę, noſtroq; imperet animo, quicquid familiæ noſtræ ſplendori, dignitati generis, & maiorũ laudi tribuitur, ocioſum ac friuolũ eſt: & ambitioſæ cuidã vanitati, boni viri grauitate indignæ, vere cõiunctũ. Etenim (prudenter vt ille ait) Iuu. Sat. 8.

Stemmata quid faciũt? quid prodeſt Pontice longo
Sanguine cenſeri? pictosq; oſtendere vultus
Maiorum? & ſtantes in curribus Æmilianos?
Et Curios iam dimidios? naſumq; minorem
Coruini? & Galbam auriculis, naſoq; carentem?

Certe à clariſsimis viris ſanguinẽ ducere parui refert, cum vita inſamibus delibuta ſceleribus acceptę à maiorib⁹ claritatis oblita eſt, imitationemq; reliquit: nec illorũ amplius virtutis reminiſcitur. Multo igitur præſtãtiũs eſt ad honorẽ, & ad nominis famã illuſtrius, cũm obſcuros ſis parentes nactus, eos laudatiſsimè actæ ętatis curſu nobiles & claros efficere: quã improbè ductę vitæ filo, reddere ignobiles: quos acceperis illuſtriſſimos. Alterũ ſiquidẽ flagitioſi eſt, ignauiq; hæredis, & poſſeſſoris inuerecundi: alterum tanquã munus cordatiſsimi patris familię cẽſeri poteſt. Qui quã inopem ac penè vacuã domũ ingreſſus eſt, induſtria clara animi, egregioq; labore exornat locupletatq; ſenſim: & ſupellectile omni neceſſaria inſtruit. Memor ignauæ mentis eſſe, nihilo plus liberis reddere quam acceperis.

SED REVERTAR illuc, vnde me ſimilitudinis huius expreſsio detorſit. Nam quis nõ videat, bonorum virorũ oratione eos plurimũ commendari, qui obſcuro parentũ generi dignitatis ſplendorẽ atq; lucẽ attulerunt & familiã illuſtrarunt ſuorum: ſummè illis & contẽptis & faſtiditis, quibus illuſtres maiorũ imagines haud quaquã ad virtutẽ auxilio, vel incitamento fuere? Nihil enim tam indignum eſt, tamq; acriter vindicãdũ, quã

ſtulto in homine degenerati ſanguinis odio
ſa atq; importuna iactatio. Ad cuius quidē
vęſanam tumiditatem cōprimendā plurimū
certè profuerit Iuuenalis illud opponere,
Malo pater tibi ſit Therſites, dum modo tu ſis
Æacidæ ſimilis, Vulcaniaq; arma capeſſas,
Quam te Therſitæ ſimilem producat Achilles.

Extremæ nimirū dementiæ eſt, illorū tete
prębere diſsimilē quorum & ſanguine gau-
des, & virtute ſuperbis. Quippe maiorū cele
bria facta non tam eſt pręedicare honeſtum,
quā imitari glorioſum. Nam rē verius & exa
ctius intuenti, is Achillis filius videri ſolet,
qui dignā Achille virtutem factis exhibet:
non ille, qui à tanto parente degenerans, mi
ſeram Therſitis ignauiā præ ſe vſq; quaque
gerit: animoq; non ſuſtinet certamina Mar
tis inire. Non igitur ad veram tibi parandam
nobilitatē tam intereſt, Achillē ne an Ther-
ſitem fueris patrem ſortitus: quā è duobus al
terum, quē magis animi indole expreſſeris:
& cuius ad omnia lis veſtigia vitæ fideliter
vſque ſecutus.

VRBIS ROMAE ſi auſpicia quæras, & tan
quā modò naſcētis animo repetas incunabu
la, nō ex colluuione ſolùm viſiū, perditorū-
que hominum natá: ſed & mox paulò flagi
tijs ac ſcelere alitam eſſe reperies. Sabinis fœ
minis contra omne fas in connubia raptis,
finitimiſq; populis non iuſto bello deuictis,
ab hoc tamen tā inſami germine, pœniten-
doque primordio, Fabritij, Curij, Catones,
atque Metelli, continentia, ſapientia, pietate
vitæ, ac morum integritate ſumma præditi
viri, haud dubiè promanarunt. Hinc fortiſ-
ſimi Duces, Æmilij, Cincinati, Dentati & Fa
bij: hinc Magni illi Pompeij, ipſiq; etiá Cæſa
res (Imperio orbis fœlici omine nata capita)
proculdubio fluxerunt. Præclarū ergò Eu-
ripideū illud eſt, quo ait, ego quidem neſ-
cio quaratione conſiderāda ſit nobilitas: nā
fortes natura & Iuſtos, vel à ſeruis natos no-
biliores eſſe duco, quā inani gloria tumidos.
Quid Aſtydamas? generis (inquit) laus eſt
tutiſsima virū collaudare, qui iuſtus fuerit,
moribuſque optimis, ac eundē vocare nobi
lem: ſed huiuſmodi vel vnū inuenire diffi-
cile eſt. En inquirentes ipſum infiniti ſunt.
Quid Epicharmus? quiſquis ſuapte natura
procliuis ad bona fuerit, etiam matre natus
Æthiope nobilis eſt. Agrigenti præterea Ty
rānus Phalaris (optimus quidē ſcriptor, ſed
regnator parū probus) Apyrcho de nobilita
te ſciſcitanti quid ſentiret, ita reſpondiſſe fer
tur. Gloriari de nobilitate vt de alio quouis
bono, nō hercle indecorū eſt. Ego autē vnā
nobilitatē virtutē noui: cętera, Fortunā. Nā
humili genere natus, vt bonus, ita Regū &
omniū hominū nobiliſsimus fieri poteſt: cō
trà aliquis parētibus bonis ortus, malus eua
dere poteſt: ac tum ſe ipſo, tū viliſsimis qui-
buſque ignobilior. Igitur de animi quidem
laudibus gloriari licet, nō de maiorū nobili-
tate, in obſcuriore poſteritate iam extincta.
Diuus autem Chryſoſtomus eximia vir ſa-
pientia, & vitæ ſanctitate, veram hanc nobili
tatē hominibus tradere geſtiens, præclarè il
le quidē ad hunc modum verba fecit. Splen
didum & nobilē nō maiorum nobilitas, ſed
animi virtus efficere ſolet. Cui diuina illa
CHRISTI præcurſoris vox adſtipulatur
mirificè, qua vir ille longe mortalium maxi-
mus vanā illorū retudit ambitionē, qui ſan-
guinis claritate pręter modū inſoleſcebant.
Non dicatis (inquit) patrē habemus Abra-
ham: potens eſt enim Deus, de lapidibus
iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. Na ille, & recte:
Abrahami enim filius eſt, qui Summi ac Pręe
potentis Dei voluntati & nutui libenter pa
ret: ad omniaq; illi irreluctanter obſequitur
præ eius ipſius amore cuncta minoris æſti-
mans, planeque faſtidiens. Gentilem eum
Abrahamus diffitebitur ſuum, qui Deo ſe
parum præbet morigerum: diuiniſque non
vult placitis cōformari, imperatiſq; ſeruire.

SED DIVINAS omittamus hiſtorias, ſacra
que etiā teſtimonia miſſa faciamus: quibus
in ipſis, haud ſanè paucis in locis vera hæc
hominis nobilitas ceu penicillo depingitur.
Authoritatibus igitur agamus ethnicorū, ve
terūque prudentum, quorū hæc eſt patroci
nijs à nobis hactenus cauſa defenſa. Inſignis
rhetor Fabius, declarare volens quis eſſet ge
neroſus habendus id omne breuiſsime expe
dit. Quis (inquit) generoſiſsimus? non ne
qui optimus? non qui claritate naſcendi,
ſed qui virtute maximè excellit. Quid Græ
cus author Theopompus? non ne eos ge-
neroſiſsimos eſſe ſcripſit appellandos, non
qui ex bonis & probis nati ſunt: ſed qui bo-
na & honeſta ſibi ſequenda proponerent?
Quid etiam Seneca? qui in libello de mori-
bus, nobilitatem corporis generoſum dicit
animum eſſe: atque animi rurſus nobilita-
tem, nihil aliud eſſe cenſet, quā ſenſum ge-
neroſum. Nam quæ de vera nobilitate ex
Syllo Baſſo declamatore nobili citat in con
trouerſijs, ea omnia aurea profectò ſunt, ſci
tuque digniſsima. Sic enim ait, Quidā auitas
paternaſq; imagines flagitijs obruerūt: qui-
dā ignobiles nati, fecere poſteris genus. In il
lis nō ſeruare quod acceperant, maximū dę

decus: in his, quod nemo dederat, feciſſe laudabile. Si poſſent homines ſibi ſortē face re naſcendi, nemo eſſet humilis, nemo egenus: vnus quiſq; fœlicē domum inuaderet. Sed quandiu non ſumus natura nos tegit, & in quécunq; vult caſum nos mittit: hinc ſumus eſtimandi cū ſimus noſtri. Quis fuit Marius? ſi illum in ſuis inſpexerimus maioribus, humilis: in Conſulatu nihil habet clarius quā ſe authoré. Pompeium ſi hæreditariæ extuliſſent Imagines, nemo Magnum dixiſſet. Seruium Regem tulit Roma, in cuius virtutibus humilitate nominis nihil eſt clarius. Quid tibi videntur illi ab aratro aſciti, qui paupertate ſua beatā fecere rempublicā? Quemcunq; volueris reuolue nobilem, ad humilitatē peruenies. Scitiſsime itaq; diuini ille ingenij vir Plato nobilitaté hominum filorū globo comparat, cuius ab attriti particula panni, aut vili ſæpe calculo ductum principium eſt. Itaq; ſi retrouerſum, ceſsimque eundo, clariſsimorum hominū fontem generoſitatis inſpicias: multorū quos modò ſuſpicis Natales, ex obſcuro aliquo, putidoq; principio libatos eſſe reperies. Quod Romana in gēte ſignificare cum velles poeta Iuuenalis, vbi præclara illa de Therſite carmina, quæ à me ſunt modo citata vocaliſsime cecinit, ſapienter etiam illud adiunxit.

Et tamen vt longe repetas, longeq; reuoluas
Nomen ab infami gentem deducis Aſylo:
Maiorum primus; quiſquis fuit ille tuorum
Aut paſtor fuit aut illud, quod dicere nolo.

Obſcuri incrementiā ortus, viſemq; gentis originē Romanis obijcere nō vult Aquinas vates, & obiectat tamen. Quod quia ſemel inſinuare ipſe inſtituit, noſq, id iam ante facere ſumus nixi: altius hic aliquāto gentis huius repetenda nobis origo eſt. Vt conſtare poſsit ex initijs deſpicatiſsimis ortā nationem, propter virtutē breui nobiliſsimā fuiſſe, celeberrimamq; effectam. Qua in re Firmiani verbis vtar Lactantij, ſic enim inſtitutionū diuinarum libro ſecūdo ait. Romulus vrbē cōditurus, paſtores inter quos adoleuerat, conuocauit. Cumque his numerus condendæ vrbi parū idoneus videretur, conſtituit Aſylū. Eò paſsim confugerunt ex finitimis locis peſsimi quiq;, ſine vllo conditionis diſcrimine. Ita conflauit ex his omnibus populū, legitq; in Senatum eos, qui ætate antcibant, & patres appellauit quorum conſilio gereret omnia. De quo Senatu Propertius Elegiarum ſcriptor hæc loquitur,

Curia, prætexto quæ nunc nitet alta Senatu,
Pellitos habuit, ruſtica corda, patres.
Buccina cogebat priſcos ad verba Quirites:
Centum illi in prato ſæpe Senatus erat,

Hæc prima vrbis gētiū dominæ nobilitas fuit, hi Romuli nepotū maiores: hi inclyti illius (cuius improbè cauſa ſuperbis) generis authores fuere. Vt igitur Punicum nullū eſt malum, in quo ſubputre aliquod granū non ſit: ita nec genus aliquod tā terſum vndiq; ac limpidū eſt, cuius ſi præpoſtere gradiens primordia atq; initia repetas: nō quaſi in illo admirabūdus hæreas: negans fieri poſſe, vt ex obſcuritate tam vili, tantum decus emerſerit. Dilatat, & contrahit hominū genus Deus, prout ſibi magis eſt placitū: Natales huius peſſundans conterit: illius contra inſtaurans, reparat. Serua hic matre genitus Quirini locatur in ſolio: ille, qui mulos ante fricabat, fit Conſul: trophęaque ex deuicto hoſte gerens, eam intrat vrbē triumphās in qua fuerat paulò ante captiuus. Aſt alius ex Tyranno, literarij magiſter fit ludi: & cui opulētiſsimi regni gaza omnis iam erat præſto futura, cogitur miſer ab Æmilio Paulo, Perſeo patre deuicto, ne vitæ ſibi alimenta deſint, ferrarios tractare folles: & ignobili arti ſeruire. Qui profecto clade miſeranda obrutus, infœlicemque ſuarum rerū ſortem contēplans: ſuo Iure recte id conqueri poſſet, quod ille è ſummis opibus alienæ egens opis queritur (vt puto apud Tragicū Sophoclem) cum ait,

Pol mi Fortuna magis nunc deſit, quam genus:
Namq; regnum ſuppetebat mihi: vt ſcias quanto è loco,
Quantis opibus, quibus de rebus lapſa Fortuna occidat!

Ecce tibi verſa rerū vice, Siciniæ ex figulo Agathocles Rex factus: & in fullonia natus Adramitenus Andriſcus ad pſeudophilippi nomen euectus. Quid Hyſtaſpæ filius Darius? quem in Cyri ſolium adhinniens equus euexit? Quid apud Argiuos obſcuriſſimus Ægon? qui Heraclidarū olim familia deficiente, ex qua huic genti Regem creare ſuit moris, conſultoque de hac re Deo, oraculū redditum eſt Aquilam oſtenſurā. Quę cum intra paucos dies ſuperne deuolans ſuper Ægonis domo ſediſſet, Regē fecit Ægonem. Quid in Papho Rege propter ſcelera ſceptris ab Alexandro ſubmoto, regnoque exacto: cum Regni titulo nullus dignus eſſet inuentus, quod Cyniradarū gens extincta prorſus crederetur, non Alexander Alynomum quendā olitorem viliſsimæ notæ, & extremæ paupertatis hominē huic regno præfecit? Quid plauſtra ducens Gordius? Quid

Quid inclytus ille colonus agri conducti Bamba? qui non prius ſe ruſticanum hominem ad regna vocari credidit, quam pręacutam illam (qua arantes bones regebat) impactã à ſe humi ſudẽ, repẽte vidit frõdeſcere? CVM IGITVR Humanarum rerum viciſſitudo, & mutatio ſit tanta: tam varijs diuerſiſque ex cauſis ad nobilitatem hic tendat, ille de gradu cadat: nonne ſplendore ſanguinis ſuperbire ſtultum ſit, ineptumq; putandum? Non ergo dignitate Natalium, ſed nobilitate animi gloriãdum eſt. Præclarè itaq; in epiſtolis Seneca: Animum rectum, bonũ & magnum nihil aliud eſſe credit, quã Deũ in humano corpore: atque hunc quidẽ animum tam in equitem Romanũ, quam in libertinum, quam in ſeruũ cadere poſſe cenſet. Quid eſt eques Romanus, aut libertinus aut ſeruus? Nẽpe nomina ex ambitione, aut ex iniuria nata. Quid quadrageſima quarta in epiſtola, vbi in hanc ſentẽtiam diuinitus plura concinnauit? Vnde eſt etiã illud, omnes ſi ad originem primã reuocentur à Dijs ſunt. Id quod cum ex veteribus alij memoriæ prodiderunt: tum verò poeta Lucretius inſinuauit planè, cum dixit,

Deniq; Cœleſti ſumus omnes ſemine oriundi:
Omnibus ille Idem pater eſt.

Sed reuertamur ad Senecam de vera ſubtiliter nobilitate diſceptantem. Patritius (inquit) Socrates non fuit: Cleanthes aquã traxit, & rigando hortulo locauit manus: Platonem philoſophia non accepit nobilem ſed fecit. Quis eſt generoſus? ad virtutem bene compoſitus, hoc vnum intuendum eſt. Nõ facit nobilem atrium plenum fumoſis imaginibus: animus facit nobilem, cui ex quacunque conditione ſupra fortunam licet aſſurgere. Vides ne, quàm hic præclare cuncta! quàm omnia ſummo digna philoſopho? nõ igitur iniuria poeta ſapiens Euripides hac de re diſſerit ad hunc modum,

De nobilitate parum laudis prædicare poſſum:
Bonus enim vir mihi nobilis videtur.
Qui verò non Iuſtus eſt, licet à patre meliore
Quàm Iuppiter ſit, genus deducat, ignobilis mihi cenſetur.

Quid alibi idẽ? ſuperflua eſt oratio (ait) nobilitatem ſi mortalẽ laudauerimus. Olim enim cum primũ nati ſumus: & mater Tellus homines formauit, omnibus conſimilẽ largita eſt faciem. Peculiare nihil habemus, ſed vna eademq; origo, nobiles atq; ignobiles produxit. Tempus autem legibus arbitrarijs nobilitatẽ fecit glorioſam. Sed in prudentia nobilitas eſt: & intellectus non à diuitijs, ſed diuinitus datur, Quę cùm ita ſint, profectò naturę iure prohibitũ eſt, cùm vna atque eadem hominum ſit omnium origo, cuiquã exprobrari Natales. Quod multominus ferendum erit, ſi præditis virtute viris ab improbo quopiã infamiæ prætextu obijciantur. Nam cũ vno ex fonte mortales omnes fluxerimus, materia & ſemine pariles: ille duntaxat eſt ignobilis cenſendus, qui almo huius auræ vitalis hauſtu, & munere humanę lucis diuino beneficio cõceſſo atq; homini diſtributo, nequiter vſus eſt. Id quod è noſtris clarus author Boethius Seuerinus egregijs verſibus æternitati mandauit, ſic enim ait,

Omne hominum genus in terris
Simili ſurgit ab ortu:
Vnus enim rerum pater eſt,
Vnus cuncta miniſtrat.
Ille dedit Phœbo radios,
Dedit & cornua Lunæ:
Ille homines etiam terris
Dedit, & Sydera Cœlo.
Hic clauſit membris animos
Celſa ſede petitos.
Mortales igitur cunctos
Edit nobile germen.
Quid genus & proauos ſtrepitis?
Si primordia veſtra,
Authoremq; Deum ſpectes,
Nullus degener extat
Ni vitijs peiora fouens
Proprium deſerat ortum.

Quibus in carminibus non minus ſapientiæ ineſt, quam claritatis & lucis ad verã hominum nobilitatem intelligendam. Quæ ô vtinam illis imprõptu ſint, vel occurrant aliquando, qui gentiles clypeos Pario ex marmore multiplici elaboratos ſtemmate pro foribus habent affixos, Cum interim tã ſpecioſis titulis parum vita reſpondeat. Quos ſi demas, illuſtreſq; ipſas tollas imagines: nequeant certè vanis rerũ corrupti homines, probabili vllo argumẽto eam generis aſſerere nobilitatẽ, qua tument inſolenter; ſeq; impudenter iactant. Perinde quaſi, id genus inſignia, & antiquę ac clarę familiæ inuidioſa cognomina, quæ ex aliorũ imaginibus multi ſibi falſò aſcripſerũt, quò antiquis immixti familijs lenocinio nominis venditari, & tanquã pluris ęſtimari poſſent apud ignaros: parum rectè moratũ, obſcurèq; natum hominem, clarũ queant, illuſtremq; efficere, & honeſta fama nobilẽ. Cum præſertim ea omnis nobilitas in rerũ magnitudine geſtarum ſita ſit, atq; animi egregia claritudine: à

qua

qua cum diſceſſeris, fruſtra nobilis haberi velis, aut inclyti generis præſidia inuoces, quæ ſcelerum caligine obducta, offuſcataq; ſunt & infamis vitæ turpitudine oppreſſa atque ſepulta. Sed de his hactenus. Nã de Impudentia illorum, qui clariſsimorum virorũ cognomine ambitioſè deſumpto, ementitiſque etiam turpiter imaginibus, in illorum temere genus optant transfundi: occaſione nominis ad ea, quæ nobilitatæ propria ſunt gentis clanculũ irrepentes, ac ſeſe veluti malitiæ ſenſim ſparſo, diffuſoq; veneno, paulatim inſinuãtes: teterrimi morbi cladi improbæ ſigillatim dicato volumine, propitio Deo, dicã alibi. Mihi enim pacto nullo probari poſſunt, qui quod virtute animi facile conſequi poſſent, peruerſi ingenij calliditate improba, & exitioſæ technæ ratione quadã fallaci, fraudi ſeſe magis quam bonitati vel honeſtati credentes, aſſequi nituntur. Sed reuertamur eò, vnde diſceſsimus.

Bene igitur Socrates cum cerneret animo quàm illorum omniũ friuola eſſet iactatio ac vana inſuper, futilis & ſtulta: qui Nataliũ ſplẽdore criſtas aſſumerẽt, animoſque temere attollerent, cùm virtute & veris animi bonis nihilo magis mouerentur quã infimus quiſq; de plebe: Alcibiadi puero, quem philoſophiæ præceptis ſuſceperat imbuendũ, multa quotidie de integritate morum, virtutiſque præſtantia conſuluiſſe fertur. Aſsiduè illi declarans, virtutẽ ſolam eſſe, quæ verè nobilitet hominem, mortaliũq; inter ipſos diſtinctionem omnẽ, diſcrimenque efficiat. Adeo, vt cum iam planè perſuaſiſſet, nihil cum eſſe hominis: neq; quicquã inter ipſum (qui ſummo eſſet natus genere) & quemuis baiulum prorſus intereſſe, niprę claris huius ſtudijs animũ ſuum excoleret, lamentabundus ille, ſeq; affligtans miſere, præceptorem Socratẽ ſupplex expoſceret: vt ſibi virtutem traderet, turpitudinemque depelleret: ne qui apud ſuos illuſtri foret loco editus, cuipiã videretur ignobilis. Quod tam nobile Socratis præceptum, eo proculdubio homine dignum fuit, qui Pythiæ vatis reſponſo ſapientiſsimus mortaliũ ſui tẽporis meruit appellari: eiuſque prorſus perſonæ conſentaneum, qui princeps philoſophorum eſt virtutis ſcholam ingreſſus. Quã neque præceptor huius Archelaus, neq; Archelai magiſter Anaxoras hominibus pateſecerant: contenti nimirum de Cœli & Syderum magnitudine, rerumque Cœleſtiũ natura ſubtiliter multa dixiſſe. Nã ab antiqua illa philoſophia, vt autor eſt M. Cicero, numeri, motuſq; tractabãtur: & vnde omnia orirẽtur, quò ve recederẽt: ſtudioſèq; ab his Syderum magnitudines, interualla, curſus inquirebantur, & cuncta Cœleſtia. Quibus de rebus ratiocinatum Socratem negat Xenophon eis in libris, quos de dictis ſcribit ſactiſque Socraticis. Vbi ne eas quidem philoſophum húc attigiſſe vnquam dicit diſciplinas, quæ Græci μαθήματα appellãt: quòd ad bene beateque viuendum parũ pertinerent, atque conducerent. Quò factum eſt vt multi obiter à Xenophonte putent Platonẽ fuiſſe reprehenſum, quod in huius libris ſimilia Socrates ſæpe tractet argumenta: quẽadmodum & Gellius quoq; teſtatur, vir in omni antiquitate indagãda, iudicio meo, ſatis diligens. Quò hæc ſpectant dices? nempè illuc euadunt, vt intelligas: qui primus interpretandæ vitutis perſonam, munuſque ſuſceperit: eum nulla alia re, quã virtute animi nobilitatem hominis fuiſſe dimenſum. Qui & rogatus aliquando nobilitas ipſa quid eſſet, animi & corporis temperiem eſſe reſpõdit, Quo in vno cõſummationem omnem, perfectionemq; virtutis conſtat ſitam eſſe. Nã cum virtus ipſa aliud nihil ſit, quam perfectio quædam, abſolutioq; rationis, vt placere video doctis, noſque iã ante prodidimus, eaque quaſi certis quibuſdam modulis atque ponderibus metiatur ac temperet cuncta: profectò, eius ipſius munus nulla perinde re & illucere & ſplendere poterit, atq; in ipſa noſtri animi & corporis ſumma temperatione. Vt enim cæterarũ virtutũ clauſtra, gynęcæaq; ſanctiſsima, non niſi temperantiæ inclyta claui reſerata panduntur: ſic niſi ſibi quiſque ab illicitis actionibus, & prauis affectibus temperet, nobilitatis huius, quam exquirimus, & verbis extollimus, particeps, aut virtutis vnquã compos eſſe valebit, Nõ enim perturbationum errore miſerè tumultuantem animum, manſionis receptaculũ quærit virtus: ſed ſecurè tranquillam, pacatamque (ſi poteſt) ſemper appetit ſtationẽ: ſin minus honeſtis certè curis diſtrictã. Quã vbi primũ eſt nacta, ſuos illa radios latè fulgoris extendit: & totum, quem complexa eſt, vndiq; colluſtrat hominem. Neq; enim ſub tenebris deliteſcere ſe diutius ſinit ipſa vnquam: ſed erumpit, emergitq; quamprimum, & laudabile caput attollit: ſpecie grata oris alumno fœlici blandiens. Ex cuius ille vultu normam legit honeſtè viuẽdi: vitæque haurit beatæ pręcepta inclyta: qui vnus verus & certus eſt philoſophiæ ſcopus. Vnde multi philoſophorũ, & ij quidẽ authori-

ſtate

tate ac fama nobiles, cũ vim tantam virtutis
eſſe ſentirẽt:ad benè beatèq; viuendũ ſe ipſa
contentá eſſe virtutem, literis prodiderunt.
QVAE CVM ab animo petenda ſit (neque
enim illa ſibi ſedem fixit in corpore) aut om
nino rebus externis: in quibus cæcam aiunt
dominari fortunam. De animi ipſius bonis
nonnulla mihi in pręſentia dicẽda ſunt: quę
ſola bonorum omnium, philoſophorũ om-
nium ſchola ſubſcribẽte, haberi ſolent & fir
ma & rata maximè. Nam cum triplex ſit bo-
rũ ſeries vt Peripatetici philoſophi aſſerũt,
nihil vetere Academia diſſentiente: ea tamẽ
bona quæ animum noſtrũ exornant, men-
temq; perficiũt, ferre putantur primas: prin-
cipatumq; ipſum atque arcẽ obtinere. Quæ
quidem ſententia non Stoicis placuit ſolũ,
quibus bonum ſolet nihil videri, quod vir-
tute atque honeſtate vacat: verum etiã Peri-
pateticis. Qui licet bonis illis, quæ extrinſe-
cus pendent, aut corpori adhęrent, tribuere
tantum videantur, vt ſine eis beatam vitam
nullam eſſe omnino putent: exiſtimant ta-
men præ his, quæ ab animo proficiſcuntur:
eiuſmodi bona, exilia & parua eſſe. Id quod
Critolai Peripatetici magni ſatis oſtendit no
bilis illa libra. Qui cũ in alteram lancẽ animi
bona imponat (vt Tuſculanarũ quinto ſcri-
bit. M. Cicero) in alteram corporis & exter-
na: tantũ propẽdere illam boni lancem pu-
tat, vt terrã & maria deprimat. Quid grauiſsi
mus ille Xenocrates? qui tantopere vbique
virtutẽ exaggerat, obiter extenuãs eneruanſ
que cætera, vt parum ferme dubiter in vna
virtute ſummum hominis bonum ponere.
Quòd ſi ab his viris animo gloria virtutis ex
culto tantũ eſt honoris impẽſum, quorſum
attinet, Socratem iam vel Platonẽ nomina-
re, & huius ſcholæ philoſophorũ teſtem ad
ducere cohortem? quorũ partim præſtantiã
tantã in animi bonis eſſe dixerunt, vt ab his
corporis ſint & externa obſcurari rati: par-
tim in animo ipſo reponentes omnia, nihil
omnino bonũ eſſe duxerint, cũ ab huius di
gnitate & virtute diſceſſeris? Quarum duarũ
opinionum tametſi quæ poſterior eſt, præ-
fractè nimis ac mordicus tueri videatur ho-
norẽ dignitatemq; virtutis: in hoc certè vti-
lis erit, vt intelligamus eius ipſius autoritatẽ
ſemper nobis habendam eſſe præcipuã: ani-
miq; ipſa bona, pluris vbiq; facienda. Quod
vel ab illis non ad modum repugnãtibus da
tur, qui ſumma omnia corpori tribuunt. re-
buſque ipſis externis. Quam ſibi conſtanter
nõ dixerim (qui ſi ſe audiãt ipſi) nihil queãt
de omni virtute præcipere: quippe fat eſſe
debet, ſi quid ab huiuſmodi gẽte parũ cautè
fortè oblatum eſt nobis.

SINT IGITVR bonorum tria genera ne in
illorũ origine indaganda & exquirenda natu
ra anxiè videar eſſe ſolicitus, dũmodo intelli
gatur, hæc corporis vel externa ſubſidia (niſi
ad animum reuocentur) & mentis regantur
bono, inutilia eſſe ſępe: prodeſſe nunquam.
Etenim, vt oratoriarum tertio doctè ſcribit
Fabius, omnia quę extra nos bona ſunt, quę
que hominibus forte obtigerunt, non ideo
laudantur, quod habuerit quis ea: ſed quòd
his honeſtè ſit vſus. Nam diuitiæ, & poten-
tia, & gratia cum plurium viriũ dent in vtrã
que partem: certiſsimum faciunt morũ ex-
perimentum. Aut enim meliores propter
hæc, aut peiores ſumus: animi verò indubi-
tata ſemper & vera omnis eſt laus. Itaq; qui
ex prioribus illis duobus quempiam lauda
re volet (vt oratorum maximus monet Ci-
cero) caueat ne id modo conſideret, quæ
quiſque ſit fortunæ bona ſortitus, vel corpo
ris adeptus, vt ea protinus oratione celebret,
ac laudibus exaggeret. Sed docere debet,
hunc, cuius campũ laudationis ingreditur,
huiuſmodi bonis (ſi habuerit) bene fuiſſe
vſum: ſi non habuerit, ſapienter caruiſſe: ſi
amiſerit, moderate tuliſſe. Hæc enim diſtin-
ctio munera illa ſine dubio honeſta & clara
facit: nam aliter ſi attrectes periculoſa ſunt:
ſiũique ſæpe numero poſſeſſoribus ipſis nõ
ſolum inutilia, verumetiam exitioſa maxi-
mè. Hæc igitur dictorum ſumma ſit: bona,
quæ rectè à philoſophis appellãtur externa,
perinde eſſe, vt illius animus, qui ea poſsidet
eſt. Qui vti ſcit, ei bona (vt ait Terentius) il-
li qui non vtitur rectè, mala. Quis enim tan-
dem pecuniarum vſus ad vitandã animi ęgri
tudinem: aut ad vitam placide ac ſecurè tran
ſigendam? Quis aut gloriæ, aut inter aulicos
eminentiæ, niſi cui hæc habere contigit, vt
ait Plutarchus, ipſa ſcitè ijs quæ habuerit, vtĩ
norit: ruſuſque cũ caruerit, eorum deſide-
rium ferre? Ex quo quanta bonorum animi
vbique ſit vis, liquido perſpici poteſt: cum
cæterorũ omnium parum ſit tuta poſſeſsio,
ni horum tanquam habenis, arbitrio atq; im
perio regantur. Adde quod corporis & for-
tunę bonorũ vti initium ſic finis eſt, & vſu-
ra breuis valde, ac plurimũ incerta fruitio.
Bona animi neque fallunt vnquam, neque
tempore diffinita ſunt: ſed cũctis immota ca
ſibus, haud ſecus atque anima ipſa immor-
talia ſunt. In quæ remis veliſq; (quod aiunt)
obnixè eſt & valide incumbendũ, ſi hanc,
quã tantopere expetimus tamq; vehemẽter
exqui-

exquirimus, nobilitatē adipiſci & conſequi velimus. Vt enim clari nominis gloria egregijs eſt facinoribus quærenda, ſic nobilitas ipſa honeſtis factis paranda nobis eſt, atque omni retinenda virtute. Quam non aliunde licebit legere, quam ab animo rationis lumine egregiè inſtructo & intellectus præſtātia magnificè roborato. Hæc enim duo humanæ mentis vera ſunt lumina, diuinaq; planè bona, quę ſi conſentanea ſibi in nobis hoſpitia ſunt nacta: ad omnem virtutem hominē informant, & vitæ noſtræ (peculiares iam nobis familiaresque factę) laudabiles actiones mira architectātur induſtria. Etenim tūc maximè in homine & vigere, & ſplendorem ſuum late diffundere incipiunt, cū à famulatu ſeruili, ac turpi obſequio corporis vere abſtractus animus magiſterijs cæpit ſeruire rationis & Imperijs obedire: Nam quandiu corporis noxijs deditus obſequijs, terreni huius ergaſtuli præpoſtera agitatur & externa ſeruitute: interea vſq; intellectus acumē quaſi ſepultum eſt, & rationis lumen extinctum. Quapropter, condocefaciendus animus eſt ab externis curis ad mētis aciē reuocare ſenſum: vt rationi liberè poſsit, intellectuique vacare, & præſcriptum ab illis munus obire generoſe. Eſt autem officiū animi in omnibus actionibus rationē ſequi ducē: & nihil aggredi temere. Vbi verò circūluſtrarit cuncta, & intellectus acumine ſingula peruiderit, accingi rebus debet, & concupito opere incōctanter digne fungi. Ab hac enim tam pręclare conſtituti animi ratione, non ſolum emānat ſapientia (quæ rerū omnium præclariſsimarum eſt baſis) ſed & celebritas ipſa emergit famæ, germanæq; omne decus nobilitatis naſcitur. Quas quidem res certum eſt neminem fuiſſe adeptum, qui cęco animi impetu (imperio faſtidito rationis) inhoneſta eſt, & turpia geſta molitus. Qui enim cunq; celebritatem nominis cōſecuti ſunt, & nobilitatis famam poſteris largiti: hi certè nō aliunde gloriæ ſuæ riuulos deriuarunt, quā ab ipſo virtutis fonte. Nam ſi qui naturæ muneribus inſolēter elati, Fortunæ opibus nobilitatem & gloriam poſſe conſequi ſe, forte ſunt opinati: inter ipſos malitioſe ridentis, inſidioſos, fallaceſq; complexus, ſpe ſubito cum bonorum poſſeſsione fraudati, turpiter ſunt ad extremū deriſi, & ludibrio valde habiti At, qui fucatas huius contempſere blanditias, & vnius rationis ductu, & virtutis armatura, in omnes caſus atq; pericula animū egregiè ſepſerunt, ardenti quodam ſtudio vtilia & honeſta ſectati: hi quaſi Fortunæ ipſius conſtituti victores, nobilitatis ſunt & gloriæ compotes facti; famæ verum fructum demetentes, cuius ſunt in vmbra deluſi inſidis dediti bonis. Nihil enim verum, nihil ſtabile, nihil ſolidum conſequi poſſunt, qui fragilia, & fugacia ſequuntur. Sunt verò Fortunæ, ac corporis munera omnia, & vitrea & incerta maximè. Nos autem in nobilitatis veræ ratione ſolidos exquirimus fructus: atque ita rei huius firmas volumus eſſe radices, vt nullo ſæuientis fortunę impetu, nulla aduerſa clade corporis proſterni, ſubuertiq; poſsint. Nam ſi rectè iudicare volumus, facile inueniemus, nullam in terris nobililitatis & gloriæ effigiē ea eſſe certiorem, quæ illarū ab animo formidinem rerum diſcutit, quas vi ſua natura fert, aut homini Fortuna minatur. Vita, mors, diuitiæ paupertas, omnes homines vehemētiſsime permouent, vt ait eximius orator, quæ qui in vtramq; partem excelſo animo magnoq; deſpiciunt: quumq; aliqua his ampla & honeſta res obiecta eſt totos ad ſe conuertit & rapit: tum quis non admiretur ſplendorem pulchritudinemq, virtutis? Ergò & hæc animi deſpicientia admirabilitatē magnā facit. Quorum proculdubio hominū parum fertilis pronentus eſt: ac mira vbique penuria. Quippe quotumquemque reperias, qui circūuētus morbo; exilio, atq; inopia (vt Ennianus ille Alcmæo) conſtantiā animi ſeruet, ac non potius, ſe fœde proſternat miſereque abijciat, fortunā indignam conquerens? Iam vero, quid cruciatus ſummos corporis, mortes ſubitas, aut violētas neces oratione complectar? Etenim aſpera iſta (ſapienter vt Ennius dixit) iam iam paſſuris ſi ob oculos ponas, quis eſt cui nō refugiat timido ſangnē, atq; etiam exalbeſcat metu? Atqui, nobilitatis & gloriæ legitimus candidatus, ab his omnibus haud ſecus affici debet, quam ab inſani maris truci atque horrido fluctu firmiſsima cautes. Non, vt quaſi ſcopulus aliquis, mali nullo ſenſu tangatur (quod ne fieri quidem poteſt) parum id natura patiente. Nullum ſiquidem animal eſſe poteſt inſenſile, multoq; minus illud quod intelligentiæ & rationis eſt particeps. Vt enim recte Gellius inquit, fortitudo non ea eſt, quæ contra naturam monſtri vice nititur, vltraq; modum eius egreditur, aut ſtupore animi, aut immanitate: aut quadā miſera & neceſſaria in perpetiendis doloribus exercitatione: Qualem fuiſſe accepimus ferum quendā in ludo Cæſaris gladiatorem, qui cum vulnera eius à medicis exſecabantur, ridere ſolitus fuit.

fuit. Sed ea vera & proba fortitudo eſt, quã maiores noſtri ſcientiam eſſe dixerunt rerũ tolerandarum & non tolerandarũ. Cuius rei imaginem à Caio Mario arbitror graphicè fuiſſe depictã. Is enim varicoſus cum eſſet, alligari ſe, minime paſſus: nulloq; gemitu ędito ſecandũ medico crus præbuit: cũq; ex eo extractis iã varicibus: ad ſectionẽ crus alterũ medicus popoſciſſe, præbere noluit: Negauit enim deformitatis vitiũ tãti eſſe, vt cum doloris magnitudine compenſari digne poſſet. Quam eius vocem animoſi, aiunt, ſtrenuique hominis fuiſſe. Doloris enim vi, atque vulneris ęſtu à ſuſcepto opere non deterreri, conſtantis animi ac robuſti pectoris fuit: perſtare autẽ in nouo perferẽdo dolore temere noluiſſe exili gloriæ apparente mercede (quod fortitudinis propriũ ſapienti viro munus eſt viſum) prudentiæ eſt ſummæ iudicatum. Quando igitur ęgritudine affectus non dolere nõ poterit, quid capiet conſilij, quid aget? quò ſe vertet gloriæ ſtudioſus? cedet ne, ſubcũbetque malis, & quaſi victus dabit manus? At, ignaui inglorijq; eſt aduerſis non poſſe rebus reſiſtere. Quid igitur implorabit opis? quid poſcet præſidij? Quid quò ſe applicet ſtudioſe magis inquiret? nimirũ ipſam gloriam, cuius dulci apud animũ rectè perpenſo fructu, inter ingruentia tela doloris, ſe ipſa facilè cõſolabitur: cõtemplationeq; ſuæ laudis, honeſtatis à ſe officio ſuſcepto, quæ aſperitate ſua obturbare ſenſum mala videtur deſpiciet nimirũ protinus, ac minoris æſtimabit. Poſteritatem quin etiam induet animo, atque adeo præſentem tanquam intuebitur, clarorũ virorũ epitaphia orbi oſtentantem. Quibus dũ ſedulo erit intentus, generoſi quadam pectoris alacritate obdurabit aduerſus vrgentia. Is enim eſſe oportet, qui eiuſmodi rerũ cauſa nulla fortunæ tormenta ſubire recuſet: nullum laborem atque dolorem corporis adire & perpeti vereatur. Nã qui honeſtatis & Iuſtitiæ vera nulla cauſa propoſita, & officij nulla tutela ſuſcepta, eorũ inſtar qui humanitatis omni orbati ſunt ſenſu, amentes in diſcrimina runnt, probandi non ſunt. Sentire enim ſua quiſq; damna debet, quò magis honeſtatis ergo rationẽ officij ſuſcepiſſe videatur, corporis ſalute neglecta: Alioqui, qui ſplendorẽ dignitatẽq; virtutis minime ſibi regulam conſtituit perferendi doloris: is quidẽ (vt opinio mea fert) aperire Lanienam, carnificinamq; exercere ſui, nõ iniuria putabitur, ſi periculis ſe ipſe crebrò, occaſionique mortis expoſuit. Vtinã minimè ægrotaremus (inquit Academicus Crãtor) ęgrotantibus vero aliquis ſenſus adſit, ſiue aliquid ſecetur, ſiue auellatur à corpore: nam iſthuc nihil dolere, non ſine magna mercede contingit immanitatis in animo, ſtuporis in corpore. Quò magis mirandum eſt, Citienm Zenonem in eo demum ſtatu animi, qui motu omni vacaret, quam indolentiam Latini, ἀπάθειαν Græci nuncupant, hominis ſummum bonum tam facile conſtituiſſe: cũ id quale ſit vix poſsit intelligi. Perſpicuũ eſt enim, animantem omnẽ vi atque imperio naturæ & dolore contrahi & lætitia rurſum diffundi ac dilatari oportere. Cum verò animo & corpore hominis ſit compacta & conglobata natura: atq; ita naturali quodã amoris fœdere animus ſit corpori obſtrictus: fieri certè non poteſt, quamdiu iſta coniunctio manet, quin malorum clade aliqua peſsime affecto corpore: itidẽ & noſter animus ęgritudinis aliquo ſenſu è veſtigio commoueatur. Triſtis enim res ſine dubio dolor eſt (vt ait Cicero) aſpera, amara inimica naturæ, ad patiendum, tolerandumque difficilis: ſed tamen generoſum apud animum, quæ ex recte factis percipitur, glorię ſola dulcedo, malorum condimentum eſt optimum: leuandique doloris medicus probatiſsimus. Cui dum mẽs ſibi conſcia recti fideliter acquieſcit, etiam ſi actionum ſuarum admiratores nulli, laudatores vè cõtingant: virtutis ſuæ conſcientia ſola cõtenta, viuit hilaris, & quę officio ſuo iã functæ iniecta forte ſunt damna, iucunditate animi compenſat, vel certe æſtimat longe minoris: ſicq; tandem in ſe ipſa affecta eſt, vt quæ in vtramque partẽ vel proſpera appeti: vel ſiniſtra tanquam, declinari vulgo ſolent, officij ſui dignitati ac veritati poſthabeat. Ita enim opulentiæ & fortunis inhiat, ita cupiditate vitæ ducitur: ſic dulcedine famæ tangitur, ſic voluptatis ſẽſũ mouetur, vt his omnibus rebus honeſtatis rationem eſſe anteferendam exiſtimet: & in ea perſequenda, etiam ſi mori contingat, præclare ſecum actum eſſe arbitretur. Neq; enim caducæ huius commoda vel incommoda vitæ tanti facit, vt illorum gratia ab officio boni viri ſibi putet vnquam diſcedendum: & à præſcripto rationis temere declinandum. Summa enim viri nobilitas eſt, humanitatis ſenſum rationis arbitrio ſubijcere, Bellè itaq; Diogenes interrogatus, qui homines eſſent nobiliſsimi: reſpondiſſe fertur, contemptores opum, famæ, voluptatis, & vitæ: contrariorumq; victores, ſcilicet paupertatis, Ignominiæ, laboris, & mortis. Rectè

ille

Ille quidē, germanæ enim nobilitatis, ac ſolidæ gloriæ vir auidus, extrarios, corpóreoſq; ſucceſſus, neq; extimeſcere debet triſtes: neque ſecundos appetere: ſed mentē ſic ab omni vel ſtulta formidine, vel admiratione vitioſa deſueſcere ſenſim, vt minimè illorum cauſa moueatur, quæ ſapiēti & bono viro, ſine illius aliqua culpa, ſæpiſsimè in vita accidunt: tum etiā putare debet nihil amplum, quod ab honeſtatis eſt, atque virtutis natura diſiunctū. Præclara iſta ſunt, inquies? Sed roges forſan, quî fieri poſsit, vt famā is deſpiciat, atq; contēnat, quę eius ipſius gratia adire iubeā extrema omnia, & ferre cuncta diſcrimina? An poterit, quæſo, nam hoc etiā dices: æquo orbari animo fama, quā tantopere expetit, tamq; laborioſè ſectatur? vt enim demus, in perſequenda nominis claritate ab eiuſmodi homine ſuſq; deq; ferri deceptā ſpem, & fruſtratā opinionē, ignominiam verò ferre quomodò poterit: qui ne ignominioſe viuat, vel proprio ſanguine rectiſsime credat emi, huius ipſius (quā ſequitur) famę celebritatē? Hæc tu non iniuria vel dubitare, vel obijcere poteris. Proinde, audi amabò, quo me iſthinc pacto extricē. Etenim nolim inter dicendum eiuſmodi tanquā nodis obiectionū obſtrictus, deuinctuſque teneri vnde irretitus ſemel cum fuero, male queā inhoneſteque diſſolui. Sic igitur accipe, me hîc, non vulgarem nobilitatē, non adūbratā gloriam, ſed ſolidam & expreſſam quærere. Nēpe quæ virtutis innixa fulcris, & honeſtatis fulta repagulis, vanos leuium hominum minimè captet, pertimeſcat ve rumuſculos, & aurā vulgi mobilē. Quęq; illorum victrix affectuū, qui infeſtare vulgus ſolent, turbulentúque efficere: neq; temerè laudata inani faſtu inſoleſcat, neque pari inconſtantia vexata, abiecto animo ad terrā depreſſa fatiſcat. Quippe hæc hominis tā excellens gloria, robore fundata virtutis, nunquā ex imperitorū ſermone fixa pendebit: quin nihil morabitur potius, ac ſuſque deq; habebit in vtramque partē cæcum populi, amenſq; iudicium. Ita eadē frontis ſerenitate, mentiſq; conſtantia, mendacem ridebit infamiā, ac nullo famā iudicio ſuſceptam. Quā qui animo inducere affectiōem poterit, quis hunc ab inclyto illo Diogenianæ nobilitatis præſcripto putet arcēdum? cū tam elato animo & ignominiam, & inanem aurā vulgi videat contēnentem? Hæc ego qui nobilitatem ſolidā, qui honorē verū, qui minimè fucatā gloriā expetat & facere debere, & facturū opinor. Nā honeſtæ famę reſpectu nullo moueri, & ignominię labē de ſe ſumma ratione excitatā ſpargi velle apud plures: non mihi negligentis modo ſed diſſoluti etiam hominis eſſe videtur. Eiuſmodi enim rerū deſpicabilitas atque contemptio peruerſitatem morū arguit maximā, ac ſummè exitioſam tabem vitæ. Etenim parum virtutis dignitate mouebitur, qui nulla glorię dulcedine tangitur. Nam quis non videat huius rei cupiditate ſola ductos ad virtutē homines plurimū accendi ſolere: & ad honeſta ſæpe pericula ſalutis ſuæ immemores, alacres & prōptos accurrere? Cuius ſi vim ab animo diuellas, hebeſcens iacet algida virtus, ſubductis tanquam coticulis ſuis, igniculiſque emortuis. Honeſtam igitur altitudine mentis vir præditus omnino appetat famam, & ad germanæ nobilitatis ſtudia ardenti ſemper animo incumbat, deſiderioque feratur: id vſque agens, id moliens, vt à virtutis clauo quam poſsit minimum deuiet atque diſcedat. Quę quidem tam ingēnua meditatio, & præclari operis glorioſa molitiō, haud ſecus atque auguſtiſsima quædam parandæ dignitatis normula, multoq; omniū certiſsima: ad celebritatem & laudē aſpirantibus viris ſemper debet eſſe propoſita. Nā qui à virtutis ductu, quæ nihil aliud eſt, quā ſumma & perfecta ratio, mentis oculos parū deflexerit, id enim eſt aſsidere virtutis clauo verā is proculdubiò nobilitatē, gloriamq; reperiet. Quæ in ſpecioſiſsimo huius gremio, ac dulciſsimo ſinu repoſita omnis eſt, trabali ceu quodā clauo defixa. Qui igitur veris animi bonis inſtructus, dominā erit rationē libens ſecutus, præclarumq; illius minimè detrectans imperium: partem illam animi rationis expertem, illi alteri participi huius & compoti placide ſubdiderit, arbitrio eius effingi conformarique cupiens: abhorrens interim ab omni perturbatione (quę aſpernatio rationis eſt) ac quidam velut appetitus vehementior, qui procul abeſt à naturæ conſtantia, hic nimirū turpia vbique execratus, & honeſta ſtudioſè ſecutus, ſit licet hominū genere editus deſpicatiſsimo, veræ nobilitatis minime fucata gloria quā maximè circū fluet. Nam cum mentis aciem in rationis ipſius præſcripta intentā ſemper habeat, atque defixam: non poterit non nobilitate illa animi frui, quæ eruditorū calculis putatur præſtantiſsima. Cuius ea natura eſt, & vis tanta: vt diuturnitate tēporis nulla perſtringi: nulla ſæuientis iniuria Tyranni labefactari: nullo fulminantis telo Fortunæ cōteri poſsit, atque ſubuerti. Cū vulgaris illa nobilitas, quæ

clari

clari tantũ generis ſtẽmate nititur, & nullo
virtutis fulta ſubſidio fama, eiuſmodi ſint
obnoxia caſib⁹, & illorũſæpe vel protrita im
petu, vel inuaſione colliſa, ſubitò vaneſcãt,
ac repẽte diffugiant. Ergo cũ germanæ nobi
litatis tam illuſtris ſit & excellens dignitas, vt
nunquã queat amitti, vel eripi: verã, ſi ſapi-
mus, nobilitatẽ progreſsione virtutis æſti-
mare debemus: non ſuperbis maiorũ titulis
metiri. Nã titulos abolet dies: virtutẽ illuſtrat
fama: celebratque vetuſtas. Vt igitur tẽpus
arbitrarijs quibuſdã legibus, nobilitatẽ ho-
minũ, quæ primitus vna fuit ſecuit atque di
ſtinxit, honorarijs tanquã claſsibus inductis
triplicis differẽtiæ: quoſdã enim Patritios ap
pellauit, alios vocauit equites, plebeios alios
nominauit. Patritios equitib⁹, Plebeijs Equi
tes præferens dignitate. Eos qui præſcripti
ordinis locũ tenerent extremũ, inter homi-
nũ obſcuram colluuionẽ infimè coniectos,
ſtipẽdiarios eſſe voluit, & pro capitibus æra
pendere, quaſi nota inuſtos viliſsimæ ſortis.
Sic nos in præclaræ huius noſtræ nobilitatis
ratione conſtituenda: gradus quoſdam, non
quidem cenſus, aut generis (vt illi) parui
enim id facimus: ſed probitatis atque virtu-
tis inducere debemus. Non enim facultati-
bus, nõ Natalibus atq; diuitijs, ſed in indole
clara animi, induſtria atque virtute: verã arbi
tramur nobilitatẽ hominis eſſe repoſitã. Ex
cuius præſtanti dignitate claritatis ſumma
conſtituenda mihi eſt, & ſua cuique portio
diſtribuenda. Hinc enim à vulgo diſtingue-
re nobiles debeo: nõ genere vel potentia cen
ſere: quæ improba ſæpe ſunt, & malorũ plu
riũ cauſa. In hac ergò partitione noſtra, hi
quaſi Patritij erunt exiſtimandi, qui excellẽ-
tis animi præditi magnitudine ſeſe ad ſuble-
uandos homines contulerunt, & iniuriã pro
pulſandã: gratis de omnium ſalute bene me
reri cupientes. Proximè ceu equites accedẽt,
qui ſtudia ſapientiæ rimati vtilia vitæ inue-
nerunt: & ad virtutẽ capeſſendã, degendam
que melius ætatẽ homines conſilio iuuarũt.
Tertio illi loco erũt plebeijs haud multum
diſsimiles, qui ſibi tãquam nati, vtilitatibus
tantũ ſuis proſpiciunt, & cõmodis inſeruiũt,
aliorum nihil cauſa ſoliciti. Ab hoc itaq; lau
dabili præſcripto vera hominis dignitas eli
cienda eſt, & quantũ cuique deferri clarita
tis oporteat, æquiſsima lance metiendũ. Cæ
terũ, ne præſcripti noſtri ſeries manca poſsit,
imperfectaq; videri, minuta aliqua fraudata
particula: quartam quandã illorũ addamus
ſpeciem, qui libidine praua animi amentes in
ſcelera ruunt. Quæ hominũ peſsima eſt, &
multũ iniqua conditio (ſi tamẽ homines ap
pellari poſſunt) qui voluptate fœdiſsima ille
cti, & turpiſsimæ dediti parti corporis, haud
ſecus atq; animantes brutæ, & rationis exper
tes: in ea, quæ cõcupita ſunt, impetu cæco fe
runtur. De quibus non opinor obſcurum
fore quid ſentiam, cum plebeijs illos non
dubitarim aſcribere, quos circa res tantum
ſuas occupatos, & attendẽtes nihil vltra vul-
gus arbitratur induſtrios. Eum ne tu nobilẽ
appellabis (ſit licet extrariæ nobilitatis omni
bus condecoratus Inſignibus) qui principẽ
illã animi partẽ à natura cęteris datam impe-
ratricẽ, ita fœde proculcat, & abijcit, vt deſi-
derijs corporis noxijs mãcipet, & blandimẽ-
tis improbis turpiſsimæ voluptatis? At, non
eſt neq; conſtantiæ tuæ, neq; Sapientiæ tan-
tæ, ó Nicete, cum eã ſæpe ſententiã laudes,
quæ nobilitatis veræ effectricẽ, vnicã docet
eſſe virtutẽ: vulgi iſtas conſectari ineptias, &
vana hominũ ſequi iudicia. Nã cum nulla ſit
Infœlicitas maior, quam deprauatio animi
atq; corruptio: ea eſt proculdubio ignobili-
tas, & quidẽ miſerrima cenſenda, quæ Fortu
næ omnibus affluens muneribus, ſapientia
animi deſtituta eſt, & mentis orbata lumine.

HABES de vera ipſe nobilitate quid ſen
tiã: pariter atque illa, quæ de triplicis natura
boni à philoſophis ſolent tractari diffuſius,
& vberius explicari. In quibus elucidandis,
ſi minus id (quod habuimus animo) cõſecu
ti videbimur, vt tota dilucide, & planè ora-
tio exornata ſibi conſtet, & ex omni parte ſe
cũ ipſa conſentiat: quæſo, obteſtorq; te, vt
ſuſceptarũ id rerũ aſcribas magnitudini: vel
humanæ imputes infirmitati naturæ: quę ni
hil plenè diſertũ, cumulatèq; perfectũ ab vl
lo mortaliũ hactenus fieri poſſa eſt. Nã mihi
quidẽ ad ingenij laudẽ ſatis abundèque fue-
rit, ſi in tantis rerũ tenebris (quæ inter dicen
dũ ſæpiſsimè ſunt ſubortæ) veritatis ipſam
lucẽ nõ omnino cæcutientibus oculis intui
tus videar fuiſſe. NIC. Iudicaturi alij quid
ſint, viderint ipſi. Id enim ſpondere non
poſſum: tantũ affirmo mihi hæc probabilia
maximè fuiſſe viſa, & veritatis ei, quam
expetis, luci coniuncta multum, & penè co
gnata.

FINIS.

LAVS DEO OMNIPOTENTI.

INDEX RERVM PRAECIPVE ADNOTATIONE DIGNARVM,

quæ in libris de Triplici bono, & vera hominis nobilitate continentur.

Actionis diſparilis non hîc merces rependitur: non hîc honeſtorum laborum premia erogantur fol. 67. col. 1. lin. 12.

Academicorum & Peripateticorum, vnde nomen fluxerit f. 111. c. 2. l. 22

Academiæ veteris, & peripateticorum, communis quondam vtriq; ſectæ fuit ſchola. fol. 111. c. 2. l. 7.

Academiæ ratio tota cur à M. Cicerone leuitatis ſit damnata. fol. 50. cap. 1 l. 51.

Adoleſcentibus rempublicam non ſine magno periculo & diſpendio poſſe cõmitti fol. 175. c. 2. l. 8.

A decoro quam minimum eſſe diſcedendũ. fol. 159. cap. 2. l. 34.

Ad virtutem vna & ardua via eſt: ad pecuniã qua cuiq; libet nititur. fol. 152. cap. 1. l. 10.

Ad vitam conſequendam æternam declinare à malo ſat non eſt: & an hoc nomine rectè à Platone philoſophi ſint reprehenſi. fol. 97. cap. 2. l. 39.

Affectus, examinando vero malus eſſe hoſpes ſolet, & iuſtitiæ iniquus interpres. fol. 2. cap. 1. l. 46.

Affectus non tam ex exceſſu, quam ex cauſa ſæpe culpantur. fol. 112. cap. 2. l. 5.

Affectus, qui actionum ſeminaria eſſe dicuntur, à ſupremo rerum artifice vtiliter nobis ſunt ingenerati. fol. 112. cap. 1. l. 30.

Affectus, quas partes noſtri corporis ſecundum medicos occupent. fol. 73. cap. 1. l. 44.

Affectus, tranquilli animi dicuntur eſſe prædones. fol. 2. cap. 1. l. 9.

Agathocles figulo patre ortus, Rex Siciliæ effectus: & eius in regno modeſtia. fol. 18. c. 1. l. 30.

Agamemnonis acclamatio pulchra de fragilitate humanæ potentiæ. fol. 13. c. 1. l. 6.

Ageſilaus Rex, amicorum præter æquum ſtudioſus ſæpe fuit. fol. 179. c. 1. l. 17.

Ageſilai cordatiſsimum dictum ad Perſarum Regis ſtultum laudatorem. fol. 32. c. 2. l. 3.

Agis Rex, cur mulcta ſit affectus ab Ephoris. folio. 153. cap. 1. l. 46.

Agerone præſtat ſacra facere quam precibus placare Murceam. Quid Hieroglyphico ſignificauerint veteres. fol. 58. c. 2. l. 54.

Alcamenis prudentiſsimum dictum, de vitæ ſobrio cultu. fol. 154. c. 1. l. 51.

Alterum qui incuſat probri, ipſum ſe intueri oportet. fol. 182. c. 1. l. 31.

Aiacis & Vlyſsis de Achillis armis contentio. fol. 168. c. 1. l. 4.

Alexãder Macedo pſeudoamicorum inſidijs perijt. fol. 130. c. 1. l. 9.

Alexandrum Macedonem fortuna ampla, & Perſica gaza corrupit. fol. 157. c. 2. l. 28.

Amanti, cur nihil eſſe poſsit difficile. f. 4. c. 1. l. 21.

Amanti nihil vnquã ſatis feſtinare. f. 108. c. 2. l. 44.

Amicus amici perſonam ponit, cum induit iudicis. fol. 180. c. 2. l. 49.

Amicus certus in re incerta cernitur. fol. 129. c. 2. l. 49.

Amici pollicitatio, qualis eſſe debeat. fol. 180. c. 1. l. 20.

Amico prudenti & vero ad vtramq; fortunam placidè ferendam nihil eſſe accommodatius. fol. 121. c. 1. l. 2.

Amicorum fidelium monita, proſpera fortuna utenti, vel maximè neceſſaria eſſe. fol. 16. c. 2. l. 20.

Amicorum præſidium rempublicam gerenti in primis eſſe neceſſarium. fol. 179. c. 1. l. 45.

Amicorum in negotijs quo ſe quiſq; pacto gerere debeat, ex Cicerone hauriendæ formulæ ſunt. fol. 180. c. 2. l. 35.

Amicitia cenſenda non eſt, quæ à natura honeſtatis abhorret. fol. 179. c. 2. l. 8.

Amicitiæ prætextu nihil cuiquam contra fas, & religionis fidem eſſe concedendum. f. 179. c. 1. l. 3.

Amore humanis in rebus nihil eſſe efficacius, vel ad conſequendum ea, quæ aſſequi poſſe diffidas. fol. 29. c. 2. l. 42.

Amore libidinoſo flagrantes, cur omnium maximè culpentur. fol. 77. c. 2. l. 42.

Anima omnis humana immortalis eſt: ſed non omnis eſt diuina atq; beata. fol. 91. c. 2. l. 3.

Anima, corpus, pecunia: tria hæc ſunt quorum cauſa à nobis cuncta fiunt. fol. 117. c. 2. l. 37.

Animal brutum, nullum eſt virtutis & fœlicitatis capax. fol. 56. c. 1. l. 19.

Animæ curam præcipuè habendam: ſemperq; ad ipſam reſpiciendum eſſe. fol. 91. c. 1. l. 29.

Animæ noſtræ naturalem quandam declinationem & fugam vitij eſſe, citra alicuius doctrinam. fo. 45. c. 1. l. 54.

Animi imperium omne menti eſt à natura tributum fol. 1. c. 2. l. 13.

Animæ partes inferiores, imperio quodam naturæ, præſtantioribus ſubiectas eſſe debere. fol. 46. c. 1. l. 17.

Animi immortales, terreno cur induti ſunt corpore. fol.

re. fol.117.c.2.l.19.
Animo perturbari, quod malis proſpera & bonis aduerſa ſæpe in vita contingant, viri non eſſe ſapientis. fol.104.c.2.l.2.
Animos hominum ſcientia paſci, &. rerum ali notitia. fol.50.c.2.l.6.
Animus ſuus cuiuſq;, eius quæ fingitur, fortunæ imago eſt. fol.40.c.2.l.52.
Animati omnes non ita ſunt, vtilitati vt honeſtum præferant. fol.165.c.2.l.36.
Antigonus rex, quid de amicis ſuis duobus queri ſit ſolitus. fol.176.c.1.l.56.
Antigono Regi quiddam cum honeſtate pugnans efflagitanti, ingenuè ac liberè reſpondiſſe Phocionem. fol.179.c.2.l.43.
Antonij Caceris Pacieci laus. fol.71.c.1.l.56.
Anaxagoras Clazomenius nunquam in vita riſit. fol.5.c.1.l.32.
Anacharſidis ad Hanonem pulchra epiſtola ad ſobrietatem erudiens. fol.156.c.2.l.53.
Antiſthenes cur Athenienſes admonuerit vt ad agrorum culturam non minus aſinos quã equos deligerent. fol.174.c.2.l.30.
Apius rectè cecinit carmine, fortunæ fabrum eſſe quemque. fol.42.c.1.l.44.
Apolonij rhetoris Alabandenſis mos in ſuſcipiendis diſcipulis. fol.3.c.1.l.25.
Arbitrium liberum rationalem naturam decere maximè, licet per ipſum ad malum ſuſcipiendum hominis anima peruia facta ſit. fol.69.c.1.l.4.
Arbitrij libertas non inſtrumentum exitij, ſed incolumitatis nobis aduerſus vitia organum eſſe debet, & fælicitatis exordium. fol.46.c.1.l.36.
Arbitrij libertas cur à Deo homini data ſit. fol.83.c.2.l.42.
Arbitrij libertas quam in nobis poteſtatis vim habeat. fol.84.c.1.l.14.
Arbor illa exitij noſtri cauſa futura, cur à Deo in paradiſo poſita fuerit. fol.83.c.2.l.28.
Argiui Micij & Tarchontis ſtatuæ interfectoribus ſuis exitio fuerunt. fol.38.c.2.l.47.
Ariſtippi acutum dictum de Auaris. fol.155.c.1.l.17.
Ariſtipæi, Cyrenaici & Epicurei philoſophi, bonũ ſummum in voluptate turpi ponebant. fol.110.c.2.l.24.
Ariſtides & Hermodorus admodum ſedulo cultæ virtutis ingratæ patriæ pœnas luerunt. fol.11[illegible].c.1.l.[illegible]
Ariſtides & Themiſtocles quàm placidè ſimultates deponere ſint ſoliti, magiſtratu ſuſcepto. fol.176.c.[illegible].l.[illegible]
Artaxerxis Regis prudentiſſimum dictum ad cubiculi ſui præfectum Satibarzanem. fol.180.c.[illegible].l.41.
Ariſtotelis ægrotantis ad medicum, dictum f.129.
c.1.l.8.
Attendendum non minus cuiq; eſt quid ipſe præſtare debeat, quam quid alijs ſit faciendum. f.25.c.2.l.11.
Athenienſes quod honeſtum nõ eſſet, id ne vtile quidem eſſe putarunt. fol.163.c.1.l.13.
Auari, cur parricidij pœna plecti debeant. f.142.c.2.l.21.
Auari, turpitudinum omnium ſerui: vitæque propriæ hoſtes. fol.138.c.1.l.43.
Auari hominis & mores perditos eſſe, & ingeniũ ex Euripidis carmine ſub perſona Bellerophontis conſtare. fol.154.c.1.l.3.
Auaritia, bellua fera. fol.152.c.1.l.26.
Auaritiæ genus incredibile cum expoſitione text. in.l.Cicero.ff.de pœnis. fol.143.c.1.l.25.
Auri ſacra fames flagitia cũcta ſuadet. fol.143.c.2.l.1.
Aurei ſæculi initium ſub Ogyge ante Ninum fuiſſe. fol.133.c.2.l.1.
Aulus Gellius, vir alioqui doctiſſimus in defenſione legis à Solone latæ de non factioſo ciue reprehenditur. fol.177.c.1.l.35.
Aurelius Auguſtinus fuit multiplici rerum ſcientia clarus, & ſanctitate animi vir eximius. fol.67.c.2.l.48.
Authores, qui & quomodo ſint legendi. fol.49.c.2.l.40.
Authorem mundi Deum, tanti nos operis admiratione ſtupefactos reuereri ſedulo debere atq; adeo ſummè colere. fol.96.c.1.l.39.

B.

BArgulus Iliricus latro & Viriatus Luſitanus latrocinijs magnas opes adquiſiuerunt. fol.151.c.1.l.10.
Baſilius ob multiplicem rerum ſcientiam cognomẽto magnus eſt dictus. fol.68.c.1.l.35.
Baſilij egregia concio, cui titulus eſt, quod Deus malorum author non ſit. fol.81.c.1.l.28.
Beatus niſi in ſummo bonorum poſitus eſſe nemo poteſt: eneruet licet zeno cuncta, quæ in veram honeſti rationem non cadunt. fol.117.c.1.l.19.
Beatitudo eſt, ſtatus quidam bonorũ omnium aggregatione perfectus. fol.117.c.1.l.24.
Beatiſſimè fœliciſſimeq; viuendi, præſcripto ſanctæ legis norma eſt cumulatiſſimè deſcripta. fol.14.c.1.l.38.
Beatum atque fœlicem, niſi poſt mortem, neminem verè poſſe vocari. fol.30.c.2.l.26.
Beneficium accipere, libertatem vendere eſt. fol.148.c.2.l.1.
Bona ea tantum putantur, quæ hominẽ ipſum beat, animumque eius exornant. fol.108.c.1.l.48.
Bona & mala ex quibus fontibus oriantur. fol.78.c.2.l.38.
Bona quæcumque habemus à Deo ſunt: igitur gloriari

rlari niſi in illorum largitore Deo, nefas eſt. fol. 107.c.2.l.4.
Bonum id demum eſſe, quod rectè ſit, quod honeſtè & cum virtute. fol.159.c.1.l.2.
Bonum apud virum, quæ rectè morata eſt dotata ſatis eſt vxor. fol.165.c.2.l.28.
Boni & prudentis viri qualis eſſe & vita & oratio debeat. fol.110.c.2.l.17.
Boni & mali ſcientiam vanam eſſe, ni præſtantiora quæ nouit, amplecti qui faciat, præſto adſit animi generoſus affectus. fol.78.c.2.l.8.
Bonorum genera, cur tripartitò ſint diuiſa ab Academia vetere & Platone. fol.115.c.1.l.6.
Bonorum triplex genus, cur ſubtili quadam ratione, vnicum eſſe, probari poßit. fol.2.c.2.l.9.
Bonorum nomen vnde fluxerit, & quæ verè bona dicantur. fol.17.c.2.l.25.
Bonorum extremum atq; vltimum eſt, vno frui Deo. fol.118.c.1.l.24.
Bonorum finem eſſe ſecundum naturã viuere, Academiæ veteris fuit placitum. fol.111.c.2.l.52.
Bonos mores corrumpunt colloquia praua. fo.49.c.2.l.39.

C.

Calamitas homini, virtutis ſæpe occaſio eſt. fol.52.c.2.l.44.
Calamitatum colluuies ſanctorum quorumdam, bonitatis ac patientiæ illorum theatrum nobile facta eſt. fol.52.c.2.l.48.
Claritatem ſanguinis, niſi magnis cõſociata virtutibus ſit, hominis bonum minimè dici debere. f.19.c.2.l.29.
Carnis ferociam, temperantiæ ſanis frænis cõſtringi debere. fol.89.c.1.l.23.
Carneades cur præceperit ſecundis rebus aduerſorum caſuum, homines memores eſſe debere. fol.28.c.1.l.32.
Carneades in vtranque partem ſubtiliter multa diſſerebat. fol.160.c.2.l.15.
Carneade diſputante, cuncta habita fuiſſe dubia. fol.146.c.1.l.9.
Caius Marius veræ fortitudinis rationem calluit. fol.113.c.1.l.6.
Caium Iulium Cæſarem de immortalitate animorũ parum rectè ſenſiſſe. fol.94.c.1.l.48.
Caſus, qui humana, rotæ inſtar videntur circumagere, rerum omnium gubernatoris Dei ſapienti conſilio accidere. fol.54.c.1.l.20.
Catonis pulchrã carmina de fortuna. fol.61.c.2.l.49.
Catonis ſententia, magiſtratum aut iudicem nec pro iuſtis orandum: nec pro iniuſtis exorandum eſſe. fol.181.c.1.l.16.
Catonem de immortalitate animorum, & defunctorum premio diſpari rectè ſenſiſſe. fol.94.c.2.l.1.
Candidatorum, vitæ ſortem miſeram eſſe, & obſequij operam pluſquam ſeruilem fo 175.c.2.l.17.
Conditore ab vno cuncta in vita fieri quomodo ſit intelligendum. fol.68.c.1.l.52.
Contentio inter honeſtum & vtile. f.161.c.1.l.19.
Conſtantinus imperator, primus Romanorum Cæſarum, & Chriſtianũ appellari ſe, atque Chriſtũ colere cepit, cuius tempore Lactantius floruit. fol.70.c.2.l.43.
Conſilio iudicioque noſtro res in vita geruntur, nõ cæca arbitratu fortunæ. fol.57.c.1.l.51.
Contentio de bonorum & malorum finibus à quibus ſit orta. fol.110.c.1.l.8.
Corpore humano quocumq; genere mortis abſumpto, eius tamen ſuperſtitem animam permanere. fol.93.c.1.l.51.
Cauſas, quæ mortalitatis captum excedunt, ſcrutari homini eſt nefas. fol.51.c.2.l.15.
Cenſores apud Romanos, morum magiſtri, populique rectores ſunt habiti. fol.166.c.2.l.14.
Cleombrotus & Vticẽſis Cato, qua ſibi ratione mortem intulerint. fol.114.c.2.l.1.
Clemẽtia eſt, temperantia animæ, in poteſtate vlciſcendi. fol.11.c.1.l.27.
Cleanthis carmina de his qui voluntati Diuinæ libenter conformatur. fol.65.c.2.l.12.
Cleomenis Lacedæmoniorum Regis pulchrũ dictũ de Sammiorum tyrãno Meandro. f.24.c.1.l.3.
Cleomenis ſententia de amicitiæ theſſera diſſoluenda, reipublicæ gubernatione ſuſcepta ſit ne probanda. fol.179.c.1.l.33.
Cteſiphontis oratoris dictum mirabile. fol.146.c.1.l.5.
Creontis ad Medeam carmina vtiliſſima ad obſequium turpe effugiendum. fol.180.c.1.l.15.
Creator omnium Deus, vniuerſa ſimul vidit & erant valde bona. fol.81.c.2.l.18.
Crimina eorum, qui reipublicæ gubernaculis admouentur, cur vel minimaquæq; pro magnis habeãtur. fol.173.c.2.l.16.
Cicero dixit, vnum eſſe ſupremum Deum, cuius numini parẽnt cuncta, & Deos qui publicè colerentur commentitios & falſos eſſe. fo.102.c.1.l.30.
Cicero à maioribus acceptas publicè religiones, ſub pontificis Cottæ perſona quomodo labefactarit atque deſtruxerit. fol.60.c.2.l.43.
Cicero graui oratione perſtringitur, quòd præceptorum ſuorum immemor, filiæ ſuæ obitu victũ ſe à fortuna eſſe turpiter fatetur. f.64.c.2.l.21.
Ciceronis preceptio aurea de non committendo aliquid flagitioſe, etiam ignoratione rerum propoſita. fol.163.c.1.l.50.
Ciceronis verba aureæ Iudicibus ſemper in promptu habenda. fol.181.c.2.l.6.
Corpus ſine anima curare non licet. folio.91.c.1.l.1.

Corpus cibo reficere longè eſſe facilius, quam fructuoſæ dape lectionis hominum mentes paſcere. fol.23.c.2.l.19.

Cura, labor, vigilantia & amor expugnant cuncta. fol.3.c.1.l.53.

Curionis improba vox, vincat vtilitas. fol.162.c.1.l.50.

Culpæ originalis labe vna tantum excepta, recenter natiſunt prorſus nulla delicta, folio.87.c.1.l.12.

Cupiditatis inediam, optimum eſſe homini opulentiæ theſaurum. fol.146.c.2.l.20.

Cupiditati omnium ſatisfacere, atque omnium palato ſeruire nimis eſſe difficile, fol.160.c.1.l.14.

Ciuitatem illam ſaluam eſſe non poſſe, quæ puerorum diſciplina neglecta, male moratos ciues habeat, fol.173.c.1.l.47.

Cæſariani militis ſtuporem ſæua inter vulnera & vſtiones ridentis, fol.113.c.1.l.1.

D.

DAmonis in Pythiam amor, fol.126.c.2.l.34.

Draconis Athenienſis pœna, in patres negligentes circa filiorum educationem, folio.172.c.2.l.11.

Deus cuncta regit, ſuauiterque diſponit, fol.82.c.2.l.7.

Deus omnia fecit ex nihilo, fol.43.c.2.l.54.

Deus, vt vniuerſalis cauſa intelligatur, priuatio atque defectus, vnde fluxit verè malum, nihil obſtat, fol.69.c.2.l.52.

Deus, diabolum non creauit, nec peccatum nec mortem, fol.82.c.2.l.22.

Deus debuerit ne, omnifariam mundum à malitia liberare, fol.86.c.2.l.13.

Deus influxum ſuum ſi rebus ſubtraxerit, deficiente vita in mortem corruent vniuerſa, fol.99.c.1.l.44.

Deus egregijs armis intellectu atque ratione aduerſus mala cuncta, genus hominum communiuit, fol.86.c.2.l.27.

Deus ne brutorum quidem animantium conditionẽ vlla ex parte deſtituit, multoque minus hominẽ. fol.44.c.2.l.30.

Deus iuſtæ inuidiæ expers non fuiſſet, ſi hominem, ſuorum operum longè nouiſſimum, fortunæ ſiuiſſet regendum. fol.55.c.1.l.14.

Deus conſtructionem ac fabricam noſtri corporis gratia animi eſt molitus, fol.46.c.2.l.22.

Deus eſt ſolus & vnus, atque ideo ſingularem Deus hunc mundum atque vnigenam procreauit, fol.200.c.1.l.5.

Deus optimus Maximus cum ea quæ ſenſus feriunt cælitus immittit, nihil mali creditur facere, fol.66.c.2.l.32.

Deus lætatur, cum præſidium ſuum ſanctè cernit ex poſcit, fol.107.c.2.l.6.

Deus optimus maximus, cur res humanas variabili circunſcripſerit motu docet Hermes Ægyptius, fol.53.c.2.l.31.

Deus ſpecioſiſſimo hoc mundi opere perfunctus, premio & pœna ſanxit ipſam mortalium ſalutem, fol.96.c.1.l.49.

Dei proprium eſt, miſereri ſemper & parcere, fol.11.c.2.l.28.

Dei bonitas rerum omnium eſt cauſa: & voluntas ſumma perfectio, fol.82.c.1.l.46.

Dei Numini cuncta parent, fol.54.c.2.l.26.

Dei ſummi Numen irreuerenter habere & Diuum iuſſa contemnere, nulli poſſe impunè cedere, fol.85.c.2.l.39.

Dei prudente conſilio cuncta reguntur, fol.59.c.2.l.56.

Dei omnipotentis omnes in cuſtodia poſiti ſumus vnde eorum quæ quiſque in vita geſſerit, nulli tandem erit effugium, fol.67.c.1.l.31.

Dei ſummi ac præpotentis vel ſingularis eſt gloria omnium conſtitutio, fol.82.c.1.l.16.

Dei maieſtatem, tantam eſſe Plato ait, vt nec lingua exprimi poßit, nec mente comprehendi, fol.103.c.1.l.1.

Deo nihil occultum eſt, fol.66.c.2.l.55.

Deo neque ſapientius eſſe aliquid poteſt, neque iuſtius cogitari, fol.51.c.2.l.38.

Deum, optimum eſſe artificem, gubernatorem & dominum omnium rerum, fol.52.c.1.l.10.

Deum ipſum nihil vnquam malifacere, piè eſt & conſtanter aſſerendum, fol.67.c.1.l.35.

Deum, authorem mali putare temerarium atque impium eſſe, fol.68.c.2.l.6.

Deum nullius nobis mali authorem eſſe, Baſilij magni, Aurelij Auguſtini & Thomæ Aquinatis ſententijs comprobatur, fol.79.c.1.l.51.

Deum ſemper in cognoſcendis cauſis, ſententijſque ferendis adſtare præſentem, magiſtratui ac iudici perſuaſum eſſe debere, fol.181.c.1.l.32.

Deum, nunc mundi animam: nunc neceßitatem, nũc fortunam cur vocet Cicero, fol.104.c.1.l.12.

Dij pio affectu humana omnia reſpiciunt atque cuſtodiunt ſecũdum Platonem, fol.92.c.2.l.26.

Deorũ omnia eſſe plena, quid ſignificet iuxta Platonem, fol.92.c.2.l.29.

Deorum cultoribus an ſuorum Deorum irriſiones ſemper impunè ceſſerint, fol.104.c.2.l.55.

Deorum immortalium pœnas in conſceleratos & impios homines, quas vocet Cicero, fol.106.c.1.l.18.

Dijs ethnicorum ſtygiam paludem, inuiolabile iuramentum erat, fol.6.c.2.l.16.

Deos vtiles, quos vocarit. Menander, fol.123.c.1.l.[illegible]

Diuini noſtri animi & cæleſtis origo, quid nos moneat,

neat, fol.136.c.2.l.6.
Diuini ſupplicij ratio in plectendis improbis qualis ſit, fol.105.c.1.l.36.
Diuino cultui accuratè nos ſemper ſeruire debere, pulchro docetur epilogo, fol.104.c.1.l.36.
Diuum cura ſolers cur omniiugi affluentia rerum non nos omni ex parte condecoret, folio.175. c.1.l.52.
Diuinitus homini incuſſa plaga, pro medicina eſt, & aduerſus triſtiora mala antidoti vice fungitur, fol.52.c.2.l.55.
Diui Aurelij Auguſtini doctrina pulchra circa rerum principia & effectus, fol.103.c.2.l.12.
Diui Hieronymi pulchra ſententia de contemnenda pecunia, fol.135.c.1.l.50.
Diei extremam partem, neceſſariæ tanquam laborũ laſſitudini, quieti olim fuiſſe dicatam: & in hunc finem XII. Tabularum legem adductam, folio. 108.c.2.l.20.
Diem auſpicari à diuinis precibus prudenti ac pio viro vel maximè conuenire, fol.108.c.2.l.48.
Diabolus cur acerbitatis ſuæ virus in hominem cõuertere ſtatuerit, fol 75.c.2.l.4.
Didonis ex Maronis hiſtoria: & an vera ſint quæ de violata ipſius pudicitia Ab Ænea ſcripſerit, fol.77.c.2.l.51.
Demonax, de hominis oratione, dictum acutum, fol. 119.c.2.l.17.
Democratis de immenſis opibus pulchrum dictum, fol.135.c.2.l.9.
Dilatorem ſemper cum detrimentis luctari vetus eſſe ſapientum dictum, fol.41.c.2.l.36.
Diligentiam, rectè gerendarum rerum inſtrumentũ eſſe ſatis efficax, fol.58.c.1.l.8.
Deſidiam, miſeriarum nobis cauſam eſſe multarum atque inde fati, fortunæ, & Syderis querelam eſſe ortam, fol.58.c.1.l.19.
Dignitatibus ipſis vis ea non eſt, vt verè faciant honorabiles, fol.173 c.2.l.8.
Diogenes phyſico ſciſcitanti, cur aurum palleret, quid reſponderit, fol.120.c.1.l.49.
Diogenes libertas, fol.119.c.1.l.34.
Diſceptandi rationem à diffinitione auſpicari, exactæ eſſe prudentiæ, fol.25.c.1.l 1.
Doctorem ſapientiæ atque ducem veritatis, cuius abſque præcipitij fraude tutò ſequi veſtigia poſſent, philoſophi non habuerũt, folio.110. c.1.l.43.

E.

ECphantis pythagorici ſententia de Dei operibus & gubernatione diuina, folio.103. c.1 l.30.
Educationi puerorum præ cæteris rebus pretores & præſides vigilanter incumbere debent, f.172. c.1.l.56.
Egeſtas vel paupertas ex vitæ intemperantia naſcens, reprehenſione digniſſima eſt, fol.131. c.1.l.38.
Eloquentiæ vim eſſe maximam, & exempla eloquẽtium, fol.145.c.1.l.53.
Elephanti cur quiddam quaſi manus ſimile, quam nos appellamus proboſcidem, à natura ſit datum fol.48.c.2.l.5.
Ægyptius Hermes dixit, rerũ omnium creatorem Deum, neque humano bene poſſe concipi ingeniõ neque ore explicari, fol.103.c.1.l.23.
Emolumenta rerum, fallacibus iudicijs videtur, fol. 162.c.2.l 9.
Epaminundas Pelopidam ſibi cœlibatum exprobrãtem, quam ſit acutè & prudenter vltus, fol.172. c.2.l.46.
Epaminundæ modeſtia, & eius ad temperantiam animi celebre dictum, fol.31.c.2.l.3.
Epaminundæ ſtrenua mors, fol.168.c.1.l.18.
Epicurus, voluptatem atque dolorem, bonorum & malorum eſſe fines ſtatuit, fol.110.c.2.l.44.
Epicuri formidoloſum argumentum contra prouidẽtiam Dei, & malorum fabricam quomodo Lactantius diſſoluerit, fol.76.c.2.l.52.
Epicuri ſecta, cur maxima quondam in laude floruerit, fol.92.c.2.l.7.
Ephororum quanta apud Lacedæmonios quondam authoritas fuerit, fol.145.c.1.l.14.
Equus alienus negligentius prætereunti, ſi fortè impegit calcem; an iniuriarum actione cum eo ſit agendum, fol.59.c.1.l.15.
Errare minus ſolent, quibus eſt in qua verſentur ſpacij aliqua meta præſcripta, folio.25. c.1.l.3.
Æſopici corui, qui homines non eſſe dicantur ab ſimiles, fol.138.c.1.l.28.
Etheocles, Ephorus cur Antipatro pro obſidibus pueros dare noluerit: & Spartanorum vox animoſa, fol.172.c.2.l.25.
Ethnicorum multi, cur fortunam Deam eſſe crediderint, fol.22.c.2.l.32.
Ethnicorum de Dijs, pluribus tabifica rabies, vnde fluxerit, fol.102.c.2.l.29.
Euclio Plautinus ſenex auaritia perditus, fol.140. c.2 l.29.
Euripidis & Menandri dicta pulcherrima in Plutum diuitiarum Deum, fol.159.c.1.l.22.

F.

FAbij Pictoris de Aureo ſeculo & origine vrbis Romæ libri, fol.153.c.1.l.46.
Falconia Proba, & re & nomine verè proba fœmina fuit, fol.24.c.2.l.38.
Finis vnus à ſupremo rerum artifice homini conſtitutus, eſt viſio & fruitio Dei, folio.75.col. 2.l.26.

Floridum nihil tam eſt, quod non ſubito caſu poßit ſterileſcere, fol.10.c.2.l.9.

Fœlicitas vera non eſt, quæ mutari facile, labefacta rique poteſt, fol.31.c.1.l.4.

Fœlicitatis nimiæ mœrorem atque miſeriam ad extremum eſſe comitem: & in eam ſententiam Amaſis Ægypty pulchra epiſtola, fol.26.c.2.l.1.

Fors illis præcipuè indulget, quibus auidißimè molitur exitium, fol.27.c.1.l.33.

Fortuna Syrenum cantus examußim imitatur, fol. 21.c.1.l.50.

Fortuna magna quid incommodi habeat, fol.130. c.1.l.4.

Fortuna in quos maximè furorē ſuum, ſæuitiamque exerceat, fol.9.c.1.l.37.

Fortuna communis eſt, & quidcumque vſu venturum ſit nulli eſt exploratum, fol.15.c.2.l.12.

Fortuna cæca in quibus nihil iuris, vel certè parū habeat, fol.12.c.2.l.55.

Fortuna nihil eſt fragilius, mutabilius atque fugacius, fol.20.c.2.l.52.

Fortunæ bona quæ vulgo credantur, folio. 120. c.1.l.27.

Fortunæ quæ paßim bona aßignentur, & cur ab ethnicis quondam Dea ſit credita, folio.28. c.1.l.0.

Fortunæ Candidè aſpirantis fauor, & obſcurorum hominum fœlices ſucceſſus, fol.15.c.2.l.54.

Fortunæ nimium blandientis auræ nunquam eſſe credendum, fol.1..c 2.l.23.

Fortunæ munera ſuſpecta nobis ſemper eſſe debere, fol.21.c.2.l.48.

Fortunæ munere fœlicem & beatum hominem poſſe effici, niſi impius nemo putabit ibi. Sed quis tam eſt ingenij hebes, fol.29.c.1.l.6.

Fortunæ munere beatum & fœlicem hominem poſſe effici qui dixerunt, inſanam & impiam opinionem illorum fuiſſe docetur, fol.32.c.2.l.13.

Fortunæ tractatus, diſputatioq; omnis ab illis eſt orta, qui chriſtianam fidem penitus ignorarunt, fol.60.c.1.l.2.

Fortunæ querela omnis, è quibus potißimum emanare ſoleat, fol.41.c.1.l.49.

Fortunæ ex inſtabili leuitate quod pendet, nihil eſſe poteſt ſtabile, fol.2.c.2.l.31.

Fortunæ omnis ſubita mutatio, communi hominem ſenſu ſolet priuare, fol.66.c.1.l.22.

Fortunæ vim omnem labefactare ac ſubuertere qui velet, ſit Sapiens, fol.57.c.2.l.8.

Fortunæ fautores ſecum acriter pugnare, & quaſi ad Syrtes & breuia miſerè hærere, folio. 58. c.1.l.20.

Fortunam ſecundam, magis quam aduerſam homini eſſe timendam, fol.16.c.2.l.6.

Fortunam non ſolum cæcam eſſe, verum & illos, quos complexa ſit, cæcos efficere, folio. 61. c.2.l.18.

Fortunā deam quādā eſſe res humanas varijs caſibus illudentem, qui olim dixerint, fol. 44. colum. 2.lin.20.

Fortunam nullam eſſe prorſus: & illorum ſententiæ labefactantur, qui illius quondam fuere fautores, fol.34.c.1.l.26.

Fucatos amicos, hirundinum eſſe ſimiles, folio.130. c.1.l.25.

Furioſorum vincula, non tam pœnæ, quam tutelæ gratia illis adhibentur, fol.36.c.1.l.12.

G.

GEntilitas quo pacto vario errore deluſa, Fortunæ ſit diuinitatem commenta & numen fabulata, fol.60.c.1.l.42.

Geradatæ Spartiatæ ſermo de adultery pœna apud ſuos, fol.144.c.1.l.43.

Gorgias Leontinus Iſocratis magiſter & eius facūdia, fol.145.c.2.l.54.

Gloria, induſtria alitur, fol.152.c.1.l.6.

Gyges regius paſtor, quopacto inuenti anuli beneficio, Lydiæ ſit Rex effectus, folio.163.colum. 1.lin.42.

Gulimerius Vandalorum Rex Iuſtinianum adorare, cur ore toto riſerit, fol.15.c.1.l.17.

Gubernationem aliquam ſuſcipienti exitioſa res eſt, omnis lucri cupiditas, fol.170.c.2.l.4.

H.

HEcaton, negauit compendij ſui cauſa quod parum deceat, ſe vnquam eſſe facturum, fol. 137.c.1.l.31.

Hercules centauri ſanguine tinctam feralem illam tunicam cum induiſſet, eiulatus ipſe ſuos cur acriter reprehendat, fol.46.c.2.l.55.

Herculem non minori quondam vigore animi, quā corporis polluiſſe, fol.42.c.2.l.34.

Hermetis Ægyptij Laus: & aliquid de fabrica humani corporis, fol.90.c.1.l.26.

Herum Armenium & Solcum Arideum, à funere (vt Plato & Plutarchus tradunt) rediuiuos effectos, de bonorum præmijs & damnatorū ſupplicijs diſſeruiſſe, fol.101.l.47.

Heſiodi & Martialis carmina vtilißima contra inertes dilatores ac deſides, fol.63.c.1.l.2.

Herylus ſummum hominis bonum in ſcientia conſtituit, fol.111.c.1.l.53.

Homo præclara quadam conditione generatus eſt à ſupremo Deo, fol.55.c.1.l.45.

Homo arbitrij liberi munere ornatus: & ſuarum actionum dominus à Deo creatus eſt, folio.45. c.1.l.5.

Homo ita conſtitutus eſt à Deo, vt illius ſapientiæ animalia cūcta cederent, & parerent velut principi, fol.55.c.2.l.33.

Homo

Homo ex vniuerſis animantibus, duplicis naturæ cenſetur, fol.55.c.2.l.1.
Homo ſapiens animal eſt: & ſolum eorum, quæ ſunt in terra diuinum, fol.47.c.2.l.41.
Homo nudus & inermis proiectus in mundo, quia ingenio poterat armari, & ratione veſtiri, fo.48. c.1.l.48.
Homines, omnium maximè animantium decentißimis ſunt armis inſtructi, intellectu & ratione, fol.47.c.1.l.50.
Homines ſteriles, quos Triſmegiſtus vocarit: & cur cum illis neget eſſe conuerſandum, folio. 97.c. 1.lin.54.
Homines improbos, diuinis iudicijs pœnas luere mẽtis alienatione, & ad ſuſcipiendum facinus impudentis animi praua licentia, fol.106.c.2.l.6.
Hominis bene conſtitutam naturam, inhoneſtam actionem morbi inſtar, refugituram eſſe ſedulo, fol.45.c.2.l.12.
Homini non naſci longe optimum, neque in hos ſcopulos incidere vitæ, fol.86.c.2.l.52.
Hominem ex corpore & anima eſſe compactum, & quid eum facere oporteat in vita, fol.91.c 1.l.31.
Hominem non ſibi tantum naſci, & qui verè iuſtus eſſe dicatur, fol.97.c.2.l.25.
Hominem à Luce φῶτα rectè quondam fuiſſe appellatum, fol.42.c.2.l.13.
Hominem ad aliquid agendum, & quidem præclarũ editum in mundo eſſe, fol.42.c.1.l.26.
Hominem ad honeſtatem & iuſtitiam in mundo naſci, fol.97.c.2.l.36.
Hominem animantium cunctorum longè maximum ac verè principem eſſe, fol.1.c.1.l.15.
Homine omnium, quæ ſuper terram ſpirant, nihil eſſe miſerius & infelicius ſecundum Homerũ, fol. 1.c.1.l.24.
Hominum vnumquemque, animam non corpus eſſe, eumque poſt mortem, ſecundum Platonẽ, ad Deos alios proficiſci ſuorum operum rationem redditurum: fol.96.c.1.l.13.
Hominum mens delicijs infecta, pro Syßitijs cõuiuis nunc dubiam apponit cœnam, fol.153.c.1.l.49.
Honeſtum nihil eſt, quod turpitudinis vitio coniunctum eſt, ac pudoris ſynceritati contrarium, fol. 161 c.2.l.6.
Honeſtum nihil debet videri, quod ſubdole actum, hamatis eſt muneribus emptum, fo.162.c.1.l.34.
Honeſtatis dignitate nihil auguſtius & ſanctius veteribus viſum eſt, fol.163.c.2.l.41.
Honor eſt reuerentiæ exhibitio in virtutis teſtimonium, fol.167.c.1.l.40.
Honores non ambiendos, ſed ad inuitos potius deferendos eſſe, fol.
Honoris cauſas multi ſiniſtrè venantur, folio.170. c.1.l 50.
Honori ſeruientes, qui immortalitati famæ vitam conſecrarint, fol.167.c.2.l.44.
Honorem, diuinum quiddam eſſe ſecundum Platonẽ. fol.163.c.2 l.29.
Honorem meruerat quis nec ne, tunc demum indicari ſolet, cum adeptus eſt, fol.172.c.1.l.4.
Honore è bonis externis nihil eſſe præſtantius ſecũdum Ariſtotelem, fol.167.c.1.l.36.
Honores non ambiendos, ſed ad inuitos potius eſſe deferendos, fol.
Horatij pater quibus verbis filium ad virtutem erudire ſit ſolitus, fol.169.c.1.l.6.
Horatiani conuiuæ quanta fuerint guſtus peruerſitate, fol.23.c.2.l.10.
Homerus reprehenſus à Platone, quod in Iouis limine duo dolia obuerſarijs donis plena eſſe dixerit. fol.69.c.2.l.3.
Horis omnibus ſapere paucis eſſe conceſſum, folio. 73.c.2.l.29.
Hyeron Tyrannus, cur Epicarmo poetæ mulctam dixerit, fol.164.c.1.l.10.
Hieronymus Rhodius ſummum hominis bonum indolentia metiebatur, fol.110.p.2.l.20.
Hipocrates Deum prouidũ, artificioſam iuſtamque naturam appellare ſolitus eſt, fol.43.c.2.l.24.
Humanarum rerum mutatio, mirifice mentes hominum ad temperantiam erudit, fol.53.c.1.l.7.
Humanis in rebus, præter vnã virtutẽ nihil eſſe ſtabile, fol.13.c.1.l.36.
Humanas actiones non tantum imitantur ſimiæ quã Principum facta vulgus, fol.

I.

IAmblici opinio pulchra de Deo, & eius prouidentia, fol.99.c.2.l.20.
Indecorum & turpe, cur legis fictione quædam pro impoßibili habeatur, fol.164.c.2.l.32.
Ion dixit, fortunam atque Sapientiam res diuerſiſsimas, ſimillimarum rerum eſſe effectrices, fo.103. c.2 l.54.
Innocentiæ ſcopuli & vitæ naufragia, in opulẽtiæ amore ſunt poſita, fol 141.c.2.l.12.
Imperandi dignitates ſeptem eſſe ſecundum Platonem, fol.45.c.2.l 52.
Iniuriam pati, quam facere longe eſſe præſtantius pulchre docet in Gorgia Plato, fol.100.c.1.l.40.
Intellectus ratio vbi plurimum vigeat, ibi parum loci fortunæ relinqui, fol.41.c.2.l.14.
Intellectus dignitate à brutorum animantium diuina nos prouidentia præcipuè ſe iunxit, fol.39. c.1.l.54.
Inuidia aliquid ſemper habet, quod feriat, fol.160. c.1.l.29.
Iouem nobis & bonorum & malorum eſſe penariũ non eſſe admittendum, iuxta Platonem, fol.69. c.2.l.11.

Induſtria hominum ad ea alacris exurgit, quæ habe ri in pretio conſpicit, fol.152.c.2.l.39.
Iniuſtitia in anima, eſt ignobilium partium à naturali lege diſsidium, fol.45.c.2.l.32.
Iniuſtitiæ mulcta quæ verè ſit ſecundum Platonē, fol 106.c.2.l.45.
Interceſſor rei malæ, ſalutaris ciuis eſto: eſt pulchra.12.tabularum lex, fol.14.c.2.l.9.
Iſocratis & quorundam philoſophorum de diuitijs ſententia, fol.132.c.2.l.20.
Iudicis rogandi vetus mos, fol.181.c.1.l.2.
Iudicij exacti normæ locus nullus relinquitur turbidæ affectionis impulſu agitati dum ſumus, fol. 4.c.1.l.36.
Iudicia vera etiam ſi aliquis in hac vita euaſerit, in morte verò, illa effugere non poterit, folio.107. c.1.l.19.
Iuſtitia animi in natiuo & ſalutari vinculo nobilium ignobiliumquè partium ipſius, poſita eſt, fol.112.c.1.l.55.
Iuſtitia in ipſius Dei optimi maximi maximè cernitur cultu, fol.45.c.1.l.21.
Iuſtitiam in cuiuſque noſtrum anima harmoniæ inſtar habere, fol.45.c.2.l.41.
Imprudentia an malitia animi pecces, multum inter eſt, fol.71.c.1.l.3.
Iniuriarum omnium atque ſcelerum, illud eſſe euer riculum, Quod tibi non vis, ulteri ne feceris, fol. 13.c.2.l.52.
Impudentiæ nomen quo ſit pacto viro prudenti fugiendum, fol.180.c.1.l.17.
Iulius Druſus, cur domum fabro commodius reficiē dam committere noluerit, fol.173.c.2.l.43.
Iuuenalis carmē inclytū, quo ait prudenti, Nullum deeſſe Numē, ſed ex ſtultitia fortunam eſſe ortā, fol.61.c.2.l.30.
Iuuenalis pulchra carmina de his, qui patriæ ſuæ bene moratos filios relinquunt, fo.173.c.1.l.12.
Iuuentus probitati & induſtriæ ſtudere debet, non ſumptibus atque diuitijs, fol.151.c.2.l.21.

L.

LActantius in explicanda malorum ratione exitioſo miſer æſtuat plane deceptus errore, fol.70.c.1.l.20.
Lactantius rerum varietati dum fauet, à Deo mala eſt ſuſpicatus oriri: cum ſit nihil abſurdius, quam è bonorum fonte, id poſſe manare, f.75.c.1.l.37.
Lactantij ſcripta præter ſtyli elegantiam: etiam ad pietatem non parum conferunt, fol:81.c.1.l.4.
Lacedæmoniorum opes, & Romanorum potentiam pecuniæ & opulentiæ cupiditate corruiſſe, fol. 157.c.2.l.32. (23.c.1.l.18.
Laudantem laudare quomodo & quando liceat, fol.
Lex tacita cunctis eſt ratio à natura nobis inſita, fol.121.c.1.l.30.
Leges verè nos virtutis in officio continent, fol.13. c.2.l.49.
Leges omnes illuc tendunt, vt ſine iniuria in pace & tranquillitate viuatur, fol.35.c.2.l.33.
Lycurgi Leges, quid boni Spartæ attulerint, fol. 145.c.1.l.29.
Liberti proterui colla propter ingratitudinē ſeruitutis priſtinæ nexu conſtringi.fo.107.c.2.l.52.
Libertum ingratum Athenienſis populi inſtituto libertatis conceſſæ iure priuari, fol.108.c.1.l.4.
Locupletari cum alterius iactura velle, inhumanū eſt: & naturæ legi contrarium, f.142.c.1.l.38.
Lucretia à Tarquinu Superbi filio vim paſſa necē ſibi ipſa conſciuit, fol.167.c.1.l.51.
Lucretius veram philoſophandi rationem dum affligere conatur in errores maximos incidit, fo.49. c.2.l.15.
Lucretius ſex carminum libris, Epicuri placita explicare conatus, pugnantia ſecum ſcribens, in multis eſt fediſsimè lapſus, fol.49.c.1.l.4.
Lucretij doctiſsimi verſus de declinatione & fuga vitiorum à natura nobis inſita, fol.46.c.1.l.55.
Lucri cupiditas impia nihil ſceleris relinquit inauſum, fol.135.c.1.l.2.
Lucilij verſus, quos ſequutus & Stoicum æmulatus Panætium ſuos de officijs Cicero libros ſcripſit, fol.77.c.1.l.50.

M.

MAgnorum principum caſus, & vitæ infelices ſucceſſus, fol.9.c.2.l.10.
Magna aduerſis ſemper caſibus eſſe expoſita, fol. 53.c.1.l.13.
Malo vnde eſſe contigerit, cum neque ſine principio ſit, neque tamen vnquam eſt factum, fol.68. c.2.l.39.
Malum nullum à bono poſſe fieri: & cur dum hoc aſſerere nititur Plato, à principio ſtatim ſit lapſus, fol.69.c.1.l.42.
Malum nihil eſſe in omni rerum natura, & quæ ſit ratio, fol.82.c.2.l.12.
Malum aliud eſſe quoad noſtrum ſenſum: aliud quātum ad ipſius naturam, fol.81.c.1.l.30.
Mala cūcta permiſsione Dei in mundo fieri: idq; Seruatoris ad Pilatū reſponſione conſtare. fol. 85. c.1.l.45.
Mala quæ premunt, ſentire conuenit: & doloris aliquo ſenſu moueri, fol.113.c.1.l.27.
Mali cur ſemper infœlices exiſtant, f.105.c.1.l.20.
Mali nomen bifariam ſolet intelligi, f.67.c.2.l.13.
Mali nomini, quæ ſubiecta ſit vis, fol.67.c.1.l.42.
Mali multi appellatione perplexi, Deum malefacere interdum ſunt opinati, fol.67.c.1.l.38.
Malorū Deū authorē dicere, vel Deū eſſe diffiteri æquiparantur ſecundū Baſilium, fol.71.c.1.l.18.
Malitiam nō nobis congenitā eſſe, ſed exprimi parētis præuaricatione fuiſſe ortam, f.79.c.1.l.25.
Magneſij Cretinæ cum Hermia inimico pulchra pactio in ſummo patriæ diſcrimine, f.176.c.2.l.29.

Magiſtratus quanta animi integritate ſint gerendi, fol.176.c.1.l.9.
Magiſtratum populi medicũ rectè vocauit Hippocrates, fol.173.c.1.l.45.
Magiſtratum tam incorruptum vix inuenias, quin publicis rebus poſthabitis, vtilitati priuatæ ſeruiat, fol.175.c.2.l.17.
Magiſtratibus ſeueritas illa affectanda non eſt, quæ calamitoſis ſit terrori, folio. 175. columna. 1. linea. 7.
Martis in certamine nemo non Hector aliquis, vel haberi cupit Achilles, fol.4.c.1.l.2.
Martyrum inclyta animi perſpecta conſtãtia, doloris indices lachrymas fundimus, fol. 113.col.2. linea.18.
M.Curius, neq; acie vinci, neq; pecunia vnquã corrumpi potuit, fol.149.c.2.l.33.
Manus hominum cur peritiſſimus vir Galenus ſummopere celebret, fol.48.c.1.l.53.
Medeæ inſanos amores, & in eam rem Ouidij carmina inclyta, fol.78.c.1.l.33.
Mediocritas aurea dicta, & ſapientum decantata eſt elogijs, fol. 13.c.2.l.36.
Mendacium exarmatum eſt animal atq; edentulum ſuiq; tantùm exitij author ſtrenuus, fol.52. col. 1.lin.8.
Menenius Agrippa pacis author fuit inter plebẽ & patres, fol.149.c.1.l.51.
M.Menenij Agrippæ paupertas, folio.127.col. 2. linea.11.
M.Pacuuij Tragici verſus de fortunæ ſtulta veſania, fol.26.c.1.l.29.
Marianæ nobilitatis inſignia, Terſithæ & Sardanapali regijs imaginibus longe eſſe anteponenda, fol.19.c.1.l.40.
M.Piſo, quo pacto facetè Stoicos irridere ſit ſolitus fol.116.c.1.l.14.
Menandri de infortunatis pulchra ſententia, folio. 52.c.2.l.36.
Mentem ſine voluntate operandi perinde eſſe ac ſine artifice materiam, folio.38.columna.2.linea.35.
Metrodorus quo pacto glorietur fortunæ omnem à ſe aditum obſtructum fuiſſe, folio.56.colum.2. linea.21.
Metrodorus in omni turpi diſciplina Epicuri fuit collega ſapientiæ, fol.48.c.2.l.56.
Mileſiarum virginum mirabilis quidã morbus, quo commenti aſtutia ſit ſanatus, fol.168.c.2.l.27.
Miſericordiam, ſanctiſſimam noſtri animi eſſe virtutem, fol.11.c.2.l.22.
Miles malus eſt, qui imperatorem gemens ſequitur, fol.65.c.2.l.5.
Mori præſtat, quam turpiter vitam agere, fol.91. col.1.lin.12.
Mors, vltimum terribilium non eſt: ſed extrema magis ſunt quæ apud inferos manent improbos ſupplicia, fol.91.c.1.l.21.
Mors bonum ne an malum ſit roganti, quid nos reſpondere oporteat, fol.94.c.2.l.41.
Mortis ratio, ex vitæ filo pendet, fol.93.c.2.l.51.
Mors quomodo efficiatur in homine, fol.92.colum. 2.l.14.
Mors quibus potiſſimum ſit terribilis, fol.168.col. 1.l.32.
Mortem ſibi conſciſcere licere nulli, fol.96.col.2. linea.26.
Modum in rebus rectè poſſe tenere, ſummæ fuiſſe ſemper ſapientiæ iudicatum, fol.5.c.2.l.8.
Momus Veneris ſandalia carpſit, fo.23.c.2.l.1.
Moſes diuino afflatus ſpiritu creationem mundi ſcripſit, ibiq; ait, vidit Deus cuncta quæ fecerat & erant valde bona, fol.68.c.2.l.21.
Mundum ab opifice Deo fuiſſe plaſmatum, & quære vnum & non plures mũdos eſſe, oporteat exiſtimare, fol.99.c.2.l.44.
Mundum vniuerſum verbo non manibus fabricatus eſt opifex, fol.98.c.1.l.39.
Mundum concordia quadam diſcordi, & ex elementorum quadripartita temperie conſtare & de conſtructione hominis aliquid, folio. 89. col. 2. linea.30.
Mundi huius mala, & quæ aſpera & aduerſa nimis eſſe videntur, meritorum nobis ſunt haud dubiè facta materies, fol.86.c.2.l.2.
Mulieris dos pulcherrima, pudicitia eſt, folio.87. col.2.lin.1.
Munera publica, incorruptè & ſanctè gerenda eſſe fol.174.c.1.l.31.
Munimenta inertibus atq; timidis nulla vnquã ſunt ſatis, fol.47.c.1.l.30.
Mutationes, quæ in vita accidunt, Dei numine fieri, fol.103.c.2.l.3.
Mutationis, qui ſit effector, nunc & malorum ſit author intelligendus, fol.63.c.2.l.46.
Mutationes humanæ ſortis, non fortuna ſed author eſt Deus, fol.51.c.2.l.7.
Mutationem humanarum & ſuperbis & miſeris perutilem eſſe, fol.54.c.1.l.39.

N.

NAmertis de fidis infidiſq; cognoſcendis amicis dictum celebre, fol.130.c.2.l.30.
Naſonis pulchra carmina & Stoicorum opinio de Dei immenſa poteſtate, fol.82.c.2.l.40.
Natura ſagax ad conſeruationem ſui late vndiq; cũcta diſpicit, fol.116.c.2.l.22.
Natura ſui quemq; corporis & cultorem & cuſtodem vult eſſe ſolertem, fol.136.c.2.l.12.
Natura, legis eſt norma in rectis prauiſq; ſanciẽdis fol.121.c.1.l.27.
Naturæ cũcta opera in ſuoquæq; genere perfectiſſima ſunt, fol.43.c.2.l.16.

Naturæ ſuæ congruenti armorum genere animal nullum deſtitutum eſt, folio. 47. columna. 2. linea. 35.

Naturæ nomen vnde ſit ortum, folio.44.colum.2. linea.4.

Naturæ lege nulli eſt mortem effugere datum, fol. 21.col.1.lin.14.

Naturæ cum veritate cognatio magna eſt, habetq́; ideo naturale diſsidium veritati repugnãs oratio, fol. 48.col.2.l.41.

Naturæ opes paruo labore parantur, fol.149.col. 2.lin.41.

Naturalis iuſtitiæ quæ eſſe fundamenta dicantur, & qui ea labefactare credantur, fol. 97. col.2. linea. 22.

Naturam homines tacitè cohortari, ac veluti impellere ad iuſtitiam quomodo ſit intelligendũ, fo. 45.col.2.lin.17.

Neceſsitati parendum eſſe qui didicit, magnũ habet in malis lenimentum, fol.8.c.2.l.37.

Neſcire non tam eſt pudendum, quam turpe nolle ſapere, fol.175.c.2.l.54.

Neſtor Homericus, cuius ab ore melle dulcior fluebat oratio, fol.119.c.1.l.15.

Nemeſis cur cubitum ac frenum manu contineat, & humanarum rerum dicatur inſpectrix, folio.11. col.1.lin.2.

Nihil eſt, quod Deus non poſsit efficere, fol.61.col. 1.lin.32.

Nobilitas ex maiorum fumoſis imaginibus orta, an ſit noſtra dicenda, fol.20.c.1.l.19.

Nobilitatis vulgaris ſemina, folio. 4. columna.2. linea.50.

Nobilitatis veræ origo, ex animi virtute ducitur, fol.2.c.2.lin.22.

Noxalis actio ex maleficijs eſt ſeruorum orta, qua licet vel litis æſtimationem ſufferre, vel damnatoris corpus noxæ dedere, fol.39.c.1.l.31.

Numerius Suffucius Prænestinus, Sortium repertor dicitur, fol.61.c.2.l.31.

Numen hoc, cui naſcendo operam damus, cuiq; nos approbare debemus, maius eſſe quam verbis explicari poſsit, fol.181.c.2.l.39.

Numen nulli probitati inuidet, folio.67. colum. 2. linea.4.

Numen pijs aſsiſtere, atq; ideo honeſta ſectanti ſemper adfuturum, fol.107.c.1.l.53.

O.

Occaſio, quid vere ſit, fol.62.c.2.l.51.

Occaſionis ſimulachro cur olim pœnitentia imago fuerit affixa, fol.62.c.2.l.24.

Odium nobis naturale quoddam adeſſe aduerſus vitia, quæ animi morbi ſunt, fol.46.c.1.l.44.

Omne datum optimum & omne donum perfectum ſupera eſt Cœlitum ab arce delapſum, fol. 84. col.2.l.16.

Omnes ad iuſtitiam atq; ad honeſtatem naſcimur, fol.113.c.2.l.5.

Omnes, quorum in alterius manu vita poſita eſt, ſæpius cogitant quid poſsit is, cuius in ditione & poteſtate ſunt, quam quid debeat facere, folio.181. col.2.l.52.

Opulentiæ auiditatem, cur cupiditatum omnium lõge deterrimam Plutarchus dixerit, fol. 154. col. 2.lin.38.

Oratio, eſt animi ſymbolum, fol.119.c.2.l.21.

Orationem accommodandam eſſe rebus, & moderatè texendam, fol.159.c.2.l.27.

Oratores Aſiatici, Spartani, & Rhodij, fol. 159. c.2.l.15.

Oratoris Demadis ad Phocionem improbam vocẽ vehementer nobis eſſe fugiendam, folio.176.colum.1.l.40.

Orphei carmina inclyta de Deo, deq; ſumma maieſtate ipſius & prouidentia & diuinis operibus, fol.103.c.1.l.39.

Ouidij pulchra carmina de beatitudine mortalium, fol.31.c.2.l.33.

P.

Pacuuius poeta quos præcipue homines odio ſit proſequi ſolitus, fol.78.c.2.l.18.

Plato apud Senecam author eſt, nullum eſſe Regem, qui non à ſeruis ſit oriundus, fol.19.col.1.l.27.

Plato à Cyrenenſibus rogatus vt ſibi leges ſcriberet cur facere noluerit, fol.22.c.1.l.45.

Plato, quam rempublicam execrari ſit ſolitus, fol. 151.col.2.l.1.

Plato quo ſymbolo epiſtolas ſerias à iocoſis ſit diſcernere ſolitus & eſt epiſtola.13.ad Dionyſium, fol.100.c.1.l.24.

Plato epiſtola ad Dionyſium teſtatus eſt, Deum, vnum & ſolum eſſe: plures vero iocoſè ac vulgi more à ſe interdũ Deos nominari.f.100.c.1.l.17.

Plato, cur voluptatem, malorum eſcam eſſe dixerit, fol.156.c.1.l.4.

Plato, Cebes, & Xenophon, Socratis diſcipuli fuere fol.111.c.2.l.8.

Plato cur Lydiæ modulationis & Phrygij cantus vſu adoleſcentibus interdixerit, fol.6.c.1.l.40.

Platonis præclara ſententia de calamitatibus, atq; infortunijs bonorum, fol.67.c.1.l.21.

Platonis de viro iuſto opinio pulchra, fol.100.col. 2.lin.50.

Platonis ſymbolum mirificum, quo ſignificare voluit, ſenilem ætatem ſapientia maximè præſtare, fol.175.c.1.l.23.

Plauti in captiuis de fortuna ſententiam falſam eſſe fol.55.c.1.l.10.

Platonem de bonorum morte, bonam animo ſpem concepiſſe, fol.94.c.2.l.17.

Platonem in Gorgia, & in Phædone, de bonorum premijs de malorum ſupplicijs, deq; ipſo purga-

Purgatorio, ſiue expiatorijs locis pietati Chriſtianæ ſimilia quædam dixiſſe, folio. 95. columna. 1. linea. 53.

Paupertas, incorruptorum eſt morum cuſtos, officij ſedula cultrix, & virorum altrix optima, folio. 126. c. 1. l. 46.

Panætius fieri poſſe negat, vt honeſtis vtilia repugnent: vtilibus aduerſentur honeſta, fol. 162. col. 1. lin. 4.

Panætius, quid auditorem ſuum Africanum dicere ſolitum ſcripſerit de præſidentibus & inſolentibus hominibus, fol. 15. c. 2. l. 21.

Pater, qui cum pubere filio balnea ingrederetur, cur quondam infamia ſit notatus, folio. 164. colum. 1. lin. 28.

Patientia fit leuius, quod corrigere eſt nefas, fol. 65. col. 2. lin. 51.

Paulus Æmilius Perſeo Macedoniæ rege armis a ſe deuicto, cur fleuerit, fol. 15. c. 1. l. 15.

Pauperies (ſecundum iureconſultos) eſt damnum ſine iniuria facientis datum, folio. 39. colum. 1. linea. 28.

Pauper dum non habet, quid offerat in iudicio non ſolum audiri contemnitur, ſed etiam contra veritatem opprimitur, fol. 176. c. 2. l. 8.

Paupertas, virtutis fidißima comes: & cuſtos pudoris inclyta, fol. 152. c. 2. l. 2.

Paupertatis præceptores, philoſophi fuerunt, fol. 149. c. 2. l. 12.

Paupertati ſpontaneæ qui ſeſe quondam tradiderũt, fol. 127. c. 2. l. 31.

Paupertatem ſobriam ſtultis inſaniſq; diuitijs anteponendam eſſe, fol. 156. c. 2. l. 2.

Pauſaniæ conſtupratori Cleonicem virginem per quietem ſæpe viſam non minus iniuriæ, quam in dieẏ diem dixiſſe, fol. 151. c. 1. l. 46.

Pietatem vitæ non ſolum ad polité dicendum, verũ etiam ad perſuadendum valere plurimum, folio. 107. c. 1. l. 46.

Plinius reprehenditur, quod hominum animas eſſe mortales dixerit, fol. 94. c. 1. l. 42.

Plotinus author eſt, Aſtrorum poteſtate & vi euenire nihil hominibus, fol. 103. c. 2. l. 33.

Plotini præclara ſententia, in qua à conſciſcenda ſibi morte homines deterret, folio. 94. colum. 2. lin. 54.

Plutarchi pulchra ſententia de immortalitate animæ, & prouidentia diuina, folio. 95. columna. 1. linea. 25.

Plutus diuitiarum præſes, pallidus, cæcus, & claudus, cur tam multos habeat amaſios, folio. 158. col. 2. lin. 44.

Plutus iniuriæ ſuaſor, & ſcelerum artifex dicitur, fol. 162. c. 2. l. 24.

Peccans, naturaliter ſe ad pœnam obligat, folio. 82. col. 2. lin. 49.

Peccatum eſt perturbatio rationis atq; ordinis à natura præſcripti ſecundum Stoicos, fol. 45. colũ. 2. linea. 34.

Peccati ſtipendium, mors, folio. 83. columna. 1. linea. 26.

Peccati nullam eſſe exiſtentiam priuatio nanq; boni, ipſum eſt malum, fol. 63. col. 1. l. 55.

Pecunia poſſeſſori, aut ſeruit aut imperat ſuo: & quo pacto ſit illa vtendum, folio. 140. colum. 1. linea. 36.

Pecunias qui primum ad Lacedæmonios inuexerũt, cur rei capitalis ſint damnati, fol. 144. colum. 2. linea. 14.

Premijs ſupplicijſq; propoſitis, bonorum atq; malorum conſtitutum publicè aliquod debet eſſe diſcrimen, fol. 172. c. 1. l. 27.

Pretioſißimas quaſq; res non niſi tarde ac lente poſſe perfici: & in eam rem adducta naturæ exempla inclyta, fol. 160. c. 2. l. 41.

Prætor & conſul non ex opulentia, ſed dignitate animi ſunt creandi, folio. 152. columna. 1. linea. 16.

Prætor curare debet, vt qui liberorum gratia vxoriæ rei ſeruiunt, filiorum curam habeant, & ad virtutem erudiant, fol. 173. c. 1. l. 15.

Præclarum nihil eſſe, quod non idem difficile ſit & arduum, fol. 160. c. 2. l. 34.

Pædagogi cuiuſdam Spartani laudatißima vox, de diſciplina puerorum, fol. 169. c. 1. l. 50.

Pœna parricidij qualis ſit, fol. 142. c. 2. l. 23.

Principes, cur Dij quondam & dicti & habiti ſint, fol. 133. c. 2. l. 10.

Procurationem reipublicæ, tutelæ inſtar eſſe regendam, fol. 176. c. 1. l. 22.

Priuſquam incipias conſulto: vbi conſulueris, mature facto opus eſt, fol. 62. c. 1. l. 9.

Prouidentiã Dei doctis ab Horatio carminibus fuiſſe concelebratam, fol. 54. c. 2. l. 1.

Protagoræ orationis genus monſtrificum, fol. 146. col. 1. lin. 21.

Proteſtatio authoris, qua ſe ſcriptaq; ſua ſubmittit ſanctæ matris eccleſiæ cẽſuræ, fol. 107. c. 1. l. 23.

Prudentis lingua viri adſtantium mentibus dicitur nectar diffundere, fol. 119. c. 1. l. 8.

Polemonis mutatio audito Xenocrate, fol. 168. col. 2. lin. 13.

Ptolomei Aſtrologi ſententia, vir ſapiens dominabitur Aſtris, fol. 59. c. 1. l. 38.

Puerorum educatione & laude maxime conſtare, fol. 169. c. 1. l. 32.

Populum ad aliena vitia egregiè oculatum eſſe, fol. 174. c. 1. l. 2.

Publij Rhutilij factum imitatione dignißimum, fol. 163. col. 2. l. 52.

Philautiam peßimi nobis erroris cauſam eſſe, folio. 59. col. 2. lin. 16.

Philippus Macedo cur iudicem capillos & barbam tinctura inficientem magiſtratu abdicauerit, fol. 182.c.2.l.4.
Philoſophorum ſectæ variæ, & vnde ſit philoſophi nomen ductum, fol.111.col.1.
Philoſophis quondam ſtudium fuit rudes hominum animos erudire & ad virtutem allicere, fol.35.col.1.l.48.
Philoſophiæ ſcopus eſt, vitæ beatæ notio, fol.110. col.1.l.10.

Q.

QVæ ſine incommodo noſtro facere poßimus, ea vel ignotis eſſe tribuenda, fol.14.col.1.lin.18.
Qui ſui quemq; officij admonere debent, nefas committere ſit, vt ab alijs ſui muneris admoneantur, fol.174.c.1.l.11.
Quintus Maximus & Pub. Scipio cur cum maiorũ imagines intuerentur, vehementer ſibi animum ad virtutem accendi dixerint, folio.169.colum.2.lin.49.

R.

RAtio à natura nobis inſita quid dictet homini: & quod verè ſit ciuili omni ſanctione longè præſtantior, fol.24.c.1.l.20.
Ratio vbi ſuas verè partes tenet, nihil ibi loci fortunæ poſſe relinqui, fol.56.c.2.l.33.
Rationis vt perturbato munere: ſic & arbitrij corrupta libertate, multi nõ tam bona quam mala ſæpe patrarunt: vnde vtriuſq; largitionem qui reprehenderent non defuerunt, fol.85.c.1.l.14.
Reges Dei Optimi Maximi in terris effigiem clariſſimam eſſe, fol.35.c.2.l.25.
Regi vel Imperatori conſilium dare, cur nimis difficile habeatur, fol.22.c.2.l.1.
Regem bello captum Romanis quondam cur fuerit nefas occidere, fol.10.c.2.l.44.
Reipublicæ fundamenta rectè ſancienti, ſalus populi lex eſſe ſuprema debet, fol.178.c.1.l.4.
Reipublicæ ſalus & conſeruatio nulla perinde re innititur, quam recta puerorum educatione, fol. 172.c.2.l.3.
Reipublicæ præfectus, diſcordiæ cuncta ſemina eliminare debet, fol.178.c.2.l.22.
Rerum omnium, quæ maiores grauioreſq; ſunt à Deo Optimo Maximo principia nobis ſemper eſſe ſumenda, fol.24.c.1.l.31.
Rerum omnium impunitate ſumma atq; ignoratione propoſita, nihilo magis, quod non liceat, faciendum eſſe, fol.163.c.1.l.37.
Romani cur ſummum conſilium, Senatum: ſenatores, patres appellauerint, fol.175.c.1.l.59.
Romanorum conſules primi, Valerius Publicola & Iunius Brutus, fol.149.c.1.l.38.
Romanorum probatiſſimi, pauperrimi fuiſſe dicuntur, fol.126.c.2.l.56.
Rhodope Ægyptia meretrix, & eius opes, & ambitio animi incredibilis, fol.151.c.1.l.17.
Ruſtici cuiuſdam hominis & muris fabula lepidißima, fol.150.c.2.l.31.

S.

SAguntini, cur parẽtes ſuos occiderint, fol.167. col.2.l.16.
Salaminij Solonis carmen de inexhauſta pecuniæ cupiditate, fol.142.c.1.l.29.
Salmacida ſpolia quæ ſint, & quid dicatur Cadmea Victoria: & quale ſit hominis inteſtinum bellũ, fol.88.c.1.l.40.
Salomoni non tam profuiſſe ſapientiam, quam nocuiſſe diuitias, fol.157.c.2.l.25.
Saluſtius, Theophraſtus & Maro iure reprehenſi, quod de fortunæ poteſtate impiè multa ſcripſerint, fol.54.c.2.l.40.
Saluſtij hiſtorici ſtultitia circa poteſtatem fortunæ fol.57.c.1.l.8.
Saluſtij pulchra de auaritia ſententia, fol.146.col. 2.lin.12.
Sapiens quidem pol, ipſe fingit fortunam ſibi. Plauti vera eſt in Trinumo ſententia, fol.57. col. 2. lin.36.
Sapientes illi ſeptem Græciæ à quibus nomine hoc honeſtati ſint, fol.111.c.1.l.10.
Sapientis conſtantiſq; hominis vita nulli eſt fortunæ temeritati ſubiecta, fol.8.c.2.l.30.
Sapientis non eſt dicere, non putaram, fol.41.col. 1.lin.42.
Sapienti viro fortunæ munera, an aliquo ſint voto expetenda, fol.159.c.1.l.44.
Sapiẽtem virum neceſſe eſſe pro ſtulto haberi, quo modo ſit intelligendum, fol.74.c.2.l.34.
Saturni cruenta ſacra barbarico in Latio ritu inſtituta, prudentißimè emolliuit Hercules, fol.42. col.2.lin.56.
Seminaria cuncta diſcordiæ ex morum diſſolutione & vitæ intẽperantia naſcuntur, f.178.c.1.l.40.
Seneca reprehenditur, quod in libris de Clementia miſericordiam vituperet, fol.11.c.1.l.23.
Senectutis domicilium honeſtißimum Lacedæmone eſſe, cur Lyſander dixerit, fol.166.c.1.l.19.
Seruitus eſt duplex: & vtriuſq; diffinitio aßignatur, fol.139.c.2.l.4.
Seruus fugitiuus ſordidi domini, quod prudenter coram domino orationẽ habuerit, fo.139.c.1.l.16.
Seruius Sulpitius qua ratione ex oratore iuriſconſultus clarißimus ſit effectus, fol.168.c.1.l.48.
Senex, quis miſer Senecæ videatur, fo.97.c.1.l.28.
Simonides rogatus à tyrãno Hierone, quid aut qualis eſſet Deus, quid fecerit, fol.103.c.1.l.4.
Simonidis prudentißimum dictum ad Regem Spartæ Pauſaniam, fol.51.c.1.l.51.

Syleni

Syleni illud eſt dictum, optimum eſſe homini nõ naſci: aut certè quam ocyßimè aboleri, fol.34.col.2.lin.2.

Syßitia Lycurgi quæ fuerint: & cur ab hoc genere conuiuij ne Regi quidem data ſit immanitas, fol. 153.c.1.l.21.

Sybillarum docta carmina Chriſtiani totius inſtituti teſtimonia clariora perhibent, quam vt in dubium vocari poßint, fol.70.c.2.l.12.

Sobole omni deſtitui præſtat, quam eam male moratam relinquere, fol.172.c.2.l.45.

Socrates, quid in hominum vita vehementer eſſe abſurdum dixerit, fol.174.c.2.l.12.

Socrates dixit, vnum eſſe rerum omnium inſpectorem Deum, fol.99.c.2.l.39.

Socrates, Panætius & Stoici execrantur eos, qui vtilitatem ab honeſtate ſeiungunt, fol.162.col.1.lin.17.

Socratis animus ad vitioſam affluentium rerum cupiditatem inſilire non poterat, fol.157.col.1.lin.14.

Socratis de immortalitate animorum dilemma quaſi ſtultum reprehenditur, folio.93.columna.2.lin.43.

Socratis in diſſerendo modeſtia, & cur ab Apolline mortalium ſit ſapientißimus iudicatus, fol. 111.col.1.lin.35.

Socrati nobilißimo philoſophorum cur vno eodemq; tempore vxores duas domi habere licuerit, fol.167.col.1.lin.7.

Solonis Salaminij quod vtile in primis elogium fuerit, fol.62.col.1.l.11.

Solonis prudentißimum dictum ad Lydiæ Regem Crœſſum, fol.31.c.1.l.50.

Solonis legem de non factioſo ciue, per ſeditionem ſciſſa in partes ciuitate, infami habito: & diſplicere Platoni, & iure reprehendi, fol.177.col.1.lin.10.

Sophocles cur à Pericle ſit reprehenſus, folio.182.col.2.lin.8.

Sophocles, quem exitioſum maximè vitæ hominum eſſe morbum dixerit, fol.78.c.2.l.16.

Sophoclis pulcherrima carmina de ſummo, & præpotenti Deo cunctarum rerum opifice, fol.102.col.2.lin.38.

Summum hominis bonum, quo queat pacto parari Chriſtiana ſanctio docet, quæ à Deo præſcripta eſt lex, fol.118.c.1.l.31.

Succeſſus cur non ſemper operæ atq; induſtriæ noſtræ reſpondeat, fol.57.c.2.l.52.

Supplicium, eſt pœna peccati, fol.105.c.2.l.17.

Summa bonorum, ad expletionem ſui, quid continere debeat, fol.116.c.2.l.37.

Sparta, Lycurgi legibus dum paruit Græciæ principatu quingentos per annos potita fuit, fol.145.col.1.l.34.

Spartanarum ciuitas & legislator eius Lycurgus, fol.143.c.2.l.36.

Spartanorum prouerbium inclytum, fortunam inuocare nefas niſi prolata manu, fol.58.c.1.l.48.

Scopæ Theſſali ditißimi hominis, de ſuperuacaneis rebus dictum ſtultißimum, fol.153.c.2.l.15.

Scipio Africanus duos terrores populi Romani Carthaginem atq; Numantiam deleuit. fol.182.col.2.l.14.

Species & genera humanarum & diuinarum rerũ quomodo inter ſe differant, fol.54.c.1.l.1.

Stoici negant, corporis hæc, & fortunæ externa ſubſidia eſſe in bonis habenda, fol.111.c.2.l.45.

Stoici ſapientem illum ſuum omni prorſus ſpoliant affectu, fol. 114.c.1.l.9.

Stratoclem atq; Damoclem ad reipublicæ gubernacula perinde atq; ad lucella & nundinas ſe inuitare ſolebant, fol.176.c.1.l.30.

Stultitia infœlicitatis eſt mater, & pœnitẽtiæ fidißima comes, fol.27.c.1.l.6.

Stultorum vox, non putaram, fol.62.c.1.l.55.

T.

Talio vindictæ ab officio boni viri flagitioſè diſcedenti, à natura lata quæ ſit, folio.14.col.1.lin.2.

Tarquini nobile dictum de fidis infidiſq; amicis, fol.129.col.2.lin.51.

Telemachus Menelai rebus inſpectis, quid admiratus dixerit, fol.138.c.1.l.12.

Temeritati cæcæ ſortis (quam fortunam appellãt) nihil eſſe poteſt cum beatitudine vera animi, vel fœlicitate commune, fol. 30.c.1.l.20.

Temporis iactura maior atq; irreparabilior nulla eſt, fol.41.c.2.l.49.

Terinei cuiuſdam Elyſij non inutilis hiſtoria, folio.52.c.1.l.21.

Timocreontis Rhodij pulchrum dictum de Pluto diuitiarum præſide, fol.135.c.1.l.21.

Tribulatio, animi inuicta patientia compreſſa atq; edomita multũ habet veræ laudis, f.87.c.2.l.30.

Triſmegiſtus Mercurius de ſummo & præpotenti Deo fidei noſtræ arcanis admodum congruentia multa ſcripſit, fol. 98.c.1.l.52.

Triſmegiſtus Mercurius Deum ipſum vnum quidẽ credidit eſſe, fol.99.c.1.l.7.

Thraces cur nunquam cõuiuijs vxores adhibuerint fol.164.c.1.l.15.

Thebæ ab Amphione conſtructæ, fol.151.c.1.l.24.

Themiſtoclis dictum vtilißimum ad Simonidem poetam, fol.180.c.1.l.51.

Themiſtocles amicorum fautor præter bonum & æquum, fol.179.c.1.l.7.

Themiſtoclis perditam adoleſcentiam Miltiadis trophæa mirifice correxerunt, fol.168.c.2.l.56.

Theognis ſtultè apud Bionem de paupertate blacterans quomodo ſit reiectus, fol.129.c.1.l.25.

Theo-

Theognidis Megarenſis pulchrum carmen de non factioſo ciue. fol. 177.c.1.l.22.
Theopompo dormienti cur ſua ſponte in naſſam ingredientes vrbes ſint depictæ. fol. 33.c.1.l.34.
Theramenis & Theopompi in conficiendis negotijs ſucceſſum rerum fuiſſe varium & fortunam longè diſparem. fol. 60.c.1.l.37.
Thobiæ ſancti more, ſuos quemq; filios erudire debere. fol. 173.c.1.l.30.
Thimantes quo ſit vſus commento in Agamēnonis ſacrificio. fol. 22.c.2.l.9.
Turpi in re ne parenti quidem eſſe obtemperandū, fol. 179.c.2.l.22.

V.

Valerius Lycinianus in exilium actus in præfatione quadā de fortunæ temeritate multa ſapienter dixit. fol. 8.c.2.l.56.
Varietatem gratam eſſe omnibus, & de naturæ mirabili varietate. fol. 120.c.2.l.17.
Virtus an egeat aliquo contrario, vt ſtare poßit, fol. 83.c.1.l.1.
Virtus ſine aduerſario marceſcit, fol. 86.c.1.l.12.
Virtus ſit ne in boni & mali ſcientia poſita, fol. 77.c.1.l.39.
Virtus actionum noſtrarum non eſt vltimus finis, fol. 117.c.1.l.51.
Virtus eſt animi moderatio, & prauorum affectuū cohibitio. fol. 38.c.2.l.30.
Virtus à quo vna abſit, in hoc nè cæteras quidē poſſe reperiri. fol. 38.c.2.l.14.
Virtus ſola eſt, quæ verè honorabilem facit, folio. 152.c.2.l.30.
Virtus nullum peruium magis quam paupertatem habet hoſpitium, fol. 131.c.1.l.26.
Virtus & iuſtitia tunc demum noſtris in rebus florent, cùm ad libram rationis rectè ſunt cuncta dimenſa, fol. 77.c.2.l.32.
Virtus eſſe verè nequit, niſi volūtaria ſit & libera, fol. 83.c.2.l.49.
Virtus ſplendore gaudet, ſi probetur fuiſſe libera, fol. 45.c.1.l.15.
Virtutis ſedulo cultæ nunquam interire gratiam, fol. 70.c.1.l.14.
Virtutis alendæ gratia Romanorum vetus mos, fol. 148.c.2.l.26.
Virtutis diffinitio non ſemper vna eſt, fol. 111.c.2.lin.56.
Virtutis munera ſolida eſſe, & nullo poſſe caſu eripi, fol. 10.c.1.l.25.
Virtutem non mercenariam, ſed gratuitam eſſe debere. fol. 170.c.2.l.9.
Virtutē ad benè beateq; viuendum ſe ipſa contētam eſſe ſecundum Stoicos, fol. 111.c.2.l.52.
Virtutes morales vitiorum in confinio eſſe poſitas, fol. 7.c.2.l.22.
Vera bona pauci dignoſcere poßunt, f. 141.c.2.l.18.
Verum decus in virtute poſitum eſſe, folio. 29.col. 2.lin. 27.
Veritate nihil eſſe fortius, fol. 51.c.1.l.2.
Ventidius ex mulione conſul factus, folio. 18.col. 2.lin.3.
Vita, militia eſt: & quid inde ſequitur, fol. 88.col. 1.l.8.
Vita & mors, quæ dicantur, fol. 99.c.2.l.52.
Vitæ lux vera, Deus eſt, fol. 84.c.2.l.39.
Vitæ ſuæ cuiq; rationem in primis habendam eſſe, fol. 96.c.1.l.15.
Vitæ conſilia, ex quo plerumq; fonte naſcantur, fol. 164.c.1.l.42.
Vitæ hāc ſcenam ingreßis duæ ſunt propoſitæ viæ, fol. 86.c.1.l.36.
Vitæ inæquale propoſitum mentem perturbat, fol. 8.c.1.l.16.
Vitæ ſcopum optimum in bona eſſe morte poſitum, fol. 21.c.2.l.24.
Vitā ſapiēter inſtituiſſe quis Plutarcho videatur, fol. 53.c.1.l.52.
Vitam qui honori poſthabuerint, inuentos fuiſſe multos, fol. 167.c.1.l.38.
Viuere delicata res non eſt; fol. 65.c.2.l.51.
Victus frugalitas antiquorum, folio. 153.colum. 1. lin. 5.
Vir bonus proſperitate tumefactus, hiſtrionis perſonam imitari non debet, fol. 31.c.1.l.19.
Viris ſtrenuis, non opulentiæ, ſed honeſtati & gloriæ ſemper eſſe ſeruiendum. folio. 149.colum. 2.lin. 10.
Vnum eſſe rerum omnium opificem, cuius neq; prouidentiam, neq; maieſtatem ſatis dignè quiſquam explicare poßit, folio. 98. columna. 1. linea. 10.
Virginius Centurio arrepto ex taberna lanionis cultro, cur Virginiam filiam occiderit, fo. 167. colum. 2. lin. 2.
Vitia ſunt, animi noſtri aberramenta, committentiumq; ipſorum certißimi lapſus, folio. 40. colum. 2. lin. 6.
Vitia ad ſua quemq; cæcutire ſolitum, fol. 19. col. 2. lin. 26.
Vitilitigatores, cur ſit difficile effugere, fol. 23. col. 2. lin. 31.
Voluntate Dei cuncta dependent: & quomodo voluntas Dei, ipſa ſit rerum ſumma perfectio, fol. 99. col. 2. lin. 1.
Vlyſſes inferiorem animi partem ira concitam qualiter mitigare ſit ſolitus, folio. 46. columna. 2. linea. 44.
Vlyſſes perturbati animi æſtus generoſo pectore ſuſtinebat. fol. 47.c.1.l.35.
Vlyſſes cur repētina ſui canis morte, lachrymarit, fol. 28.c.1.l.5.

Vrbes

INDEX.

Vrbes non tam mœnium, & multitudine turrium præſtantiaquam incolentium virtute communiri ſolent. fol.173.c.1.l.39.

Vulnus, quod ſanat, ipſius eſt habendum medicamentum. fol.66.c:2.l.15.

Vulgus ad deferendos bonores. 4. ſolet cauſas inſpicere. fol.171.c.1.l.13.

Vultus qualem quiſq; habeat animum plerumq; inſinuat. fol.15.c.1.l.31.

Vxoris nomen ſanctum eſt dignitatiſq; plenum. fol. 164.c.1.l.10.

Vxore rite ſumpta liberis operam dare honorificũ fuit olim. fol.165.c.2.l.54.

X.

XAnthij, libertatis cauſa ter à ſeipſis conſumpti eſſe perhibentur. fol. 167.c.2.l.20.

Z.

ZAleuci Locrenſis proœmium legis ad vitæ ſanctitatem vtiliſſimum. fol.101.c.2.l.17.

Zenonis acutum dictum, in adoleſcentem, fugientẽ eum, à quo iuſiurandum falſum rogabatur. fol. 179.c.2.l.54.

Zenonem Stoicũ de piorũ impiorumq; ſedibus præclare multa diſſeruiſſe fol.94.c.2.l.15.

Zenonis & aliorum quorundam in amiſſione opũ conſtantia. fol.150.c.1.l.38.

LAVS DEO.



SALMANTICÆ

Excudebat Cornelius Bonardus.

Anno 1588.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA